DE SACRAMENTIS IN GENERE,

Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia ſacramento & ſacrificio, Canonis Miſſę explicatione:

COMMENTARII ET DISPVTATIONES ANALYTICÆ SEBASTIANI EPISCOPI OXOMENSIS:

In quæſtiones Tertiæ partis D. Thom. à LX. ad LXXXIII.

AD PHILIPPVM II. Catholicum Regem Hiſpaniarum.

COM-

SI TAMEN



PATIMVR.

BVRGIS.

Apud Philippum Iuntam.

1588.

Summa Priuilegij.

PHILIPPI II. Regis Catholici priuilegio cautum est, ne quis intra proximum decennium Commentaria & disputationes Sebastiani Episcopi Oxomen. de Sacramentis in genere & de Eucharistia, sine ipsius licentia imprimere, aut aliunde importata vendere possit, sub pœna in eodẽ expressa.

Censura.

HOc opus de Sacramentis in genere, & eorum præstantissimo Eucharistia à Sebastiano Episcopo Oxomensi compositum, quod iussu regij senatus legi & attentius examinaui, suo certe dignum est autore, fidei catholicæ consentaneum, & sacrę doctrinæ accommodatissimum: in quo & patrum elucet autoritas, & Theologorum subtilia disseruntur, breui stilo facundiã retinens, Sacramentariorum nostri temporis dogmata refellit. quare ob has causas dignum censeo, quod in publicum exeat, vt reip. fidelium & scholę nostrę sit emolumento. Dat. Madriti in collegio S. Thomæ Aquinatis 19. Septemb. ann. 1586.

F. Alfonsus de Luna Rector.

Esta tassado por los señores del Consejo del Rey nuestro señor cada pliego a 3 marauedis.

AD PHILIPPVM II. Catholicum Regem Hispaniarum.

Sebastiani Episcopi Oxomensis dedicatio.

DIVINO consilio factum esse existimo, rex catholice, vt quo primùm tẽpore tuo iussu & liberalitate ex Salmanticẽsi academia euocatum in regio sancti Laurentij collegio, Theologiæ doctorem esse voluisti: de diuini verbi incarnatione, & eius sanctis mysteriis in exordio Theologicæ professionis mihi disserendũ esset. quamuis enim Theologia, non tantùm diuina, vnde nomen accepit, sed etiam humana, quæ ad Deum referuntur, suo ambitu comprehẽdat: tamen incarnationis vim & rationẽ, & mysteria inde exorta, dicendo illustrare pro dignitate non potest, qui sacras literas, Apostolicas Traditiones, patrum scripta, conciliorum decreta, Theologorum disputationes accuratè nõ peruolutauerit. Apostolus Paulus raptus in tertium cælum, vbi arcana Dei viderat, Euangelium ex reuelatione Christi didicerat: fatetur tamen se nihil aliud scire nisi Iesum Christũ crucifixum, & in eo esse thesaurũ scientię & sapientię Dei. Quis ergo tantum sibi tribuat, vt iis planè & dilucidè, & ad rerum dignitatem accommodatè explicandis, parem facultatem se adferre posse arbitretur? Quare ne dignitate & præstantia rerum à docendi munere auocarer, me in sacrorum librorum lectione, in antiquis Patribus perdiscendis, in historiæ Ecclesiasticæ cognitione, in hæresum refutatione, veterum Patrum vestigiis insistendo, diu multumq; exercui. Ea re effectum est, vt ad plurima Theologiæ decreta explicanda, collegerim quædam, nonnulla obseruauerim, aptiori quadam via & ratione collocauerim multa. Cùm autẽ tua iterum

voluntate & iussu, instituendũ in Philosophia & Theologia Serenissimum Principem Albertũ S. R. E. Cardinalem & Archiducem Austriæ suscepissem, priora illa accuratiùs recensui, non leui, neq; suspensa manu, vt breuiùs & apertiùs collocata, faciliùs in animum illius, ad diuina & maxima quæq; excipienda, quasi à natura conformatum illaberentur. Episcopi etiam exercitatio effecit, vt hæc ad vsum cleri, & plebis institutionem, faciliùs exponerentur. Horum omnium specimen tibi maxime & inuictissime rex, in catholicæ Ecclesiæ sacramentis, & eorum præstantissimo Eucharistia, nunc exhibemus: vt eorum doctrina tuo nomine defensa ad omnes fideles permanare, & ad eos etiã penetrare possit, quos cõsilio & armis à catholicæ fidei impugnatione coërces & reprimis. Vt enim in diuinissimum Ecclesiæ sacramẽtum, omnis hæreticorum audacia & furor hoc tempore conuertitur, vt eo religionis Christianæ firmamento ablato, omnis Ecclesiastica hierarchia auferatur: sic sanè oportet firmissimam, & catholicam defensionem eiusdem sacramenti, in catholico & potentissimo rege collocatã esse. Vellem quidem hoc munus litterarium tibi maximè probari: sed nõ tam de munere, quàm de animo offerentis laboro. is æternum deuotus est, & erit animo tuo planè regio, & ad tuendam, & amplificandam religionem catholicam, diuina prouidentia nobis concesso. Burgis. A D. XI. kalen. April. ann. incarn. 1588.

AD

Ad lectorem.

CONSILII mei rationem, in his Theologicis commentariis & analyticis disputationibus, candide lector, principiò tibi exponere operæpretium esse existimaui. Cùm enim viginti & amplius annos, in Theologica professione impendissem, & ea, quæ continenti labore congesseram, multis profutura esse sperarem, eamq; sententiam amici doctrina & prudentia excellentes valde probarent, cœpi diligentius illa recognoscere, examinare, & expendere. Interim autem prodiere eruditissima in D. Thom. commentaria, quæ me hoc labore meritò liberare possent: sed cùm aliam viam docendi illi autores sequerentur, copiosam, abundantem, concertationum & obiectionum plenam, nobis autem alia, & omnino per se, & instituto D. Thomæ accommodata videretur, in eodem animi proposito mihi permanendum esse existimaui. Primùm igitur catholicas sententias ad sua principia reuocaui, nempè scripturam diuinam, Traditionem, Conciliorum decreta, Patrum consensionem: adiunctis Theologicis rationibus, quæ firmiores esse viderentur: deinde ex probabilibus, ea quæ eisdem principiis magis consentanea essent, delegimus: tandem plenam & abundantem hæresum refutationem adiecimus. sententias autem plenas et integras, non minutatim dissectas, componimus, vt ipsum quasi corpus doctrinæ, suis partibus connexum & cohærens planiùs intelligi posit. ea re effectum est, vt integras aliquando quæstiones, aliquando articulos singulos eadem explicatione cõiungamus, aliquando etiam antecedat, aliquando consequatur cõtextum D. Thomæ nostra explicatio: quòd aliter disputationem contra hæreticos componere, et distinguere apertè non possem, vt suis locis constabit: semper autem autoris sanctissimi et doctissimi sententias explicamus, defendimus,

mus & confirmamus. hanc docendi rationem cum D. Thoma consentire, omnes intelligent, qui præfationem primæ p. Theologiæ expenderint: omnia enim propria suis locis componit, aliena reiicit, inutilia et falsa resecat, obiectiones & argumenta, quæ illustrent doctrinam, non quæ perturbent, adiungit. hæc certè in D. Tho. perfecta sunt, in nobis conatus, & imitatio aliqua, non autē perfectio, reperietur: nō enim nostra miramur, sed examinanda doctioribus Theologis proponimus. In Eucharistia explicanda longiores sumus, sed rei magnitudo, & hæreticorum audacia in religionis nostræ summa euertenda, & sacrificij plenior demonstratio, abundatiorem doctrinam effecit, quæ semper, sed hoc tempore valde necessaria est. Tuum erit, lector candide, nostrum laborem æqui, boniq; consulere. Vale.

Erratas

Errata operarum ita corrigito.

¶ *In Commentario de Sacramentis in genere Baptismo & Confirmatione.*

In Commentario 7.60 corrigantur numeri à.5 ad 15. continenti serie numerorum seruata.

FOlio.12 columna.3.versu mc.lege c. Et eadem columna versu nsi.lege.si.fol 19.col.2.vers. Baptismi.Euchastiæ l.Eucharistiæ.fol.21.col.1.vers.Dei.vouum l.nouum. fol.22. col.1.vers. spirituali.l speciali.fol.27.col.2.vers sacrem l.saciam. Et col.4.vers.gratiæ. in his. l.his. fol.28. col.2.vers.fert mynisterium.l.ministerium fol.29.col.1.vers.tilor.l.tilior. Et col.4. vers.creationes.propriæ l propriè fol 30 col.3.vers morte Cgristi,l.Christi. fol.37.col.2. vers. ni. esphragi. l.sphragi.fol.50 col.1.vers.nqiri.l.quiri.fol.57.col.3.vers.tantum.absolutionem.l. ablutionem.& col.4.vers.confirmatiohem.l.confirmationem.fol.68.col 4.vers.cõstat.loadi l.laodi fol.78 col. 1.vers.luntarium.quo peccatum.l quo voluntario peccatum.fol.110.col 4.vers ractere,& baptizato.l.& non baptizato.fol.114.col.2 vers.rationibus.incircuncisio.l. circũcisio.fol.1 3.col 3.vers. teria,conseccratum,l.consecratum fo.126.col.1.vers ipsos eodem l. ipsos vicissim eodem.fol.129. col.2.vers,ad perfectionem,christiani,l.christianismi.

¶ *In Commentario de Eucharistia.*

FOlio.10.columna.1.versu.quædam,effecit.l efficit fol.16.col 1. vers.vnde, quidem l.quidam. fol.28.col 4.vers.riis verbis,interiecta:sed l.interiecta vlla particula:sed. fol.29. col 4.vers. cramenti,Christiani deberet.l.Christiani rationem & essentiam debere. fol.33.col.3. vers.1.affirmant l.affirmat.fol 41 col.3.vers.tium panis,consecratione.l conseruatione. fol.53.col.2. vers. existere & non.l.existere non.fol.56.col.3.vers quotidiana,stupe.l stipe fol.58.col.3.vers.ligimus l. legimus.fol. 61. col. 4.vers.nationem, l.iunctionem. fol.63.num.17. inconsiderate repetitum est argumentum septimum, quod conclusum est suprà fol. 60. colum.1.& 2. fol. 70. col. 3. versic. quantitatem, nulla tum. l. tamen. fol. 74. colum. 2.versic. patiuntur, quę ideo l. quæ ratio fol. 76. colum 1. versic. cit sicut, voluioset.l voluisset. fol. 110. col.4. versic. tesnon sacrificantes altera. l. sacrificantes vna altera. fol. 115. col.4. versic. cis Domini, ratione. l. oratione fol. 118. col.3. vers. sacerdotum. l. sacerdotium. fol.120.col.1.vers. sacramentum, perceptio.l. præceptio.fol.121. col.3. vers. accedenti. l. accidenti. fol. 133. col.3. vers.nem pro, reconciliatione. l.reconciliationem.fol 134 col. 1 versic. bus vitare. l bus pręterea tenemur vitare. fol.147.col.4.in not.marg.dysias.l.Thysias. versu crificantur,áthiesthę.l. à Thyesthæ.fol.148 col.1 vers.ce vocare Tymiain.l.Tymiasin.fol.156.col.1.in not.marg.sensibilibus l.insensibilibus.fo.170 col 1.vers crificij.illæ.l.ille.Et col 3 vers.da est,ipse enim.l.ipse viuet.Et vers.intentione. l. intẽtione operantis.fol 171.col 2.vers.chus.50.l.500.fol.174.col.3.vers substantialiter,aut l.cur.fol.179 col.1.vers.eundem,diuinorrm.l.diuinorum Et vers.fine,pripcipio.l.principio. Et col.3.vers.num, meditatione.l.mediatione.Et col.4.vers.tinct.sic,lege continet,reliqua omnia exprimere, & ideo;

D. THOMAE AQVINATIS

Tertia pars Theologiæ de Sacramentis, commentariis & disputationibus analyticis illustrata à Sebastiano Episcopo Oxomensi.

QVÆSTIO LX.

De Sacramentis, in octo articulos diuisa.

POST considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso verbo incarnato efficaciam habent. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi. Secunda de vnoquoque sacramentorũ in speciali.

Circa primum quinque consideranda sunt.

Primò, quid sit sacramentum.

Secundò, de necessitate sacramentorum.

Tertiò, de effectibus sacramentorum.

Quartò, de causa eorum.

Quinto, de numero.

Circa primum quęruntur octo.

Primò, vtrum sacramentum sit in genere signi.

Secundò, vtrum omne signum rei sacræ, sit sacramentum.

Tertiò, vtrum sacramentum sit signum vnius rei tantùm, vel plurium.

Quartò, vtrum sacramentum sit signum quod est res sensibilis.

Quinto, vtrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.

Sexto, vtrum ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.

Septimo, vtrum requirantur determinata verba.

Octauo, vtrum illis Verbis possit aliquid addi vel subtrahi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Sacramentũ sit in genere signi.



AD primum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentũ dici à sacrando, sicut medicamentum à medicãdo. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causę, quàm ad rationẽ signi. Ergo sacramentum magis est in genere causę, quàm in genere signi. *4.d.1.q.1 ar. 1.q.1 & ar.3. ad 1. & ar.4. q.5. ad 1.*

¶ 2. Præterea, sacramentum videtur aliquid occultum significare, secundum illud Tobię 12. Sacramentum Regis abscondere bonũ est. Et Ephes. 3. Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationẽ signi. Nam signum est quod pręter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionẽ venire, vt patet per † Aug. in 2. de Doct. Christiana. Ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. *Lib. 2. ca. 1. circa princi. to. 3.*

¶ 3. pręterea, iuramentum quandoque sacramentum nominatur, dicitur enim in † Decr. 22. q. 5. Paruuli qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur iurare, & qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum (id est iuramentum) accedat. Sed iuramentum non pertinet ad rationem signi: ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. *22. q. 5. cap. Paruuli qui sine ætate.*

Li. 10. c. 15 nõ procul à princ. tom. 5.

SED CONTRA eſt, quod *Auguſt. dicit in 10. de Ciuitate Dei: Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, ideſt ſacrum ſignum eſt.

RESPONDEO dicendum, quod omnia quæ habent ordinem ad vnum aliquid, (licet diuerſimodè) ab illo denominari poſſunt, ſicut à ſanitate, quæ eſt in animali, denominatur ſanum, non ſolùm animal, quod eſt ſanitatis ſubiectũ, ſed dicitur, medicina ſana, inquantum eſt ſanitatis effectiua: diæta verò, inquantum eſt cõſeruatiua eiuſdẽ, & vrina, in quãtum eſt ſignificatiua ipſius. Sic igitur ſacramentum poteſt aliquid dici, vel quia in ſe habet aliquam ſanctitatem occultam, (& ſecundum hoc, ſacramentum idem eſt quod ſacrum ſecretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc ſanctitatem, vel cauſæ, vel ſigni, vel ſecundum quancunque aliam habitudinem. Specialiter autem nũc loquimur de ſacramentis, ſecundum quod importãt habitudinem ſigni, & ſecundum hoc ſacramentum ponitur in genere ſigni.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod quia medicina ſe habet vt cauſa effectiua ſanitatis, inde eſt quod omnia denominata à medicina dicuntur per ordinem ad vnum primum agẽs, & propter hoc medicamentum importat cauſalitatem quandam. Sed ſanctitas, à qua denominatur ſacramentum, non ſignificatur per modum cauſæ efficiẽtis, ſed magis per modum cauſæ formalis vel finalis, & ideò non oportet, quod ſacramẽtum ſemper importet cauſalitatem.

AD SECVNDVM dicendum, quod ratio illa procedit, ſecundum quod Sacramentum idem eſt quod ſacrum ſecretum. Dicitur autem non ſolùm Dei ſecretum, ſed etiã Regis, eſſe ſacrum & ſacramentũ, quia ſecundum antiquos, ſancta vel ſacroſancta dicebantur, quęcunque violari non licebat, ſicut etiam muri ciuitatis, & perſonæ indignitatibus conſtitutæ. Et ideo illa ſecreta ſiue diuina, ſiue humana, quæ non licet violari, quibuſlibet publicãdo, dicuntur ſacra vel ſacramenta.

AD TERTIVM dicẽdum, quod etiam iuramentum habet quãdam habitudinem ad res ſacras, inquantum ſcilicet eſt quędam cõteſtatio facta per aliquid ſacrum. Et ſecundùm hoc dicitur iuramentum eſſe ſacramentum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de ſacramentis, non tamen æquiuocè ſumpto nomine ſacramenti, ſed analogicè; ſcilicet ſecuudum diuerſam habitudinem ad aliquid vnum, quod eſt res ſacra.

ARTICVLVS II.

Vtrum omne ſignum rei ſacræ ſit Sacramentum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod non omne ſignum rei ſacrę ſit ſacramentum. Omnes enim creaturæ ſenſibiles ſunt ſigna rerum ſacrarum, ſecundum illud Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta, cõſpiciuntur. Nec tamen omnes res ſenſibiles poſſunt dici ſacramenta. Non ergo omne ſignum rei ſacræ, eſt ſacramentum.

Infra q. 64 ĩ art. 2. Et 1. 2. q. 161. art. 4. cor. & q. 102. ar. 5 co. & 4. di. 1. q. 1. ar. 1. quæſt. 1.

¶ 2. Præterea, omnia quę in veteri lege fiebant, Chriſtum figurabãt, qui eſt ſanctus ſanctorum: ſecundũ illud 1. ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis. & Coloſſ. 2. Quæ ſunt vmbra futurorum,

cor-

corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris testamenti, vel etiam omnes cęremonię legis sunt sacramenta, sed quædam specialiter, sicut in Secunda parte habitum est.† Ergo videtur, quod non omne signum rei sacræ sit Sacramentum.

1.2.q.101.ar.4.

¶ 3. præterea, etiam in nouo Testamento multa geruntur in signum alicuius rei sacrę, quæ tamē nō dicuntur sacramēta, sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

Sed contra est, quod definitio conuertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramētum per hoc quod est sacræ rei signum, & hoc etiam videtur ex autoritate *August. supra inducta. Ergo videtur, quòd omne signum rei sacræ, sit sacramentum.

In art. praec. arg. Sed con.

Respondeo dicēdum, quod signa propriè dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota peruenire. Et ideò propriè dicitur sacramentum, quod est signum alicuius rei sacrę ad homines pertinentis, vt scilicet propriè dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, inquantum est sanctificans homines.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturę sensibiles significāt aliquid sacrum, scilicet sapientiam & bonitatem diuinam, inquantum sunt in seipsis sacra: non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramēta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad secundum dicendum, quod quędam ad vetus Testamentum pertinentia, significabant sanctitatē Christi secundū quod in se sanctus est. Quędā verò significabāt sanctitatē eius, inquantū per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur propriè veteris legis sacramenta.

Ad tertium dicēdum, quod res denominantur à fine & cōplemento, dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significāt dispositionē ad sanctitatē, non dicuntur sacramenta (de quibus procedit obiectio) sed solū ea quę significāt perfectionem sanctitatis humanæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacramentum sit signum vnius rei tantum.

4. di. 1. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 4. & art. 3. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramentum nō sit signum, nisi vnius rei. Id enim quo multa significantur, est signū ambiguum, & perconsequens fallendi occasio, sicut patet de nominib. æquiuocis. Sed omnis fallacia deuet remoueri à Christiana religione, secundū illud Colo. 2. Videte, ne qui vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam. Ergo videtur, quòd sacramentum non sit signum plurium rerum.

¶ 2. Pręterea: Sicut dictum est,† Sacramentum significat rem sacram, inquantum est humanę sanctificationis causa. Sed vna sola est causa humanę sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebr. vlt. Iesvs vt sanctificarēt per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quòd sacramentum non significet plura.

art. praec.

ar. praec. ad 3. ¶ 3. preterea: Dictum est, *quod sacramentum propriè significat ipsum finem sanctificationis sed finis sanctificationis est vita æterna, secundum illud Romano. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam ęternam. Ergo videtur, quod sacramentum non significet nisi vnã rem, scilicet vitam æternam.

SED CONTRA est, quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum, & mysticum, vt † August dicit in lib. sentent. Prosperi.

De cons. dist. 2. cap. Hoc est quod dicimus.

Ar. praec. RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est) *sacramentũ propriè dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationẽ. In qua tria possunt cõsiderari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostrę, quę est passio Christi, & forma nostrę sanctificationis, quę cõsistit in gratia & virtutib. & vltimus finis sanctificationis nostrę, qui est vita æterna. Et hęc omnia per sacramenta significantur. Vndè sacramentum est & signum rememoratiuum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi, & demonstratiuũ eius quod in nobis efficitur per Christi passionẽ, scilicet gratiæ, & prognosticum, idest, pręnuntiatiuum futuræ gloriæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, prębens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum vnum non ordinatur ad aliud. Sed quãdo significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur vnum, tunc non est signũ ambiguum, sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam & corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quod quodam ordine sunt vnum. In cor. ar.

AD SECVNDVM dicendũ, quod sacramentum in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

AD TERTIVM dicẽdum, quod sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma, nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

AD quartum sic proceditur, Videtur quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophũ in lib. Priorum, omnis effectus, suę causę signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiã sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicuius rei sacrę, inquantum per eam homo sanctificatur, vt dictum est. † Non ergo requiritur ad sacramentum, quòd sit aliqua res sensibilis.

4. di. 1. q. 1. ar. 1. q. 1. & ar. 2. q. 1. & art. 3. cor. Et 4. contra c. 56. & Io. 3. 1. cor. 4.

Ar. 2. huius q.

¶ 2. preterea, Sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultũ Dei. Dicitur enim Ioa. 4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Et Roma. 14. Non est regnum Dei, esca & potus. Ergo res

go res ſenſibiles non requiruntur ad ſacramentum.

Lib. 2. cap. 19. tom. 1.

¶3. Præterea, Auguſt.* dicit in lib. de Libero arbitrio quod res ſenſibiles ſunt minima bona, ſine quibus homo rectè viuere poteſt. Sed ſacramenta ſunt de neceſsitate ſalutis humanæ (vt infrà patebit*) & ita ſine eis homo rectè viuere non poteſt. Non ergo res ſenſibiles requiruntur ad ſacramenta.

queſt. 61.

Tract. 80. in Euang. Io. poſt mediũ tomo 9.

Sed contra eſt, quod† Auguſt. dicit ſuper Io. Accedit verbũ ad elementum, & fit ſacramentum. Et loquitur ibi de elemento ſenſibili, quod eſt aqua. Ergo res ſenſibiles requiruntur ad ſacramenta.

Respondeo dicẽdum, quod ſapientia diuina vnicuique rei prouidet ſecundum ſuum modum, & propter hoc dicitur Sap. 8. quod ſuauiter diſponit omnia. Vnde & Matth. 25. dicitur, quod dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem. Eſt autem homini connaturale, vt per ſenſibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Signũ autẽ eſt per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde, cùm res ſacrę, quæ per ſacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia & & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur, conſequens eſt, vt per aliquas res ſenſibiles ſignificatio ſacramẽti impleatur, ſicut etiã per ſimilitudinem ſenſibilium rerũ in diuina Scriptura res ſpirituales nobis deſcribũtur. Et inde eſt, quod ad ſacramenta requiruntur res ſenſibiles: vt etiam Diony.* probat in 1. cap. Cæleſt. Hierar.

Cap. 1. inter medium & finẽ.

Ad primum ergo dicendũ, quòd vnũquodque præcipuè denominatur & diffinitur ſecundũ id quod cõuenit ei primò & per ſe, nõ autẽ ſecundum id quod conuenit ei per aliud. Effectus autẽ ſenſibilis, per ſe habet, quod ducat in cognitionẽ alterius, quaſi primo & per ſe homini innoteſcẽs, quia omnis noſtra cognitio à ſenſu oritur: effectus autem intelligibiles non habẽt, quòd poſsint ducere in cognitionem alterius, niſi inquãtum ſunt per aliud manifeſtati, id eſt, per aliqua ſenſibilia. Et inde eſt quòd primò & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur: ſicut Aug. dicit in 2.* de Doctrina Chriſtiana, vbi dicit, quod ſignum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem ſigni, niſi ſecundũ quod ſunt manifeſtati per aliqua ſigna. Et per hunc etiam modũ, quædã quæ non ſunt ſenſibilia, dicuntur quodãmodo ſacramenta, inquantum ſunt ſignificata per aliqua ſenſibilia, de quibus infrà agetur.*

Lib. 2. de doct. Chriſtia. circa principium lib. to. 3.

Quæſt. 63. ar. 1. ad 2.

Ad secundum dicendum, quòd res ſenſibiles, vt in in ſua natura conſiderantur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei, ſed ſolùm ſecundum quod ſunt ſigna ſpiritualium rerum, in quibus regnũ Dei conſiſtit.

Ad tertium dicendũ, quòd Auguſt. ibi* loquitur de rebus ſenſibilibus, ſecundũ quod ſunt in ſua natura, non autem ſecundum quod aſſumuntur ad ſignificandum ſpiritualia, quæ ſunt maxima bona.

Loco citato in arg. 3.

ARTICVLVS V.

Vtrum requirantur determinatæ res ad ſacramenta.

AD quintũ ſic proceditur. Videtur, quòd non requirantur

deter-

determinatæ res ad ſacramẽta. Res enim ſenſibiles aſſumuntur in ſacramentis ad ſignificandum, vt dictum † eſt. Sed nihil prohibet diuerſis rebus ſenſibilibus [illegible] ſignificari, ſicut in ſacra Scriptura Deus aliquãdo metaphoricè ſignificatur per lapidem, quandoque per leonẽ, quandoque per ſolem, aut aliquid aliud huiuſmodi. Ergo videtur, quòd diuerſæ res poſſint congruere eidem ſacramento. Nõ ergo determinatæ res in ſacramentis requiruntur.

art. 3. huius q.

¶ 2. Prætereà, Magis eſt neceſſaria ſalus animę, quàm ſalus corporis. Sed in medicinis corporalibus quæ ad ſalutem corporis ordinantur, poteſt vna res pro alia poni in eius defectu. Ergo multò magis in ſacramentis, quæ ſunt medicinæ ſpirituales ad ſalutem animę ordinatę, poterit vna res aſſumi pro alia, quando illa defuerit.

¶ 3. præterea, Non eſt conueniens vt hominis ſalus arctetur per legem diuinam, & pręcipuè per legem Chriſti, qui venit omnes ſaluare. Sed in ſtatu legis naturę non requirebantur in ſacramentis aliquæ res determinatæ, ſed ex voto aſſumebãtur, vt patet Gen. 28. vbi Iacob vouit ſe Deo decimas & hoſtias pacificas oblaturum. Ergo videtur, ꝙ non debuerit arctari homo, & præcipuè in noua lege, ad alicuius rei determinatæ vſum in ſacramentis.

Sed contra eſt, quòd Dominus dicit Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei.

Respondeo dicendum, quod in vſu ſacramentorum duo poſſunt conſiderari, ſcilicet cultus diuinus, & ſanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, ſecundum autem è conuerſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod eſt in poteſtate alterius, ſed ſolùm id quod eſt in ſua poteſtate. Quia ergo ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet ad hominem ſuo iudicio aſſumere res, quibus ſanctificetur, ſed hoc debet eſſe ex diuina inſtitutione determinatum. Et ideo in ſacramẽtis nouæ Legis, quibus homines ſanctificantur (ſecundum illud 1. ad Cor. 6. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis) oportet vti rebus ex diuina inſtitutione determinatis.

Ad primum ergo dicendum, quod & ſi idem poteſt per diuerſa ſigna ſignificari, determinare tamẽ quo ſigno ſit vtendum ad ſignificandum, pertinet ad ſignificantem. Deus autem eſt qui nobis ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in ſacramentis, & per verba ſimilitudinaria in ſcripturis. Et ideo ſicut iudicio Spiritus ſancti determinatũ eſt, quibus ſimilitudinibus in certis Scripturæ locis res ſpirituales ſignificentur, ita etiam debet eſſe diuina inſtitutione determinatũ, quæ res ad ſignificandum aſſumantur in hoc vel in illo ſacramento.

Ad secundum dicendum, quod res ſenſibiles habent naturaliter ſibi inditas virtutes conferentes ad corporalem ſalutem, & ideo non refert, ſi duę earum eandem virtutẽ habeant, qua quis vtatur. Sed ad ſanctificationem nõ ordinantur ex aliqua virtute ſibi naturaliter indita, ſed ſolum ex inſtitutione diuina, & ideo oportuit diuinitus deter-

determinari quib. reb. sensibilibus sit in sacramentis vtendum.

Lib.19.ca.16. & 17.tom.6.

AD TERTIVM dicendum, quod sicut August.* dicit 19. contra Faustum, diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt, sic etiam diuersis verbis significantur diuersa tempora, scilicet præsens, præteritum & futurum. Et ideo sicut in statu legis naturæ, homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deũ colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quib. rebus sensibilibus ad Dei cultum vterentur. Postmodum verò necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturæ, ex peccatis hominum, tum etiam ad expresſiorem significationem gratiæ Christi, per quã humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines vterẽtur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis quia res quarum vsus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel paruo studio adhibito haberi possunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in significatione sacramentorum requirantur verba.

4.dist.1.q.1. ar.3.& di.13. q.1.art.2.q.6. ad secundum. Et veri.q.27. art.4. ad decimum.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in significatione sacramentorum nõ requirantur verba. Dicit enim August. contra Faustum * lib.19. Quid sunt aliud quæque corporalia sacramẽta, nisi quasi quædam verba visibilia? Et sic videtur, quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis, sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluũ. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.

*Lib.19.c.16. circa med.to.6

¶ 2. Præterea, Sacramẽtum est aliquid vnum. Ex his autem quæ sunt diuersorum generum, nõ videtur posse aliquid vnum fieri. Cùm igitur res sensibiles & verba sint diuersorum generum (quia res sensibiles sunt à natura, verba autem à ratione) videtur, quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.

¶ 3. Præterea, Sacramenta nouæ Legis successerunt sacramentis veteris Legis, quia illis ablatis ista sunt instituta, vt August. dicit 19. contra Faustum.* Sed in Sacramẽtis veteris Legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in Sacramentis nouæ legis.

Lib. 19. c.16. & 17. in fine tom.6.

SED CONTRA est, quod Apostolus dicit Ephesi.5. Christus dilexit Ecclesiã, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: Et Aug. dicit super Io.* Accedit verbum ad elemenrum, & fit sacramentum.

Tract. 80. in Ioa. post med. tom.9.

RESPONDEO dicẽdum, quod sacramenta (sicut dictum est*) adhibẽtur ad hominum sanctificationem sicut quædam signa. Tripliciter ergo cõsiderari possunt, & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primò enim possunt cõsiderari ex parte causæ sanctificantis, quæ est verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est verbum Dei vnitũ. Secundò possunt considerari sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui cõponitur ex anima & corpore, cui proportionatur sacramẽtalis medicina, quæ per rẽ

Art.2.ad 3.

 visibilem

visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Vnde August.* dicit super illud Ioan. 15. Iã vos mundi estis propter sermonem, &c. vnde est ista tanta virtus aquę, vt corpus tãgat, & cor abluat, nisi faciente verbo, nõ quia dicitur, sed quia creditur? Tertiò possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem August. * in 2. de Doct. Christiana, quòd verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diuersimodè formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis, & propter hoc per verba, magis distinctè possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cùm dicitur: Ego te baptizo, manifestatur quòd aqua vtimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Tract. 80. in Ioannem post med. tom. 9.

Lib. 2. cap. 3. circa med. to. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, inquantum scilicet participant quandam vim significandi, quæ principaliter est in ipsis verbis, vt dictum est. * Et ideo non est superflua ingeminatio verborum, cùm in sacramentis, rebus visibilibus verba adduntur, quia vnum eorum determinatur per aliud, vt dictum est.*

In cor. art.

In cor. art.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis verba & aliæ res sensibiles sint in diuerso genere, quantum pertinet ad naturam rei, conueniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectius est in verbis quàm in aliis rebus. Et ideo ex verbis & rebus fit quodam modo vnũ in sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantum scilicet per verba perficitur significatio rerũ, vt dictum est.* Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, & alia huiusmodi, quia in his est eadẽ ratio significandi & in rebus.

art. 3. ad. 1.

Ad tertium dicendum, quòd (sicut August. * dicit contra Faustum) alia debent esse sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis pręnuntia erant Christi venturi: & ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta nouæ Legis, quę ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinẽ ipsius in se habent: vt dictum est. *Vtebantur tamen in veteri Lege aliquibus verbis, in his, quę ad cultum Dei pertinẽt, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri (secundum illud Num. 6. Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dñs, &c.) quàm etiam illi, qui illis sacramentis vtebãtur: secundum illud Deut. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, &c.

Lib. 19. cap. 6. tom. 6.

In cor. art.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur determinata verba in sacramentis.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd non requirantur determinata verba in sacramentis. Vt enim Philosophus * dicit, voces non sunt eędem apud omnes. Sed salus, quę per sacramenta quæritur,

Lib. 1. Periher. parũ à prin. to. 1.

ritur est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

¶ 2. Præterea, verba requiruntur in sacramentis inquantum sunt principaliter significatiua, sicut dictum est.* Sed contingit per diuersa verba idem significari. Ergo non requirũtur determinata verba in sacramentis.

Art. præce.

¶ 3. præterea, Corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quidam corruptè verba proferunt, nec tamen propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri, alioquin illiterati & balbi, qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur, quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

SED CONTRA est, quòd Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiæ dicens Matth. 26. Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandauit discipulis, vt sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est*) in sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quoddammodo finis & terminus materiæ, & ideo principalius requiritur ad esse rei, determinata forma, quã determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ. Cùm igitur in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quę se habent in sacramentis sicut materia, multò magis requiritur in eis determinata forma verborum.

Art. præce. ad 2.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut August.* dicit super Ioã. verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eędem voces sint quantum ad sonum. Et ideo cuiuscunque linguę verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentũ.

Tract. 80 à med. to. 9.

AD SECVNDVM dicendum, quòd licet in qualibet lingua contingat diuersis vocibus idem significari, semper tamẽ aliqua illarum vocum est, qua principalius & cõmunius homines illius linguę vtuntur ad hoc significandum, & talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramẽti, cuius vsus est communior ad actũ, per quem sacramenti effectus significatur, sicut aqua communius vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur, & ideo aqua assumitur vt materia in baptismo.

AD TERTIVM dicẽdum, quòd ille, qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, & ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguę, si sit tanta corruptio, quę omnino auferat sensum locutionis, non

videtur perfici sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis, puta, si loco eius quod est in nomine Patris, dicat in nomine matris. Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte finis, puta, si aliquis dicat in nomine patrias & filias. Quanuis enim huiusmodi verba corruptè prolata, nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus. Et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamē idem sensus. Quod autem dictum est* de differentia corruptionis, circa principium vel finem dictionis, rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principij mutat significationem, variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimum mutat consignificationem, quæ tamen apud Gręcos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamē videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex vtraque parte potest esse tam parua, quod nō aufert sensum verborum, & tam magna, quod aufert, sed vnum horum facilius accidit ex parte principij, & aliud ex parte finis.

In istamet solutione.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

4.di.3, ar. 2. q.2.3.& 4.

AD octauū sic proceditur. Videtur, quod nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis huiusmodi verba sacramentalia, quàm verba sacræ Scripturæ. Sed verbis sacræ Scripturæ nihil licet addere vel minuere, dicitur enim Deut. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Et Apoc. vlt. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet super eum Deus plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Ergo videtur, quòd neque in formis sacramentorum liceat aliquid addere vel minuere.

2. Præterea, Verba se habēt in sacramentis per modum formæ, vt dictum est. * Sed in formis quælibet additio vel subtractio variat speciem, sicut & in numeris, vt dicitur 8. Met.* Ergo videtur, quòd si aliquid addatur vel subtrahatur à forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

Ar. præce.

li. 8. metaphy. tex. 8. co. 3.

3. Præterea, Sicut ad formam sacramenti requiritur determinatus numerus dictionū, ita etiam requiritur determinatus ordo verborū, & etiā orationis cōtinuitas. Si ergo additio vel subtractio non aufert sacramēti veritatē, videtur, ꝙ pari ratione nec transpositio verborū, aut etiā interpollatio pronuntiationis.

SED CONTRA est, quod in formis sacramentorum quædam apponuntur à quibusdam, quæ ab aliis non apponuntur, sicut Latini baptizant sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Gręci autem sub ista, baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, &c. Et tamē vtrique verum conferūt sacramentum. Ergo in formis sacramentorum

licet

licet aliquid addere vel minuere.

RESPONDEO dicendum, quod circa omnes istas mutationes, quæ possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum, vt infrà dicetur.* Et ideo si intendat per huiusmodi additionē vel diminutionem alium ritũ inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentũ, quia non videtur, quòd intendat facere id quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cùm enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum, quem faciunt (vt suprà dictum est*) oportet considerare vtrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic manifestum est, quòd tollitur veritas sacramēti. Manifestum est autem, quòd si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborũ: & ideo non perficitur sacramentum. Vnde Didymus* dicit in lib. de Spiritu sancto: Si quis ita baptizare conetur, vt vnum de* prædictis nominibus prętermittat (s. Patris & Filij & Spiritus sancti) sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formę, talis diminutio non tollit debitũ sensum verborum, & per consequens nec sacramēti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ quæ est: Hoc est enim corpus meum, ly enim sublatum, non tollit debitum sensum verborum: & ideo non impedit perfectionem sacramenti: quãuis possit contingere, quod ille qui pręter-mittit, peccet ex negligentia vel cōtemptu. Circa additionem etiã contingit aliquid apponi, quod est corruptiuum debiti sensus: puta, si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris maioris & Filij minoris, sicut Arriani baptizabant: & ideo talis additio tollit veritatē sacramenti. Si verò sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, nō tollitur sacramēti veritas. Nec refert vtrùm talis additio fiat in principio, medio vel in fine: vt si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracleti, erit verum baptisma. Et similiter si quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris & filij & Spiritus sancti, & beata Virgo te adiuuet, erit verum baptisma. Fortè autem si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & beatæ virginis Mariæ, non esset baptismus: quia dicitur 1. ad Cor. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus cōsecratur: talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, & per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si verò sic intelligatur quod additur (& in nomine beatæ Virginis) non quasi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, sed vt eius intercessio prosit baptizato, ad conseruandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti.

Q. 64. ar. 8.

Ar. præce. ad 1. & ad 3.

Li. 2. de Spiritu sancto, paulò à principio. Habetur hic liber in fine operum S. Hiero.

** Didym. habet præceptis.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ad verba sacræ scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum,

sensum: sed quantum ad expositionem sacræ Scripturæ, multa eis verba à doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba sacræ scripturæ apponere, ita quod dicantur esse de integritate sacrę Scripturę, quia hoc esset vitium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid esse de necessitate formæ, quod non est.

Ad secundum dicendum, quod verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati. Et ideò quęcunque fiat additio vel subtractio verborum, quę nō addat aliquid aut subtrahat debito sensui, non tollitur species sacramenti.

Ad tertium dicendum, quòd si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, & per consequens veritas eius: non autem tollitur, quando est parua interruptio, quæ intentionem proferentis & intellectum verborum non aufert. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum, quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione præposita vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti: quia, secundum quod Philosophus* dicit, nomina & verba transposita idem significant.

Li. 2. Periher. c. 1. parum ante finem. to. 1.

Sententiæ & conclusiones. quæst.

PRima conclusio: *Doctrinam de incarnatione sequitur proximè doctrina de sacramentis: quia hæc ex illa vim habent.*

Secūda: *Sacramentum est signum rei sacræ: quia significat gratiam formaliter sanctificantem suscipientes.*

Tertia: *signum illud est res sensibilis constans ex forma, idest verbis determinatis, & materia, idest rebus quæ verbis coniunguntur: quia hæc significationi sacramenti accommodata sunt.*

Prima conclusio, ex principio q. & proœmio huius 3. p.

Secunda Conclusio, ex art. 1. 2. 3.

Tertia conclusio, ex articulis. 4. 5. 6. 7. 8.

COMMENTARIVS.

Ratio ordinis.

HACTENVS verbi incarnati mysteria explicata sunt, deinceps instituta ab illo sacramenta, quibus beneficia illius nobis communicantur, explicāda sunt: vt religionis Christianæ, quam sacramentis profitemur, plena sit & perfecta doctrina. Nam sacramenta sunt instrumēta, quibus verbi incarnati meritum & redemptio nobis cōmunicatur, & vera iustitia, vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur, Trident. princ. Sess. 7. Quare doctrinam de incarnatione, consequitur sacramentorum consideratio. Ea verò commodè instituetur, si primū generatim de omnibus, deinde speciatim de singulis disseruerimus. In generali doctrina de sacramētis, hæc omnia continentur: definitio communis sacramenti, necessitas, diuisio & numerus, comparatio, causa instituens & ministra, effecta, gratia & character, de quibus eodē ordine dicendum nobis est.

Doctrina distributio.

Ad Artic. 1. 2. & 3.

De nominis sacramenti notione & vsu, significatione, analogia.

Sacramentum igitur generaliter est signum rei sacræ: hac ratione sacramenta de quibus agimus à cæteris quę eodē nomine continentur, distinguntur: & idcirco ne vocis ignoratio doctrinam perturbet, & hæreticos nouitatis quā veritatis cupidiores

delectet,

Varr. lib. 4. de ling. Lat. & Fest. Pomp.

delectet, breuiter notio nominis distingua tur, & vnde in religionis vsum venerit, explicetur. Latinis igitur autoribus & prophanis, dicitur aliquando sacramentũ, obligatio, numinis cõtestatione facta, idest iuramentũ quo obstringimur aliquo seruitutis vinculo: vnde militum iuramentũ, dictũ est sacramentũ militare, & in iure sæpè repetitum est. Dicitur etiam eisdem prophanis autoribus, pecunia quã litigatores pendẽte lite, apud Pontificẽ, in loco sacro pro pignore deponebant, sacramentum: vnde probata est & recepta illa ratio dicendi, cõtẽdere iusto sacramẽto. primo modo vsurpauit Tertul. lib. ad martyres, & D. Hie. ad Heliodorũ, solẽnem cathecumenorũ fidẽ, datam in baptismo ad militiã Christianã, sacramentum appellauit. Hic est vsus sacramenti antiquus & prophanus à nostro instituto alienus.

Sacramenti significatio prophana, iuramentum, pecunia ad litem, sacra, secretum sacrũ signum rei sacræ cuiuscũque, vel sanctificantis formaliter.

2 Theologis verò Latinis, ex imitatione presertim lat. edit. vulg. sanctę Scripturæ, sacramentum æquè patet atq; Græcis mysterium: hoc autẽ dicitur sacrum secretũ, quod sua celsitate & difficultate vulgarẽ captum superat, & aliqua ex causa, Dei aut hominũ voluntate, rerum aut verborũ inuolucris ita contegitur, vt foris prima specie videatur aliquid vulgare, intus tamen habeat aliquid sanctum & singulare, quod vel paucis reueletur, vel fide tãtum pateat. Sic propriè & primo [1] de arcanis Dei: & per [2] analogiã de secretis regum & amicorum dicitur, [3] & aliquando etiã in malam partem. De primo sunt illa. 1. Cor. 4. dispẽsatores mysteriorum, & c. 13. Si nouerim mysteria omnia, vbi D. Aug. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17. legit omnia sacramenta. Ephes. 3. & Coloss. 4. Incarnatio Domini mysterium & sacramentũ dicitur. Ephe. 5. Magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia. Apoc. 1. Sacramẽtum septem stellarum. Apoc. 17. Bestiæ & mulieris sacramentũ. De secũdo, sunt etiam expressa testimonia. Tob. 12. Sacramentum regis abscondere bonũ est. Prou. 20. Ei qui reuelat mysteria, ne commiscearis. Dan. 4. dicitur sacramentũ somnij. De tertio, est illud. 1. Thess. 2. Mysterium iam operatur iniquitatis, & Apoc. 17. Sacramentum bestiæ.

Mag. 4. sent. d. 1.

3 Ab huiusmodi notione sacramẽti, paululum deflexa est vox ad sacramenta de quibus agimus à Patribus & Ecclesia Catholica: vt enim sacramentũ dixerunt vel mysterium, arcanum quoddã, rerum aut verborũ inuolucris cõtectum, sic deinde quod representat aut figurat aliquid sacri, sacramentum appellauerũt. vt Tertul. lib. contra Iudeos, securim Elisęi, & lib. 5. cõtra Marc. quã D. Paulus Gala. 4. allegoriã duorum filiorum Abrahę vocat, ipse sacramẽtum dicit. Aug. Lignum vitæ in paradyso, sacramentũ Christi appellat lib. 1. contra aduers. Leg. & Prophet. & lib. 8. de Gen. ad lit. c. 4. & 5. & abstinentiam Danielis à cibis regiis, & signũ crucis lib. 19. cõtra Faustũ. c. 14. & lib. 2. de peccatorum mer. & remiss. cap. 26 panis benedictus catechumenorũ, licet non sit corpus Christi, tamen est sacramentum & cæteris cibis sanctior. Sed hic vsus sacramenti adhuc latius patet, quàm sacramẽta de quibus agimus: omnia enim quæ nunc vocamus sacramentalia, quasi adiuncta sacramentis vel aliquo modo similia, vt exorcismi, insufflationes catecheses in baptismo, aqua benedicta, sacramẽta hoc modo vocari possunt, quia aliquid sacrum, vel diuinũ beneficium & reconditũ, licet non sit res sacra quæ ponitur in definitione sacramenti, significant. Sic loquitur D. Aug. lib. 4. de Symb. ad cathecum. c. 1. & Epist. 23, Dominicum diem, Sabbathũ Iudæorum, festũ Paschale, sacramenta vocat. & lib. 19. contra Faust. cap. 11. in nullum nomen religionis seu verũ seu falsum, possunt coagulari homines, nisi aliquo signaculorũ vel sacramentorum consortio colligẽtur.

4 Ex analogia huius cõmunis significationis, Ecclesia iã inde ab ipsius exortu, sacramenti nomẽ quod ex vi notationis latius patebat, fecit proprium sacramentorũ ecclesiasticorũ. Est enim omniũ doctrinarũ commune, vocabula plerumq; vulgo & aliis rebus cõmunia, ex vsu & accommodatione, sibi propria cõstituere, vt dialectica, propositionẽ, ratiocinationẽ, demonstrationem, elenchum: physica, materiã, formam, res naturales, sic in Theologia ex cõmunibus facta sunt illa propria, Põtifex, persona, fides, trinitas, liturgia, Missa, Diaconus, Presbyter, Episcopus: quædã etiam excogitauit noua, sed antiquam & catholicam sententiam exprimentia: & ideo non sunt prophanæ nouitates, de quibus Paulus 1. Tim. 6. vt ostensum est à nobis suprà principio doctrinę de incarnatione. Importunè ergo & incõsideratè hęretici Protestãtes, nos reprehendunt, quod nomẽ sacramenti, patẽs ad multa

ad multa alia, sacramentis Ecclesiasticis vt proprium accõmodemus: cum hoc liceat omnibus doctrinis & artibus: quare nõ est cur Theologiæ non sit concessum. Prȩsertim cũ hȩc accommodatio non sit dura, sed analogia nitatur, & verbi Græca notatione, † mysterium enim dicitur ab eo quod est os claudere, quòd nefas esset sacras religionis cȩremonias in vulgus prodere, quod sæpè de nostris sacramẽtis Dionys. in Eccles. hier. affirmat. in verbo autẽ sacramenti, analogiam considerant probati & meliores Theologi ad rem sacram, vt in multis quæ sana dicuntur ad sanitatẽ animalis. à sacro enim, vnde sacramentum, vt à veste vestimentum, dicitur sacramẽtum, iuramentum, pecunia deposita apud Pontificem, regum & principum arcanũ, omnes cæremoniæ sacrȩ, & hȩc insignia Ecclesiæ sacramenta: sed propriè hæc ipsa, in quibus est analogia secundũ habitudinẽ signi, vt statim constabit. Sacra scriptura sæpè affirmat veteris legis plurima fuisse signa, eorũ quȩ ad nouam pertinent: Rom. 4. Abrahã signũ accepit circũcisionis, signaculũ iustȩ fidei. Heb. 10. Lex habuit vmbrã futurorum bonorũ. Denique omnia in figura contingebant illis. 1. Cor. 10. In nouo etiã testamento baptismus est signum regenerationis. Tit. 3. & sepulturæ Christi. Roma. 6. Eucharistia passionis, Luc. 22. 1. Cor. 11. Ex his ergo rectè concluditur, sacramentũ esse signum rei sacræ. Sic vsi sunt nomine sacramenti veteres Patres, & omnes Theologi frequẽtissimè, vt Tertul. lib. 1. & 4. contra Marc. Cyprianus de ablutione pedum, Lactant. lib. 3. & 4. de sapient. Hiero. contra Lucifer. Ezech. 44. ad principium, & ad illud, cumque ingredientur portas. Aug. epi. 118. 3. lib. de doct. Christia. c. 19. & alias sȩpissimè, vt speciatim cõstabit de singulis sacramentis. Vsus Patrũ hic est, & Cõciliorũ, Lugdunen. de summ. Trinit. Lateranen. sub Eugenio in fine, Florẽt. & Trid. Dionys. de Eccles. & cæles. hier. sæpè vocat Symbola quȩ nos signa, & in Theoria baptismi, sic expressit sacramẽti nostrã definitionem, sensibilia sacra, intelligibilium signa sunt, & ad ea manuductio & via, intelligibilia autẽ sacrorũ sensibilium principiũ & scientia. Grȩci pro sacramento frequẽter dicunt mysteriũ, & cũ agunt de Eucharistia, addũt epithetõ, tremẽdi, vel absolutè dicunt mysteria, per excellẽtiam & antonomasiã, quȩ explicabitur in doctrina de sacramentorũ comparatione. aliquãdo pro sacramento dicunt symbolũ, quod est nota & signũ, & antitypon, quia respõdet typo & figurȩ vet. testamenti ex imitatione D. Petri. 1. epi. c. 3. vbi baptismũ vocat, antitypon arcȩ Noe, quod Latinus interpres reddidit, similis formȩ. Hȩc dicta sint de nominis vsu, & accõmodatione, de ipsa definitione, singilatim dicendũ est. Est autem illa definitio generalis omnium sacramentorum in natura, lege & Euangelio, signum rei sacræ, erit autẽ alia propria sacramẽtorũ n. l. Vnde decepti sunt, qui eidem definitioni addiderũt efficaciã, vt sit signũ efficax rei sacrȩ quã significat: quoniã hæc efficacia ostẽdetur propria sacramentorũ, n. l. & ideo nõ est exprimẽda actu in generali definitione: cũ id quod est per se inferioris, nullo modo superiori possit actu & expressè cõuenire, & in omni benè instituta doctrina generalia prȩcedere oportet. huius igitur generalis definitionis duȩ sunt partes, signum & res sacra.

Bret. in cõfess. Vvitemb. & Kemnit, in oppugnat. Concil. Trid. Sess. 7.

† μυστήριον ἀπὸ τῶ μυεῖν τὸ στόμα.

Sacramenti generalis definitio explicatur.

Vgho & Mag. 4. sent. d. 1.

5 Signũ intelligitur sensibile, quod primò & prȩcipuè tale esse dicitur, quod sensibus perceptũ, mentem excitat, ad percipiendã rem significatam. Sunt quidẽ signa intelligibilia species & phãtasmata, sed hominibus nihil potest vt signũ proponi, quod nõ oporteat necessariò sensibile esse, & ideo sacramentũ est signũ sensibile: quia omnis humana cognitio à sensu incipit: quare sacramentum datum hominibus ad significandũ occultam rem sacram, non potest non esse signũ sensibile. Prætereà. Omnis cultus exterior est interioris signũ: quia ille ad Deũ pertinet, hic homines in eandẽ religionẽ connectit, quia sensibus ad cognitionẽ perducimur, Chrysost. hom. 84. in Matt. sed omnia sacramenta pertinẽt ad cultum Dei, vt significetur nos ab illo sanctificari, & in eadẽ religione permanere: ergo sacramẽta sunt signa. Sic Galat. 5. Circuncisio est legis professio & obligatio, & Ephes. 4. cum actu interno coniungitur externum signum his verbis, vna fides, vnum baptisma. Signum verò & relationem eius ad rẽ significatã, & rem relationi subiectã comprehendit: sed in illa definitione, pro re subiecta relationi significandi, ideo vsurpatur, quia res naturales ex voluntate Dei instituentis, ad hãc significationẽ, quæ fide diuina nobis constat, institutæ sunt.

Ad Arti. 4. & 5. huius q.

Signum sensibile, idest res naturalis ex volũtate Dei subiecta relationi significandi rẽ spiritualem latentem: vt sacramentum nõ sit signũ vt relatio, sed vt res subiecta relationi.

2 Sed cùm huiuſmodi ſignum aliud ſit naturale, aliud voluntarium ex inſtitutione volentis, atque id duplex, vel quod habet ſimilitudinem cum re ſignificata, vel quod non habet; ſacramentum erit ſignum ſenſibile ex valuntate Dei inſtitutum, rei quã ſignificat perſimile; & ideo fide diuina eãdem voluntatem patefaciente, percipi poteſt. Effectus ſuam cauſam naturaliter ſignificat, vt veſtigium ſignificat animal cuius eſt, fumus ignem. Signa militaria & ciuilia, quæ plerũque in rep. inſtituta ſunt, ex voluntate inſtituentis ſignificant ſine vlla plerũque ſimilitudine, vt viridis ramus pendens, vinum venale; capita tamẽ papauerum à Tarquinio in horto decuſſa, ſignificauerunt filio eius per quandam ſimilitudinem, Gabiorum primores occidẽdos eſſe. Hoc etiam modo ſacramenta Deus inſtituit, quæ interius latentem rem ſacram ſignificarent; vt ablutio baptiſmi, interius abluentem gratiam à peccatis: euchariſtiæ manducatio & cibus, interiorem cibum & vnionẽ animæ cũ Deo ſignificat. eadem ratio ſimilitudinis in cæteris ſacramentis deprehenditur. Vnde D. Dionyſ. de Eccleſ. hierar. hoc diſtinguit cæleſtem ab Eccleſiaſtica hierarchia, quòd hæc ſignis & ſymbolis ſenſibilibus, illa verò ſpiritualibus cõſtet; quod adeò ſemper fuit receptũ in Eccleſia catholica, vt affirmet D. Aug. epi. 23. ad Bonifacium, quod ſi ſacramenta non haberent ſimilitudinem earum rerum quarum ſunt ſacramenta, ſacramẽta omnino non eſſent. Et D. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. Rationem à nobis ex natura cognitionis humanæ deſumptã ſic expreſſit, loquens de noſtris ſacramentis: ſi tu incorporeus eſſes, nuda & incorporea Deus tradidiſſet tibi: quoniam verò corpori huic anima coniuncta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi tradi voluit: quæ ſententia valde eſt conſentanea cum altera, quam ex D. Dionyſio retulimus.

In omnibus ſacramentis veteribus & recẽtioribus hæc ſimilitudo reperietur ſigni & rei ſignificatæ.

3 Sed præterea obſeruandum eſt, hoc ſignum ſenſibile in pleriſque ſacramentis, vt in omnibus n. l. non eſſe vnam & ſimplicẽ rem, ſed ex duobus conſtitui perfectũ ſignum, quorũ alterum ſunt certa & præſcripta verba, quibus & re altera adiuncta, ſacramentalis actio perficitur. Ex his verò, verba formæ rationem habent, res altera materiæ: quia res determinatur ad ſignificationem congruentem rei ſacræ, ipſis verbis præſcriptis: quod autem determinatur, materiæ, quod determinat, formæ rationem habet. D. Auguſt. Verbum & elementum appellat in baptiſmo, vnde eſt illa vulgata ſententia, accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum: itaque quamuis ipſa nomina materiæ & formæ, ſcholaſtica ſint, & ex conſuetudine Philoſophorum deſumpta, res tamen ſubiecta in ipſis ſacramentis n. l. verè reperitur, & ex ſimilitudine materiæ & formæ naturalis, rectè illis nominibus appellatur. In his igitur pluribus coniunctis eſt vnum ſignum, quod dicimus ſacramẽtum. Vnde illa duo conſtituentia vnum ſignum, vel inter ſe cõferuntur, vel cum ſignificatione, à qua dicuntur eſſe vnum ſignum. Primo modo, alterum eſt vt materia, alterum vt forma, propter rationem explicatam: altero modo, vtrunque eſt vt materia, cuius forma eſt ſignificatio ſacramenti propria. Dico autem ſignificationem propriam ſacramẽti, quia verborum huiuſmodi propria ſignificatio, non pertinet ad formalem ſignificationem ſacramenti, ſed vt res quædam debet accipi, quæ determinatur ad ſignificationem rei ſacrę, quæ ſignificatio eſt formalis ſacramento ex diuina inſtitutione: neque aliter ex cõmuni vſu loquendi, verba illa, ad ſignificãdam rem ſacram & ſanctificantem, accommodari poſſent, vt poſteà conſtabit apertius, cum cauſas inſtitutionis ſacramẽtorum explicauerimus. Itaque tota externa ſacramenti materia, comprehendens verba & elementa, ſignificat non vt voces ex humana inſtitutione, ſed vt res diuinitus, ad repreſentãdum aliquid, vltra vocum vulgarem ſenſum, aſſumptæ. Et idcirco, etiamſi ſacramenta vulgari lingua non adminiſtrentur, quod in catholicis Proteſtantes inconſideratè reprehendunt, tamen vulgaribus etiam hominibus, quibus aliæ linguæ ignotæ ſunt, benè inſtitutis in religione Chriſtiana, ſacramentaliter ſignificant: & nõ benè inſtitutis, etiãſi eruditis in omnibus linguis, nihil omnino ſacramentaliter & Chriſtianè ſignificabunt. verbi gratia, ablutio exterior pueri, adiunctis illis verbis: Ego te baptizo, &c. eruditiſsimo latinæ linguæ infideli, non ſignificant emundationem & ſanctificationem interiorem, quam tamen ſignificant Chriſtiano ignoranti linguam latinam. Porrò in omnibus ſacramentis eſt

Florent. Trid. & omnes Theologi.

Significatio qua ratione ſit forma ſacramẽti.

Sacramentorũ ſignificatio, benè inſtitutis in religione.

nota

est nota materiæ & formæ distinctio, præterquam in matrimonio & pœnitentia: sed in illo, consensus vnius contrahentis, vt determinatur, est materia, vt alterum vicissim determinat, est forma, modò exprimatur verbis, vel æquiualētibus signis: quia aliter non erit signum sensibile, & ideo neque sacramentum: in pœnitentia, materia sunt peccata confessa & contrita, & satisfactioni exposita. quod autem dicitur & vere, solo consensu fieri matrimonium, non excludit externum signum, sed parentū consensum, vel copulam contrahentium. Sed aliquādo quę non sunt in materia & forma sacramenti, quia neque sensibilia, dicūtur sacramētum, quatenus signis sensibilibus significantur, vt Christus in Eucharistia dicitur sacramentū, accōmodato per synecdochē nomine cōtinentis rei cōtentę. Itaque dicitur sacramentū quia non per propriam speciē, sed sacramētaliter & occultè continetur infra q.73. ar.1. ad tertiū. Vel quia est ibi sacramētaliter vt signū & autor gratię, quā in suscipiēte efficit. explicauimus priorem partem definitionis sacramenti.

Et character etiam dicitur sacramentum infra q.63. ar. 3. ad 2.

4 Altera pars est [res sacra] ea vero nō est quęcunque res diuina, sancta, religiosa, occulta aut Deo dicata: cum huiusmodi significari possit imaginibus, cæremoniis, & sacrificiis veteribus, æneo serpente, manna, transitu maris rubri, ingressu terræ promissæ, quæ tamen constat non fuisse sacramenta: quia res sacra in hac generali definitione sacramenti, est gratia formaliter nos sanctificans: non quòd omne sacramentum eam efficiat, cum hoc sit proprium sacramentorum nouę legis, sed quòd omne eā significet: vt sanctificatio referatur ad rem sacram significatam, non ad sacramentum vt efficiens, vel instrumentum illius: & ideo à ratione sacramenti excluduntur, solennes vasorum, templorum, altarium, vestium benedictiones & cōsecrationes: quia licet passionem Domini exprimant, non tamen vt immediatè applicatam ad nostram sanctificationem, licet eam eminus respiciant. Res autem hęc sacra nō exprimitur definitione sacramēti, vt causa generalis nostrę sanctificationis, sed vt ipso sacramēti vsu sanctificās, vt ablutio baptismi significat gratiam, quę in baptizato recepta formaliter ipsum sanctificat. Alioquin omnia vetera sacrificia, quę pręnuntiabāt nostram sanctificationē per Christū, essent sacramēta, cōtra definitionem Concilij Florent. in doctrina de sacramentis, quū in veteri lege distinguit hæc tria inter se, sacramenta, sacra, & sacrificia. Sit itaque, res sacra, gratia sanctificans, non sub ratione communi, & vt in generali causa passionis Dominicæ constituta, sed quæ actu & vsu sacramenti, ad alicuius sanctificationem applicatur. An vero applicetur efficacia ipsius sacramenti, modò non asserimus, sed quòd significatur ipso vsu applicata, non determinando an per ipsum effectiue, quod explicabitur in differētia sacramentorū, veteris & nouæ legis. Explicatur eadem sentētia hac distinctione: gratia & sanctificatio Christi, quæ sacramentis significatur, tribus modis potest significari, vel vt est in se, vel vt generalis causa meritoria nostrę sanctificationis, vel vt immediatè & formaliter hominē sanctificans, & ideo dicitur iustificans, & gratum faciens: primo modo significauit gratiā Christi columba in eius capite apparens cum baptizatus est, secundo modo omnia vetera & noua sacramenta repręsentant passionem, resurrectionem, & gloriam Christi, quibus nos generaliter sanctificamur: tertio autem modo gratiam sacramenta propriè significant: & quamuis altero modo significent, ex hoc tamen tertio præcise habent sacramenti rationem, vt statim confirmabitur.

Res sacra vt forma.

5 Explicationē vtriusq; partis definitionis sacramēti, confirmatio singularū partium cōsequitur. Primo igitur ostēditur sacramētū esse signum sensibile, tribus argumētis Theologicis. Primū sit ex Concil. Florent. in doctrina de sacramentis. vetera & noua sacramenta significant gratiā, sed noua tantùm efficiunt: ergo commune est omnibus sacramētis esse signa sensibilia gratiæ. Secūdū est: quia homines signis sensibilibus in professionē eiusdem religionis colligantur, sed sacramentis colligantur, vt in vet. l. circūcisione, in noua baptismo, & ideo qui circunciditur, inquit Paulus ad Galat. debitor est vniuersæ legis faciendæ: sacramenta igitur sunt signa sensibilia. Tertium est: quia quod in omnibus singilatim facta inductione sacramentis reperitur, id est in generali definitione sacramenti constituendum: si autem singula veteris & nouę legis sacramenta percurras, reperies vnumquodque esse signum sensibile: rectè igi-

ctè igitur generaliter definitur ſacramentum, ſignum ſenſibile.

6 Altera p. definitionis, rei ſacrę, vt ſanctificantis formaliter ſic primo confirmatur. Sacramenta data ſunt nobis poſt lapſum primi hominis, vt mundati à peccato ſanctificemur: ſunt igitur ſigna rei ſacræ ſanctificantis: alioquin non congruerent fini ſuæ inſtitutionis. Secúdò, quia noua ſacramenta efficiunt quod ſignificant, & ratione huius efficaciæ differũt à veteribus, ex doctrina de ſacramentis Concilij Florentini: ſed recta fides docet ea efficere gratiá, vt inſtrumenta, quod ſuo loco conſtabit, ergo ſignificant gratiam. quòd ſi in ratione ſignificandi cum veteribus conueniũt, omnium ſanè commune erit, ſignificare gratiam ſanctificantem. Sic de baptiſmo Rom. 6. quòd efficiat nos commori peccato, quod eſt ſanctificari: & de Euchariſtia Ioã. 6. Qui mãducat me viuet propter me, & 1. Cor. 10. vnum panis & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & calice participamus: quibus omnibus ſignificatur gratia vnionis, quam Euchariſtia in nobis efficit.

7 Ex his efficiuntur quędã conſectaria, ad id de quo agimus valdè accommodata. Primùm ſit, quamuis ſacramenta pleraq; vt nouæ legis omnia, multa ſignificent: ea tamen ſola ratione propriè habent rationem ſacramenti, qua ſunt ſigna rei ſacræ ſanctificantis. Prima p. conſectarij conſtat, quia recepta eſt illa ſententia Theologorum, ſacramentum nouę legis eſt ſignum rememoratiuum paſſionis Chriſti præteritæ, demonſtratiuum præſentis gratiæ ſanctificantis, & prognoſticum rei futuræ; vt gloriæ. idem oſtendit D. Paulus in baptiſmo Rom. 6. cum ait, quicunq; in Chriſto IESV baptizati ſumus in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem. Ecce recordationem mortis Chriſti: deinde, vt ſicut Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris ita & nos ambulemus in nouitate vitę, ecce gratiam præſentem: tandem addit, ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: ecce gloriam. idem docet Damaſ. 4. lib. de fide c. 4. & Dyoniſ. de Eccleſ. hier. c. 4. & poteſt colligi de Euchariſtia Ioã. 6. & 1. Cor. 10. Altera p. conſectarij conſtat ex præcedentibus, in quibus oſtendimus differentiam illam ſacramẽti, rei ſacrę, tantum eſſe accipiendam de gratia formaliter ſanctificante.

8 Secundũ conſectarium eſt, ſacramẽtorũ triplex eſt vſus & vtilitas generalis: primus Dei in nos, ſanctificatio & gratia de qua modò dictũ eſt: alter noſtri in Deũ, ſcilicet, cultus & reuerentia pertinens ad religionem virtutem, quatenus ipſo vſu ſacramenti, profitemur Deum autorem noſtræ ſanctificationis, nos peccatores & egentes diuina gratia, ſubiectos rebus ſenſibilibus ſacramentorum per Deum, &c. Tertius eſt, noſtri inter nos ipſos, quatenus ſacramentorum ſuſceptione, in profeſſionem eiuſdem religionis colligamur, neq; aliter ab alienis diſtingui poſſumus, vt prius explicatum eſt. Tertium conſectarium eſt, ſigna ſenſibilia, quæ in ſacramentis nouæ legis conſtant materia & forma ſolus Deus definire & inſtituere poteſt. ſolus enim Deus ex ſe propria virtute eſt cauſa ſanctificationis: ſolus igitur Deus poteſt ſigna ſanctificationis definire & inſtituere: quoniam vis hæc ſignificandi, rebus ipſis creatis naturaliter ineſſe aut conuenire non poteſt, ſed ſecundum potentiam obedientię, quæ reſpicit primum agens: ergo non poſſunt actu habere vim ſignificandi ſanctificationem, quã propria virtute ſolus Deus efficit, niſi ab ipſo ad ſignificandũ accõmodentur. Vnde apertiſſimè deprehenditur inconſideratio Proteſtantium qui ſacramẽta vulgari lingua adminiſtrari volunt, neq; aliter fidelibus ſuſcipientibus ſignificare: quaſi verò hæc ſignificatio in vſu vulgari alicuius linguæ poſita ſit, & non potius in doctrina religionis, per quam etiam ignarus linguæ latinę cognoſcit & credit, ipſam actionem ſacramẽtalem, ſanctificationem interiorẽ ſacramenti cuiuſq; propriã ſignificare. Præthereà, ſacramẽtalis ſignificatio eſt in ſigno ſenſibili ſacramẽti: hoc autem ſignum ſenſibile rebus & verbis conſtat in Euangelio: quare ad percipiendam huius ſigni ſignificationem, nihil facit ſola verborum cognitio, vt cõſtat in forma baptiſmi, confirmationis, &c. Quidquod? voces ex humana inſtitutione ſignificant, ſacramenta verò ex diuina, vltra vocum vulgarem intelligentiam: nihil igitur refert ad ſignificationem ſacramenti percipiendam, vocum in quibus adminiſtrãtur cognitio: ſed potius catholicæ religionis accurata inſtitutio.

Sacramentorũ triplex vſus communis.

Ad artic. 1. & 2. q. 64.

Solus Deus autor & inſtitutor Sacramentorum.

Sacramẽta vulgari lingua nõ ſunt adminiſtranda.

tutio. Deniq;, verba & formæ sacramentorum non significant sacramẽtaliter ex vsu verborũ sanctificationem, sed vt res quædam materiam sacramenti determinantes: verborum igitur significatio percepta, per se non facit ad percipiẽdam quam dicimus sacramentalem significationem, hoc est vt signi à Deo supranaturaliter instituti. Dico autem, per se non facit, quia quod omnium sacramentorum significationi sacramentali conuenit, hîc explicandum est, accidit autem quibusdam sacramentis, vt assumptæ fuerint formæ, quę ex communi vocum impositione remissionẽ peccatorum, & ex consequenti gratiam iustificantem significent, vt in pœnitentię & extremę vnctionis sacramentis, vt ex aperta ipsarum formarum significatione, maxima quædam animarum consolatio in suscipientes deriuetur. Colligamus igitur ex ratione huius consectarij proposita, quod sicut iudicio Spiritus sancti definitum est, quibus similitudinibus in sancta scriptura spiritualia significentur: ita oportuit, à Deo institutum esse, quæ res assumantur ad significandum in singulis sacramentis: quòd hæc significatio nõ conueniat his rebus ex aliqua virtute naturali, sed solùm ex diuina institutione. Etenim licet sit in creaturis aptitudo quędam, ad significãdum effectum spiritualem: ista tamen aptitudo ad specialem effectum spiritualẽ significandũ, à solo Deo potest determinari: vt aqua apta est ad significãdam mundiciẽ, sed significare eam quam baptismus efficit, solus Deus qui per se eandem efficit, potuit instituere: & ideo ad istũ specialẽ effectum significandũ in creatura tantũ est potentia obediẽtię. Prętereà, significationem practicam, idest rei actu sanctificãtis solus Deus potest instituere: quare & sacramenta, quę sunt signa practica hoc modo omnia, respectu gratię actu receptę, licet solum efficiatur per noua sacramenta: in omnibus tamẽ aliis recipitur gratia, licet non per ipsa, vt cõstabit in differẽtia sacramentorũ v. & n. l. Hęc est prima ratio tertij consect.

9 Altera ratio est, quia si creatura rationalis, homo vel angelus posset definire signa sensibilia sacramentorum, quæ sunt materię & formę illorum, posset Deo præscribere, quibus rebus homo sanctificari deberet: quod est valde absurdum: cum hęc sanctificatio non sit ex aliquo debito creaturæ, sed ex sola voluntate & misericordia Dei. Huiusmodi rationes concludunt generaliter de omnibus sacramentis naturę, legis, & Euãgelij, quia omnia sunt signa gratiæ sanctificantis, ex qua rationes conclusę sunt. Sed in statu naturæ, illa sacramenta ex speciali instinctu & reuelatione Dei interiori, facta saltem primoribus & capitibus familiarum, sunt instituta, & hac ratione Deum autorem habent: ritus enim & sacramenta legi contentanea esse debẽt: in illo verò statu lex scripta nõ fuit, aut exterius proposita, sed cordibus hominum inscripta: cum lex naturæ perfectè luceret in cordibus hominum, neq; adhuc esset peccatis extincta aut cõtaminata. Posteà admonitione illa legis naturalis per peccatum contaminata, & in multis excœcatis quodammodo extincta, ne errarent homines in fide & religione, legem & mãdata scripta Deus proposuit per Moysen. Hac ratione factum est, vt quamuis in cultu externo & sacrificiis Deo offerẽdis, liberior fuerit ante legem populus patriarcharum: tamen sine diuina reuelatione nihil horum statutum fuisse iudicamus. de circuncisione quidem, quæ legem præcessit, hoc valdè manifestum est, cum eam Dominus Abrahamo præceperit Genes. 17. reliqua verò licet non tam apertè, omnia tamen peculiari instinctu Adamo primum, deinde aliis Patribus populi à Deo fuisse tradita, & deinde ab eorum filiis frequentata censemus. in quo genere, videntur esse sacrificia duorum primorum fratrum, holocaustum Noe, sacrificia Iob pro peccatis filiorum & amicorum: vt quemadmodùm hæc sacrificia spirituali instinctu in certis & definitis rebus instituta sunt, sic de sacramentis, quæ in eodem statu naturæ fuerunt, existimamus. In natura.

10 De sacramentis v. l. res notior est, cũ omnia Domino precipiente & Moyse proponente & promulgante, sint instituta, vt constat ex sancta scriptura Leuitici. Sunt autem speciales rationes de his veteribus sacramentis, præter duas illas generales ex significatione sanctificationis, de omnibus sacramentis conclusas. Vna specialis ratio est, quia vt solus Deus reuelare potuit mortem & passionem Christi futuram, & eius ad nostram sanctificationem applicationem: sic etiam Deum instituere fuit necesse, quibus actionibus, sacrificiis, sacramentis In lege.

mentis & creaturis, illa omnia significata prædicerentur: quę ratio ex ea parte sacramentis nouæ legis potest accommodari, qua sunt signa mortis Christi, sed præteritæ, vt illa v. l. sacramenta fuerunt signa futuræ. Altera ratio specialis de sacramentis veteribus est, quod haberent illa alium effectum supernaturalem, quatenus conferebant mundiciem legalem, quam nulla creatura ex sua natura conferre poterat: vt autem homo condere non potest legem, quæ statuat huiusmodi immũdiciem, qualis fuit ex partu, ex mortui contactu, sed solus Deus, ita quoque solius Dei est sacramenta aut sacrificia instituere, quæ efficiant hominem mundum ab omni legali immundicie.

Hebr. 9. Si enim sanguis hircorum, &c.

In Euangelio.

15 De sacramentis deniq; n. l. ipsa à Christo qui verus Deus est immediatè ipsius ore fuisse instituta, dubitari nõ potest: quòd sententia quorundam Theologorum asserentium extremam vnctionem à Iacobo, & alia quędã ab aliis instinctu diuino fuisse instituta sit planè explosa, & in Concil. Trid. sess. 7. Can. 1. dãnata: vt licet expressa scriptura non commemoret ea esse à Christo instituta, nec tempus aut rationem institutionis describat, certò tamẽ credamus, Christum immediatè præscripsisse omniũ sacramentorum materias & formas, neque vlli ministro eorum institutionem commisisse. Hoc significat illa sententia Baptistæ Ioan. 1. hic est qui baptizat, cum Christum demonstraret. Ideo etiam Paulus 1. Cor. 1. & 3. diligenter admonuit, ne quisquam baptismũ Pauli aut alterius ministri esse diceret, qui sola Christi potestate constaret. Huius causam D. Aug. tract. 5. in Ioannem sic reddit: potestatem baptismi ipse Dominus habiturus erat, & retenturus sibi, siue præsens in terra, siue absens in cœlo, nec Paulo nec Petro traditurus, nec in aliquem translaturus, ne seruus in seruis spem poneret, & nõ in Domino: itaq; aliquando Paulus Euangelium meum dicit, baptismum aut sacramentum meum non dicit.

Sacramenta rectè esse à Deo in rebus sensibilibus instituta, variis argumẽtis ostenditur, quæ sumuntur.

Ex Deo.

16 Confirmant prętereaTheologi cõuenientissimum fuisse sacramenta à solo Deo institui argumentiis variis, sed si rectè expendamus, omnia vidẽtur reuocari ad tria capita: aut enim ex Deo, aut ex nobis, aut ex creaturis pro materia illorum institutis desumuntur. Ex Deo quidem, quia in hac sacramentorum institutione deprehenditur misericordia, iustitia, sapiẽtia, & potentia Dei. Misericordia, quia in rebus passim obuiis & facile parabilibus, constituit nostram sanctificationẽ, v. g. aqua, pane, vino, oleo, vt sicut facile homo labitur in peccatum, sic etiam facile posset in gratiam Dei restitui. Iustitia, quia homo offendit Deũ, & appetiit dignitatẽ Dei, abutens creatura contra Dei præceptum: quare decebat diuinam iustitiam sic reparari hominem, vt creaturis ad suam salutem subiiceretur. Sapientia, quia corporalem & abiectam creaturã cum diuino opere & admirabili, sanctificationis hominũ, coniunxit: quod in sacra Eucharistia ratione realis præsentiæ Christi, mirabilius apparet: vt sicut Christus nostram salutem operatus est in sensibilibus suę carnis rebus, aqua, sanguine, sudore & similibus, sic etiam nobis applicaretur per elemẽta sensibilia. Potentia, quia in creaturis corporalibus vt primum triũphauit de dæmone, sic per easdem efficit & significat sanctificationẽ, quam nec angeli nec homines ex se efficere possunt. Vnde potẽtia & sapientia Dei, in toto opere redẽptionis & sanctificationis nostrę, mirabiliter elucent, vt explicatũ est supra q. 1. ar. 2. huiusmodi rationes ex Deo colligũtur.

D. Tho. 4. lib. contra Gent. c. 56.

1. Cor 1. infirma mundi eligit Deus.

Ex homine.

17 Ex homine, illa prima ratio desumitur: quia cõgruit naturę ipsius vt per sensibilia ducatur ad spiritualia & intelligibilia, sic autem deducitur per res sensibiles institutas à Deo in sacramentis, iuxta illud Rom. 1. inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur. Vnde D. Aug. vocat nostra sacramẽta, verba visibilia quibus gratia passionis Dominicę, nobis annũciatur & accõmodatur: vt baptismo intelligimus quo modo Christus purget à peccatis, Eucharistia quo modo pascat animas, foueat ad nouam vitam in Christo, quo modo vniat; oleo, quo modo roboret, cętera q; supra naturę cõditionem in nobis mirabiliter operetur. Altera ratio est, quia his externis symbolis sacramentorum, colligatur primum respublica colentium Deũ & Ecclesia, charitas ciuium eiusdẽ reip. conseruatur & augetur, fides in Deum professione externa signorũ exercetur: separatio malorũ ab Ecclesia apertè fit, cum à sacramẽtorum cõmunione separãtur. vnde Aug. ep. 118. c. 1. inquit Christum sacramentis significatione pręstãtissimis, & obseruatione facillimis, societatẽ noui populi colligasse.

Rom. 10. corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem.

Ex rebus sensibilibus.

18 Reliquę sunt rationes, ex creaturis desumptæ, quarũ prima est: vt verum vsum creaturarũ ad honorem Dei, homines intelligerent, cum sæpè ad offensionem Dei creaturis abutantur: vt maior sit ars Christi seruantis homines per creaturas, quam dæmonis per easdem perdentis. Sic autem creaturæ quæ vanitati inuitè subiiciuntur, vt inquit Paulus Rom. 8. incipiant liberari à seruitute corruptionis, in libertatem glorię filiorum Dei: & quę peccatis nostris cõtaminatæ, & à naturali cõditione deiectę, naturæ horrore insito ingemiscunt, per assumptionem ad sacrum vsum sacramentorum, intima rursus naturę inductione lætentur, sibiq; quodammodo gratulentur. Atq; etiam tũc proprissimè creaturæ Deũ benedicunt, cum illi exhibentur, nõ solùm vt supremo conditori, sed vt redemptori & instauratori rerum omniũ: vt ita homo simul cum rebus omnibus sua causa institutis, cultũ Deo summum exhibeat, quod D. Irenæus lib. 4. c. 32. sanctè explicat disseres de Eucharistia. Altera ratio colligitur ex fine creationis creaturarum omnium. Si enim hominum gratia conditæ sunt, cõsentaneum est, vt non solum nobis subseruiant ad corporis & vitæ communis subsidia, sed multò magis ad animarum salutẽ, & spiritualia beneficia: vnde etiam creaturarum prestantia, dignitas & indita à creatore bonitas ostẽditur, contra Manichæos & vetustiores quosdam hæreticos, qui corporeas res impiè abominabantur, vt in seipsis prophanas, & creatione impuras, cum tamen Deus his voluerit coli, & Christus in summo suo sacrificio, & in sacramentis nostris vti voluerit. His rationibus effectũ est, omnia sacramenta à solo Deo rectè instituta esse in rebus sensibilibus.

Ambr. lib. 5. ep. 21. epist. ad Horontianum.

Leo serm. 4. de quadrag.

Ad art. 3. & 4. q. 64.

19 Ex quibus apertè efficies, non esse in potestate totius ecclesiæ, summi Põtif. aut concilij generalis, sacramentum aliquod instituere: vel de materia & forma, quæ sunt partes essentiales sacramentorum nouæ legis aliquid mutare, Christum autem, & vt Deum habuisse potestatem instituendi, quæ dicitur autoritatis, & vt hominem potestatem excellentiæ, reliquos homines tãtùm habere potestatẽ ministerialẽ, administrandi sacramenta à Deo & Christo instituta. Potestatem autoritatis dicimus, quam quis per se & propria virtute habet, non ex alio, vnde dicitur autor illius, reliqua est in omnibus aliis potestas ministerialis, quæ vel est excellentiæ, vel ministerialis tantùm. Deus tantùm habet potestatem autoritatis, quia solus est prima causa, quæ propria virtute operatur, reliqua omnia potestatem ab illa deriuant: & quia omnibus vtitur Deus vt ministris & instrumentis, ideo ab illo desumunt ministerij & instrumenti potestatem. In sacramentis igitur triplex est efficiẽs causa, principalis vel prima, ministerialis suprema, & ministerialis inferior. principalis est Deus vnus & trinus, supremus minister, Christus vt homo, & sacerdos, & lator nouæ legis, inferior minister, est homo sacramenta vice Christi dispensans. His tribus causis respondet triplex potestas, autoritatis, excellentiæ, ministerij. Potestas autoritatis est in Deo propria, natiua, à nullo deriuata, in institutione, confectione, operatione & dispẽsatione omnium sacramentorum, immediatè, propriè & per se, tam ad ipsa quam ad effectus eorum producendos concurrens. Atq; ideo huic primariæ causę soli suo iure & propria autoritate, tribuitur institutio, & bonus vsus instrumenti cuiuscunq; producẽtis effectum spiritualem & supernaturalem, cuiusmodi est sacramentum: quoniam Deus solus per se dat gratiam & iustitiam, teste propheta Psal. 83. gratiam & gloriam dabit Dominus: & Apostolo Rom. 8. Deus est qui iustificat. Solus enim Deus per se illabitur in animam, & internos gratiæ effectus in ea producit: quare cum hæc solus Deus efficiat propria autoritate, conficitur sanè, ab eo tantum institui posse instrumentum gratiam significans, conferens & iustificans. Mera igitur calumnia est hæreticorum, qui obiiciunt nos tribuere sacramentis, & ministris eorum in nouo testamento, quod solius Dei proprium est.

Potestas autoritatis ad sacramenta in Deo.

Causæ efficientes sacramentorum.

20 Altera potestas, quę in Christo vt homine, tanquam in supremo noui testamenti ministro residet, non est sic natiua, sed ministerialis, accepta & à diuinitate dependens: sed quia est instrumenti cum verbo Dei personaliter cõiuncti, & capitis singularis & reliquæ potestati humanæ præstãs, ideò à Theologis dicitur potestas excellentiæ, quam Christus sæpè vel instituturus sacramentum, vel præcipiens aliquid Apostolos de vsu eorum solebat commemorare, nomina quidem missionis, circa

Potestas excellentiæ in Christo vt homine.

sacramentum

sacramentum pœnitentiæ Ioan. 20. cum inquit, sicut misit me viuens pater. circa sacramentum baptismi Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. eadem potestas, nomine clauium exprimi solet, & aliis modis in sancta scriptura. Cùm autem Christi passio, quæ illi vt homini competit, effecerit nostram salutem & iustificationem non tantùm meritoriè, sed effectiuè, non principaliter, sed instrumentariè, vt ostensum est supra quæst. 8. artic. 4. ideò potestas excellentiæ in his quatuor posita est. Primo quidem quod meritum & virtus passionis eius, operatur & applicatur in sacramentis: secundò quòd eius nomine tantum sacramenta conficiantur à quocunq; ministro: tertiò vt idem, qui vt homo sua passione virtutem dedit sacramentis, possit sacramenta instituere: quartò, quia causa non pendet ab effectu, sed contrà, vt sine sacramentis potuerit Christus, effectum sacramentorū communicare. De primo constat, sacramentis nouæ legis nobis tantùm communicari ea, quæ Christus nobis meruit, gratiam, satisfactionem culpæ & pœnæ, vt licet hæc omnia, sine meritis nostris nobis donentur, non tamen sine debito meritorum & satisfactionis Christi: & ideò nobis sunt gratuita dona, sed Christi meritis comparata: quia de eius gratia omnes accipimus Ioan. 1. & per Christum Deus omnia nobis pretiosa donauit promissa. 2. Pet. 1. Nihil itaq; culpę aut pœnę vllo sacramento remittitur, pro quo Christus plenissimè non satisfecerit: & idcircò sacramenta non habent aliam vim nisi quam Christus meruit, sed illa meritorum & satisfactionis sufficientia, sacramentis secundum efficaciam applicatur. De secundo manifestum est, sacramenta omnia nouæ legis in nomine Christi sanctificari, non id significare quod nomen Christi in formis horum sacramentorum exprimatur, cum potius omnia ferè inuocato nomine Trinitatis conficiãtur: sed significat, illius virtute, instituto, primario ministerio, & fide huius nominis, à ministris Christi sacramenta dispensari, cùm non sit aliud nomen sub cęlo in quo oporteat nos saluos fieri: & inde effectum est, vt nullus vnquam ausus fuerit, sacramentum suum dicere, quod Christus instituit, vt suprà ex D. Augustino obseruauimus. Tertium quod erat in potestate excellentiæ ex pręcedentibus apertè deducitur, cum ostenderimus eum posse sacramenta instituere, qui sanctificare potest: Deus autem potest per se & principaliter, Christus quà homo, vt instrumentum coniunctum, interiorem sanctificationem efficere: Christus igitur & vt Deus per se, & vt homo per potestatem excellentiæ sacramenta potest instituere. Præterea si sacramenta in Ecclesia necessaria sunt, qui Ecclesiam Christianam instituit, sacramenta etiam debet instituere: Christus autem fundauit nouum testamentum & nostram Ecclesiam: Christus igitur etiam vt homo sacramenta instituit. Communicasse autem Christum effectum sacramentorum sine sacramentis, vt remissionem peccatorum & gratiam notissimum est, ex condonata culpa Magdalenę solo verbo, & pœna peccati adulteræ, atque paralytico, & eam potestatem habere filium hominis in terra, illo miraculo Iudæis demonstrat. Hæc diligenter omnes catholici animaduertant, quæ diximus soli Christo conuenire quà Deus, & quà homo est per potestatem excellentię, contra hęreticos inconsideratè asserentes, nos nihil Christo tribuere in gratia sacramentali, & totum quod ministris inferioribus aut sacramentis tribuimus, Christo detrahi, cū tamē contrà à nobis effectū sit. Sed hîc à Theologis quæritur, an Christus hanc potestatem excellentiæ, vlli homini cōmunicauerit, vel cōmunicare potuerit? & quidem nō communicasse certum est, quia definitum est in Trid. sess. 7. Can. 1. omnia immediatè à Christo instituta contra hæreticos, & quosdā catholicos, qui confirmationem, & vnctionem, vel ab Ecclesia, vel ab Apostolis asseruere instituta. idem probant Ambr. lib. 4. de sacramentis c. 4. Cyprian. serm. de baptismo Christi. Aug. tract. 5. in Ioan. & ideò nullus vnquam cōnatus est hominem à peccatis absoluere sine sacramento, neque D. Paulus Corinthium incestu commaculatum 1. Corin. 5. à culpa extra sacramentum absoluit. esto tamen non communicauerit Christus potestatem instituendi sacramenta: an potuerit communicare? respondeo, potuisse ab alio institui sacramenta potestate Christi accepta, quæ gratiam virtute illius conferrent,

In quibus posita sit hæc potestas.

Disputatio de potestate excellentię.

rent, vt modò conferunt, vt sicut aqua benedicta est instituta, sic sacramentum sanctificans à puro homine institueretur, virtute meritorum Christi. Sed quod ex homine instituente, & per gratiam ipsius tantam habeat dignitatem & valorem sacramentū à puro homine institutum, & equalis virtutis gratia communicetur affirmari non potest: quia gratia sacramentorum Christi habet participatam vim valoris infiniti, quatenus est à gratia Christi & merito, & similiter satisfactionis quæ vis à nulla puri hominis gratia deriuari potest, quia requirit suppositum infinitum, vt diximus de Christi satisfactione supra q. 1. art. 2. & consentit 1.2. q. 114. art. 4. itaq; quod Christo ratione vnionis conuenit, ratione infiniti suppositi, supremi capitis, satisfactionis generalis, id purò homini communicabile non est, non ex defectu potentiæ Christi, sed ex hominis ineptitudine: vt creatio creaturæ non communicatur, non ex defectu Dei, sed ex imperfectione creaturæ, quæ potētiæ infinitę capax nō est. D. Aug. primum ex his duobus, quæ asseruimus affirmauit tract. 5. in Ioan. secundum fieri posse nusquam affirmauit.

21 Ostensum est, solùm Deum instituere sacramenta posse, & Christum instituisse noua, vt Deum, & vt hominem, nunc explicandum est, quid sit proprium in sacramentorum Christi institutione. cum enim instituere sacramentum, sit definire quod est ipsi essentiale, vt signo sensibili, & hoc in nouo testamento constet rebus vt materia, & verbis vt forma, vel elemento & verbo, vt loquitur D. August. hoc sanè erit proprium sacramentorum Christi, vt eorum essentia & sensibile signum verbis definitis constet: quia nullum aliud vel in natura, vel in lege verbis constitisse certò affirmari potest. Quæ autem verba definita statuuntur in quibusdam cæremoniis Num. 6. & Deut. 26. nō tribuuntur sacramentis: vt quamuis in aliis rebus ad cultum Dei pertinentibus verba aliquando definiantur, nunquam tamen in conficiendo aliquo sacramento. Sed illa videntur verba, quibus in solemnibus cæremoniis beneprecabantur populo ministri, vt modo beneprecamur descriptione crucis, & inuocatione diuinæ Trinitatis.

Art. 6. ad 3.

Ad art. 6. 7. & 8. huius quęst.

De verbis, quæ sunt forma sacramentorū nouæ legis.

22 Vt igitur in sacramentis nouæ legis res & materia cuiusq; sacramenti à Christo instituta est, vt ex diuina traditione semper Ecclesia catholica docuit, sic definita & prescripta sunt verba, que materiæ coniuncta, sacramenti essentiam perficiunt. Cuius rei illa est ratio necessaria, quod sic Christus instituerit, vt posteà constabit, & quidem nouæ legi congruenter: tum quia expressius significari sanctificationem, nouæ legis proprium est: & verba expressius quam materia significant: tùm etiam quia sacramenta nouæ legis efficiūt sanctificationem quam significant, & efficientia Dei in sancta scriptura, verbis exprimitur, vt dixit Deus fiat lux, & facta est. Formam verborum veteres vocare solent imprecationem, deprecationem, precem mysticam tam super materiam sacramenti, quam super suscipientem, vt D. Hieron. contra Lucifer. & 58. c. Isaiæ, & Aug. lib. 5. de bapt. contra Donat. c. 20. audit, inquit, Deus homicidam deprecantem, vel super baptismum, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus superimponit. huiusmodi verò appellationes videntur ex imitatione D. Iacobi exortæ, cum ait c. 5. de extrema vnctione, & oratio vel deprecatio fidei saluabit infirmum. vocat orationem fidei, præscriptam verborum formam, secundum sensum legitimum verborum, qui fide tenetur. Et D. August. lib. 3. de baptismo contra Donat. c. 16. vnum ex his sacramentis, quæ impositione manuum fiebant, orationem super hominem dicit. Negandum tamen non est, formas verborum, ad modū orationis, vel petitionis & precis cōceptas, vi in sacra vnctione, cuius verba sunt deprecatoria, posse etiam dici orationes pro hominibus, non tantùm super sacramenta, vel homines, sed non in sensu hereticorū: qui ideò asserunt esse deprecatorias, quòd non sint infallibiliter, aut ex opere operato efficaces; sed sic vt ad huiusmodi preces ex institutione Dei necessariò sequatur effectus, in suscipiente ritè disposito. Ex quo valde probabile est, id quod Act. 8. dicitur de Apostolis [orantibus pro quibusdam baptizatis, vt acciperent Spiritum sanctū,] & statim imponentibus eis manus, intelligendum esse, de verbis formæ confirmationis, licet non negauerim intelligi posse de aliqua prece, extra sacramenti substantiam. D. enim August. lib. 6. de bapt. contr. Donat, in baptismo distinguit duo genera verborum

Artic. 6.

Lib. 6 c. 25 & lib. 3. c. 15.

verborum, vnũ quod antecedit vel sequitur sacramẽtum, & vocat precem, qua vel ipsa aqua consecratur ad vsum sacramenti, vel reliquæ solemnitates perficiuntur: alterum est quod ad ipsam sacramenti substantiam pertinet, sine quo baptismus consecrari non potest, & hoc eleganter appellat verbum Euangelicum, quo symbolum vel signum, idest sacramentum constat. Quocunq; igitur modo appellentur verba præscripta sacramentis nouę legis, siue absolutè verbum, siue preces mysticæ, orationes, siue vt noster vsus obtinuit forma, illud firmum esse oportet in Ecclesia catholica, hæc verba ad essentiam sacramenti pertinere, & ipsi materiæ legitimè coniungenda esse, vt constet sacramenti substantia.

Art. 7. & 8. 23 Verba autem determinata & definita esse in formis sacramentorum, vt est in vsu Ecclesiæ catholicæ, in legitimo sensu intelligendum est, non in numero, syllabis, aut idiomate, quantum pertinet ad necessitatem sacramenti: & in sensu & idiomate vocum, quantum pertinet ad necessitatem præcepti, secundum Ecclesiæ consuetudinem: necessitas sacramenti, est in essentialibus materia & forma, necessitas præcepti ecclesiastici, est in verborum integritate. *Forma sacramentorum necessitas.* Itaq; vt minister sacramenti rectè suo munere fungatur, & non peccet, vtranq; necessitatem in administratione sacramenti retinere debet, quamuis grauior sit offensio in prioris, quam in posterioris violatione: cum illius violatio tollat sacramentum, huius non tollat. vt enim contingit in materia sacramenti plerunq; aliquid esse de necessitate sacramenti, vt vinum in Eucharistia, aliquid de necessitate præcepti, vt mistio aquæ: sic etiam in verbis, quędam sunt ex institutione Christi de necessitate sacramenti, quædam de necessitate præcepti, vt [ego] in forma baptismi, & [enim] in forma consecrationis panis. Sed necessitas præcepti ex institutione Ecclesiæ descendit, quæ in formis sacramentorum, sanctissima quædam verba retinenda censuit, & linguam & modum præscribit recitandi formas sacramentorum, pro temporum & gentium necessitate, vt in Ecclesia Latina, Latinè, in Gręca, Gręcè proferantur à legitimis ministris. Vnde pręcepti huius ecclesiastici necessitas, non solùm respicit sensum, sed etiam totum verborum complexũ & idioma, adeò vt priuata autoritate nõ possis in alia lingua, sed nec in verbis æquiualentibus aut synonimis eiusdem linguæ sine peccato sacramentum aliquod administrare. Id verò iustissimè præcepit Ecclesia catholica, ad vnitatẽ & conformitatem ministerij seruandam, ad schismata tollenda, & ad coërcendam nimiam licentiam fingendi nouas formas, & vitandam mutationem legitimi sensus, quę facillime contingeret, si liceret vnicuiq;, vel vnum verbum pro altero substituere. Quare non est quòd hęretici conquerantur, se alligari ad præscripta verba extra necessitatem sacramenti.

24 Hęc verò vtraq; necessitas, in forma sacramẽti adstringit ministros ad ista quinque, primum ne verbum aliquod corrumpant, secundò ne detrahãt, tertiò ne addãt, quartò ne transponant, quintò ne interpolent, quorum vnumquodq; semper infringit pręceptum, nonnunquam autem corrũpit sensum legitimũ formæ, & ideò sacramentum: quod qua ratione contingere possit, singilatim explicandum est. *De mutatione formæ & integritate.* Corruptio igitur verbi alicuius in forma, si fiat in principio, solet plerunq; sensum mutare, vt matris si pro patris diceretur in formã baptismi: si autem fiat in fine, vt patrias, & filias dicatur, pro patris & filij, quamuis ex virtute impositionis non significent idem, tamen ex accommodatione vsus, eundem sensum reddere videtur. Solent etiam verba corrumpi ex intentione ministri, hanc enim oportet esse Ecclesiæ & legitimo sensui verborũ conformẽ, secundũ rectam fidem: quia sacramẽta conferuntur in fide Ecclesię catholicę & Christi, non autem in fide priuatę personę ministrantis sacramẽtum: intentio igitur ministri repugnans cõtrariè Ecclesię, si proferendo formam, dirigatur ad ritum vel errorem Ecclesię contrarium, & eam intentionem sensui formę coniungat, eam sui errori conformiter intelligens, etiam si nihil addat, vel detrahat, sacramentum non perficitur; vt si Arrianus proferat baptismi formam, intelligens patrem maiorem, filium minorẽ, siue id additis verbis exprimat, siue occultè sic formã intelligat, non baptizat Christi baptismo: quod si hęreticus intelligat quidem formã sacramenti, vt Christus & Ecclesia intelligit, sed ex deprauata intentione velit inducere suum errorem in Ecclesiam, perficit

quidem, sed peccat ratione intentionis: quia recta fides aut deprauata ministri, nihil facit ad essentiam sacramenti, & hoc modo mala intentio non vitiat legitimum sensum verborum formæ. De aliis modis variandi formam propositis, illa regula generalis seruetur: vt si mutatio verborum, sensum legitimum verborum non mutet, sacramentum sit: si mutet, non sit, sed interpolatio fit duobus modis, vel interiectis formæ verbis prophanis, vel nihil ad formam pertinentibus, aut tēpore interiecto, quod efficiat ne vna sit oratio formæ, vt esse vnam oportet, ad retinendum sensum eundem. quod si dubitatio probabilis incidat, an legitimus sensus verborum seruatus sit, an legitima materia & forma, remediū in c. maiores de bapt. in omnibus valeat, vt sub conditione iteretur. Itaq; tollis sacramentū, si dicas in nomine matris, non autē si dicas, patrias, ex errore vel lapsu linguę: si dicas, vel intelligas in nomine Patris maioris, tollis sacramentum, non autē si dicas in nomine Patris omnipotentis. Tollendo peccas in baptismo contra præceptum, si dicas baptizo te, contra essentiam sacramenti, si tollas aliquod ex his duobus verbis, nisi aliud æquiualens reponas. Transponendo peccas in præceptum, si dicas, est hoc corpus meum, si autem dicas meum est hoc corpus, non consecras. Interpolando peccas & corrumpis sacramentum, si in medio cursu interrumpas orationem, interponendo verba, vel prophana, vel ad rem aliam pertinentia: aut si nimiam feceris moram, antequam reliqua verba adiungas, ita vt prudens vir nō iudicet vnam & continentem orationem, qualem esse oportet formam sacramenti, suæ materiæ prudenter coniunctam: vt cum actio sacramentalis sit circa materiam, simul verba proferantur, v. g. abluis exterius, simul dicas, ego de baptizo. Quamuis enim materia & forma sint essentiales partes sacramenti, tamen quia forma determinat materiam & actionem circa eam, ad sacramentalem significationem, non debet ab illa separari, vt intelligantur constituere vnum signum sensibile ad idem significandum. Sic D. August. tract. 80. in Ioannem quærit vnde vim habeat elementum aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, & respondet in illo vno sacramento, quod in aliis similiter respondere possumus, hoc

Maior vis significandi sacramentaliter in forma, quia ad eandem significationem, materiam cui aptè coniūgitur, determinat.

ex verbo fieri, cur enim diceret Saluator, inquit, vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis, & non propter aquam aut baptismum in quo loti estis, nisi quia in ipsa aqua verbum mundat. Nam detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? & paulò post: verbo fidei ergo sine dubio consecratur & ipse baptismus, vt mundare possit, dicit enim Apostolus mundari Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ. mundatio igitur nequaquam fluxo & labili elemento tribueretur, nisi adderetur, in verbo. Et Anselmus Augustinum, vt in aliis omnibus imitatus Eph. 5. inquit, verbum baptismi esse quod per inuocationem diuinitatis profertur super aquam, & consecrat sacramentum.

Ephes. 5.

25 Explicauimus formam sacramentorum nouæ legis esse definita verba, secundum legitimum & catholicum Ecclesiæ sensum: hanc materiam sic explicatam, confirmemus ex verbo Dei, praxi & autoritate Patrum. De baptismo est illud Ephes. 5. mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ: vbi lauacrum aquæ est materia, verbum vitæ est forma, vt exponit D. Chrys. omnes ferè Latini & Græci Patres, vno Hieronymo excepto, qui verbum intelligit sacram scripturam. Præterea Marc. vlt. præter lotionem apertè exprimitur diuinæ Trinitatis inuocatio. De Eucharistia constat, non solùm Dominum accepisse panem & vinum, sed etiam verba adiunxisse, vt referunt tres Euangelistæ, Ioanne excepto, & Paulus 1. Corinth. 11. præcepit autem sacerdotibus vt similiter & ipsi facerent, in sui commemorationem. Tertium sacramentum, cuius verba videntur expressa in sancta scriptura, est vnctio extrema, de qua Iacoqus c. 5. inquit, quod fiat in nomine Domini & oratione fidei, quam explicaui paulò ante formam esse. De aliis sacramentis non sic expressum est in scriptura, sed de pœnitentia colligitur ex Ioan. vltimo, & Matth. 16. quod remissio peccatorum fiat in verbo aliquo sacerdotis, quia illa autoritas retinendi & remittendi peccata, soluendi & ligandi, quod est iudicare & sententiam ferre de peccatis, quomodo ab homine sine verbo exerceatur, vix potest intelligi, cùm & ipse Christus in huiusmodi opus sine sacramento exercuit in terra, verbis illis sit vsus, remittuntur

Verba quæ formam sacramētorum constituunt, in quibusdam sacramentis exprimit scriptura, in quibusdam colliguntur ex illa necessariò: in quibusdam ex traditione Apostolica retinentur.

tuntur

tuntur tibi peccata tua. Scio Deum instituere potuisse quod solo signo externo, vt manuum impositione peccata remitterentur, vt remittuntur venialia sola aspersione aquæ benedictæ, vt quibusdam placet, sine verbis: verùm in nullo alio signo tam benè autoritas iurisdictionis, per quam remittunt sacerdotes in hoc solo sacramento, potuit exerceri, aut significari, quàm per verbum iudiciorum proprium, Ego te absoluo: atque ideò asserimus quod legitimè colligitur ex scriptura, ad hoc etiam sacramentum verba requiri. Reliquorum trium confirmationis, ordinis, & matrimonij verba, neque sunt expressa in scriptura, neque ad ea requiri verba ex eadem scriptura colligitur: sed id accepimus ex Apostolica traditione, non quod Apostoli instituerint, sed quia accepta à Christo, Ecclesiæ tradiderint: vt definitum est in Concilio Florent. sess. vlt. in doctrina de sacramentis, & in Trident. sess. 7. Can. 1. de sacramentis in genere. Formæ autem sacramentorum, & alia multa, quæ propius eorum administrationem attingerent; voluntate Patrum nostrorum non sunt scriptæ, vt mysteria nostra minus ab alienis intelligerentur, & minus ab infidelibus ad irrisionem impia imitatione traherentur: præsertim cum in verbis magis expressa sit significatio interior & mystica: & ita quæ in scriptura de his continentur nisi fidelibus non patent, quamuis exprimantur. Sic Dionysius cum multa tradidisset de Ecclesiastica hierarchia diuinitus, ad finem se excusat, quòd non descripserit verba quibus sacramenta conficiuntur, his verbis. At verò conficientes consecrationis preces, fas non est scripto interpretari, neque eorum arcana in publicum efferre, sed sicut nostra habet traditio, secretioribus institutionibus sunt hauriendæ. ex qua obseruatione adhuc est in more Ecclesiæ catholicæ, vt in Eucharistiæ administratione canon minor, & verba consecrationis summissa voce proferantur, vt meritò defenditur contra hæreticos in Conc. Trid. sess. 22. Can. 9. de sacrificio missæ.

Formæ sacramentorum ex diuina traditione.

26 Neque ideò putandum est, illa tria vltima sacramenta, confirmationem, ordinem & matrimonium, certis verbis non administrari, quòd actionis nomine significentur: quasi in actione & non in verbis posita sint, vt cum dicitur ordo, manus impositio, sicut & confirmatio, & vnctio, vel chrismatis consignatio, vel sacramentum quod oleo perficitur: & in matrimonio nullis vtitur Ecclesia catholica præscriptis & definitis verbis: quin & baptismus idem est quod tinctio, vel ablutio, vel lotio, quo nomine plerunq; exprimitur, sicut Eucharistia, fractio panis dici solet. Sed respondetur, in his actionibus & ipsa verba præscripta comprehendi, quia ex verbis vt forma, illæ actiones, quæ sunt veluti materia, & aptæ ad significandum plura, determinantur ad vnam significationem sacramentalem: cum actiones verbis coniunctæ signum sacramenti ad significandum constituantur, vt supra explicatum est. Ita colligitur ex patribus. Chrysost. ad c. 20. Ioan. vocans administrationem pœnitentiæ, impositionem manus ad pœnitentiam, inquit; Spiritum sanctum cuius est solius remittere peccata vti ad absolutionem pœnitentis, non solùm manu, sed & lingua sacerdotis. D. Ambros. 1. Timoth. 4. impositionem manuum præsbyterij, quæ D. Paulo sacros ordines significat, appellat verba mystica, hoc est formam sacramenti, cùm ait; quibus verbis accipit autoritatem sacerdos, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre. Concilium Mileuit. c. 12. impositiones manuum appellat preces, quæ dicuntur. D. Hieron. in cap. 58. Isaiæ loquens de chirotonia, idest ordinatione clericorũ, fit, inquit, & ad imprecationem vocis, & ad impositionem manus: idem dicendum est de confirmatione. Quamuis enim à Clemente, Fabiano & Melchiade ex professo disserentibus de hoc sacramento, nulla facta sit verborum & formę, sed tantum materię mentio, facta tamen est ab aliis Patribus & antiquissimis, vt à Leone serm. 4. de Natiuitate à D. Ambros. de his qui mysteriis initiantur c. 7. & lib. 2. de sacramẽtis c. 7. & lib. 3. c. 2 planè inquit, hoc sacramentum cõfirmationis dare Spiritum sanctum per inuocationem sacerdotis: formam autem sacramenti & verba, à Patribus vocari precem mysticam, orationem, inuocationẽ suprà admonuimus. De sacramẽto autem matrimonij illud est speciale, quod cùm requirat verba vel

Actio sacramẽtalis verba formæ includit.

χειροτονία.

 æquiualentia

equiualentia signa ad exprimendum consensum mutuum contrahentium, & hactenus debeant esse definita, vt consensum exprimant: Christus tamen assumens contractum hominum ad sacramentalem rationem, simul etiam assumpsit communem formam verborum, vel signorum, quibus apud omnes gentes, secundum varias eorum consuetudines, talis contractus & consensus duorum declaratur & perficitur. Vnde definitum est in Conc. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij vt hoc sacramētum perficiatur à Parocho his verbis, ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vel aliis verbis, iuxta receptum cuiusq; prouinciæ ritum.

QVÆSTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de necessitate sacramentorum.*

¶ *Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primò, vtrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundò, vtrum fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertiò, vtrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quartò, vtrum fuerint necessaria post Christi aduentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

4. di. 1. q. 1. ar. 2. q. 1. Et 3. contra. ca. 110. Et lib. 4. c. 55. f. & c. 56.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem. Dicit enim Apostolus 1. ad Timoth. 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Sed vsus sacramētorum pertinet ad corporalem exercitationem, eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum & verborum, vt dictum est: * ergo sacramenta non sunt necessaria ad humanam salutem. * Q. præc. art. 6. ad 2.

¶ 2. Præterea. 2. ad Corin. 12. Apostolo dicitur, Sufficit tibi gratia mea. Non autem sufficeret, si sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo sacramenta saluti humanæ necessaria.

¶ 3. Præterea, Posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis. Dicit enim Apost. ad Rom. 5. Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Nō ergo requiruntur sacramēta ad salutem humanam.

SED CONTRA est, quod Aug. * dicit 19. contra Faustum: In nullum nomē religionis seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorū visibilium consortio colligentur. Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in vnum veræ religionis nomen. Ergo sacramēta sunt necessaria ad humanam salutem. Li. 19. c. 11. in fin. to. 6.

RESPONDEO dicendum, quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est, vt per corporalia & sensibilia, in spiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiam, vt vnicuiq; rei prouideat secundum modū suæ cōditionis.

ditionis. Et ideo conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus & sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini abhiberi, vbi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia signa, homini spiritualem medicinam adhiberet: nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanę, quę præcipuè circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistũt in cultu dæmonum, vel qualitercunq; noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem, homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectũ cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: prę-seruatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod corporalis exercitatio, inquãtum est corporalis, non multum vtilis est. Sed exercitatio per vsum sacramentorum, non est purè corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet per significationem & causalitatem.

AD SECVNDVM dicẽdum, quòd gratia Dei est sufficiens causa humanę salutis, sed Deus dat hominibus gratiam secundum modũ eis conuenientem: & ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam.

AD TERTIVM dicendũ, quod passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis. Nec propter hoc sequitur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodò applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. Quia sicut dictum est,* sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentiæ homo indigebat gratia: sicut in prima parte habitum est.* Ergo etiã in statu illo erant necessaria sacramenta.

4. di. 1. q. 1. ar. 2. q. 3.

* Artic. præc. ad 2.

1. p. q. 95. art. 4. ad. 1.

¶ 2. Præterea, Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ: sicut dictum est.* Sed eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum. Ergo videtur, quòd etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis.

Ar. præc.

¶ 3. Præterea, Matrimonium est quoddam sacramentum, secundum

dum illud Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Sed matrimonium fuit institutũ ante peccatum, vt dicitur Gen. 2. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum.

SED CONTRA est, quod medicina non est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matth. 9. Non est opus sanis medicus. Sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo nõ fuerunt necessaria ante peccatum.

RESPONDEO dicẽdum, quod in statu innocentiæ ante peccatum sacramẽta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita mẽti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad sciẽtiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat, non solùm in quantum sacramenta ordinantur ad remediũ peccati, sed etiam inquantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod homo in statu innocentię gratia indigebat, non tamen vt eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter & inuisibiliter.

AD SECVNDVM dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum & post peccatum, non tamen est idem naturę status. Nam post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid à corporalibus rebus ad sui perfectionẽ, quod in illo statu homini necesse non erat.

AD TERTIVM dicẽdum, quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum & Ecclesiam, sicut & omnia alia quæ in figura Christi præcesserunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm post peccatum ante Christum, sacramenta debuerint esse.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod post peccatum ante Christum sacramenta nõ debuerint esse. Dictum * est enim, quòd per sacramẽta passio Christi hominibus applicatur, & sic passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non præcedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi aduentum. *4. di. 1. q. 1. art. 2. q. 4.* ** art. 1. huius quæst. ad 3.*

¶ 2. Præterea, Sacramenta debent esse conuenientia statui humani generis, vt patet per † August. 19. contra Faustum. Sed status humani generis nõ fuit mutatus post peccatum, vsque ad reparationẽ factam per Christum. Ergo neq; sacramẽta debuerunt immutari, vt præter sacramenta legis naturę, alia statuerentur in lege Moysi. *Lib. 19. ca. 16. & 17. tom. 6.*

¶ 3. Præterea, Quantò aliquid est magis propinquũ perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humanę per Christum

stũ facta est, cui propinquiora fuerunt sacramẽta veteris legis, quam ea, quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similiora sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo, quod sacerdotium Christi prædicitur esse futurum, secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron: vt habetur Heb. 7. Non ergo conuenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

Lib. 19. c.13. in princ. l.t.

Sed contra est, quòd *Aug. dicit 19. contra Faustum, quod prima sacramenta quæ celebrabantur & obseruabantur ex lege, prænuntia erãt Christi venturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, vt aduentus Christi prenũtiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

Respondeo dicendũ, quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, inquantum sunt quædam sensibilia signa inuisibiliũ rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propotiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui ex fide est Iesv Christi. Et ideò oportebat ante Christi aduentũ esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramẽta. Et sic patet, quòd ante Christi aduentum, necesse fuit quædam sacramenta institui.

Ad primvm ergo dicendum, quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quę scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autẽ finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideò non est incõueniẽs aliqua sacramẽta ante Christi passionem fuisse.

Ad secvndvm dicẽdum, quod status humani generis post peccatum & ante Christum, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum fidei rationem, & sic semper vnus, & idem permansit, quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus. Alio modo potest considerari secundum intentionem & remissionem peccati, & expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa tẽporum & peccatum cœpit in homine magis dominari, in tantum quod ratione hominis per peccatũ obtenebrata, non sufficerent homini ad rectè viuendum præcepta legis naturę, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, & cũ his quædam fidei sacramẽta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia, vt Gregor. †dicit Per incrementa temporum creuit diuinæ cognitionis augmẽtum. Et ideo etiam necesse fuit, quod in veteri lege quędam sacramenta fidei, quam habebant de Christo vẽturo, determinarentur. Quę quidem cõparantur ad sacramenta, quę fuerũt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinatè præfixum homini, quibus sacramentis vteretur, sicut fuit per legem quòd erat necessariũ, & propter obtenebrationẽ legis naturalis, & vt esset determinatior fidei significatio.

Hom. 16. in Ezech. à medio.

Ad tertivm dicicendum, quod sacramẽtum Melchisedech, quod

quod fuit ante Legem, magis assimilatur sacramento nouæ Legis in materia, inquantū, scilicet obtulit panem & vinū (vt habetur Gen. 14.) sicut etiam sacrificiū nouę legis oblatione panis & vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per sacramentum, scilicet passioni Christi, vt patet de agno Paschali, & aliis huiusmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem tēporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti eiusdem esse continuatio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

4. di. 1. q. 1. ar. 2. q. 5. Et di. 2. ar. 4. q. 1. Et 4. con. c. 57.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod post Christū non debuerint esse aliqua sacramēta. Veniente enim veritate, debet cessare figura. Sed gratia & veritas per IESVM Christum facta est, vt dicitur Ioannis primo: cùm igitur sacramenta sint veritatis signa siue figuræ, videtur, quòd post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.

¶ 2. Præterea, sacramenta in quibusdam elementis consistunt, vt ex supradictis patet. † Sed Apost. dicit Gal. 4. Cū essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes, nunc autem temporis plenitudine veniēte, iam non sumus paruuli. Ergo videtur, quòd non debeamus Deo seruire sub elementis huius mundi, corporalibus sacramentis vtendo.

q. præc. ar. 4. & 5.

¶ 3. Præterea, apud Deum non est trāsmutatio nec vicissitudinis obūbratio, vt dicitur Iacob 1. Sed hoc videtur ad quandam mutationē diuinæ volūtatis pertinerē quòd alia sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationem tempore gratię, & alia ante Christum. Ergo videtur, quòd post Christum non debuerint alia sacramenta institui.

SED CONTRA est, quod * August. dicit contra Faustum 19. quòd sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

Lib. 19. c. 13. tō. 6.

RESPONDEO dicēdum, quod sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi vēturi: ita & nos saluamur per fidē Christi iam nati & passi. Sūt autē sacramenta quædam signa potestantia fidē, qua homo iustificatur. Oportet autē aliis signis significari futura, pręterita, seu pręsentia. Vt enim † August. dicit 19. contra Faustum, eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta, sicut ipsa verba, passurus, & passus, non similiter sonant. Et ideo oportet quædam alia sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea quæ pręcesserunt in Christo, præter sacramēta veteris legis, quibus pręnuntiabantur futura.

Lib. 19. cap. 16. tom. 6.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut Dionys. dicit in 5. cap. Eccles. hierar. status nouę legis medius est inter statum veteris Legis, cuius figuræ implentur in noua Lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nudè & perfectè manifestabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nūc autem quādiu per speculū & in ænigmate cognoscimus (vt dicitur 1. ad Cor. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia deuenire. Quod

Cap. 5. Eccles. hierar. par. 1. tit. 1. à medio.

Quod pertinet ad rationem ſacramentorum.

AD SECVNDVM dicendũ, quod ſacramẽta veteris legis Apoſtolus vocat egena & infirma elementa: quia gratiam nec continebant, nec cauſabant. Et ideo vtentes illis ſacramentis, dicit Apoſtolus ſub elementis mundi Deo ſeruiſſe: quia ſcilicet nihil aliud erant, quam elementa huius mundi. Noſtra autem ſacramenta gratiam continent & cauſant: & ideo non eſt de eis ſimilis ratio.

AD TERTIVM dicẽdum, quod ſicut Paterfamilias non ex hoc habere monſtratur mutabilem voluntatem, quod diuerſa præcepta familiæ ſuę proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme & æſtate: ita non oſtenditur aliqua mutatio eſſe circa Deũ, ex hoc, quod alia ſacramenta inſtituit poſt Chriſti aduentum, & alia tempore Legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ: hæc autem ſunt congrua gratiæ præſentialiter demonſtrandæ.

¶*Sententiæ & concluſ. quæſt.*

PRima concluſio ex Articul. 1. *Sacramenta ad ſalutem humanam neceſſaria ſunt. Quia congruit naturæ humanæ eruditio per ſenſibilia: reprimitur ſuperbia: præſeruatur à noxiis.*

Secunda, ex art. 2. 3. & 4. *Licet Sacramenta in ſtatu innocentiæ, non fuerint abſolutè neceſſaria: tamẽ poſt peccatum in natura, lege & Euangelio neceſſaria ſunt: quia in ſtatu innocentiæ, nõ fuit neceſſarium remedium quod peccatum deleret: poſt peccatum verò, & hoc remedium, & proteſtatio fidei Chriſti venturi quidẽ in lege, & qui iam venerit in Euangelio, fuit neceſſaria.*

COMMENTARIVS.

1 EX hac generalis definitionis ſacramenti explicatione, colliguntur multa: primum ſit de neceſſitate: ſacramenta fuerunt neceſſaria in omni ſtatu, innocẽtiæ, peccati, legis & gratiæ. Neceſſitas duplex hîc diſtinguitur, finis vel ſimpliciter, cum aliter comparari non poteſt: vel quodammodo, cum aliter commodè finis non comparatur, abſolutè tamẽ comparari poteſt. altera eſt neceſſitas præcepti, cuius obligatio ſit impoſita de aliqua re, etiam ſi ad finem non eſſet ſimpliciter neceſſaria. In ſtatu igitur innocentię, ex diſtinctione neceſſitas explicatur. Aut enim ſacramentum ſtrictè & propriè accipitur, vt remedium peccati, vt Theologi omnes colligũt cum Mag. princ. 4. ſentent. ex parabola Samaritani Luc. 10. cum remedia illa vulnerum, ſacramẽta intelligũt: & hac ratione, ille ſtatus non indigebat ſacramentis, cum nullum futurum eſſet peccatum, nec timor peccati, ſi primus parens innocens permanſiſſet. Aut ſacramentum accipitur vt ſignum externum, exprimens vel efficiens augmentum gratiæ, vt per ſe efficit euchariſtia: & ne ſic quidem fuiſſet neceſſarium ſacramentum: quia cum in eo ſtatu anima Deo, & inferiores potentiæ rationi ſuperiori, & animę corpus eſſet omninò ſubiectum, vt inferioribus ad cognitionem ſpiritualem non indigeret homo: huic perfectioni non congrueret ſacramentum in ſigno ſenſibili, ad ſanctificandum ſpiritualiter. Sic D. Thom. & alij pleriq;, qui ſimiliter de ſtatus innocentię perfectione ſentiunt. Sed nihilominus, propter naturalem hominis ex corpore & anima conſtitutionem, cui ſacramenta conſentiunt, in re ſenſibili ſpiritualem ſanctificationem exprimentia & propter naturale corporis obſequium & miniſterium, quod ad ſalutẽ animę pertinere poterat, ſicut etiam ex aliis creaturis ſpiritualiter ad gloriã Dei inſtrui poterat homo: videtur hac ratione fuiſſe in eo ſtatu ſacramenta neceſſaria, non quidẽ ſimpliciter ad ſalutem, ſed vt commodius ad eandem homo perduceretur. Quæ ſententia conſentit D. Auguſt. lib. 13. de ciuit. c. 20. cum aſſerit, lignum vitę prçter cõmunem vſum, rationem cuiuſdam ſacramenti habuiſſe, his verbis: de ligno autem vitę propterea guſtabatur, ne mors eis vndecumq;

Neceſſitas ſacramentorum.

In ſtatu innocentiæ.

Ad artic. 2.

cumq; subreperet, tanquam cętera in paradyso essent alimento, & illud sacramento: vt sic accipiatur lignum vitæ in paradyso corporali, sicut in spirituali sapientia Dei, de qua scriptum est, lignum vitę est omnibus amplectentibus eam. Si autē tertiò sumatur sacramentum magis communiter, non solùm pro signo sanctificationis, sed etiam cultus & religionis Dei, gratiarum actionis, agnitionis supremi dominij, beneficij creationis, & salutis hominis, valdè probabile est, huiusmodi sacramēta & sacrificia, in statu innocētiæ futura fuisse. Primū, quia congruit naturæ hominis, huiusmodi signis externis, fidem suam profiteri, congruenter naturę suæ, cum ille pręsertim status non fuisset merè spiritualis: atq; vt populus ille in vnam religionem coalescere posset, vt distingueretur à hierarchia cælesti, quæ signis externis non indiget, vt inquit Dyonis. c. 1. de Eccles. hierar. commodissimè etiam gratiarum actiones per oblationes & dedicationes creaturarum fierēt. Sacerdotes præterea & tēpla illi statui concedere nullum absurdum est, cum respublicas & ciuitates credamus eo tempore futuras, quia homo fuisset etiam tūc animal sociabile: nec haberet aliam nobiliorē causam constituendæ reip. & iucundæ societatis, quam professionem religionis & diuini cultus. Hactenus de sacramentis in statu innocentiæ.

Prouerb. 3.

Ad artic. 3. & 4.

Hominis multiplex status post lapsum primi hominis. Sacramēta necessaria in lege naturæ, in omnibus gētibus, & fœminis Iudæis. 3. p. q. 61 ar. 3. & q. 60 artic. 5. ad 3. alij Theologi. 4. d. 1. Alen. 4. p. q. 1. mēb. & art. 2. item D. Tho. infra. q. 70. ar. 2. ad 1. & 2. & art. 4. ad 2.

2 Post peccatum autem primi parentis, tres formæ reip. spiritualis, quas Theologi status vocant, distinguntur, vt obseruauit D. August. epist. 119. ante legem, sub lege, sub gratia, quę vulgo dicuntur, lex naturæ, lex Moysis, lex gratiæ, vel Christi, & hæc duo vltima vetus & nouum testamentum, siue lex vetus & noua. In lege naturę viuebat populus sine lege scripta, & ab alio instituta, ex dictamine rationis, adiuto nonnunquam peculiari Dei reuelatione, & interna suggestione principibus familiarum facta, retenta traditione diuini cultus veri Dei, per manus accepta à maioribus.

3 Sed huius status duę sunt partes, vna ab Adam vsq; ad Abrahā, altera ab Abraham vsq; ad Moysen. Primæ autem partis huius status, ante circuncisionis institutionem, eadem ratio est, atq; de gentibus verum Deum colentibus, quę non erant de stirpe Abraham, siue ante circuncisionem, siue post circuncisionem & legem scriptā, & de fœmis stirpis Abraham etiam post legem: quia neminem ex his pręceptū circuncisionis obligauit, neq; gentes præcepta legis Moysis. Quare de his omnibus vna sententia est, fuisse necessarium ad salutem aliquod sacramentum externum & sensibile, quo mundarentur à peccato originali, & fidē mediatoris, quę semper fuit omnibus ad salutem necessaria, iuxta illud Act. 4. non est aliud nomē sub cęlo in quo oporteat nos saluos fieri, protestarentur: & ita in veram religionem Dei coalescerent. Itaq; non asserimus fuisse illis omnibus vnum aliquod sacramētum vel sacrificiū, in determinata aliqua re, aut pręcepto speciali eos obligari ad huiusmodi sacramentum vel sacrificiū: quia vtrumq; repugnat statui legis naturalis, in quo licet esset obligatio protestandi fidē veri Dei, iuxta illud Rom. 10. corde creditur ad iustitiā, ore autē confessio fit ad salutē: non tamē erat determinatū signū vnum sensibile huius protestationis, sed pro gentis cuiusq; aut familie consuetudine, institui poterat ex instinctu naturali vel interiori Dei suggestione: & ideò non erat opus omnes gentes aut familias eisdem hostiis aut sacramentis vti. Inspirauit autem Deus hanc legem & voluntatem suam, de sacramentis & sacrificiis, eodem tempore quo suggessit Adamo de semine benedicto, in quo essent omnes gentes benedicendæ. Vnde factum est, vt Abel & Cain ab initio rerum humanarum sacrificauerint, sed nō eodem modo. Hęc Dei voluntas dimanauit ad posteros & patriarchas per traditionem, vt deprehenditur ex tota historia in Genesi descripta, vbi designatur populus, in quo verus Dei cultus vigebat, & separatur ab aliis qui tenebris peccatorum eundem obscurauerant. Sic Dominus Gen. 18. de Abrahamo, scio quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini. Sic ergo intelligimus in statu legis naturalis fuisse necessarium aliquod sacramentū: quoniam signa protestātia fidem mediatoris, in hoc etiam statu necessariam ad iustificationem, & mundationem à peccatis, necessaria fuerunt, vt ipsa etiam fides: (quia post peccatum nullus sanctificari potest nisi per fidem viuentem Christi implicitā, aut explicitam, iuxta illud Rom. 3. quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ,

Legis naturalis & scriptæ distinctio, quod in illa nulla esset præceptio scripta, vt in hac.

Vide 3. p. q. 70 art. vlt.

suæ propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide IESV Christi: sed sacramenta sunt quædam sensibilia signa, quibus vel vt signis vel vt instrumentis sanctificamur, & fidem mediatoris protestamur, cum pertineant ad verum Dei cultum: fuerũt igitur necessaria ad salutem in statu legis naturę, & fœminis Iudęis in lege, vt emũdationẽ à peccatis fideles consequerẽtur, vel paruuli etiam, Deo vero oblati, per huiusmodi sacramenta vel sacrificia. Confirmatur, quia constat in lege naturę fuisse sacerdotes veri Dei, vt constat de Melchisedech: sacerdos autem assumitur ex hominibus ad offerendum Deo pro peccatis: quod si oblatio pro peccatis, erat & sacramentum. De Iob etiam, legimus in lege naturę sacrificasse pro peccatis filiorum, & quod quotidie miserit ad illos, vt eos sanctificaret. Gentes etiam quę Deum ignorant offerunt pro peccatis, quod nõ poterant aliunde habere, quàm ex naturæ instinctu, & maiorum suorum consuetudine: dæmon autem sibi hoc arrogabat, quod vero Deo conuenire intelligebat. Denique omnes rationes, quibus congruẽtia sacramentorum ad alios status demonstratur, idem concludunt de statu naturę. Erat enim populus saluandus, Ecclesię portio non minima, laborabat eodẽ morbo peccati, confidebat in eodem medico: oportebat igitur habere persimile medicamentum, eandem instructionem, & viam salutis: erat religio, cultus Dei externus, in quem populus, vel per respublicas vel per familias conueniebat. Denique homo, quia constat corpore & anima, vtroque debet Deũ verum in omni statu colere, nempè fide interiori, aliquo signo externo manifestata, neq; aliter homo ad intelligibilia perueniret nisi per hęc sensibilia. Item gentium omnium consensu, nõ placatur Deus nisi sacrificiis, quę diriguntur ad nostram sanctificationem, & ideo sunt sacramenta. Præterea, si semper fuit necessaria religio, & hæc nõ est sine sacerdote, neque sacerdos sine sacrificio, semper igitur fuerunt sacrificia & sacramenta. plerisque quidem videtur vtrũlibet visum D. Tho. probabile, sed mihi videtur tantum probasse, in lege naturæ

Fides Christi omni tempore necessaria præsertim post peccatum. 2. 2. q. 2. art. 7.

fuisse sacramenta, & illud Greg. lib. 4. Moral. c. 20. Sola fide homines ante circũcisionem Christo incorporari, excludit virtutẽ sacrificij & efficaciã, non autem signũ externum: vt dicitur solus consensus efficere matrimonium, & non excludit signũ externum, alioquin non esset sacramentum. Cũ ergo scriptura dicit ante Abrahã fuisse veram religionem, simul intelligit sacerdotem, sacrificium & sacramentum. An fuerit sacramentum pro peccatis actualibus, postea suo loco: & an illa sacramenta in lege naturę ex reuelatione Dei Anaclet. in epist. de ordinatione Episcoporũ. Postremò, hęc sententia non solum est recepta recentioribus Theologis, sed etiam vetustis Patribus probata. D. August. lib. 15. de Ciuit. cap. 17. Scribit quasi dubitans: vtrum autem aliquod fuerit, vel si fuerit, quale fuerit regenerationis signum ante diluuium, sicut Abrahæ est circuncisio postea imperata, sacra historia tacet. Sacrificasse tamen Deo etiam illos antiquissimos homines, non tacet: quod & in duobus primis fratribus claret, & in ipso Noe, quod postquam egressus est de arca, hostias Deo immolasse legitur. Sed sine dubitatione lib. 5. contra Iulianum Pelagianum, cap. 9. inquit: Non credendum est ante datam circuncisionem famulos Dei, (quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi) nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quanquam quid illud esset, aliqua necessaria causa, scriptura latere noluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtique sacrificiis, sanguis ille figurabatur, qui tollit peccatum mundi. Diuus Gregorius lib. 4. Moral. cap. 20. Expressius, inquit, quod apud nos valet baptismus, apud antiquos egit vel sola fides propter paruulos, vel pro adultis virtus sacrificij, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ, mysterium circuncisionis. Hæc de sacramentis in lege naturæ dicta sint.

Posteà verò diuina sapientia, vidẽs legẽ naturalẽ inueterata peccandi licẽtia, indies magis ac magis obscurari & contaminari, vt populus Dei & Ecclesia apertè cõstitueretur, vt illustrior esset Dei cultus, vt familia ex qua Christus secundũ carnẽ oriturus esset, designaretur: sacramẽta quæ in lege naturæ prius erant libera, ad certas materias, ministros, tempora, ritus & effectus

q. 61. art. 4. De necessitate sacramentorũ vet.

C deter-

determinauit: partim retinens quędā ex lege naturæ, partim noua & plura addens, & ad maiorē necessitatem in speciali definiens. Relinquens tamen reliquos fideles, extra posteritatem Abrahæ, in eadem libertate & indifferentia sacramētorum, quam in lege naturę habuerant. Quoniam semper in eodem statu permanserunt, neque totam Dei Ecclesiam lex Mosayca obligauit, licet ad eandem possent omnes gentes admitti, vt vsus illius legis & consuetudo in proselytis ostendit, & D. August. lib. 18. de Ciuit. cap. 47. in hoc ergo populo, & in familia Abrahæ fuisse circuncisionis sacramentum ante legem, & sub lege plura sacramenta, dubiū nō est, cum tot sint expressa & præcepta in lege, de quibus statim apertius. Interim constet, sacramenta in lege naturali & Mosaica, fuisse necessaria ad salutem, quibus scilicet, peccatum originale per fidem mediatoris remittebatur, vel in adultis actuale, aliud in lege naturę non videtur fuisse necessarium, nisi forte immineret obligatio protestandi fidem, & religionem veri Dei. In lege autem Moysis, constat necessitas circuncisionis ad salutem, ex illo Genes. 17. Masculus cuius preputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: cui persimile est quod de baptismo dicitur Marc. vltimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. De aliis sacramentis vet. leg. ad expiationem peccatorum, vt erant signa sacrificij Christi, iuxta illorum institutionem, respō dendum est de eorum necessitate ad salutem, omnia tamen continebantur necessitate diuini pręcepti, in lege expressi.

Abrogatio sacramentorum legalium, & præceptorum.

4 Sed hæc veteris legis sacramenta, quāuis à Deo instituta, tamen abrogata sunt, sine vlla diuinę voluntatis mutatione, quia ad tempus instituta sunt, vnde in rebus volitis, mutatio sequitur, non tamen in voluntate Dei instituentis. Itaque vt ante institutionem, erant liberę & non necessariæ obseruationis, post institutionem verò necessariæ, vt sunt multa apud nos, ad præcepta Ecclesiastica pertinentia: sic etiam tempore præfinito ad illorum obligationem, obligabant populum Iudaicum, finito verò & absoluto illo tempore, nulla erat illorum obligatio.

Disputatio de abrogatione veterum sacramentorum.

Abrogationis autem illorum, vna est generalis causa, quia prænuntiabant Christum, & illius mysteria, & ideo adueniēte Christo essent mendacia & inutilia. Alia enim ratio est, de his quæ ad cultum Dei pertinerent, sed non essent futurorum vmbrę, cum hęc in nouo testamento retineri possint: ex D. Leone Ser. 6. de ieiunio, & 14. de passione. Sic D. August. lib. 19. contra Faust. cap. 13. & 16. docet sacramenta esse quædam verba visibilia, alia promittentia Christum nasciturū, passurū, resurrecturū: quędam annuntiantia natum, passum & resurrexisse, vnde vt mutantur verba ad promissionem futuri, & declarationem præteriti, sic & sacramenta illa mortem Christi vt causam finalem respiciebant, hæc autem vt efficientem: & idcirco fine adepto, illa cessarunt, hęc autem incœperunt, & vim atque cōtinuationem ex merito eiusdem mortis, cuius instrumēta sunt, acceperunt. Hæc ratio generalis mutandi & abrogandi vetera sacramenta multis modis est à D. Paulo expressa. Primò, quia erant ad infantium in fide pedagogiam instituta, & hac re adultis in fide viris inepta, sic ad Galat. 4. Secūdò, ex eodem cap. quia erant infirma & egena elementa, non conferentia suapte vi gratiam sanantem aut perficientem, vt nostra: non igitur congruebant populo Dei adulto, viro facto, & omni benedictione spirituali per Christum cumulato. Tertiò, ex cap. 7. Hebr. quia vet. leg. mādata erant infirma, nondum sanctorum via propalata, & imposita tantum vsque ad tempus correctionis, quæ non potuerunt iuxta conscientiam perfectum facere quenquam, ex c. 9. Hebræo. Quartò erant vetera sacramenta & pręcepta ex cap. 15. Act. grauia, seruilia, duræ ceruicis populo imposita: ergo filiis liberis, & per Christum iam factis hæredibus, nullo modo imponenda. Denique, erant vmbræ Hebræo. 10. quæ cedunt corpori quod est Christus: erant exemplaria cælestium Heb. 9. Ergo per cælestia quæ Christus attulit, abroganda: erant parabola temporis instantis, & ideo in temporum plenitudine ad finem perducta. Itaque existēte noua lege, nouo testamento, nouo legislatore, nouo sacerdotio, nouis sacramentis, vetera ad interitum senescētia, sunt perducta: vt omnibus sacramentis atque cultu non solum Iudaico, sed etiam legis naturæ, impletis &

tis & resoluentibus se in nostra, nec populo Iudaico, nec vlli familiæ gentium, liceat colere Deum aliis sacramentis, aut sacrificio, quàm his quæ à Christo instituta sunt.

Tempus abrogationis.

5 Quod si quæras, quando & quo temporis momento, vetera sacramenta cessarint: breuiter respondeo, quando impleta sunt, & perdiderunt significationem, nostra autem virtutem sanctificandi instrumentariam acceperunt, & à lege vet. & peccato liberati sumus. D. August. epist. 19. Quando venit fides quæ prioribus sacramentis prænunciata est, amiserunt vetera vitam officij sui. Sed quia legalia sacramenta ad pręsentiam Christi, vel nouorum institutionem, non statim cessarũt, quia nondum habebant mendacem significationem de morte Christi futura, & ideo obligationẽ inducebant, neq; nostra habebãt completã significationẽ aut vim & effectum, sicut post mortem Christi: idcirco ante passionem non erant in præcepto, sed in consilio: cum verò noua integram significationem & efficaciã ex morte Christi, vt illius instrumenta adepta sunt, vetera mortua sunt, & effecta inutilia. Quod exactius intelligetur ex distinctione trium temporum, probata non solùm Augustino, sed etiam Concilio Florentino. Primum ante passionem Christi, habebat legalia viua, significatiua, obligantia. Secundum interiectum inter passionẽ consummatam, & sufficientem promulgationem Euangelij, habebat mortua, sine necessitate obligationis, honorificè tamen sepelienda, non contumeliosè & subitò, ne putarentur à Deo nõ instituta. Tertium tempus post sufficientem Euangelij promulgationem, perseuerans vsque ad finem mundi, abominatur legalia vt mortifera, & omnibus modis Christo & nostræ saluti aduersa & repugnantia.

Aug. in Psal. 39. Hieron. in Epist. ad Aug. Eadē in cap. 2. Galat.

Epist. ad Hier.

6 De numero sacramentorum consequẽter dicendum est in triplici illo statu, in quo necessaria diximus sacramenta, nempè naturæ post peccatum, legis & gratię. Et quidem numerus sacramentorum in statu legis naturalis, nulla ratione constare potest nobis: cum illa sacramenta fuerint liberæ institutionis hominum, ex instinctu Dei & determinatione rationis, quæ potuit iuxta familiarum, & gentis cuiusque consuetudinem, varia esse: vt ex sancta scriptura colligimus, Abelis & Caini, Melchisedech, & Iob, diuersa fuisse sacrificia, quæ etiam rationem sacramenti habere potuerunt. Numerus etiã sacramentorum vete. leg. quamuis in sancta scriptura expressus, quia tamẽ non exprimitur sub ratione sacramenti quod definiuimus, est adhuc incertus & in controuersia Theologorum. Sed illud receptum est, sacrificiis purgatoriis, purificatoriis, hostiis pro peccato, sacerdotum, Pontificumque consecrationibus, ordinationibus & ad has adiunctis sacrificiis, lustrationibus variis, ablutionibus in lege præscriptis, rasuris pilorum, siue ad leuitas & ordinem sacerdotalem, siue ad plebem communiter pertinerẽt; his inquam omnibus, & multis similibus rationem sacramenti conuenire. Hæc sunt illa tam multa sacramenta quibus asserit D. August. lib. de vera religione, cap. 17. populum Iudaicum oneratum fuisse, antequam nostra salubriora & pauciora instituta essent. Pro baptismo enim habuerunt tantũ circuncisionem, ex Augustino lib. 2. de nupt. & concup. cap. 2. vt significat D. Paulus Coloss. 2. cum ait, in quo & circuncisi estis circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo. Pro nostra Eucharistia videtur fuisse esus panum propositionis & agni, pro sacris ordinibus consecratio & vnctio sacerdotum, pro nostro matrimonio, nullum planè sacramentum habuisse videntur: quia illorum coniugium erat tantum in officium naturæ, & non ad gratiam significandam. similiter pro extrema vnctione nullum omnino sacramentum habuisse videntur, nec etiam aliquod respondẽs nostrę cõfirmationi: quia in Euãgelio vtimur vnctione ad immediatum cæli ingressum, & confirmatione ad perfectæ gratię receptionẽ: & illud beneficium olim in lege expectari nõ potuit, ne que ad perfectã gratiam lex potuit adducere, nisi fortè vnctio vetus, vnctionem cõfirmationis adũbrauit. Illa verò numerosa sacramenta, quæ diximus, respondent sacramento pœnitentiæ, quamuis simul essent sacramenta & sacrificia.

Numerus sacramentorum vet. leg.

D. Tho. q. 102 1. 2.

7 De agno Paschali & panibus propositionis, controuersia est, fuerint ne sacramẽta, sed nobis videtur valde probabile, fuisse sacramenta: de agno quidem paschali, non quidem quòd fuerit ad memoriam

Agnus Paschalis an sacramẽtum.

D. Tho. eadem q. art. 3.

riam

riam præteriti beneficij institutus, neque quod præsignificauerit non tãtùm Eucharistiam, sed etiam passionẽ Domini, tã expresse, vt Paulus propter hanc significationem dicat 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatũ esse Christum: (sic enim manna, transitus maris Rubri, diluuium Noe, sacramẽta essent, cũ præfigurauerint Eucharistiam & baptismum nostrum) sed quòd verisimile est, in illo fuisse significationem refectionis animarum per gratiam sanctificantem, & vnionis fidelis populi inter se: cuius vnionis signa fuerunt, comedere in vna domo, vicinos conuocare cùm opus esset, excludere incircuncisos: vt explicat D. August. sententia 1. lib. 21. Sentent. Vt enim ratio sacramenti posita est generaliter, in significanda gratia sanctificante, etsi hæc significatio desit, etiamsi significetur gratia Christi aut passio, sacramentum non sit, quia neque ratio & definitio sacramenti: sic etiam ad rationem sacramenti non requiritur, illam gratiam esse primã & sanantem à peccato, sed satis est significari gratiam sanctificantem, siue ea sit prima, siue augens primam. Quoniam ex nostris sacramentis, quæ omnium sunt perfectissima, solùm baptismus & pœnitentia, primã gratiam conferunt, & sanant à peccato per se, cætera per se augent, ex accidenti autem conferunt primam gratiam. Hoc gratię augmentum, agno Paschali significatum fuisse in vet. leg. ex eo coniicitur, quòd ad illius esum tantùm admittebantur mundi: & hæc mundicies significata est agno immaculato, succinctis renibus, panibus azimis, lactucis agrestibus.

Panes propositionis an sacramentum. D. Thom. ibi.

8 Persimile sacramentum fuisse sacerdotibus, panes propositionis, colligitur ex 1. Reg. 21. c. vt eorum manducatio non significaret gratiam sanantem, remissionẽ peccatorum, aut primam iustificationem sed eandem ex aliis sacramentis & sacrificiis præsupponebat: cũ lex ad illorũ esum neminem nisi mundum admitteret, & augentem significabant.

Numerus sacramentorum n. l. ad q. 65. art. 1. & 2.

9 Reliquus est numerus sacramentorum nouę leg. is consensu Ecclesię Catholicę, Patrum Conciliorũ definitionibus, praxi & vsu notissimus est, & probatus. Sacrę verò scripturæ testimonia quędã, de quibusdã sunt magis expressa, quędam verò minus expressa, quę supra citauimus differentes de materia & forma, omnia verò habemus ex diuina & apostolica traditione. Vnde post Conc. Florent. in doctrina de sacramẽtis, Sess. vltima, definiuit Trident. Sess. 7. Can. 1. de sacramentis in genere, anathema fore, qui plura aut pauciora quã septẽ dixerit esse sacramenta à Christo Domino instituta, baptismũ, scilicet, confirmationẽ, eucharistiam, pœnitentiam, extremam vnctionẽ, ordinem, & matrimonium. Quod si generalem illam sacramenti definitionẽ, eisdem accommodaueris, eundẽ numerũ euidenter concludes. Sic denique sentit Ecclesia Romana, omniũ Ecclesiarum magistra & mater: & perpetui anathematis vinculo innodatur à Lucio III. cap. ad abolendã, de heret. quicunque aliter sentit aut docet de sacramentis, ecclesię, quã sacrosancta Ecclesia Romana prędicat, & obseruat. Hęretici autẽ, hunc septenarium numerum negantes, quòd nomine sacramentis nouę legis, hic numerus non sit expressus in sancta scriptura, sed pauciora esse, nõ vident, eadẽ quę illi statuunt sacramenta, nec sic nomine sacramenti expressa esse: quare vel ipsorũ argumentum nihil efficit cõtra septenarium numerũ, vel quem volunt numerũ, constanter & necessariò non concludunt. Multo melius esset, in scripturis inuestigare, quę nam cæremoniæ & signa sensibilia externa significantia & conferẽtia gratiam, in illis cõtinerentur, vt statim concluderẽt, tot esse sacramenta, quot huiusmodi signa essent: reperissent autem septem tantùm, nõ quidem in hunc numerum redacta propter doctrinæ commoditatẽ, vt articuli fidei, sed quia re vera, nec plura sint, nec pauciora. Sic ergo concludamus: septem tantũ sunt signa externa quæ significant, & conferunt gratiam: septem igitur tantùm sunt sacramenta nouę legis: hoc enim positũ est, esse sacramentum nouę legis, quod nõ solùm significat, sed etiã efficit gratiam sanctificantẽ, cũ noua à veteribus, ex hac efficacia gratię distinximus. Antecedens inductione constat: ceremonia baptismi cõfert gratiã, quia regenerat animã Ioa. 3. Cęremonia cõfirmationis dat gratiã, quia dat Spiritũ sanctũ. Act. 8. 17. & 19. Cęremonia Eucharistię confert gratiam, quia dat vitã, & Christo incorporat, Ioan. 6. 1. Cor. 10. & 11. Cęremonia pœnitentię dat gratiam, quia remittit quęuis peccata. Ioan. 20. Cęremonia ordinis dat gratiã, quia Paulus hoc affirmat de ordinatione

Disputatio de numero sacramentorum contra Hęreticos.

Concluditur ex scriptura sacramenta n. l. septem tantũ esse.

tione Timothei. 1. Timot. 4. & 2. Timot. 1. Cæremonia coniunctionis maris & fœminæ, quę appellatur matrimonium dat gratiam, quia ex illa datur possessio vasis sui in sanctificatione & honore, & nō in affectu concupiscentię, quęadmodum gētes quæ ignorant Deum. 1. Thessal. 4. Cęremonia extremę vnctionis dat gratiā, quia saluat infirmum, & quęcunque peccata remittit, Iacobi vlt. quare si externi ritus tot sunt gratiam conferentes, non plures neq; pauciores, erunt igitur septem tantùm sacramenta. sensus autem testimoniorum quæ ex scriptura adduximus, licet repugnantibus hæreticis, examinabitur à nobis in singulis sacramentis.

10 Neque concedendum est aduersariis, veteres Patres Ecclesiæ hunc numerum ignorasse, quòd illum suis scriptis non expresserint, & his quę de sacramentis scripserunt. Primùm quòd nullus negauerit se ptem tantùm esse, & pro opportunitate tē poris & tractationis, hęc aut illa expresserunt. Deinde, non est aduersariorum veteribus pręscribere, quibus locis, hæc aut illa tractanda sint, cùm nemo eorum sit qui non habere potuerit graues causas, cur huius aut alterius sacramenti non meminerit. Sæpè maiestas rei, sæpè imbecillitas eorum ad quos scribitur, sæpè conditio aduersariorum contra quos agitur, sæpè rei per se perspicuitas, sæpè idē argumentum ab aliis explicatum, & alia huiusmodi faciunt, tum in cæteris scriptoribus, tum in ipsis euangeliorum autoribus sacris, vt aliquid ibi non scribatur, vbi maximè congruum esse videbatur. Impium sanè esset, Ioannem reprehendere, quòd nihil de natiuitate Christi secundum carnem, & omnes euangelistas, quod nihil de infantia, nihil ferè de adolescentia & pueritia scripserint, & ipsum etiam Ioannem quòd nihil de Eucharistiæ institutione, cum reliquam partem cœnæ vltimæ in qua instituta fuit, & ipsam præparationem per ablutionem pedum, solus scripserit. Patres etiam illi antiquiores, Iustinus, Tertulianus, Irenæus, non scripserunt ex professo de sacramentis: & Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarc. non agit spetialiter de sacramentis, sed de actionibus & officiis sacris atque hierarchiis antistitum, quæ vel in sacramentis, vel in precibus, vel in sepultura Christianorum, vel in cōsecratione monachorum, aut aliis ritibus spectantur: & quia in matrimonio, ritus solennes non sunt pontificum aut sacerdotum proprij, de hoc sacramento nihil loquutus est. Ambrosius inscripsit quidem librum de sacramentis, sed non disseruit ex professo de omnibus, sed de his tantùm quibus fideles initiantur, cùm ad religionem admittuntur. eadem ratio est de libris catecheticis, Cyrilli Hierosol. Augustini, in quibus proinde non oportuit disputari de matrimonio, sacerdotio, & extrema vnctione, congruenter autem suæ institutioni, meminerunt baptismi, confirmationis, & euchastiæ. Augustinus autem, quem aduersarij nobis præcipuè opponunt, interdum ait pauca esse sacramenta, vt lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9. Episto. ad Ianuarium, & sæpè contra Manichæos, & in his præsertim episto. numerat tria, aquam, panem vinum, oleum. & lib. 19. contra Faustum. cap. 14. appellans baptismū Christi, eucharistiam Christi, signum Christi, sed lib. de Doctrina Christiana, duo, lib. de catechizandis rudibus vnum, quia eorum mentio, non autem aliorum, esset suo proposito accommodata. Addit tamen sæpè aliquid, vnde plura esse sacramē ta intelligi possit, cuiusmodi est illud epi. 118. [& si quid aliud in scripturis cano nicis cōmendatur] Conc. 1. in Psalm. 103. respice inquit ad munus sacramentorum Ecclesiæ, in baptismo, in eucharistia, & in cæteris sanctis sacramentis. lib. 2. aduersus Crescon. cap. 4. quibus sacramentis eum baptismum nos inter magna coniungimus, lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 10. generaliter inquit, omnia sacramenta prosunt dignè suscipientibus. qui igitur hæc omnia affirmauit, quomodo potuit existimare duo tantum esse sacramen ta nouæ legis, baptismū & eucharistiam, vt aduersarij volunt.

Responsio ad aduersarios asserentes, quod veteres Patres, & August. non agnouerunt septem tantū esse sacramēta n. 1.

D. Aug. sententia.

11 Sed propiùs iam accedamus, ad exactius colligēdam diui Augustini & aliorum Patrum sententiam, ostendentes omnia septem sacramenta ab illis agnita fuisse, in ratione sacramenti propria, de qua agimus, & non tantùm in illa ampliori significatione, qua omnia mysteria, sacramenta esse dicuntur. Argumentum autem firmissimum est, quod ab eisdem singula illorum septem, in eadem

ſacramenti ratione ponatur, qua ipſe baptiſmus, de quo tamen nulla controuerſia eſt. Primùm in his, de quibus eſt controuerſia, confirmatio dicitur ſacramentum ab Auguſtino lib. 3. contra Donatiſt. cap. 16. & lib. 5. cap. 9. & lib. 2. contra epi. Petiliani. cap. 104. confertur cum baptiſmo his verbis. Sacramentum chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum, eſt ſacroſanctum, ſicut baptiſmus. eodem modo Cypria. lib. 2. Epiſt. 1. confert baptiſmum confirmationi, & vtrumque ſacramentum appellat. Secundò, ordinationem eſſe ſacramentum docet Auguſt. lib. 2. cõtra epi. Parm. cap. 13. & lib. 1. contra Donatiſt. de baptiſmo, cap. 1. baptiſmo confert his verbis: vtrumque ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur, illud cum baptizatur, hoc cum ordinatur. Tertiò, matrimonium eſſe ſacramentum, non primùm Gregorius Papa dixit (vt Caluinus fingit) ſed ante eum pluribus locis diuus Auguſt. præſertim, lib. de bono coniugij. cap. 5. 15. 18. & cap. 24. comparat ordinationi quam prius cum baptiſmo contulerat. vt oſtendimus, inquit, bonum nuptiarum per omnes gentes, & omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis eſt: quod autem ad populum Dei attinet, etiam in ſanctitate ſacramenti eſt, quod manet in coniugatis, licet proles non ſequatur: ſicut ſacramentum ordinationis manet in ordinatis, licet plebem, propter quam congregandam ordinati ſunt, non congregent. Quartò confert ſacramentum pœnitentiæ Auguſt. cum baptiſmo lib. 1. de adult. coniug. cap. 26. & 28. cum inquit, eadem eſt cauſa baptiſmi & reconciliationis, ſine quibus ſacramentis homines credunt ſe non debere exire de corpore. Ambroſ. etiam lib. 1. de pœnitent. cap. 7. baptiſmi inquit, & pœnitentiæ idem eſt miniſterium, idem nomẽ in vtroque operatur remiſſionem peccatorum. Vltimo, vnctionem eſſe ſacramentum facile poſſet probari, ex Auguſt. lib. de viſitation. infirm. ſi is liber eſſet Auguſtini, cap. 4. ſed melius ex Innocentio Primo, æquali Auguſtini Epiſt. 1. cap. 8. Beda. 9. Lucæ & Iacobi 5. Cyrillo lib. 2. in Leuit. & Chryſoſto. lib. 3. de ſacerd. vbi etiam baptiſmo comparatur, cum ait non tantùm in baptiſmo remittunt ſacerdotes peccata, ſed etiam poſtea in vnctione iuxta illud Iacobi, infirmatur quis in vobis, &c. Eandem etiam Proſper euchariſtiæ in effectu coniungit de prædict. part. 2. cap. 29. dicens, anima ſacramento farris & olei vnctione munita, ſecura expectatur. eſt igitur antiqua & recepta patribus de ſeptenario ſacramentorum numero ſententia.

12 Poſteriores Theologi, aut nondum excitatis, aut ignoratis, aut contemptis hæreticorum contentionibus, de numero non litigant, ſed definiti numeri cauſas & rationes inueſtigant. Eas verò ex effectis, quæ ex ſimilitudine vitæ noſtrę naturalis, ad ſpiritualem transferuntur, hoc modo colligunt. Homo enim ad vitam naturalem rectè tranſigendam in repub. primùm generatione editur in lucẽ, deinde augetur & perficitur, Tertiò alitur, Quartò ſi in morbum incidit curatur: Quintò, reficiuntur vires ex ægritudine debilitatæ: deinceps vt viuat in repub. magiſtratus neceſſarius eſt, tandem vt legitima ſoboles procreetur. Ex horum analogia quinque ſunt ſacramenta quæ priuatum cuiuſque bonum reſpiciunt, baptiſmus enim regenerat, confirmatio auget, & ideo Luc. 24. dicitur virtus, vel vis ex alto, euchariſtia ſpiritum paſcit & reficit: pœnitentia ſanitatẽ amiſſam reſtituit, vnctio reliquias morbi tollit, & vires ſpirituales ex ægritudine labefactatas reficit, ordo magiſtratum & poteſtatem Eccleſiaſticam inſtituit: Matrimonium ex maris & fœminæ caſta coniunctione, ad cultum Dei & humani generis conſeruationem filios procreat.

Tria priora ex his ſacramentis, in primitiua Eccleſia ſimul conferebantur, vt conſtat ex toto opere D. Ambroſij de ſacramentis.

13 Comparatio horum ſacramentorum ex his conſtat, & ratio ordinis. ſimpliciter omnibus præſtat euchariſtia, quia eſt finis aliorum, & finis præſtat omnibus quæ ad finem ſunt. Cæteris enim omnibus Deo & Chriſto vnimur, ſed euchariſtia perfectiſsima vnione, quæ ſuo loco explicabitur. Prætereà, cætera ſacramenta tantùm continent gratiam inſtrumentaliter, euchariſtia autorem gratiæ reipſa continet. ex cęteris, neceſſitate excellit baptiſmus, ſine quo reipſa ſuſcepto paruuli ſalutem conſequi non poſſunt, & adulti ſine eo vel reipſa vel voto, ſi ſacramẽti ſuſceptionẽ neceſſitas excludat. Ex cæteris quò vnũquodq; ordine prius eſt, vt ſunt à nobis

Sacramentorũ inter ipſa comparatio.

à nobis descripta, eò in vita spirituali magis necessarium est, sed dignitate præstat baptismo confirmatio, quia illius perfectio: deinde si peccata sint, pœnitentia ad remissionem simpliciter necessaria est reipsa, vel voto, si actu suscipi non possit: eius comes vnctio est ad delendas peccati reliquias: ordo matrimonio præstat, dignitate ministri omnibus aliis confirmatio & ordo: significatione matrimonium. Ephes. 5. magnum sacramentum dicitur. Ordo perfectione præstat confirmationi, pœnitentia & vnctio inferiores sunt: quia non per se ad vitam Christianam pertinent, sed ex accidenti, si contingat peccato infectam esse, sed pœnitentia est magis necessaria, vnctio autem perfectior, sicut confirmatio baptismo. Sic est definitum in Trident. Sess. 7. can. 3. de sacramentis in genere, nouæ legis sacramenta non esse æqualia, vt volunt aduersarij: quia negant in eucharistia reipsa Christũ contineri, & omnia esse testimonia gratiæ & remissionis peccatorum, per fidem acceptæ specialem, quam ipsi confinxerunt, vt suo loco ostendetur, & statim refutabitur illa sententia, sacramenta esse huiusmodi signa remissionis peccatorum per fidem acceptæ.

14 Definitio sacramenti hactenus constituta, quatenus in ratione sacramenti ponit gratiam, vt sanctificantem ipsos suscipientes, cuius signum sit externum & visibile, excludit à ratione sacramenti omnia signa legis naturæ, vet. & nouę commemoratiua siue prognostica gratię, non tamen vt sanctificantis ipsum suscipiẽtes, vt matrimonium in lege naturę & vet. & præterea in illa, sacrificia Abelis & Caini, in hac æneum serpentem, Manna, aquam de petra, transitum maris Rubri; & in lege noua, aquam benedictam, lotionem pedum, (quę olim ex imitatione Domini, solebat antecedere sumptionem eucharistiæ) verba illa Domini, Remittuntur tibi peccata tua: quia nihil horum significauit, aut significat gratiam habitualem, vt sanctificantem suscipientes, quod ostendimus esse de ratione sacramenti, etiamsi alia mysteria, vel gratiam, non tamen vt sanctificantem, significet. Quomodo à Patribus aliquando aqua benedicta dicitur sacramentum, generali significatione sacramenti & non propria, vt ab Alexandro de consecrat. dist. 3. cap. aquam, & lotio pedum dicitur mysterium à D. Ambros. lib. 3. de sacramentis, cap. 1. quia denotat sanctitatem baptismo prius effectam, & admonet, quanta requiratur puritas ad eucharistiæ susceptionem: vnde Dominus qui lotus est scilicet baptismo, vt ait, August. Epist. 108. non indiget, nisi vt pedes lauet, id est, amplius ab effectibus cõcupiscentiæ purgetur, quod efficit vsus deuotus boni viri in multis cæremoniis Ecclesiasticis. Eodem sensu dicitur sacramentum eadem ablutio, à Cypriano in Sermone de eadem ablutione. Significabat etiam dantis humilitatem, & non suscipientis, & si suscipientis, tamen ante vsum sacramenti, quod tamen ipso vsu, debet suscipientem sanctificare. Aqua verò benedicta significat, & efficit, vt quibusdam placet, ex opere operato remissionem venialium, & amotionem malignitatum spiritualium, sed non gratiam iustificantem, vt sanctificantem suscipientes, & ideo licet esset in vete. lege, non esset sacramentum, cum hæc sit ratio communis omnium sacramentorum vt suprà ostendimus: & instituta est vel ab Apostolis, vel ab Alexandro Primo, non à Deo, vt omnia sacramenta leg. vet. & nouæ. Idẽ dicendum est de omnibus sacramentalibus, quæ vel antecedunt, vel sequuntur solennem sacramenti susceptionem, quibus suscipientes præparantur, & assistentes etiam percipiunt dignitatem sacramenti, & ad eius deuotionem excitantur. Illa vero verba Domini [remittuntur tibi peccata] non habere materiam, neque occultam significationem gratiæ, qualis est sacramentalis: sed ex cõmuni vocum significatione, voluntatem & potentiam Christi expresserunt ad sanctificandum. Et cum sacramentum nouæ legis, sit cęremonia à Deo instituta in Dei cultum, consistens in coniunctione materiæ & formæ, constat illa verba non fuisse sacramẽtum, licet fuerint instrumentum Christi sanctificantis.

De effectu huius aquæ inf. q. 87. art. 8. Can. relect. de sacramẽtis p. 1. ad 6. Petr. Sot. cont. Brent. confes. de cõsec. aquæ, Alan. cop. Dialog. 1. c. 3.

Disputatio de ratione sacramenti contra hæreticos.

Luth. de capt. Bab. confessio Aug. Kemnit. Calu.

15 His explicatis de natura, numero, & comparatione sacramentorum, refutanda est definitio sacramenti, excogitata ab aduersariis, ad refellenda multa, quæ Ecclesia catholica de sacramentis docet. Quã uis igitur diuersis verbis, eodem tamen sensu sacramentum nouæ legis definiunt, ritum,

ritum, symbolum, signaculum aut sigillum externum, quo Deus obsignat remissionem peccatorum promissam his, qui in fide sacramentum suscipiunt: vt sit sacramentum, vt sigillum diplomati appensum, per quod firmatur fides, quam prius de verbo habemus. Itaque in omni sacramento debet esse expressum verbum promissionis de remissione peccatorum, cuius promissionis, sacramentum sit sigillum & signum externum, ipsa verò remissio non accipiatur ex vi sacramenti, sed ex vi fidei, quam illi affirmant per se iustificare, vel ante sacramentum vel in ipso sacramento: vt per sacramentum non applicetur, neque significetur gratia, sed promissionem offerri per sacramentũ, & vt fidem sic promissionẽ fide accipi, & intelligẽtia apprehendi. Et ideo nullam neque in nostris, neque in veteribus esse gratiæ significationem aut efficientiam, sed hanc pertinere ad fidem, qua apprehẽdimus verbum promissionis: ita vt fide accipiamus remissionem peccatorũ promissam, & sacramentum non significet aut efficiat gratiam vel remissionem illam, sed tantùm sit signum promissionis externũ, quo renouatur aut excitatur memoria, & firmatur fides quã prius ex verbo habuimus: vt sigillum appensum diplomati regio, de promissione diplomatis nos admonet, & eandem significat, non tamen rem, cuius est promissio diplomate expressa.

16 Sic ergo aduersarij, rationem sacramenti nouæ legis constituunt, in speciali verbo promissionis de remissione peccatorum, vt sacramentum sit nudum signaculum testificans apud conscientiam hominis, se iam ante fuisse filium Dei, aut nũc per solam fidem fieri: primum quidẽ asserit Caluinus, alterum Lutherus & Protestantes. Sed Caluini error & impietas maior, fingit enim promissionem illam non esse remissionis peccatorum, vel gratiæ cuiuscunque præsentis, sed generalis beneuolentiæ Dei remittentis peccata propter Christum, non quidem tempore suscepti sacramenti, sed ab æterno per diuinam electionem, & prædestinationem: & ideo remissionem illam promissam non applicari cuiquam in sacramento, sed ante sacramentum susceptum, per fidem aut suam, aut suæ familiæ, & applicari tantùm electis, qua ratione dicit sacramentum, sigillum aut appendicem certam electionis aut prædestinationis. Reprobis autem, siue infantibus siue adultis, neque in sacramentis, neque extra sacramenta vult remitti peccata: & idcirco audet Caluinus asserere, infantes decedentes cũ baptismo posse damnari, quòd sint reprobi, & sine baptismo posse saluari, quòd sint electi. Ex hac verò certitudine huius sigilli & appendicis, colligit errorem de præsumptione prædestinationis, & certitudine gratiæ iustificantis.

17 In hac definitione aduersariorum, quædam sunt communia, quædam propria huius aut illius, quæ singillatim refellenda sunt. Ex communibus quędã sunt aliena à doctrina sacramẽtorũ, quędã sunt propria illius. Aliena duo sunt, primũ iustificationẽ nos apprehẽdere sola fide, alterũ iustificationem esse peccatorum remissionem, sine interiori sanctificatione, innouatione & gratiæ formaliter iustificantis infusione. Contra hos errores, in doctrina de gratia disserendum est, & definitum est oppositum in Trident. Conc. Sess. 6. cap. 7. & 8. & can. 9. & 11. Pertinent verò ad hanc doctrinam de sacramentis, quæ omnes Protestantes asserunt, sacramentum esse signum promissionis specialiter factæ, de remissione peccatorum: & eam remissionem sacramẽtum neque significare, in ipso aut per ipsum efficiendam, sed tantùm testificari de promissione illa speciali. Tẽdunt autem omnia ista, ad extollendam fidem illam specialem iustificantem, quam fingunt, & eneruandam efficaciam sacramentorum nouę legis, & imminuendum numerum illum septenarium sacramentorum, quem supra euidenter ex verbo Dei collegimus. Faciunt enim sacramenta, signa promissionis, quam dicunt nobis applicari & apprehendi fide illa iustificante, sacramenta verò neque signa gratiæ censentur ab illis, sed illius promissionis: & tollunt multa sacramenta, vt ordinem, matrimonium, confirmationem, quia promissionem illam specialem non habent, quam tamen volunt esse de ratione sacramenti.

18 Nobis autem, antequam cominus cõgrediamur, ponendum est, verbum omne institutionis sacramentorum, continere quidem apertam significationem diuinæ volun-

voluntatis, de hominum sanctificatione: & quia hæc voluntas semper signo sacramentali ritè administrato, coniuncta est, implicitè quidem includit promissionem, non ex verbo alio speciali promittentis, sed ex ipso signo in talem finem sanctificationis hominum, instituto. Quoniam hæc institutio comprehendit duo, externi signi in certa re designationem, & collationem potestatis ministro ad applicandum signum illud institutum, in prescriptam significationem, & efficatiam in sacramentis nouæ legis. Vnde non est insuper necessaria verbalis illa & specialis promissio: cum ipsa signa diuinitus instituta, apertam Dei voluntatem ostendant, & idcircò rectè dicuntur, signa sacramentalia, verba quædam visibilia. Si quæ autē verba sunt ante vel post sacramentorum institutionem, quæ in futuro tempore promissionem implendam exprimant, ea potius effectum sacramenti declarant & virtutē, quàm nouam & specialem illam promissionem, sacramentis ipsis non implendam, sed potius fide illa iustificante apprehensam, & sacramentis vt signis externis obsignandam, vt aduersarij volunt. Sic accipienda sunt illa de baptismo, Marc. vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: de eucharistia iuxta quorundam & verā sententiam, illud Ioann. 6. Qui manducat meā carnem & bibit meū sanguinem, in me manet & ego in eo: de pœnitentia, Ioannis, 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. de vnctione, illud Iacob vlti. oratio fidei saluabit infirmū, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.

Argumenta cōtra Protestantes de ratione sacramenti.

19 His positis contra illam promissionem, quam dicunt esse de ratione sacramenti, argumentum illis firmum esse debet: quòd sacra scriptura, hoc verbum promissionis non refert ad propriam rationem sacramenti: & tamen illis verbum Dei, solùm est in scriptura: vt nouum igitur reiiciendum est. Secundò, eucharistia quę omnibus aduersariis est sacramentū, nō habet annexū verbum promissionis, cū omnes illi, Ioan. 6. cap. in quo videtur esse illa promissio de vnione cum Christo per hoc sacramentum efficienda, nolint intelligi de hoc sacramento. Tertiò, multa habēt illam promissionē adiunctam, quę tamen nullus in sacramētis numerauit, vt cōstat in eleemosyna Luc. 11. Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis: de iniurię remissione Luc. 6. Dimittite & dimittetur vobis: denique auditio verbi Dei, & alia multa habent illam promissionem, quæ nullus aduersarius fatebitur esse sacramenta: illa igitur promissio non est de ratione sacramenti. Hæc argumenta plurimum valere debent contra hos Protestantes, si sibi constare velint. Sed concludamus etiam ex dogmatis catholicis, quæ supra sunt à nobis ex verbo Dei expresso collecta. Sit igitur quartum argumentum. Si verbum illud promissionis specialis, esset de ratione sacramenti, illa tria non essent sacramenta, confirmatio, ordo, matrimonium, cum non habeant adiunctū hoc verbum promissionis: sed verbo Dei sunt in sacramentis numerata: nō est igitur illud verbū de ratione sacramēti. Quintò, illo verbo promissionis sacramentū neq; cōficitur, neq; cōfertur, cùm ante precesserit: ergo nō est illud verbum de ratione sacramēti: cū supra ostēderimus verbis cōfici sacramēta, quę sint à Deo instituta ad essentiā sacramēti. Sextò, hæc aduersariorū definitio tollit efficaciam, & significationē gratiæ de sacramentis, & illam tribuit fidei suę speciali, non igitur explicat rationē sacramenti: cùm supra ostenderimus, omne sacramentum, esse signū gratiæ sanctificantis, & sacramentū n. l. non solùm significare eandē, sed etiam efficere, vt statim apertius & latius ostēdetur. Quinetiā ne verbū quidem, tātum abest, vt promissorium, ad baptismum requiritur instituendum, quia ex sententia D. Aug. epi. 108. & Bedę in homil. de Epiphania, facto & nō verbis Dñs baptismum instituit: neque videtur baptismus niti illo verbo Ioan. 3. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, sed illo potius baptizantes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cū ex illo precepto, baptismus ad regenerationē administretur. Hęc dicta sint contra illud verbū promissionis, quod aduersarij fingunt esse de ratione sacramenti. Alterū deinde assertum ab his, nempe sacramentum esse sigillum testificans apud conscientiam, se esse Filium Dei, aut nunc fieri cùm suscipit sacramētum, refutandum est. Primò quidem, quia paruuli sacramēti nō essent capaces, cùm huiusmodi conscientiæ testimonium habere non possint. Quod enim quidam ex illis affirmant, esse internos quosdam

motus in paruulis, quibus excitantur interius ad excipienda dona Dei, per ſimiles iis quos legimus Baptiſtam habuiſſe in vtero matris, figmentum planè eſt, & anilis fabula. Secundò, ſi ſacramentum ſit fœderis & diuinarum promiſſionum ſigillum, erit certa & infallibilis gratia in recipientibus ſine exceptione indiſpoſitionis: fuerit ſemper homo iuſtus ante ſuſceptum ſacramentum, & in ipſa ſuſceptione neceſſe eſt habeat conſcientiam, intelligentiam, fidem, & memoriam promiſſionis; oportebit Deum cuique hominum venienti ad ſacramẽtum per verbum ſuum expreſsè promiſiſſe ſalutem & gratiam, ne ſit ſacramentum falſi obſignatio & conteſtatio: erit verbum Dei præterea minus clarum, quàm ſacramentum, cum hoc de illo nobis teſtificetur: denique oportebit ſacramentum dare fidem verbo Dei, cùm tamen conſtet homines accedere ad ſacramentum, quia credũt verbo Dei, de effectu ſacramenti quod recipiunt. Prætereà, licet hoc ipſum quod eſt obſignare Dei dona, ſit aliquid conferre, & eam vim aduerſarij ſacramentis concedant, tamen ſanctificationis & gratiæ nihil volunt per illa conferri, & ideo pro nouis ſacramentis vetera nobis exhibent vacua & egena, contra verbum Dei, vt ſuprà oſtendimus. ſic ait Caluinus baptiſmo nihil noui doni cæleſtis infanti donari à Deo, ſed ſanctificationem in vtero matris, ex vi prædeſtinationis factam, ſanciri & confirmari: quæ ratio ſacramentorum nouę legis, ſi vera eſt, ſequitur contra Caluinum & alios, nihil ſignificatum per euchariſtiam nobis exhiberi, vt illos ſentire ſuo loco de Euchariſtia docebimus. Concludamus igitur, ſi aliquid exhibent ſacramenta, vt de euchariſtia illi fatentur, perit Caluini doctrina de baptiſmo, & ſanctificatione infantum in vteris matrum, ſi nihil exhibent ſua vi & & energia, ſed exhibita alterius vi obſignant: perit doctrina illorum de euchariſtiæ efficacia: quare non poſſunt ſibi conſtare.

Hæretici non ſibi conſtant.

Sigillũ & ſignaculum apud veteres.

20 Fatemur quidem Theologos veteres vſos fuiſſe, ſigilli & ſignaculi nomine, in exprimenda ratione ſacramenti, ſed alio ſenſu atque aduerſarij. Sigilli enim duplex eſt vſus in literis humanis, vnus ad occultandum res ſecretas, ſacras & myſticas, quæ vulgo videri non debent: alter ad faciendam fidem rei cui apponitur, vt in diplomate regio: primo modo quædam ſacramenta veteres appellant ſigilla, altero modo aduerſarij omnia ſacramenta promiſsionis diuinæ de remiſsione peccatorum: quæ vides quam longè diuerſa ſint. Primus vſus eſt etiam in ſancta ſcriptura, Apocalyp. 5. ſignaculum, & ſigilla ſeptem ſignant librum. Tertul. de pœnitentia, lauacrum baptiſmi vocat fidei obſignationem. Baſilius lib. 3. contra Eunom. idem ſacramentum vocat fidei ſigillum. D. Auguſt. lib. 16. contra Fauſtum, cap. 11. ſacramenta viſibilia cuiuſque religionis, ſignacula vocat, & ab omnibus Theologis eodem ſenſu dicitur ſigillum confeſsionis. Dicuntur etiam à veteribus Theologis, quædam ſacramenta, ſigna, ſigilla, ſignacula, ſymbola, propter characterem nobis impreſſum, ex imitatione diui Pauli, Ephe. 4. cum ait, nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, in quem locum D. Hieron. Symbolum ait Spiritus ſancti in die baptiſmi accepiſtis: nouum ſignaculum habere cæpiſtis: ſic ſæpè D. Auguſt. diſputans contra Donatiſtas, de charactere ordinis, & baptiſmi.

Sigillum de ſacramẽtis catholicè.

21 Eodem ſenſu ſigilli, vt occludentis rem ſecretam, dicitur, Romano. 4. Circuncíſio ſignaculum iuſtitiæ, non autem promiſsionis aut pacti de remiſsione peccati, vt volunt aduerſarij, licet alia ratione dicatur ſignum fœderis initi cum populo Dei, Gen. 17. quia vt ait Orig. claudit & velat iuſtitiam fidei, donec in Aduentu Chriſti patefiat, quomodo verè iuſtificetur filius Abrahæ, qui eſt ex ſemine promiſsionis. Præterea non ſequitur circunciſionem fuiſſe omnibus, quod fuit Abrahæ, de quo loquitur D. Paulus, ſicut baptiſmus non fuit omnibus quod Chriſto: inquit autem Paulus fuiſſe circunciſionem ipſi Abrahæ ſignaculum iuſtitiæ fidei in præputio, & ideo non habuit in illo primarium & proprium vſum quem in cæteris: cùm ipſe prius fuerit iuſtificatus, vt inquit Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſt. cap. 24. contra autem fuit in Iſaac, quia in eo præceſſit ſignaculum, & ſecuta eſt fidei iuſtitia. Sic etiam cap. 3. eiuſdem lib. -u- cet, Cornelium prius iuſtificatu- , deinde

de baptizatum, cum tamen baptismus nõ semper inueniat, per se autem semper efficiat iustos.

Non igitur eo loco ostendit Paulus, quæ sit vis & ratio sacramenti circuncisionis in suscipientibus, sed causas explicat, cur ille primus accepit hoc sacramentum vt idem possit appellari, pater & fundator circuncisionis, sicut dicitur, pater credentium in præputio. Postremò, quis nõ videat manifestum paralogismum, cum id quod speciatim de vno sacramento dicitur, id asseritur omnium commune: oportuisset enim prius ostendere, id quod de illo dicitur, non esse illius proprium, sed omnium commune: nos autem ostendimus signaculum dici de circuncisione spirituali quadam ratione, non ergo debet transferri ad communem rationem sacramentorum, quod fecerunt aduersarij.

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu sacramentorum qui est gratia, in sex articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de effectu sacramentorum. Et primò de effectu eorum principali, qui est gratia. Secundò de effectu secundario, qui est character.*

Circa primum quęruntur sex.

Primò, vtrum sacramenta nouæ Legis sint causa gratiæ.

Secundò, vtrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

Tertiò, vtrum sacramenta contineant gratiam.

Quartò, vtrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quintò, vtrum talis virtus in sacramentis deriuetur à passione Christi.

Sextò, vtrum sacramenta veteris legis, gratiam causarent.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ.

AD primum sic proceditur, Videtur, quòd sacramenta non sint causa gratiæ. Non enim idem videtur esse signum & causa, eo quòd ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signum gratiæ. Non igitur est causa eius. *Inf. ar. 6. & q. 64. art 1. Et 3 di. 40. art. 3. & 4. dist. 1. q. 1. & ar. 4. q. 1. & ar. 5. q. 1. & 4. cont. ca. 57. & 74 prin. & col. 2. in princ. & veri q. 27. ar. 4. & quol. 12. ar. 15.*

¶ 2. Præterea, Nullum corporale agere potest in rem spiritualem, eo quod agens honorabilius est patiente, vt August. * dicit 12. super Genes. ad literam. Sed subiectum gratiæ est mens hominis, quę est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare. ** Lib. 12. c. 16. in me. to. 3.*

3. Præterea, Illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed causare gratiã, est proprium Dei, secundum illud Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis & rebus creatis, non videtur, quòd possint gratiam causare.

SED CONTRA est, quod † August. dicit supra Ioan. quòd aqua baptismalis corpus tangit, & cor abluit. Sed cor non abluitur nisi per gratiam. Ergo causat gratiam, & pari ratione alia Ecclesiæ sacramenta. *† Tract. 80. à med. to. 9.*

RESPONDEO dicẽdum, quòd necesse est dicere sacramenta nouæ Legis, per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim quòd per sacramenta nouæ Legis, homo Christo incorporatur: sicut de baptismo dicit Apostolus ad Galat. 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.

duistis: non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, sed quia Deus sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum accipit centum libras ex Regis ordinatione, non quòd denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecunię quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis. Vnde & † Bernardus dicit in quodam sermone de Cœna Domini, sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ, sunt traditę sacramentis.

Bernardus in ser. de cœna, an te med. illius.

Sed si quis rectè consideret iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus, non est nisi quoddam signnm regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur, sacramenta nouæ legis nihil plus essent, quàm signa gratiæ: cùm tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta nouæ Legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens principalis & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus: sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus: quia gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundum illud secundæ Pet. primo, Magna nobis & prętiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suę formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta nouæ Legis gratiam causant. Adhibentur enim, ex diuina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Vnde † August. dicit, 19. contra Faustum. Hęc omnia, scilicet sacramentalia, fiunt & transeunt: virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem propriè dicitur instrumētum, per quod aliquis operatur. Vnde & Tit. 3. dicitur: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Ca. 19. in prin to. 6.

Ad primum ergo dicendum, quòd causa principalis non propriè potest dici signum effectus, licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis & manifesta. Sed causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti: eo quòd non solùm est causa, sed etiam quodammodo effectus, inquantū mouetur à principali agente. Et secundum hoc, sacramenta nouæ Legis, simul sunt causæ & signa: & inde est quòd sicut communiter dicitur, efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet, quòd habent perfectè rationem sacramenti, inquantum ordinantur ad aliquid sacrum non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.

Ad secvndvm dicendũ, quòd instrumẽtum habet duas actiones. Vnam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autẽ habet actionẽ propriam, quę competit sibi secundum propriam formam, sicut securi cõpetit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantũ est instrumentum artis. Non autẽ perficit instrumẽtalem actionem, nisi exercẽdo actionem propriam: scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus: quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam: sicut aqua baptismi abluẽdo corpus secundum propriam virtutem: abluit animam, inquantum est instrumentum virtutis diuinæ, nam ex anima & corpore vnum fit. Et hoc est quod† Augu. dicit, quod corpus tangit, & cor abluit.

Loco citato in arg. sed cõtra.

Ad tertivm dicendum, quod ratio illa procedit de eo quod est causa gratię per modũ principalis agẽtis. Hoc enim est propriũ Dei, vt dictũ est.*

In cor. ar.

ARTICVLVS II.

Vtrũ gratia sacramentalis aliquid addat super gratiã virtutum & donorum.

Inf. q. 72. art. 7. ad secundũ. Et 4. di. 7. q. 2 art. 2. q. 3. & dis. 17. q. 1. ar. 4. q. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod gratia sacramẽtalis nõ addat aliquid super gratiã virtutũ & donorũ. Per gratiam enim virtutũ & donorũ perficitur anima sufficienter, & quantũ ad essentiam animæ & quantũ ad potẽtias eius, vt patet ex his quę in * Secunda parte dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animę perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

**1. 2. q. 110. art. 3. & 4.*

¶ 2. preterea, Defectus animę ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficiẽter excludũtur per gratiã virtutũ & donorũ: quia nullũ est peccatũ, quod non cõtrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramẽtalis, cũ ordinetur ad defectus animę tollẽdos, nõ potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorũ.

¶ 3. preterea, Omnis additio vel subtractio in formis, variat speciẽ: vt dicitur 8.† Metaphy. Si ergo gr̃a sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum & donorum, sequitur, quod æquiuocè dicatur gratia. Et sic nihil certum nobis ostenditur, ex hoc, quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Lib. 8 tex. 10. to. 3.

Sed contra est, quod si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiã donorum & virtutũ, frustrà sacramenta habentibus, & dona & virtutes conferrẽtur. In operibus autem Dei nihil est frustrà. Ergo videtur, quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

Respondeo dicẽdum, quòd (sicut in secũda parte dictum est†) gratia secundum se cõsiderata, perficit essentiam animæ, inquantum participat quãdam similitudinem diuini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdã speciales effectus necessarios in vita Christiana, sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualẽ regenerationem, qua homo mo-

1. 2. q. 110. art. 3. & 4.

mo moritur vitiis, & fit membrum Christi, qui quidē effectus est aliquid speciale pręter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramētis. Sicut igitur virtutes & dona addunt super gratiā communiter dictam, quādam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorū.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia virtutum & donorum sufficienter perficit essentiam & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantū ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur sacramentalis gratia.

Ad secundum dicendū, quod per virtutes & dona excluduntur, sufficienter vitia & peccata, quantum ad præsens & futurum, inquātum, scilicet, impeditur homo per virtutes, & dona à peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quæ transeunt actu, & permanent reatu, adhibetur homini remediū specialiter per sacramenta.

Ad tertium dicēdum, quod ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Vnde sicut non æquiuoce dicitur animal communiter dictum, & pro homine sumptum, ita non æquiuocè dicitur gratia communiter sumpta, & gratia sacramentalis.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacramenta nouæ legis contineant gratiam.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramēta nouę Legis non contineant gratiā: contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sacramēto, neque sicut in subiecto, (quia subiectum gratię non est corpus, sed spiritus) neq; sicut in vase, quia vas est locus mobilis, vt diciur in 4. † Physic. Esse autem in loco, non conuenit accidenti. Ergo videtur, quod sacramenta nouæ legis non contineant gratiam. *4. di. 2. ar. 4. q. 4. Et ver. q. 27. artic. 7.* *Lib. 4. tex. 41 tom. 2.*

¶ 2. Præterea, Sacramenta ordinātur ad hoc, quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia cū sit accidēs, nō potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

¶ 3. Præterea, Spirituale non continetur à corporali, etiam si in eo sit, non enim anima continetur à corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia, cū sit quiddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

Sed contra est, quod * Hugo de sancto Victore dicit, quòd sacramentum ex sanctificatione inuisibilem gratiam continet. *Lib. de sacram. p. 19. c. 1.*

Respondeo dicendum, quòd multipliciter aliquid dicitur esse in alio, inter quos duplici modo gratia est in sacramētis. Vno modo sicut in signo, nā sacramentū est signū gratię. Alio modo sicut in causa, nā sicut dictū est, † Sacramentū nouę legis est instrumentalis gratiæ causa. Vnde gratia est in sacramento nouæ legis, non quidem secundū similitudinē speciei, sicut *art. præc.*

effectus

effectus est in causa vniuoca, neque etiam secundum aliquam formam propriam & permanentem & proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non vniuocis, puta, res generatæ in sole. Sed secundum quandam instrumẽtalem virtutem, quæ est fluens & incompleta in esse naturæ, vt infrà dicetur.†

Artic seq.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd quãuis accidens non transeat à subiecto in subiectum, transit tamen à causa per instrumentũ aliqualiter in subiectũ, non vt eodem modo sit in eis, sed in vnoquoque secundum propriam rationem.

AD TERTIVM dicẽdum, quòd spirituale existens perfectè in aliquo, continet ipsum, & nõ continetur ab eo. Sed gratia est in sacramẽto secundum esse fluens & incompletum. Et ideo nõ inconueniẽter sacramentum dicitur continere gratiam.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum in sacramentis sit aliqua virtus, gratiæ causatiua.

In f. q. 78. ar. 4. & 4. dist. 1. q. 1. ar. 4. q. 2. & di. 8. q. 2. art. 3. Et quo. ... art. 15.

AD quartum sic proceditur, Videtur quod in sacramẽtis non sit aliqua virtus, gratię causatiua. Virtus enim gratiæ causatiua, est virtus spiritualis. Sed in corpore nõ potest esse virtus spiritualis, neque ita, quod sit propria ei (quia virtus fluit ab essentia rei & ita nõ potest eam trãscendere) neque ita, quod recipiat eã ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modũ recipientis. Ergo in sacramentis non potest esse aliqua virtus gratiæ causatiua.

¶ 2. Pręterea, Omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis, & ad aliquẽ gradũ boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus (vt patet discurrẽti per singula) nec etiam potest reduci ad aliquẽ gradũ bonorum, neq; enim est inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis: neque etiã inter media bona cuiusmodi sunt potentiæ animę, quę sunt quędã potentię naturales: neque etiam inter maxima bona quia nec est gratia nec virtus mentis. Ergo videtur, quòd in sacramẽtis nulla sit virtus, gratię causatiua.

¶ 3. pręterea, Si talis virtus est in sacramẽtis, non causatur in eis, nisi per creationem à Deo. Sed inconueniẽs videtur, quod tã nobilis creatura, statim esse desinat, sacramẽto perfecto. Ergo videtur, quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

¶ 4. Pręterea. Idẽ non potest esse in diuersis. Sed ad sacramenta concurrunt diuersa, scilicet, verba, & res. Vnius autẽ sacramenti non potest esse nisi virtus vna. Ergo videtur ꝙ in sacramẽtis nulla sit virtus.

SED CONTRA est, quòd † Aug. dicit super Ioã. Vnde tãta vis aquæ vt corpus tangat, & cor abluat? Et Beda* dicit, quod Dominus tactu suę mundissimę carnis vim regeneratiuam contulit aquis.

† Aug. tracta. 80. in Ioã. post med. to. 9.

** In hom. Euã. quod canitur in oct. Epiph. id habetur. In homiliario totius anni inuenies.*

RESPONDEO dicendum, quòd illi, qui ponunt quod sacramẽta nõ causant gratiam nisi per quandam con-

concomitantiam, ponunt quod in sacramēto nō sit aliqua virtus, quę operetur ad sacramēti effectū, est tamen virtus diuina sacramento assistens, quæ sacramentalem effectū operatur. Sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramēto sit quędam virtus instrumentalis, ad inducendum sacramētalem effectū. Et hęc quidem virtus proportionatur instrumento. Vnde comparatur ad virtutem absolutā & perfectam alicuius rei, sicut comparatur instrumētum ad agens principale. Instrumētum enim (vt dictum est*) non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens & completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiēs ex vno in aliud, & incompletum: sicut & motus est actus imperfectus, ab agente in patiens.

Art. 1. huius quæst.

Ad primvm ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutē spiritualem instrumentaliter, inquantū scilicet corpus potest moueri ab aliqua substantia spirituali, ad aliquem effectum spiritualē inducendum. Sicut & in ipsa voce sensibili est quędam vis spiritualis ad excitandum intellectū hominis, inquātum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, inquantum ordinātur à Deo ad effectum spiritualē.

Ad secvndvm dicendum, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non propriè est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem) ita virtus instrumentalis non est, propriè loquēdo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus & speciem virtutis perfectæ.

Ad tertivm dicēdum, quod sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso, quod mouetur ab agente principali: ita & sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum sacramenti. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania: Nec mirum quod aquam, hoc est, substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire, peruenit planè & penetrat conscientiæ vniuersa latibula: quāuis enim ipsa sit subtilis & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ad secreta mentis subtili rore pertransit.

Ad qvartvm dicendū, quòd sicut eadem vis principalis agētis, instrumētaliter inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum; ita etiā eadem vis sacramentalis inuenitur in verbis & rebus, prout ex verbis & rebus perficitur vnum sacramentum.

ARTICVLVS V.

Vtrum sacramenta nouæ Legis habeant virtutem ex passione Christi.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod sacramenta nouæ Legis non habeant virtutem ex passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandam in anima, per quam spiritualiter viuit. Sed sicut † August. dicit

Inf q. 64. art. 2. & 4. dist. 1. q. 1. art 4. q. 3 & dist. 5. q. 2. art. 2. q. 1.

† Tract. 19. à medio & 23. ante mediū. tom 9.

dicit super Ioan. Verbũ prout erat in principio apud Deum, viuificat animas, secundùm autem quod est caro factum, viuificat corpora. Cũ igitur passio Christi pertineat ad verbum, secundum quod est caro factum; videtur, quòd non possit causare virtutem sacramentorum.

¶ 2. Præterea, Virtus sacramentorum videtur ex fide dependere, quia sicut dicit * Aug. super Ioan. Verbum Dei perficit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed fides nostra non solùm respicit passionem Christi, sed etiã alia mysteria humanitatis ipsius, & principalius etiam diuinitatẽ eius. Ergo videtur, quod sacramẽta non habeant specialiter virtutem à passione Christi.

Tracta. 80. in Euang. Ioan. post med. to. 9.

¶ 3. Pręterea, Sacramenta ordinantur ad hominum iustificationẽ, secundum illud 1. Corin. 6. Abluti estis, & iustificati estis. Sed iustificatio attribuitur resurrectioni, secundũ illud Rom. 4. resurrexit propter iustificationẽ nostram. Ergo videtur, quod sacramẽta magis habeant virtutẽ à resurrectione Christi, quàm ab eius passione.

SED CONTRA est, quod super illud Rom. 5. In similitudinem prævaricationis Adæ, * &c. dicit glos. ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta, per quæ saluata est Ecclesia. Sic ergo sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi.

...ord. super illud: Qui est factus forma futuri sæculi.

RESPONDEO dicẽdum, quod (sicut dictũ est*) sacramẽtum operatur ad gratiam causandam per modũ instrumẽti. Est autẽ duplex instrumentũ, vnum quidem separatũ, vt baculus: aliud autem coniunctũ, vt manus. Per instrumẽtum autẽ coniunctũ mouetur instrumentũ separatũ, sicut baculus per manũ. Principalis autẽ causa efficiens gratię, est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentũ coniunctum, sacramentũ autem sicut instrumentũ separatum: & ideo oportet, quod virtus salutifera, à diuinitate Christi, per eius humanitatẽ, in ipsa sacramẽta deriuetur. Gratia autẽ sacramentalis ad duo præcipuè ordinari videtur, videlicet ad tollẽdos defectus pręteritorũ peccatorum, inquantũ trãseunt actu, & remanent reatu, & iterũ ad perficiendã animam in his quę pertinent ad cultũ Dei, secundũ religionẽ vitæ Christianæ. Manifestũ est autem ex his quæ suprà dicta sunt, * quòd Christus liberauit nos à peccatis nostris, pręcipuè per suam passionem, non solum efficienter & meritoriè, sed etiam satisfactoriè. Similiter etiam per suam passionem initiauit ritum Christianę religionis, offerẽs seipsum oblationẽ & hostiã Deo, vt dicitur Eph. 5. Vnde manifestum est quod sacramenta Ecclesiæ, specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodãmodo nobis copulatur per susceptionẽ sacramentorum. In cuius signũ de latere Christi pendẽtis in cruce, fluxerunt aqua & sanguis, quorũ vnũ pertinet ad baptismũ, aliud ad Eucharistiam, quę sunt potissima sacramenta.

Ar. 1. huius q.

q. 48. & 49.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod verbũ prout erat in principio apud Deum viuificat animas, sicut agẽs principale, caro tamẽ eius & mysteria in ea perpetrata, operãtur instrumẽtaliter ad animæ vitã. Ad vitam autem corporis non solùm

instrumentaliter, sed etiam per quandam exemplaritatem, vt supra dictum est.* (q.56.art.1.)

Ad secundum dicendū, quòd per fidem Christus habitat in nobis (vt dicitur Ephe.3.) & ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiua peccatorum, speciali quodā modo pertinet ad passionem ipsius Christi: & ideo per fidē passionis eius, specialiter homines liberantur à peccatis, secundum illud Rom.3. Quē proposuit Deus propitiatorē per fidē in sanguine ipsius. Et ideo virtus sacramentorum, quę ordinatur ad tollenda peccata, pręcipuè est ex fide passionis Christi.

Ad tertium dicēdum, quod iustificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem, qui est nouitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini à quo, scilicet quantum ad dimissionem culpæ. ([illegible])

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sacramenta veteris legis gratiam causarunt.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod etiā sacramenta veteris legis, gratiā causarūt. Quia (sicut dictū est*) sacramēta nouæ legis habēt efficaciam ex fide passionis Christi: sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut & in noua, habemus enim eundem Spiritum fidei, vt habetur 2. ad Corint.4. Sicut ergo sacramēta nouæ legis conferunt gratiā, ita etiā sacramenta veteris legis gratiam conferebant. (1.2.q.103.ar.2. & q.107.art.1.ad 3. & 4.di.1.q.1.ar.5.q.1. *Art.præc.)

¶2. Præterea, Sanctificatio nō fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis, homines sanctificabantur, dicitur enim Leuitici.8. Cumq; sanctificasset Moyses Aaron & filios eius in vestitu suo, &c. Ergo videtur quod sacramēta veteris legis gratiam conferebant.

¶3. Præterea, Sicut Beda* dicit in homilia Circuncisionis: Idem salutiferæ curationis auxilium, circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatę tempore gratiæ consueuit. Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circuncisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia: quia sicut baptismus est ianua sacramentorum nouæ legis, ita & circūcisio erat ianua sacramentorum veteris legis. Propter quod & Apost. dicit Galat.5. Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. (*Inter principiū & medium illius. In homiliario totius anni eam inuenies.*)

Sed contra est, quod Gala.4. dicitur: Conuertimini iterum ad infirma & egena elementa. Glos.* idest, ad legē, quæ dicitur infirma, quia perfectè non iustificat. Sed gratia perfectè iustificat. Ergo sacramenta veteris legis gratiam non conferebant. (*Glos. ordinaria ibid.*)

Respondeo dicēdum, quòd non potest dici, quod sacramenta veteris legis conferrent gratiam iustificantem per seipsa, idest, propria virtute: quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundū illud Galat.2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est. Sed nec potest dici, quod ex passione Christi virtutē haberent conferendi gratiā iustificādi. Sicut enim ex prędictis patet,* virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem & sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quę est per fidē, fit per actum animæ: continuatio, (*art. præced.*)

autem

autem quæ est per sacramenta, fit per vsum exteriorũ rerũ. Nihil autẽ prohibet id quod est posteri⁹ tẽpore, antequam sit, mouere secundum quod præcedit in actu animę, sicut finis qui est posterior tempore, mouet agentem, secundum quod est apprehensus & desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura, non mouet secundum vsum exteriorum rerum. Vnde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quòd à passione Christi, quæ est causa humanæ iustificationis conuenienter deriuatur virtus iustificatiua ad sacramẽta nouæ legis, non autem ad sacramenta veteris legis, & tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Sacramenta autem veteris legis, erant quędam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi & effectus eius. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis, nõ habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solùm significabant fidem per quam iustificabantur.

Ad primvm ergo dicendum, quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quę secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat iustificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest iustificare etiam secundum realẽ vsum sacramentalium rerum, vt dictum est.† In cor. art.

Ad secvndvm dicendũ, quod illa sanctificatio erat figuralis, per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino secundum ritũ veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

Ad tertivm dicendum, quod de circũcisione multiplex fuit opinio, quidam enim dixerunt quod per circuncisionem non cõferebatur gratia, sed solũ auferebatur peccatum. Sed hoc nõ potest esse, quia homo nõ iustificatur à peccato, nisi per gratiã, secundũ illud Rom. 3 Iustificati gratis per gratiã ipsius. Et ideo alij dixerunt, quod per circuncisionem conferebatur gratia, quantũ ad effectus remotiuos culpę, sed nõ quàntũ ad effectus positiuos gratię. Sed hoc etiã videtur esse falsum, quia per circuncisionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam, quę est vltimus effectus positiuus gratię. Et prętera, secundũ ordinẽ causę formalis, priores sunt naturaliter effectus positiui, quã priuatiui, licet secundũ ordinẽ causæ materialis, sit è conuerso, forma enim non excludit priuationem, nisi informãdo subiectum. Et ideo alij dicunt, quod circuncisio conferebat gratiam, etiam quãtum ad aliquẽ effectum positiuũ, qui est facere dignũ vita ęterna, nõ tamẽ quantũ ad hoc quod est reprimere concupiscentiã impellentẽ ad peccandum. Quod & aliquando mihi visum est, sed diligentius considerãti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitã æternã. Et ideo melius dicẽdum videtur, quòd circuncisio sicut & alia sacramẽta veteris legis, erat solùm signum fidei iustificãtis. Vnde Apost. dicit Ro. 4. quod Abrahã accepit signũ

circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei Et ideo in circũcisione conferebatur gratia, inquantum erat signum passionis Christi futuræ, vt infra patebit.

q. 70. art. 4.

Sententiæ & conclusiones. quæst.

PRima conclusio: *Ex art. 1. 3. 4. & 6. Sacramenta noua, sunt instrumenta gratiæ sanctificantis: non autem vetera. ratio primi: quia ipso motu actionis sacramẽtalis, gratiam inducũt. Ratio secundi: quia Christi passio communicat sacramentis hanc vim instrumentariam, & ideo nouis tantum non veteribus, ex art. 5.*

Secunda: *Gratia sacramentalis est quæ formaliter sanctificans, habet coniunctum diuinum auxilium, ad propriũ sacramenti effectum: quia sacramenti cuiusque est proprius effectus, ad vitam spiritualem.*

COMMENTARIVS.

De sacramẽtis nouæ legis.

1 DIsseruimus de generali sacramẽtorum definitione, necessitate, numero, comparatione, causis instituentibus, & ministris generaliter, refutatis opinionibus aduersariorum & Protestãtium: deinceps de sacramentis nouę legis speciatim differendum est: primũ quidem de omnibus in genere, deinde de singulis in specie.

2 Sacramentum igitur nouę legis est signum efficax gratię sanctificantis. Signum quidem esse gratię sanctificantis, commune est sacramentis nouis cum veteribus, cum hoc sit idem, atque signum esse rei sacrę, quę fuit generalis sacramenti definitio, principio huius doctrinę proposita. Differẽtia autem essentialis sacramentorũ nouę legis, qua distinguntur à veteribus, est efficacia gratię: de qua efficacia, est hęc sentẽtia catholica, recepta semper ab omnibus Patribus & Theologis. Sacramenta n. l. gratiã quam significant, efficiunt & cõtinent instrumentaliter ex opere operato.

Ad art. 1. 3. & 4.

Sensus illius est, Deus principalis & prima gratię sanctificantis causa, vtitur humanitate Christi Domini, vt instrumento coniuncto, ad eam infundendam animis nostris, sacramentis autẽ à se institutis, vt instrumẽtis separatis ad eiusdẽ gratię infusionem: & cũ ratio instrumenti posita sit in motu passiuo, quẽ instrumentum recipit à principali agente, & quo, exercendo propriam actionem, euehitur ad attingendam actionem & effectum principalis agẽtis, & defert ipsius vim & efficacitatem, vt ostendimus sup. q. 8. art. 4. sacramentum non dicitur continere gratiam, secundum similitudinem speciei, vt causa vniuoca, neque secundum formam excellentiorem ad agẽdum, vt causa ęquiuoca, neque stabiliter & permanenter, vt formam sibi inhęrentem, quam immittat in subiectũ recipiens sacramentũ, neq; sicut locus aut vas continet corpus, sed virtute instrumẽtali, quã habet cum mouetur à principali agẽte, vt omnis effectus dicitur esse in virtute & vi suę causę. Vt igitur Christus humanitate sibi cõiuncta, & instrumẽtis separatis, vsus est, ad quasuis qualitates siue corporales siue spirituales inducendas, sic modò sacramentis vtitur ad infundendã gratiam sanctificantem. Tactu fimbrię vt instrumenti separati, exiuit virtus de corpore Christi vt instrumento coniuncto, & de diuinitate vt principali causa, ad sanandã hemorrousam. Luc. 8. Tactu sui corporis filium vnicũ matri suę resuscitauit, Luc. 7. Manu imposita filię principis synagogę, & verbo, ad vitã eã reuocauit, Matth. 9. luto & lotione, cęco restituit visum. Ioã. 9. Verbo operatorio remisit pœnam peccati mulieri adulterę. Ioan. 8. & Paralytico eodem instrumento remisit peccatũ. Organo vocis & flatus, dedit Apostolis Spiritum sanctũ. Ioan. vlt.

De ratione instrumenti supr. q. 13. in disputatione de miraculis.

Humanitas Christi, instrumentum verbi diuini coniunctum.

3 Itaque quod nulla creatura vel perseipsam, vel mota ab alia potest efficere, nẽpè supranaturalem effectum, & multo minus spiritualem, & omnium maximũ gratiam iustificantem: id mota à Deo efficere potest. Imò verò sæpè vtitur Deus ad huiusmodi effectus, his rebus, quę minimè aptę sunt secũdum suam naturam, illis effectibus inducendis, & plerunque contrariis, vt vis illius euidentius demonstretur. Sic aqua lepram mundauit, luto dedit visum: in sacramentis verò similitudinẽ quidẽ voluit esse in rebus & materia, cum

Hugo de S. Victo. lib. 1. p. 9. cap. 3.

cum effectibus quos efficiunt quamuis ex se nullam haberent efficaciam, & ea tota deriuetur à Deo per humanitatem assumptam. verbi gratia, ablutio baptismi per aquam, dum actionē naturalem abluēdi corpus peragit, vt est instituta, mota & applicata à Deo, fit verè instrumentalis causa gratię & remissionis peccatorum. Sic omnes sancti consentientes, hanc sacramentorum nouæ legis efficaciam explicant. D. August. Tractat. 80. in Ioann. eam aquę vim esse ait, vt corpus tangat, & cor abluat. lib. 19. contra Faustum. cap. 11. sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & cap. 17. eiusdem lib. inquit, aqua & omnis illa actio corporalis, quæ agitur tum cum baptizamus, fit & transit: virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet, & donum spirituale æternum est. Eandem vim Chrysosto. & Beda agnoscunt in tertium cap. Lucæ docentes, eam virtutem ex Christi carne baptismum consecutum esse, vt eius aqua Christo pariat animas. Gregor. de consecrat, dist. 4. cap. per aquam, illa aqua sanat animam, quę habet gratiam Christi. D. Ambros. lib 2. de Pœniten. cap. 2. Cyrillus elegantissimè lib. 2. in Ioan. cap. 42. quemadmodum viribus, inquit, ignis, intensius aqua calefacta, non aliter vrit quàm ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam. Dominus etiam Ioan. 3. vtranque causam complectitur, cum inquit, illud totum vnde renasci nos oportet esse aquam & spiritum, Paulus etiam, Ephes. 5. Coniungit Christum, lauacrum aquæ, & verbum vitę, ad emundationem Ecclesiæ. Ex cuius imitatione D. August. Tractat. 80. in Ioann. totum sacramentum appellat, aquam, verbum, & quod creditur, idest secundum legitimum sensum formæ, quem recta fides docet, vel secundum virtutem Dei, quæ fide tantum percipitur. His enim omnibus coniunctis, vnus & idem effectus ab omnibus simul perficitur, vt in naturalibus sol & homo hominem generat.

Sacramenta instrumenta gratiæ separata.

4 Constet igitur, ipsam rei sensibilis sacramenti naturā, quatenus eleuatur à Deo supra naturę terminos, ad diuinum effectum gratiæ sanctificantis, esse & dici virtutem sacramenti, non quidem qualitatem corporalem, quę nihil ad hunc effectum prodesset, neque spiritualem, quæ nulla illis imprimitur, sed ipsum tantùm moueri, & applicari à Christo, ad talem gratiæ effectum. Idem intelligendum est de aliis instrumentis, assumptis à Deo ad miracula efficienda, de reliquiis sanctorum, vestibus, quibus plerunque mira quędam Deus operatur. Horum enim natura, vt mota à Deo, fit instrumentum supernaturalis effectus, & non per aliquam virtutem inhærentem, operatiuam aut medicā, ad sanitatē efficiendā, supernaturaliter, & miraculosè. Sed excipere oportet sacrē Eucharistiam, in qua realiter existens corpus Christi, habet inhærentē vim viuificatiuam, per immanentem spiritum, de qua virtute, est illud Ioā. 6. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquā. Vnde, cum hoc sacramentum actu non sanctificat, quia non sumitur, habet tamen vim operandi & sanctificandi, cum cetera non habeant, nisi ipso vsu & applicatione.

Virtus sacramēti effectiua gratiæ, non est inhærens aut permanens nisi in Eucharistia.

In sacramento est gratia instrumentaliter, idest, in motu passiuo vt instrumenti.

5 Explicauimus quid sit gratiam efficere & continere instrumentaliter, quid autem sit ex opere operato, nunc explicandum est. Hoc igitur verbum [opus operatum] licet ignotum veteribus Patribus, licet barbarum, nec Grammaticæ congruens, cum passiuè sumatur, vsurpatum est ab hinc quadringentis prope annis ab Innocentio Tertio, lib. 3. de mysterio Missę, & quia habet apertum sensum in sancta scriptura & Patribus, deinceps ab omnibus Theologis & Concil. Trident. vsurpatum est. Habet autem hūc sensum, quod efficacia sacramenti nouę legis, non pendet ex fide, deuotione aut merito suscipientis aut conferentis sacramentum, tanquam cooperantibus instrumentaliter ad inducendam gratiam, sed ex ipsa institutione & motione Dei: vt ipsum opus effectum à ministro in re sensibili, vt ablutio in aqua, sit tantùm efficax gratiæ instrumentum, quatenus mouetur à principali agente, atque ita idē est ex opere operato, atq; ex vi & efficacia actionis sacramentalis. Quamuis autem nihil suscipientis aut conferentis ministri, ad hāc efficaciā sacramēti propriā (cum alia sit ministri propria) instrumentaliter concurrat, nō tamen hæc vis operis operati, excludit dispositionem necessariam suscipiētis, imò verò

Ex opere operato, excludit bonitatem operantis, non tamen dispositionem necessariā suscipientis.

Sess. 7. Can. 8. de sac. in genere.

verò requirit in adultis. Distinguitur igitur hæc sacramentorum efficacia, ab humanis operibus, quæ valorem consequuntur ex hominis deuotione, vt ieiuniū, eleemosyna. Dispositiones autem illas requiri testatur scriptura. Fidē, Marc. vltimo, & Acto. 8. Pœnitentiam, Act. 2. inuocationē nominis Domini, Act. 22. examen consciētiæ, 1. Cor. 11. & sic de aliis. Has verò dicimus causas disponentes, passiuas & materiales, ad effectum sacramenti recipiendum, non tamen meritorias aut effectiuas, quæ suo concursu vim, efficaciam & valorem ipsi sacramento tribuant. In hominem autem sic affectum & dispositum, & non efficacia dispositionum, sacramentum inducit suum effectum. Olim quidē fides sacramentis protestata perfecta, ante Euangelium iustificabat, nunc autem sacramēta applicant efficaciā passionis Christi ex se vt instrumenta & non cooperāte fide, sed disponente. Quod si fides perfecta iustificat sine sacramento re ipsa suscepto, non tamen sine voto sacramenti: Sacramento autem operante, non concurrit fides suscipientis, vt cooperans sacramēto sed tantū vt dispositio ad effectū sacramēti. Sic D. Aug. lib. 4. cōtra Cresco. c. 16. docet, non eorū meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, cōstare baptismum, sed propria veritate atque sanctitate, propter eum à quo institutus est: & valde significanter, lib. 4. contra Donatist. cap. 24. dicens, sacramentum ipsum perseipsum in paruulis valere plurimum. & lib. 1. de peccat. mer. & remis. totum hoc inquit fit in paruulis, vi sacramenti & diuinæ gratiæ, hoc est, quod nos dicimus, ex opere operato.

Dispositiones suscipientis sacramentum.

6 Ex hac sententię propositæ explicatione constat, nullam nos efficientiam detrahere, de meritis & satisfactione atque institutione Christi (quod nobis aduersarij obiiciunt) cum tribuimus sacramentis efficientiam ex opere operato: cum hoc totum sit causæ instrumentalis, cui proinde nos præponimus causam efficientem principalem, & ministerialem coniunctam humanitatis Christi: & effectus sacramenti non respondet instrumento, sed principali agenti, à quo est instrumenti virtus, cū proponat agens principale producere effectum similem exemplari, quod in mente defixit, vt constat in omni artifice vtenti instrumentis: & idcirco per gratiam Deo dicitur homo persimilis, iuxta illud 2. Petri, 1. vt efficiamur diuinæ naturę consortes.

7 Explicata sententia singilatim à nobis confirmanda est, & primùm quidem sacramenta nouæ legis esse causam gratiæ sanctificantis, sic ex sancta scriptura cōcludamus. Ad Roma. 6. & ad Galat. 3. testatur Paulus baptismo nobis applicari Christum, & mortem eius, & ad Coloss. 2. Cōsepeliri Christo in baptismo, nos induere Christum: vnde euidenter concluditur. Induere Christum, incorporari Christo, participem esse mortis, sepulturæ, & resurrectionis est summa gratia: sed hoc efficitur sacramento baptismi: sacramentum igitur confert gratiam: sed hoc effici ex suo opere instrumentaliter Petrus expressit Act. 2. dicens: Baptizetur vnusquisque vestrum, in remissionē peccatorum. Ecce remissio peccatorū, quę nō est sine gratia, ipsius sacramenti effectus est, quòd verò ipsa actio exterior sacramētalis, vt ablutio aquæ in baptismo, id operetur, explicat Ananias Paulo Act. 22. cum ait, baptizare & ablue peccata tua. Et ad Ephes. 5. idem exprimit Paulus, mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ: explicat enim actionem, instrumētum & effectum. Causa etiam instrumentalis particula [per] declaratur ad Tit. 3. cum inquit, secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis. Sic & Petrus 1. Pet. 3. Octo animę saluæ factæ sunt in arca per aquam, & quod nos nunc similis formæ saluos facit baptisma. Quod si regeneratio, renouatio, salus & ablutio peccatorum, à gratia proueniunt, & illa omnia à baptismo, dubitari non potest sacramentum esse causam gratię. Cū autem principalis causę nō possint esse sacramenta ipsius gratiæ, vt constat, reliquum est sane, vt sint instrumēta gratiæ: & idcirco in omnibus in his ferè locis, ad eundem effectū coniungitur sacramentum cum principali agēte, sicuti Dn̄s Ioann. 3. regenerationē attribuit aquę & Spiritui sancto dicēs, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest videre regnum Dei. Cùm verò idem effectus multis tribuitur causis sibi inuicem cohęrentibus, sicuti vni negari nō potest, sic neque alteri: quare si gratia renouationis &

Cōfirmatio de efficacię sacramentorum nouæ legis.

nis & regenerationis est effectus spiritus, erit etiã aquæ. Regenerationis etiam propria notio idem cõfirmat: vt enim vita naturalis generationis naturalis terminus est, & generationis causę sunt semen, calor & humor natiuus in vtero matris: sic baptismus est Ecclesię vterus, in quo regeneramur in vitam spiritualem, vt obseruaue runt Ambros. lib. 2. de sacramentis, cap. 6. & Leo Primus, serm. 4. de Natiuitate Domini. hactenus de baptismo.

8 De confirmatione est illud Act. 8. vbi vidit Simon Magus, quòd per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus. De Eucharistia est illud Ioan. 6. Qui mãducat me, viuet propter me, &, Qui manducat meam carnem in me manet, & ego in eo: &, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: quod Cyrillus accommodatissimè explicat lib. 10. in Ioan. cap. 3. illud etiam est apertissimum. 1. Cor. 10. Vbi fractio panis, & sumptio calicis, appellatur communicatio corporis & sanguinis Domini, quæ est summa gratia vnionis cuiusque membri cum Christo capite. vnio etiam mẽbrorum inter se, illis verbis exprimitur: vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus. De ordine est illud 1. Timot. 4. vbi inquit gratiam datam cum impositione manuum presbyterij. idem colligitur 2. Timot. 1. De pœnitentia expressum est Ioan. 20. quod remittat quæcunque peccata. De vnctione, Iacobi vltimo dicitur: quod saluat infirmum, & dimittit peccata. De Matrimonio idem etiã concluditur, quia per illud datur possessio vasis sui, in sanctificatione & honore, & non in affectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes quæ ignorant Deum. 1. Thess. 4.

Concilia de efficacia sacramẽtorum. n. 1.

9 Deinde scripturis consentienter definitum est à Conciliis, sacramenta nouæ legis gratiam conferre, & non tantùm significare, vt vetera. sic in Florent. in doctrina de sacramẽtis, Sess. vltima. & Trident. Sess. 7. Can. 6. & 8. de sacramentis in genere: & sanctorum adducta in pręcedentibus testimonia idem apertè confirmant: & quæ ab illis de figuris quorundam sacramentorũ põderata sunt in vet. leg. D. Ambros. lib. 1. de sacramentis, aquæ Iordanis mundanti leprã Naaman Syri, confert Baptismum. Persimilis est etiam aquæ probaticæ piscinæ, quæ ex opere operato sanabat languores omnes: vt obseruauit Chrysost. homil. 25. in Ioan. Emissen. Serm. de S. Blandina, D. August. serm. de sancto Stephano, & Laurentio. Sic etiam Dominus, Ioann. 6. Confert Manna cum sacra Eucharistia, & Coloss. 2. Confertur baptismus circuncisioni, & D. Chrysost. lib. 3. de sacerd. confert mynisterium sacerdotis in sacramento Pœnitentiæ, cum sacerdote vet. leg. mũdante leprã. In his autem omnibus comparationibus concluditur, multo perfectius nostris sacramẽtis effici in anima, quod veteribus in corpore: & quę erat olim iustificatio carnis & purificatio, per illa vetera sacramẽta, quasi ex opere operato: hæc per nostra sacramẽta est iustificatio spiritus & innouatio, vt colligitur ex D. Pau. Heb. 9.

10 Sunt etiam alia multa Patrum testimonia in eandem sententiam, Cyp. in serm. de bap. Christi, Nazian. oratione in sancta Lumina vel sanctũ baptisma, Chrys. hom. 25. in Ioan. & hom. de Resurrect. ad finẽ, Cyr. lib. 2. in Ioan. c. 24. Ambr. lib. 1. de sacram. c. 5. de baptismo: & lib. 4. c. 2. de Eucha. & lib. de iis qui myst. init. c. 9. August. lib. 19. cõtra Faust. c. 16. & tract. 84. in Ioã. alij verò Patres exponentes citata scripturæ testimonia.

11 Per fidem verò nos effici mẽbra Christi dubitari non potest, sed per informem quoddãmodo & imperfectè, cùm per eã à Christo nõ deriuetur vita gratię sed principiũ, quod est credere 3. p. q. 8. art. 3. ad 2. per fidẽ autem formatã simpliciter & perfectè, quatenus per eã applicatur nobis fructus passionis Christi. S. S. E. Roma. 3. Quẽ proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, sic autẽ nobis applicatur passio Christi, non solùm secundum intellectum, sed etiã secũdum affectum, sed in hac fide continẽtur sacramenta in re vel in voto, ead. p. q. 49. ar. 1. ad 5. & q. 69. art. 4. ad 2. ideo aliquãdo fidei, aliquando sacramẽtis tribuitur iustificatio, ad Rom. 3. 4. & 5. fidei, sed c. 6. tribuitur baptismo, nulla facta fidei mentione, similiter in Act. inquit Petrus: Baptizetur vnusquisq; vestrũ in remissionem peccatorum, & c. 15. dicitur fides corda purificare, & ad Tit. de Ecclesia mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: quare iustus non solùm ex fide viuit, sed etiam ex sacramentis, quod si hæc duo inter se conferas, fides à sacramento

cramento perficitur & accipit vim iustificandi, vt cum pœnitentia ex attrito facit contritum per se, vel aliud sacramentum ex accidéti, & cum baptismus paruulo fidem viuentem infundit, quæ formaliter iustificat, vt sacramentum instrumentaliter. Cum verò iustificatur quis sine sacramento, vt Cornelius, non tamen sine sacraméti voto: & deinde ipso sacramento amplius iustificatur, & cum eadem contritione qua quis sine sacramento in re iustificatur, ipso sacramento suscepto amplius iustificaretur: & si esset adultus ipso baptismo omniũ peccatorum pœnę remittũtur, quòd raro per contritionem sine sacramẽto reipsa suscepto.

Sacramenta n.l. præstantiora veteribus & nunquam mutanda.

12 Quare verè & catholicè asserimus, nostra sacramenta veteribus abrogatis excellẽtiora esse, & nunquam mutanda: contra aduersarios, pręsertim Caluinũ, qui ęqualia constituunt noua sacraméta veteribus, asserentes non esse quod ex Euágelio, vllam sacramentis nostris prerogatiuã vendicemus: cùm tamẽ ostenderimus in his esse efficaciam instrumẽtalẽ sanctificandi, in illis nõ fuisse nisi significationẽ tantùm. Pręterea, si testamentum nouũ veteri pręstat, sicut perfectum imperfecto, res ipsa promissa, etiam nudę promissioni pręstat: & sacramentis applicatur nobis hęc perfectio olim adũbrata, quia applicatur instrumentariè virtus meritorũ Christi, quam vetera omnia adumbrarunt: quis nõ videt perfectiora esse oportere nostra sacraméta veteribus? ad Heb. 1. Christus dicitur melioris testaméti sponsor. & c. 8. melioris testamenti mediator, quod in melioribus repromissionibus sancitũ est. 2. Cor. 3. antithesi ministeriorum vtriusque testamenti, idem apertius exprimitur. appellatur enim ministerium vet. testamenti, literę, dãnationis, mortis: noui autẽ, spiritus, & vitæ: quem locum eleganter pro excellentia nostrorum sacramétorum explicauit Chrysost. lib. 3. de sacerd. In eiusdẽ excellentię confirmationẽ multa Dionys. c. 5. de cælest. hier. docens statum n.l. medium esse inter veterẽ leg. in qua tantùm fuerunt vmbræ, & cælestẽ patriam, vbi nulla erunt symbola: & ideo dicitur Euangelium, imago cęlestiũ Heb. 10. sed vetus lex vmbra tãtùm, vt explicauit D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. multa etiã in hãc sententiã D. Aug. conc. 1. in Psal. 103 lib. 3. de Doct. Christ. c. 19. epist. ad Ianuar. lib. 19. contra Faust. c. 13. Vbi ait prima sacramenta ablata sunt, quia impleta sunt, & alia instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora. & super tit. Psal. 73. inquit, sacraméta v. & n.t. nõ sunt eadẽ, quia alia sunt sacramenta dantia salutẽ, alia promittẽtia tantùm Saluatorẽ, & illa salubriora, fœliciora, faciliora. Denique vetera sacraméta non solùm fuerũt figurę Christi, sed etiã nostrorum, in quibus proinde est veritas, iuxta illud Ioan. 1. Gratia & veritas per IESVM Christũ facta est, de quo August. epi. 86. & lib. 1. cont. aduers. l. cap. 18. Hęc igitur sententia conuincit, nostra sacraméta mutanda non esse, sed terminatũ iri ad ipsam veritatẽ aspectabilẽ in cęlo, cõtra Cataphrygas, Manicheũ, Montanum, Priscillã, & alios qui sibi restaurationẽ nostrorũ sacramentorũ, ex promisso Spiritu sancto superbè vendicabant, vt colligitur ex D. Aug. lib. 32. contra Faust. c. 17.

De hac distinctione vtriusque test. diximus Reg. 2. scriptura.

Disputatio de sacramẽtorum efficientia.

13 Restat ostendendũ sacramenta n.l. cõferre gratiã ex opere operato, eo sensu quẽ supra explicauimus: id verò perspicitur primò, in baptismo collato paruulis, morionibus & stupidis, sine vlla suscipientis cooperatione & dispositione, cũ eos sanctificari & ad ęternã vitã admitti recta fides doceat vt in doctrina de baptismo constabit. Vnde elegantissimè in hunc sensum D. Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 18. totum, hoc, inquit, in paruulis fit vi sacramenti & diuinę gratię. Idẽ est enim [ex vi sacramenti] atque quod nos dicimus, ex opere operato. Secundò idem constat, cum suscipiẽtis sacramentum fides non est magna, deuotio lãguescit, & contritio de peccatis insufficiens existit: huic enim pœnitentiæ sacramento dispositio illa perficitur, vt fiat de attrito contritus, & gratiã consequatur, vt est cõmunis & recepta Theologorũ sententia. Tertiò, idẽ opus operatũ confirmatur, in habentibus ęqualem dispositionem ad quoduis sacramentũ suscipiendum, vt ęqualis v.g. sit pluriũ de peccatis cõtritio: suscipienti enim sacramentũ maior gratia cõfertur, quã habenti sacramentum in voto, non certè ob aliam causam, quam ex vi sacramenti, quę posita subiecti dispositione in adultis, maiorẽ gratiã tribuit, quã ipsi sine susceptione sacramenti assequerẽtur. Idẽ est de gratia, quã quis assequitur actibus virtutũ, vel sacramentis: hęc enim est vberior & perfectior, vt constabit infra ex distin-

distinctione gratiæ sacramentalis à gratia virtutum & donorũ. Hoc autẽ magis gloriosum est Deo & redemptori, quã nostris operationibus & dispositionibus gratię infusionem tribuere: quia id totum quod instrumentis conceditur, cedit in gloriã & dignitatẽ principalis agentis, quod tantam virtutẽ instrumentis à se institutis cõmunicauit. Quod sanè si pro sua dignitate expẽdatur, multũ conuincit hęreticos, qui alias etiam in hac pręcipuè materia, volũt videri ij, quibus diuinus honor cordi, & curę sit.

14 Sed de modo & ratione causę, qua sacramenta n.l. efficiũt gratiã, grauior & subtilor restat disputatio catholicorum inter ipsos: de hęreticis autẽ qui omnẽ causę rationẽ, eisdem sacramentis negant, explorata vera sententia, & magis cõsentanea verbo Dei, cõmodius disseremus. Est autẽ ratio dubitandi ex ipsa gratię dignitate & excellentia: quia cum ea nos efficiat diuinæ naturę consortes. 2. Pet. 1. atque ita Deiformes, & non educatur de potentia naturali subiecti, supra omnem vim naturę existens, sed ex nihilo producatur, creationis autẽ & productionis ex nihilo, nulla creatura instrumentũ esse possit, meritò dubitatur, qua ratione sacramentum, cũ sit aliquid creatũ & effectum, gratię producẽdę causa, aut instrumentũ esse possit. Omnes quidẽ Theologi scholastici consentiẽtes, asseruerunt cum Magistro sent. princip. 4. sent. sacramenta n.l. efficere gratiã quã significãt, sed modũ efficiendi gratiã, qui verè causę rationẽ haberet, nõ omnes attigerũt, vnus D. Tho. spiritu, ingenio, eruditione patrũ, pręsertim D. Aug. longè omnibus antecellens, idipsum attigit, quod postea Florẽt. Cõc. & Tridẽt. definierũt, & quod nõ solùm verbis, sed reipsa sit supra modũ ligni, & propriè habeat rationem causę efficientis. Omniũ igitur sententias Theologorũ, eorũ etiã qui sunt de familia D. Th. ad quinque reuocamus. Prima asserit, sacramenta n.l. non producere gratiam immediatè, vt calor calorem, sed dispositiuè, quia vim habet efficiendi in anima quandam dispositionem, quam statim gratia cõsequitur, hanc dispositionẽ dicunt esse, vel characterẽ, vel quendã decorem, quẽ ornatũ vocant, gratię suscipiendę accommodatã dispositionem: efficere pręterea sacramenta, vt tollantur gratię impedimẽta, fomitẽ concupiscentię, & reliquias peccatorũ imminuẽdo, & vtraq; ratione dici sacramenta n.l. gratiam efficere. Sed hęc sententia facilè reiicitur. Primò quia verã rationem causę non tribuit sacramentis ad gratiã: Secundò, quia characterẽ non semper comitatur gratia, vt constat in eo qui existẽs in peccato mortali baptizatur: & ornatus ille res ficta est, scripturę & Ecclesiæ ignota. Tertiò, quia redit eadem dubitatio de charactere & illo ornatu, quomodo cũ sit spiritualis, à sacramẽtis producatur. Deniq; remouere impedimentũ gratiæ licet sit aliquid, non tamẽ est efficere gratiam, nisi fortè ex accidenti: sacramentum autẽ n.l. verè & per se efficit gratiam.

Quomodo sacramenta sint causæ gratiæ instrumẽtales.

Prima sentẽtiæ autores sunt Alexã. 4. p. q. 8. mem. 3. art. 5. §. 1. 2. & 3. & alij Theolog. 4. d. 1. Albert. art. 5. ad argumẽta. D. Th. q. 1. Palud. Cap. Ferrar. 4. lib. contra gẽt. c. 57.

15 Altera sententia dicit sacramenta conferre gratiam, quia Deus sacramentis assistens ex pacto & institutione infundit gratiam: sicut quidam Philosophi remouẽtes efficientiam à causis secundis, Deum ad pręsentiam earum dixerant omnia efficere: & sicut signa maleficorum, causę dici possunt eorũ effectuũ, quos dęmõ ipsis assistẽs operatur. Sed hęc sententia ab omnibus reiicitur, quia nihil amplius tribuit nouis quam veteribus sacramentis, nempè quod sint gratiæ sanctificantis signa.

Secunda sententiæ autores ead. d. 1. Bonau. Ricar. ar. 4. q. 2. Scot. Duran. q. 4. Gabr. Marsil. q. 1.

Tertia sententia facit sacramenta causas morales gratię, non habentes actionem aliquã gratiæ productiuam: vt pecunia est causa moralis redemptionis captiui, & meritum est causa mercedis, & consilium seu persuasio est causa rei gerendæ. Sed etiam hęc sententia tollit veram rationẽ causę efficientis: cùm hęc omnia tantùm sint occasiones, quibus excitatur vera causa, vt agat & producat effectum: vt ex consilio sequitur occisio, & ex pecunia redemptio: quo genere causę Christi passio meruit & procurauit nostrã redemptionem, & pręterea instrumentaliter, vt ostẽdimus supra q. 8.

Tertia sententiæ autor Can⁹ in relect. de sacramentis p. 4. refellitur à Soto.

16 Quarta sentẽtia reiectis omnibus pręcedentibus, affirmat sacramenta nos efficere gratos Deo, gratiam tamen quæ infunditur, & qua sumus formaliter grati Deo, non efficere: sicuti apud nos fit homo homini charus & gratus, sine noua alicuius qualitatis productione. itaque sacramentis detrahit efficientiam qualitatis & gratię, quæ producitur in suscipiente, & tribuit efficientiam grati hominis. Quod si hæc sententia præcessisset Viennense Cõcilium, quod probabilius esse definiuit

Quarta sententiæ, autor Domi. Sot.

per baptismum infundi gratiam, virtutes & dona,& Tridentinum, quod ad repellendam iustitiam imputatiuam hæreticorum definiuit Sess.6.cap,7.& Can.11. Neminem iustificari etiam paruulum, nisi per iustitiam, verè animæ inhærentem, quæ sit causa formalis iustificationis, videri posset probabilis: vt fuit etiam ante illa concilia probabile,gratiam non esse habitum vel qualitatem infusam: sed post illa concilia asserere, effici hominem per sacramenta gratum, & non attingere ipsius gratiæ, per quam formaliter est gratus,infusionem, minus solidum est, & nimis subtile, & definitionibus Conciliorum non admodum consentaneum. Sic ergo contra hanc sententiam concludimus: sacramenta secundum eam non attingunt formam, per quam homo fit gratus, neque aliquam dispositionem ad eam formam: ergo non possunt esse verè & propriè causæ, cur homo sit gratus Deo. Quod si quis dicat,esse causas dispositiuas, is non tribuit sacramentis rationē causæ efficiētis sed materialis, quod est alienum à ratione instrumenti,quod in genere causæ efficientis continetur. Quod verò Patres non meminerint gratiæ huius, quatenus qualitas dicitur, nihil adiuuat hanc sententiam, quia neque etiam asseruerunt sacramenta efficere homines gratos Deo: id tamen asseruerunt,quod cum vtroque parem vim habet, nempè sacramenta iustificare,abluere animam, & sanare à peccatis, remittere peccata, dare vitam, incorporare Christo, pascere & purgare animam. Denique hæc sententia de gratia, quòd sit qualitas & forma iustificatis inhærens, ex verbo Dei & Patribus collecta est, & à posterioribus Conciliis explicata: oportuit igitur post hanc Cōciliorum explicationem, efficientiam gratiæ sacramentis tribuere conformiter ad eam, cùm verum vero necessariò consentire debeat.

17 Quinta sententia quæ planè est D. Thomæ affirmat sacramenta esse causas gratiæ iustificantis, quę verè & propriè ipsius gratiæ productionem attingant: cuius explicatio est. in gratiæ infusione duo sunt, ipsa gratiæ susceptio secundum potentiam obedientialem, cum naturalis vis non possit esse ad donum supernaturale: & qualitatis susceptæ & infusæ ex nihilo productio. Primum sacramenta instrumentaliter attingunt, quatenus actione sacramentali affecto corpore, anima afficitur ad excipiendam gratiam quę infunditur: & huius mutationis animæ ad recipiendam gratiam immutato corpore, res creata & producta instrumentum esse potest: illud verò secundum Deus efficit immediatè, & nullum assumit instrumentum, quia creationis & productionis ex nihilo nullum potest esse.

Sentēn.D.Th.

18 Gratiam vero creari aut concreari plerique Theologi negant, quòd fiat in subiecto, & creatio omne subiectum excludat, & quia eius desitio non sit annihilatio. Sic Caiet. supra quæst. 8. artic. 1.& quæst.62. art.1. cum creationi & conseruationi opponatur annihilatio. vocat autem gratiæ productionem mutationem in ordine gratuitorum. Quidam cōproductionem vocant, sicuti accidentis in subiecto. creatio autem tribuitur gratiæ in scriptura sacra, secundum analogiam, vt sicut creatio tribuit nouum esse, sic gratia diuinam innouationem.sic exponit D. Thom. 1.2.quæst. 110.art.2. ad 3. Paulum Ephes. 2. 2.Corinth.5. Galat. 6. Sed quicquid sit de ratione creationis, aut concreationis propriæ sumptæ, certum est gratiam, cùm qualitas sit, non fieri ex aliquo vt materia, & ideo ex nihilo: neque anima subiectum in quo illius, habet vim insitam & naturalem ad eam excipiendam, sed id accipit supernaturaliter ex dono Dei. An verò D. Thom. priorem sententiam 4. sentent. hic retractauerit, negant Palud. Capreol. Ferrarien. affirmant Caiet. Can. Sot. & verè affirmant, vt deducit Caiet. neque aliter hæc doctrina cōsentire potest, cū art.2.quæst.3 huius 3.p. Itaque sacramentum non imprimit dispositionem aliquam gratiæ, sed motum à Deo principali agente, attingendo sua actione naturali corpus suscipientis sacramentum, mouet & immutat animam, vt gratiam, effectam à Deo, recipiat. Hoc est quod volunt Patres, cùm dicunt in aqua baptismi esse vim regeneratiuam,& quod apertius D. August. de baptismo, eam esse vim aquæ, vt corpus tangat & cor abluat: denique omnia illa testimonia sacræ scripturæ, & primùm, quæ supra citauimus, ad ostendendum sacramenta nouæ legis esse causas instrumentales

gr..tię,

gratiæ, hanc nostram explicationem, quę diui Thomæ est, planè confirmant: & ratione sic confirmari potest. quia hęc sententia tribuit sacramentis veram efficientiam instrumentalem, nempè quod mota à Deo principali agente, sua actione eleuentur ad productionem effectus principali agenti conformis, vt supra explicauimus, quæst. 13. de miraculis, est igitur hęc sententia vera.

19 Quamuis autem antiqua concilia tribuerint sacramentis nouæ legis, efficientiam gratiæ, solùm tamen Tridentinum expressit hanc efficientiam esse instrumentalem, cùm ait Sess. 6. cap. 7. Baptismum esse causam instrumentalem nostræ iustificationis, & hanc definit esse per infusionem gratiæ, qua formaliter iusti sumus, & ita concedit apertè baptismo gratiæ efficientiam instrumentalem. quod autem definit de baptismo, de cæteris etiam sacramentis nostris asserendum est, quia omnia iustificant vel infundendo primam gratiam, vel perficiendo prȩexistentem. Non igitur tribuimus aliquam virtutem permanentem sacramentis (excepta Eucharistia) gratię productiuam, sed ipse motus vt est à principali agente dicitur, & est virtus instrumentalis, à qua dicitur à quibusdam motus ille virtuosus, quia per eã eleuatur ad inducendum effectum principalis agentis: & ratione huius motus, dicuntur sacramenta continere gratiam, & habere virtutem gratiæ causatiuam. Quãuis enim virtus spiritualis in corpore non posit esse permanenter & completè, cùm neque ab eo possit esse, supra illius vim, & naturam existens, neque in eo recipi, quia oportet esse ad modum recipientis corporei: potest tamen esse virtus spiritualis instrumentalis, hoc est quatenus corpus ab aliqua substantia spirituali moueri potest, ad effectum spiritualem inducendum: vt in voce sensibili est vis spiritualis, ad excitandum intellectum alterius, quatenus procedit à conceptione nostri intellectus. Vnde hæc virtus instrumentalis, acquiritur instrumento, ex hoc ipso quod mouetur à principali agente: & similiter sacramentum, ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum & administrationem sacramenti, consequitur virtutem spiritualem, quatenus ex motu principalis agentis, ad effectum spiritualem eleuatur. Vnde Diuus August. nec mirum quod aquam, hoc est substantiam corporalem ad purificandam animam peruenire dicimus: peruenit planè & penetrat conscientiæ vniuersa latibula. Quamuis enim ipsa sit subtilis & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ad secreta mẽtis subtiliora pertransit. quæ omnia tantùm continent, vim instrumentalem esse in aqua baptismi dimanantem à principali agente Christo, ad animæ regenerationem.

3. p. q. 62. art. 3. 4.

In sermo. de Epiph.

20 Sacramentũ quidẽ ex materia naturali & actione externa est res sensibilis: si verò consideretur ex instituente, principali agẽte, effectu, habet virtutem supranaturalem & spiritualem, sed instrumentalem, quatenus eleuatur à Deo ad supernaturalem effectum gratię spiritualis ipso motu, non autem sacramento impressa aliqua vi permanenti. Vnde sicut effectus in causa continetur virtute, sic sacramenta dicuntur gratiàm continere instrumentaliter, cùm sint ad eam inducendam, vt causa ad producendum suum effectum instrumentalis.

21 Dicitur autem hæc virtus causatiua gratiæ dimanare ex pasione Christi, quatenus in ea completè meruit Christus omnia pertinentia ad nostram salutem: & hoc meritum, nobis per sacramenta applicatur secundum efficaciam. fuit etiam pasio Christi, causa coniuncta instrumentalis iustitiæ & gratiæ, quam sacramenta conferunt, & plenisima etiam satisfactio, quæ omnia per sacramenta nobis communicantur, vt ipsi etiam mereri & satisfacere possimus. Fluxus autem aquæ & sanguinis ex latere Christi mortui in cruce, meritorius esse non potuit, cùm morte sit omne meritum completũ, neque satisfactorius, fuit tamen instrumentalis ad vitam animæ, quæ nobis per sacramenta communicatur, sicuti sepultura, resurrectio, & omnis operatio Christi, vt ostendimus supra quęst. 8. in disputatione de efficacia operationum Christi ad nostram salutem. Significauit etiam fluxus ille sanguinis & aquæ, quæ specialiter pertinent ad duo potissima sacramenta, baptismum & eucharistiam: nam aqua est propria materia baptismi, & vino debet permisceri in calice, quia coniuncta sanguini licet

3. p. q. 62. art. 5.

cet

cet per se, fluxit ex latere Christi, inquit Conc. Florent. de Eucharistia in doctrina de sacrament. Sess. vltima. Ex passione Christi omnia sacramenta suam habere virtutem ad sanctificandum, tanquam ex complemento totius meriti, & actione perfectissima, quæ profecta sit ab eximia charitate, vt ostendit Paulus ad Roma. 5. cum ait, commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quod cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est. Dixi autem ex latere Christi mortui exisse aquam & sanguinem, quia sic expressum est Ioan. 19. vt refutetur error asserentium neque effluxisse aquã, sed flegma, neque ex Christo mortuo, & mortuum dixisse Euangelistam per recapitulationem. Sed hic error iam pridem damnatus est ab Innocentio Tertio, cap. in quadam de celeb. miss. & in Clement. de summ. Trinit. & fide Catho. Aug. autẽ frequenter illud vsurpat sacramenta fluxisse de latere Domini, Tractat. 15. in Ioannem. Psalm. 138. & sententia. 328. in libro excerptarum Prosperi, non ob aliã causam, quàm quod sanguis ille in sacrificiũ per passionem & mortẽ tũ effusus, vim viuificatiuam omnibus Ecclesiæ sacramẽtis dederit: ita vt non solùm à Deo ipso, sed ab hoc instrumento diuinitati coniuncto, ad effectus supernaturales moueãtur, completè quidem & perfectè, tanquam termino omnis meriti, sed ab aliis omnibus Christi actionibus meritoriè etiam atque effectiuè, vt mediis ad eundem terminum & complementum, à sanguine autem & aqua lateris effectiue tantum, cum morte esset finitum Cgristi meritum.

Ad art. 5. *Sacramenta qua ratione ex passione & ex latere Domini prodierint.*

Ad Artic. 2.

22 Postquam ostendimus sacramenta nouæ legis efficere gratiam sanctificantem instrumentaliter, explicandum est quid nam sit hæc gratia sacramentalis, id est, effecta per sacramenta, & qua ratione differat à gratia virtutum & donorum, id est gratia quam consequuntur virtutes & dona in potentiis, ad operandum conformiter ad ipsam gratiam: vtrum scilicet, sit eadem secundum speciem, vel potius, hoc quod est esse à sacramentis effectam, addat aliquid præter virtutes & dona, quæ omnem gratiam iustificantem consequuntur.

Gratia sacramentalis qua ratione diuersa ab alia gratia gratum faciẽte.

Ad art. 2.

Est igitur vtriusque gratię consensio, quia vtraque perfectè hominem iustificat & reddit gratum Deo, efficiens consortem diuinæ naturæ, siue sanet & mundet à peccato, & ideo sit prima, siue prę existentem sanitatem animæ & gratiam augeat: vtraque enim est habitus animę inhærens, vt definitum est contra iustitiam imputatiuam in Trident. Sess. 6. cap. 7. & Can. 11. Hæc sunt de vtraque gratia certa fidei dogmata: secundum verò meliorem Theologorum sententiam vtraque est in essentia animæ, & eandem in potentiis cõsequuntur virtutes & dona Spiritus sancti, vt eliciantur operationes gratiæ inhęrenti consentaneæ. Differentia autem vtriusque gratiæ generalis est, quod ea quę dicitur esse virtutum & donorum, nihil amplius continet, aut certè non tam copiose quàm gratia sacramentalis, quæ amplius aliquid continet: id verò est, auxilium ad speciales quosdam effectus, ad salutem & iustitiam hominis pertinentes, vt suscipiens sacramentum, recipiat & assequatur sacramenti finem, cuius gratia institutum est. Id autem auxilium, non habitum gratiæ diuersum esse volumus, sed diuinum auxilium actuale, extensiuum gratię habitualis ad effectum proprium sacramenti: atque ideò vtraque in ratione gratiæ habitualis consentit, sed ex hoc auxilio addito sacramentali, distinctio specifica potest inter vtranque constitui, vt sit huius auxilij additio, quasi differẽtia gratiam sacramentalem consequens. Vnde quamuis gratia extra sacramentum collata, per votum tamen sacramenti, habeat ratione eius aliquid huius auxilij, id tamen copiosius donatur suscipiẽti actu sacramẽtum. Si enim sacramenta noue leg. gratiá conferunt ex opere operato, & habent speciales effectus, quibus inter se distingũtur, vt baptismus regenerat, Eucharistia pascit & reficit, necesse est asserere ipsam gratiam, sacramenti vi collatam, ad huiusmodi effectum inducendum esse occommodatam: eam vero accommodationem Theologi exprimunt per huiusmodi auxilium, quo gratiam sacramentalem à gratia quæ non confertur virtute sacramentorum, distingunt, & eam vocant donorum & virtutum, quia nihil aliud habet adiunctum ad rectè operandum, quam virtutes & dona in potentiis: cũ præterea gratia sacramentalis habeat adiunctum illud auxilium speciale. Dici etiam potest

virtutum

virtutum & donorum, quia talem gratiam merentur iustificati, cum actibus meritoriis virtutum, augmentum gratiæ merentur.

23 Exemplis erit hęc differentia notissima. Ad confessionem fidei & constantiã operantur fides & fortitudo, datæ homini extra sacramenta: hoc tamen animi robur, excellentius confertur sacramento confirmationis, ad hunc effectum peculiariter instituto. Sic etiam anima pascitur & reficitur verbo Dei & contemplatione, sed excellentius sacra Eucharistia, ad eum finem instituta. Idem de fide coniugali & castitate, respectu gratiæ quam matrimonium cõfert, dicendũ est. Quare vt generaliter distinximus gratiam sacramentalem per huiusmodi auxilium, à gratia virtutũ, sic & gratias singulorum sacramentorum inter se distinguere oportet: vt licet omnis gratia sacramentalis iustificãs, habitus sit, adiuncto auxilio Dei ad speciales quosdã salutis nostræ effectus: habeat tamẽ cuiusque sacramenti gratia, ad propriũ effectũ speciale auxilium, determinatũ ad eundẽ effectum: quia aliter gratiæ sacramentales non distinguerentur inter se, vt oportet distingui, quia ipsa sacramenta distinguntur, & ad effectus speciales efficacia sunt.

24 Ex hac generali differentia vtriusque gratiæ, aliæ speciales consequuntur. Primò quidem quia gratia virtutum id propriè agit in anima & eius facultatibus, vt homo iustè & sanctè operetur: sed gratia sacramentalis non solùm hoc pręstat, sed prætereà fert secum singulare auxiliũ, contra naturæ languorem & imbecillitatem ex originali peccato contractam: & ideo hæc gratia vim habet peculiarem in peccata pręterita & eorum causas, cùm virtutes quoad presens & futurum tantùm, propriè peccatum excludant. Hinc sunt duo sacramenta baptismus & confirmatio, ad reatum pręteritorũ peccatorũ soluendum baptismus, & ad roborãdas debilitatas animę vires confirmatio: ad restaurandã defectionem caloris spiritualis animæ ex peccatis contractam, Eucharistię alimentum, & similiter in aliis sacramentis. quorum singula non solùm bonos & sanctos reddunt suscipientes, sed etiam singularem aliquam vim, in pręcedentem naturę aut personę morbum exercent. cuius rei ignoratione Lutherus impiè asseruit, quod vera pœnitentia non est nisi noua vita, non aliã agnoscens interiorem animæ innouationem, nec aliam morum conformationem quàm Philosophi, qui nihil pręterita curauerunt, pręsertim ad resarciendam Dei offensam. Secundò potest colligi alia differentia specialis vtriusque gratię, quòd gratia quæ sacramentis comparatur certior est, quanquam de nulla gratia (sit certitudo excludens omnem dubitationem etiam moralem) sed certior dicatur secundum Christianas coniecturas probabiles, & maiorem in nobis spem salutis excitet: quia in operibus iustissimorum etiam hominum ij possint esse defectus, vt aut non omnino, aut raro augmentum gratiæ mereantur: quos tamen defectus & imperfectiones ita supplet sacramentum, vt cum mediocri & sufficienti dispositione, ex opere operato amplissimam gratiam conferat. Sic etiã imperfecta cõtritio quę satis est ad sacramentum, nõ satis est per se extra sacramentũ, quia sine sacramento perfecta non est: nec ea deuotio extra sacramentum semper meretur in iustis gratiam, quę tamen sacramento coniuncta, reddit suscipientem idoneum, ad recipiendam gratiam sacramenti. Ex quibus omnibus in promptu est deuotis mentibus cogitare, quid quantumque operetur Deus in nobis per sacramenta, quatenus passionis Christi instrumenta efficacia sunt. quod autem hoc aut non credatur ab hęreticis, aut non intelligatur à populo, aut non amplius diligatur ab his qui intelligunt, vehemẽter dolendum est, & vt secus fiat, summopere laborandum.

25 Reliquum est vt firmiter constituta veritate de partibus essentialibus sacramentorum nouæ legis, & eorum efficacia ad sanctificandum, repugnantes aduersariorum errores refellamus. Veteres enim & recentes hęretici, volunt non esse sacramentorum formis pręscripta & certa verba, neque determinatas materias, quibus Deus colatur, & homines sanctificentur. Primò igitur obiiciunt non debere hominem inferioribus alligari, & subiici ad colendum Deum, cum sit contra naturam superiora inferioribus subiici. Secũdò, quia hic cultus per creaturas est gentilium idololatrarum, cùm pręceptum sit, Deuter. 12. populo Dei, ne in colendo Deo gentes imitetur. Tertiò, quia per huiusmo-

Disputatio cõtra hęreticos de vsu & effectu sacramentorũ

Porphyrius apud Euseb. de præpa. lib. 3. c. 5. Aug. lib. 1. retract. c. 4. Brent. in confess. Vvirtẽb. c. de baptismo alii hæret. apud Irẽ. lib. 1. c. 18

iusmodi cultum videtur significare, quòd Deus indigeat aliquibus creaturis. Quartò, quia seruile & Iudaicum est,& libertati Christianæ repugnans in cultu Dei alligari ad creaturas. Denique confirmant hæc omnia ex illo 1. Timoth.4. corporalis exercitatio ad modicum vtilis est his argumentis, hæretici tollunt de sacramentis nostris determinatas materias & formas. Efficaciam verò sacramentorum ad sanctificandum impugnant, æquantes nostra sacramenta veteribus, vt non sint magis efficacia, vt illi loquuntur, quam baptismus Ioannis, Ezechiæ vmbra, vellus Gedeonis,& consimiles aliæ figuræ:& sint nostra sacramenta verba tantùm quædam visibilia, quibus instituimur & admonemur de Christo,& beneficiis mortis eius: & hac ratione non esse sacramenta nostra magis efficacia, quam Euangelij prædicationem,& vulgari lingua esse administranda, vt omnes instruantur, sicuti prædicatione Euangelij.

26 Preterea Protestãtes asserunt signis sacramẽtorum, excitari fidem, quæ per se & nõ per sacramenta iustitiam & gratiã Dei apprehendat:& ideò in signo sacramenti esse vim predicationis ad fidem excitandam, non tamen vim gratiæ effectiuam. Verũ error huiusmodi de fide illa speciali iustificante, damnatur in Trident. Sess. 6. cap.9. Sed quia nos supra ex verbo Dei expresso, cultum Dei, in his sacramentis, & nostram sanctificationem positam esse ostendimus, facilè & apertè has obiectiones refutabimus. Primò igitur, creaturæ sensibiles & corporales tribus modis considerari possunt, vel secundum se, vel respectu hominum, vel respectu Dei: secundum se nullus homo illis subiici potest, nisi nefando scelere adorationis & abusus, quo gentiles idololatræ, & peccatores se illis subiiciunt, & ideo reprehenduntur grauiter à Diuo Paulo Roma. 1. sed respectu hominum & Dei, homines variis modis eisdem creaturis subiiciũtur: vel quia sunt Dei flagella, quibus nos punit: vel quia imponuntur sub præcepto, ad exercitium religionis vel alicuius virtutis, vt obedientiæ, patientiæ, instructionis: vel quia sunt signa gratiæ & diuinorum beneficiorum, vt à Deo præscripta, vel à ratione humana inuenta: his autem tribus modis homo non subiicitur creaturis, sed Deo in

Responsio ad argumenta hæret.

illis & per illas: alioquin tolleretur omnis externus cultus, tam in lege naturæ quàm veteri & nostra,& perirent cum precibus publicis, sacrificia & sacramenta omnia, atque ipsius corporis nostri cum anima in seruiendo Deo sancta societas: quare nihil potest excogitari absurdius aut indignius.

27 Vnde semper à Deo prescriptum est quomodo rebus externis colendus esset, vel generaliter, vt de protestatione veræ religionis in lege naturæ, vel specialiter, vt in paradyso fuit lignum vitæ, & arbor sciẽtiæ, exercitatio obedientiæ: in lege veteri fuit quidẽ iusta & legitima institutio creaturarum ad cultum Dei, sed numerositate, infirmitate, obscuritate significationis, oneris & fastidij plena, & ideo à D. Paulo Coloss.2. Galat.4. dicitur seruitus sub elementis, atque legis pædagogia,& à D. August. lib.3. de Doctrina Christiana, cap.9. seruitus sub signis, quia sciebat populus in illis Deum coli, quorum tamen significationem plerique distinctè non nouerant. Qua ratione hæc seruitus à seruitute gentilium differt, quod illa ad Deũ, hęc ad creaturã terminaretur. Postremò autẽ seruitus erga creaturas in noua leg. pręcepta à Deo & necessaria,& facilior, efficacior, numero & obseruatione leuior & suauior,& ideo nõ dicitur propriè seruitus, sed iugum suaue & gratissimum religionis obsequium. Itaque liberi sumus, non solùm pre gentilibus, qui seruierunt potius creaturæ quàm creatori, sed pre Iudæis qui signorum plerisque incognitorum, semper autem inefficacium, multitudine premebantur. sed signis omnibus sensibilibus in cultu religionis & cæteris studiis carere, omnino fieri non potest: hoc enim esset hominem in æterna beatitudine collocare: qua Deum facie ad faciem intueatur, & ad rerum spiritualium intelligentiam nullis indigeat signis externis.

28 Sic igitur ad primam obiectionem respondetur, seruitutem creaturarum propriè esse cùm ad creaturas cultus ipse terminatur, quæ idololatrię est, qualis fuit in gentibus: seruitus autem Iudæorum fuit iusta, quia pręcepta à Deo, sed importabilis, vt inquit Petrus Acto. 15. Christianorum autem subiectio ad elementa sensibilia, est quidem aliqua seruitus respecta vitæ innocentis ante peccatum, & future

futuræ quæ erit in cælo: sed tamen in summa paucitate, efficacia & apertissima significatione signorum, est quæ in hac vita cogitari potest liberrima, & humanę naturæ congruens & accommodatissima: cum mediocri talium signorum exercitio recreetur & adiuuetur, vt multorum inefficacium pondere deprimitur.

29 Ad secundam obiectionem, respondetur ex August. lib. 1. contra aduers. leg. cap. 18. dæmonem illa exigere à gentibus sibi exhiberi, quia scit Deo verò deberi. Sic enim vult falsus deus adorari ab eis quos decipit, sicut verus Deus honoratur ab his quibus consulit: & quia vera religio falsam antecessit, & falsa veram imitatur, ideo à veris cultoribus, falsi pleraque acceperunt: quare peccatum non est in materia cultus, sed quia quod est veri Dei, falso deo tribuitur. Instinctus etiam naturalis admonet illa Deo deberi, deceptio tamen est in veri Dei cognitione. ad illud autem Deuter. 21. respondetur, materiam quandam sacramenti & sacrificij legitimam gentes habuisse, vt pecora, panes, vinum, quandam illigitimam, vt filiorum immolationem, sanguinis humani effusionem: ab hac cauendum pręcipit Dominus, non ab illa in veri Dei cultu. sic olim Christianis obiiciebatur quod Cererem & Bachum colerent, propter sacramentum panis & vini, inquit August. lib. 20. contra Faust. cap. 13. & quod Saturnum colerent, propter Sabbathi obseruationem: & semper superstitiosi cultores creaturarum se defendebant, ex eo quod esset aliquid simile in sacramentis nostris, de quo D. August. epist. 118. cap. 7. concludens non esse positam superstitionem in vsu istarum rerum, sed in modo, ratione & fine & intentione vtentium: sicut aliter nauta obseruat ventos & tempora, aliter planetarius: & eisdem rebus Christianus ad significationem, gentilis ad superstitionem vtitur. Vnde Paulus 1. Corint. 10. non reprehēdit gētiles, quòd immolent ea quæ nos, sed quia dæmonibus & non Deo immolant.

30 Ad tertium respondetur, ex Ireneo lib. 4. cap. 32. illa non assumi propter Dei indigentiam, sed propter nostrum obsequium: nec quia illis delectetur Deus, sed quia in illis est spiritualium magis accommodata significatio. Similiter sono, situ, & numero verborum in formis sacramentorum non delectatur Deus, sed quia instituta ad significandum accommodatissimè.

31 Ad quartum, Iudæorum seruitus non fuit posita in eo quòd signa essent externa, sed quòd multa, infirma & obscura, & quia ipsi carnales mentem supra signa non erigebant, sicuti Prophetæ & viri religiosi seruitute illa non premebantur, mysteria occulta intelligentes. quare nos qui pauca signa, expressa & efficacia habemus, nulla seruitute premi possumus. Vnde D. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 17. populus inquit, Iudaicus in eis qui intelligebant quò hæc pertinerent, erat liber, sed seruus in eis qui hæc nō intelligebant.

32 Ad quintum, D. Paulus, aut loquitur de exercitatione corporis ad sanitatem, vt volunt Græci, aut si loquitur de exercitatione in signis, intelligit de his, qui spiritualem significationem non nouerunt vt carnales Iudæi: non autem de vsu sacramentorum nouę legis, quem falsò dicas corporalem, cum significatione & causalitate sit omnino spiritualis vt inquit, D. Tho. 3. p. q. 61. art. 1.

33 Ad alias obiectiones contra efficaciam nostrorum sacramentorum, asserentes nihil amplius efficere quàm Euangelij prædicationem, ex verbo Dei expresso respōsio deducitur: quia D. Paulus Rom. 1. cum asseruisset Euangelium esse virtutē Dei, subiungit: in eo enim reuelatur iustitia Dei ex fide in fidem, hoc est, Euangelium significat & annuntiat, qua ratione iustitiam comparare possumus: ipsa vero annuntiatio non habet virtutem iustificandi. & ideo prædicatio mittit nos ad sacraméta, vt sanctificemur, proponit & demonstrat, sed non pręstat, dicitur autem ex fide veteri, ad fidem Euangelij progressio fieri. Vnde diuus Anselmus Euangelium intelligit res contentas in Euangelio, mortem, redemptionem Christi, & sacramenta quibus communicatur. Cōueniunt quidē Euangelium & sacramentum in significando mysteria Christi, & & ideo sacramentum dicitur à D. Augu. tract. 80. in Ioan. & lib. 19. cōtra Faust. c. 6. quoddā quasi visibile verbum, sed in operatione sanctificandi, habet præterea sacramentum efficaciā instrumentalem. Idem con-

cõfirmat praxis Apostolorum, cũ Act. 2. cap. compuncti Iudæi prædicatione Euãgelij mittũtur ad baptismum. Dicũt enim ad Petrum & Apostolos, quid faciemus viri fratres, hęc est vis Euangelij. Respondit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissioné peccatorum, & accipietis Spiritũ sanctum. Hec est virtus sacramentorum. Act. 8. Cùm Eunuchus credidisset Philippo euãgelizanti, licet, inquit Philippus tibi baptizari. Constat preterea sacramẽta iis sæpè ministrari vtiliter, quibus predicatio esset inutilis, vt baptismum paruulis & amentibus.

34 Vnde quod August. Verbum sacramentale, appellat verbum quod prędicamus, sermonem Christi, verbum fidei, verbum vitæ, tract. 80. in Ioan. non significat sacramenti non esse aliam vim, quam prædicationis, vt volunt aduersarij, sed intelligit formas sacramentorum quę nobis exprimunt Christi efficaciam per sacramenta, & ideo vim quandam prędicationis habent in significando, sed pręterea efficiũt sanctificationem. Quod verò addit Augu. [verbũ mundat non quia dicitur, sed quia creditur] non significat fidem, vel suscipientis, vt constat de baptismo paruulorũ, vel ministri, vt constat de hæretico baptizante secundum sensum Ecclesię catholicę, cùm fides etiam in adulto suscipiente sit tantùm dispositio, non verò instrumétum gratię vt sacramentum: sed significat spiritualem benedictionem & vim sanctificandi non esse in sono verborum formę sacraméti, sed in virtute diuina, quam per fidem credimus verbis formæ sacramenti inesse: & ideo forma aut verbũ formę, non mundat quia dicitur & profertur, sed quia vis latens Spiritus sancti inest, quæ creditur per fidem. Quę explicatio proposito Augustini & verbis sequentibus valdè consentit, subiungit enim: [Nã in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.] Illud verò Ephes. 5. Mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ, quod referunt Protestantes ad fidem vt obiectũ, & ideo mundationem fidei tribuunt, non sacramento: Chrysost. de forma sacraméti intelligit, Hieron. de sacra scriptura, sed quod dicatur, vt de annunciatione Euangelij dictum est.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu sacramẽtorum, qui est character in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character.

Et circa hoc quęruntur sex.

Primò Vtrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundò, quid sit ille character.

Tertiò, cuius sit character.

Quartò, in quo sit sicut in subiecto.

Quintò, Vtrum in sit in delebiliter.

Sextò, *Vtrum omnia sacramenta imprimant characterem.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd sacramẽtum nõ imprimat aliquem characterẽ in anima. character enim significare videtur quoddam signum distinctiuum. Sed distinctio membrorũ Christi ab aliis, fit per ęternam prędestinationem, quæ non ponit aliquid in prædestinato, sed solum in Deo prædestinante, vt in prima parte * habitum est. Dicitur, enim 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius. Ergo sacramenta non imprimunt charecterem in anima.

4. d. 4. q. 1. ar. 4. q. 1. c.

1. p. q. 23. art. 3.

¶ 2. Præterea, Character signũ est distinctiuũ; signũ autẽ (vt Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana) est quòd præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquã spe-

Lib. 2. circa princ. to. 3.

ſpeciem ſenſibus ingerat. Ergo videtur quod in anima nõ imprimatur aliquis character per ſacramenta.

¶ 3. Præterea, Sicut per ſacramenta nouę legis diſtinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per ſacramenta veteris legis. Sed ſacramẽta veteris legis non imprimebant aliquem characterem in anima, vnde & dicuntur iuſtitiæ carnis, ſecundũ Apoſt. ad Hebr. 9. Ergo videtur quòd neque ſacramenta nouę legis imprimunt characterem.

Sed contra eſt quod Apoſt. dicit 2. ad Corint. 1. Qui vnxit nos, Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Sed nihil aliud importat character quàm quãdam ſignationem. Ergo videtur quod Deus per ſacramenta nobis ſuum characterem imprimat.

q. 62. ar. 5. Respondeo dicendũ, quod ſicut ex prædictis * patet, ſacramenta nouę legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum ritum Chriſtianæ vitæ. Quicunque autem ad aliquid certũ deputatur, conſueuit ad illud conſignari, ſicut milites qui aſcribebãtur ad militiam antiquitus, ſolebãt quibuſdam characteribus corporalibus inſigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per ſacramẽta deputentur ad aliquid ſpirituale pertinens ad cultum Dei, cõſequens eſt quòd per ea fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniantur. Vnde Auguſt.† dicit in 2. contra Parmenianũ. Si militię characterẽ in corpore ſuo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſa, & impetrata iam venia militare cœperit, nũquid homine liberato atq; correcto, character ille repetitur, ac nõ potius agnitus approbatur? an fortè minus hærẽt ſacramẽta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota?

Contra epiſtol. Parme. Lib. 2. c. 13. parum à medio. to. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod fideles Chriſti ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur ſignaculo prædeſtinationis diuinæ. Sed ad actus conuenientes pręſenti Eccleſiæ deputantur quodam ſpirituali ſignaculo eis inſignito, qui character nuncupatur.

Ad secundum dicendũ, quod character animæ impreſſus, habet rationem ſigni inquantum per ſenſibile ſacramẽtum imprimitur, per hoc enim ſcitur aliquis eſſe baptiſmali charactere inſignitus, quod eſt ablutus aqua ſenſibili. Nihilominus tamen character vel ſignaculũ dici poteſt per quandam ſimilitudinem, omne quod configurât alicui, vel diſtinguit ab alio, etiam ſi non ſit ſenſibile, ſicut Chriſtus dicitur figura, vel character paternæ ſubſtantiæ, ſecundum Apoſtolũ, Heb. primo.

Ad tertium dicendũ, quod ſicut ſupra dictum eſt, * ſacramenta veteris legis non habebant in ſe ſpiritualem virtutem, ad aliquẽ ſpiritualem effectum operantem. Et ideo in illis ſacramentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character, ſed ſufficiebat ibi corporalis circunciſio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat Rom. 4. q. 62. ar. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrùm character ſit ſpiritualis poteſtas.

4.diſt.4.q.2. art.1.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quod character non ſit ſpiritualis poteſtas. Character enim idē videtur eſſe quod figura, vnde Heb.1. vbi dicitur. Figura ſubſtantiæ eius, in Græco habetur loco figuræ, character. Sed figura eſt in quarta ſpecie qualitatis, & ita differt à poteſtate, quæ eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas.

c.2.eccle.hier. part.3. parum ante medium.

¶ 2. Prȩterea, Dion.* dicit.2.c. Eccle. hier. quod diuina beatitudo accedētem ad beatitudinem in ſui participationem recipit, & proprio ſuo lumine, quaſi quodā ſigno, ipſi tradit ſuam participationē. Et ſic videtur quod character ſit quoddā lumē. Sed lumen ad tertiam ſpeciē qualitatis videtur pertinere. Non ergo character eſt poteſtas, quȩ videtur ad ſecundam ſpeciem qualitalis pertinere.

¶ 3. Præterea, A quibuſdā character ſic definitur. Character eſt ſignum ſanctū communionis fidei, & ſanctæ ordinationis, datum à hierarcha. Signum autē eſt in genere relationis, non autem in genere poteſtatis. Non ergo character eſt ſpiritualis poteſtas.

li.5.meta.tex. 17.to.3.

¶ 4. Prȩterea, Poteſtas habet rationē cauſȩ & principij, vt patet 5. Meta.* Sed ſignū, quod ponitur in definitione characteris, magis pertinet ad rationē effectus. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas.

li.2.eth.c.5.in prin.to.5.

SED CONTRA eſt, quod * Philoſ. dicit in 2. Ethic. Tria ſunt in anima, potentia, habitus & paſſio. Sed character non eſt paſſio, quia paſſio cito tranſit, character autem indelebilis eſt, vt infra dicetur * Similiter etiam non eſt habitus, quia nullus habitus eſt, qui ſe poſſit ad benè & malè habere: character autem ad vtrunq; ſe habet, vtuntur enim eo quidam benè, alij verò malè: Quod in habitibus non cōtingit, nā habitu virtutis, nullus vtitur malè, & habitu malitiæ, nullus bene. Ergo relinquitur quòd character ſit potentia.

ar.5. huius q.

RESPONDEO dicēdum, quod ſicut dictū eſt, * ſacramenta nouæ legis, characterē imprimūt, inquātum per ea deputantur homines ad cultū Dei, ſecundū ritum Chriſtianȩ religiouis. Vnde Dion.* in 2. ca. Eccl. hierar. cū dixiſſet, quod Deus in quodā ſigno tradit ſui participationē accedenti ad baptiſmū, ſubiūgit, Perficiēs eum diuinū, & communicatorem diuinorū. Diuinus autē cultus conſiſtit vel in recipiēdo aliqua diuina, vel in tradendo aliis. Ad vtrunq; autem horū requiritur quædam potētia: nā ad tradendum aliquid aliis, requiritur potētia actiua, ad recipiendū autem requiritur potentia paſſiua. Et ideo character importat quandam potentiam ſpiritualem, ordinatam ad ea quæ ſunt diuini cultus. Sciendū tamen, quod hæc ſpiritualis potentia eſt inſtrumentalis, ſicut etiam ſupra dictum eſt * de virtute, quȩ eſt in ſacramentis. Habere enim ſacramenti characterē competit miniſtris Dei. miniſter autē habet per ſe modū inſtrumēti, vt Philoſ.* dicit in 1. Polit. Et ideo ſicut virtus, quȩ eſt in ſacramētis, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem, eo quod eſt quiddam fluens & incompletum, ita etiam character non propriè eſt in genere vel ſpecie, ſed reducitur ad ſecūdam ſpeciem qualitatis.

ar. praec.

c.2.eccle.hier. part.3. parum ante medium.

q. prae. art.4.

lib.1.c.3. aliquantulum à prin.to.5.

Ad primvm ergo dicendum, quod figura est quædam terminatio quantitatis. vnde propriè loquẽdo, non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo propriè prædicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

Ad secvndvm dicendum, quod in tertia specie qualitatis nõ sunt nisi sensibiles passiones vel sensibiles qualitates. Character autẽ non est lumen sensibile, & ideo nõ est in tertia specie qualitatis, vt quidam dixerunt.

Ad tertivm dicẽdum, quod relatio quæ importatur in nomine Signi, oportet quod super aliquid fundetur. Relatio autem huius signi quod est character, non potest fundari immediatè super essentiã animæ, quia sic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, & hoc est essentia characteris. Vnde non oportebit quòd sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

Ad qvartvm dicendũ, quod character habet rationem signi per comparationem ad sacramentum sensibile, à quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principij, per modum iam dictum.* *In cor. art. & ar. prec.*

ARTICVLVS III.

Vtrum character sacramentalis sit character Christi.

4. dist. 4. q. 1. art. 2. & ar. 3. q. 5.

Ad tertivm sic procedit. Videtur, quod character sacramentalis nõ sit character Christi. Dicitur enim Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctũ Dei, in quo signati estis. Sed consignatio importatur in nomine characteris. Ergo character sacramentalis, magis debet attribui Spiritui sancto quàm Christo.

¶ 2. Præterea, Character habet rationem signi. Est autem signum gratiæ, quæ per sacramentum confertur, gratia autem infunditur animæ à tota Trinitate. Vnde dicitur in Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ergo videtur, quòd character sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

¶ 3. Præterea, Ad hoc aliquis characterem accipit, vt eo à cæteris distinguatur. Sed distinctio sanctorum ab aliis, fit per charitatem, quæ sola distinguit inter filios regni & filios perditionis: vt August. *dicit 15. de Trinitate. vnde & ipsi perditionis filij characterem bestiæ habere dicuntur, vt patet Apocal. 13. Charitas autem non attribuitur Christo, sed magis Spiritui sancto: secũdum illud Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vel etiam Patri, secundum illud 2. ad Corinth. vlt. Gratia Domini nostri Iesv Christi, & Charitas Dei. Ergo videtur, quod character sacramentalis, non sit attribuendus Christo. *Lib. 18. ca. 1 co. 3. in prin*

Sed contra est, quod quidã sic definiunt characterẽ. Character est distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali, secundũ imaginem consignans Trinitatem creatam. Trinitati creanti & recreanti, & distinguens à non configuratis

guratis ſecundum ſtatum fidei. Sed character æternus eſt ipſe Chriſtus, ſecundum illud Hebr. 1. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura vel character ſubſtantiæ eius. Ergo videtur, quod character ſit propriè attribuendus Chriſto.

Respondeo dicēdum, quod (ſicut ex ſupradictis patet*) character propriè eſt ſignaculū quoddā, quo aliquid inſignitur, vt ordinatū in aliquem finem: ſicut charactere inſignitur denarius ad vſum cōmutationum, & milites charactere inſigniuntur, quaſi ad militiam deputati. Homo autē fidelis ad duo deputatur. Primò quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ: & ad hoc inſignitur ſignaculo gratiæ, ſecūdum illud Ezech. 9. Signa Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium. Et Apocal. 7. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadúſq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Secundò autem deputatur quiſque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis, ea quæ pertinent ad cultum Dei, & ad hoc propriè deputatur character ſacramentalis. Totus autem ritus Chriſtianæ religionis deriuatur à ſacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quod character ſacramentalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cuius ſacerdotio configurantur fideles ſecundnm ſacramentales characteres, qui nihil aliud ſunt, quàm quædā participationes ſacerdotij Chriſti, ab ipſo Chriſto deriuatæ.

Artic. 1. huius quæſt.

Ad primum ergo dicendum, quod Apoſtolus ibi loquitur de cōſignatione, ſecundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quę fit per gratiam, quæ Spiritui ſancto attribuitur, inquantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid gratis largiatur, quod ad rationem gratiæ pertinet. Spiritus autem ſanctus amor eſt, vnde & 1. ad Cor. 12. dicitur, Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.

Ad secundum dicendum, quod character ſacramētalis eſt res reſpectu ſacramenti exterioris, & eſt ſacramentum reſpectu vltimi effectus. Et ideo dupliciter poteſt aliquid characteri attribui. Vno modo ſecundū rationē ſacramenti, & hoc modo eſt ſignū inuiſibilis gratiæ, quæ in ſacramento confertur. Alio modo ſecundum propriam rationem characteris, & hoc modo eſt ſignum configuratiuum alicui principali, apud quem reſidet autoritas eius ad quod aliquis deputatur, ſicut milites qui deputantur ad pugnam, inſigniuntur ſigno ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Chriſtianum, cuius autor eſt Chriſtus, characterē accipiūt, quo Chriſto configurātur. Vnde propriè eſt character Chriſti.

Ad tertium dicendū, quod charactere diſtinguitur aliquis ab alio, per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterem accipit, ſicut dictum eſt* de charactere militari, quo in ordine ad pugnam, diſtinguitur miles regis à milite hoſtis. Et ſimiliter character fidelium eſt, quo diſtinguūtur fideles à Chriſti ſeruis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præſentis Eccleſiæ. Quorum primum fit per charitatem & gratiam, vt obiectio procedit, ſecundū autē fit per characterem ſacramentalem.

Artic. 1. huius quæſt.

Vnde

Vnde & character bestiæ intelligi potest per oppositum, vel obstinata malitia, qua aliqui deputantur ad pœnam æternam, vel professio illiciti cultus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm character sit in potentiis animæ sicut in subiecto.

4 dist. 4. q. 1. ar. 1. cor. et ar. 3. q. 3.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod character nõ sit in potẽtiis animę sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiã. Sed gratia est in essentia animæ, sicut in subiecto, vt in secunda parte dictum est.* Ergo videtur, quòd character sit in essentia animæ, non autem in potentiis.

1. 2. q. 110. art. 4.

¶ 2. Præterea, Potentia animæ nò videtur esse subiectum alicuius nisi habitus, vel dispositionis. Sed character (vt dictum est*) nõ est habitus, vel dispositio, sed magis potẽtia, cuius subiectum non est nisi essentia animæ. Ergo videtur, quòd character nõ sit, sicut in subiecto, in potentia animę, sed magis in essentia ipsius.

Artic. 2 huius quæst.

¶ 3. Præterea, Potentiæ animę rationalis distinguũtur per cognitiuas & appetitiuas. Sed non potest dici, quod character sit tantùm in potentia cognitiua, neq; etiam tantùm in potentia appetitiua (quia nõ ordinatur, neque ad cognoscẽdum tantùm, neque ad appetendum) similiter etiam non potest dici quod sit in vtraque, quia idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Ergo videtur, quòd character non sit in potentia animæ sicut in subiecto, sed magis in essentia.

SED CONTRA est, quod (sicut in præmissa definitione* characteris continetur) character imprimitur animæ rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima, attenditur secundum potẽtias. Ergo character in potentiis animæ existit.

Ar. præcedenti in arg. sed contra.

RESPONDEO dicendũ, quod (sicut dictum est*) character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiẽdum, vel aliis tradendum ea quæ sunt diuini cultus. Diuinus autẽ cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animę, sed in eius potentia.

Ar. præcedẽti.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationẽ eius ad quod propinquè disponit, non autem secundum rationem eius, ad quod disponit remotè vel indirectè. Character autem directè quidem & propinquè disponit animã ad ea, quæ sunt diuini cultus exequenda, & quia hæc idoneè non fiũt sine auxilio gratiæ (quia vt dicitur Ioan. 4. Eos qui adorant Deum, in spiritu & veritate adorare oportet) ex consequenti diuina largitas recipientibus characterẽ, largitur gratiam, per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum, secundum rationem actuum ad diuinum cultum pertinentium, quàm secundum rationem gratiæ.

AD SECVNDVM dicendũ, quod essentia animæ est subiectum potentiæ naturalis, quæ ex principiis essentiæ procedit. Talis autẽ potentia non est character, sed est quædã

 spiri-

spiritualis potentia, ab extrinseco adueniens. Vnde sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter viuit, ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim & dispositio pertinent ad potentiam animæ, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiæ sunt principia. Et eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, est potentiæ tribuendum.

In cor. ar. AD TERTIVM dicendum, quod (sicut dictum est*) character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus. Qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiua potētia animæ, in qua est fides.

ARTICVLVS V.

Vtrùm character insit animæ indelebiliter.

4. dist. 4. q. 1. ar. 3. q. 4. Et Rom. 7. col. 2. AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quod character non insit animæ indelebiliter. Quantò enim aliquod accidens est perfectius, tātò firmius inhęret. Sed gratia est perfectior, quàm character: quia character ordinatur ad gratiā sicut ad vlteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatū. Ergo multò magis character.

¶ 2. Pręterea, Per characterem aliquis deputatur diuino cultui, sicut dictum est.* Sed aliqui à cultu diuino transeunt ad cōtrarium cultū, per apostasiā à fide. Ergo videtur, quod tales amittant characterē sacramentalem. ar. 1. & 2. huius quæst.

¶ 3. Præterea, Cessante fine, cessare debet & id quod est ad finē, alioquin frustrà remaneret, sicut post resurrectionē non erit matrimoniū, quia cessabit generatio, ad quam ordinatur matrimoniū. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, nō remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character sacramentalis nō manet in perpetuum in anima, & ita non inest indelebiliter.

SED CONTRA est, quod Aug. *dicit secundo cōtra Parmenianū: Non minus hærēt sacramēta Christiana, quàm corporalis nota militię. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest. Lib. 2. c. 13. à me. to. 7.

RESPONDEO dicēdum, quod (sicut dictum est†) character sacramētalis est quędam participatio sacerdotij Christi in fidelibus eius, vt scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotij potestatē, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquā spiritualem potestatē respectu sacramentorum, & eorum quæ pertinēt ad diuinum cultū. Et propter hoc etiam Christo non cōmpetit habere characterē, sed potestas sacerdotij eius cōparatur ad characterem, sicut id quod est plenū & perfectū ad aliquam sui participationē. Sacerdotium autem Christi est æternum, secundū illud Psal. 109. Tu es sacerdos in æternū, secundum ordinē Melchisedech. Et inde est, quod omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re cōsecrata manēte. Quod patet etiam in rebus inanimatis, nā Ecclesię vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cùm igitur anima sit subiectum characteris secūdum intelle- Art. 3. huius quæst.

intellectiuam partem, in qua eſt fides (vt dictum eſt*) manifeſtũ eſt, quod ſicut intellectus perpetuus eſt & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

Art. præce. ad 3. arg.

Ad primvm ergo dicendum, quod aliter eſt in anima gratia, & aliter character. Nam gratia, eſt in anima ſicut quædam forma habens eſſe completum in ea, character autem eſt in anima, ſicut quædam virtus inſtrumẽtalis, vt ſuprà † dictum eſt. Forma autem completa eſt in ſubiecto, ſecundum conditionem ſubiecti, & quia anima eſt mutabilis ſecundum liberum arbitrium, quandiu eſt in ſtatu viæ, cõſequens eſt, quod gratia inſit animæ mutabiliter. Sed virtus inſtrumentalis magis attenditur ſecundum conditionẽ principalis agentis, & ideo character indelebiliter ineſt animæ, non propter ſui perfectionem, ſed propter perfectionem ſacerdotij Chriſti, à quo deriuatur character, ſicut quædã inſtrumentalis virtus.

Art. 2.

Ad secvndvm dicendum, quod ſicut * Auguſt. dicit ibidem. Nec ipſos apoſtatas videmus carere baptiſmate, quibus vtiq; per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe iudicatur. Et huius ratio eſt, quia character eſt virtus inſtrumentalis, vt † dictum eſt. Ratio autem inſtrumenti conſiſtit in hoc quòd ab alio moueatur, non autem in hoc quòd ipſum ſe moueat, quod pertinet ad volũtatem. Et ideo quantumcunq; voluntas moueatur in contrarium, character non remouetur, propter immobilitatẽ principalis mouẽtis.

Li. 1. cõtra Dona. parum à prin. tom. 7.

In ſolutione præce.

Ad tertivm dicẽdum, quod quamuis poſt hanc vitam nõ remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo poſt hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris caracter remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his qui ſunt victi, ad pœnam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia ſacramenta nouæ legis imprimatur character.

Ad sextvm ſic proceditur. Videtur, quod per omnia ſacramenta nouæ legis imprimatur character, per omnia enim ſacramenta nouæ legis fit aliquis particeps ſacerdotij Chriſti. Sed character ſacramentalis nihil eſt aliud, quàm participatio ſacerdotij Chriſti, * vt dictum eſt. Ergo videtur, quòd per omnia ſacramenta nouæ legis imprimatur character.

Inf. q. 72. ar. 5. Et 4. diſt. 4. q. 1. ar. 4. q. 2. & 3. & q. 3. art. 2. q. 3. Et di. 7. q. 2. ar. 1. q. 1. & q. 3. ar. 3. q. 3. & diſt. 23. q. 1. art. 2. q. 3.

** Ar. 3. & 5. huius quæſt.*

¶ 2. Præterea, Character ſe habet ad animam in qua eſt, ſicut conſecratio ad res conſecratas. Sed per quodlibet ſacramentum nouæ legis homo recipit gratiam ſanctificantem, * vt ſuprà dictum eſt. Ergo videtur, quòd per quodlibet ſacramentum nouæ legis, imprimatur character.

** quæſt. præce. art. 1.*

¶ 3. Præterea, Character eſt res & ſacramentum. In quolibet autem ſacramento nouæ legis eſt aliquid quod eſt res tantùm, & aliquid quod eſt ſacramentum tantũ, & aliquid quod eſt res & ſacramentum. Ergo per quodlibet ſacramentum nouæ legis imprimitur character.

Sed contra eſt, quod ſacramẽta, in quibus imprimitur chara-

ƈter, non reiterantur, eo quod character est indelebilis, † vt dictum est. Quædam autem sacramenta iterantur, sicut patet de pœnitentia & matrimonio. Ergo nõ omnia sacramenta imprimunt characterem.

Art. præc.

RESPONDEO dicẽdum, quod (* sicut suprà dictum est) sacramẽta nouæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum diuinum. Est autem omnibus sacramentis commune, quòd per ea exhibetur aliquod remediũ contra peccatũ, per hoc quòd gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum, sicut patet de pœnitentia, per quam homo liberatur à peccato, nõ autem per hoc sacramentum, exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad diuinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad diuinum cultum tripliciter, vno modo per modum ipsius actionis, alio modo per modũ agentis, tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad diuinum cultum Eucharistia, in qua principaliter diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ sacrificium. Et per hoc idem sacramentum nõ imprimitur homini character, quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud vlterius agendum, vel recipiẽdum in sacramentis, cùm potius sit finis & consummatio omnium sacramentorũ, vt † Dionys. dicit 3. ca. Eccles. hierar. Continet tamẽ in seipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotij plenitudo.

Quæst. 62. ar. 1. & 5.

Ca. 3. ecclesiast. hier. circa principium illius.

Sed ad agentes in sacramentis, pertinet sacramentũ ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesię sacramenta. Vnde Baptismus dicitur esse ianua omnium sacramẽtorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, vt infrà suo loco dicetur. † Et ideo per hæc tria sacramenta character imprimitur, scilicet per Baptismum, Confirmationem & Ordinem.

Q. 72. art. 5.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotij Christi, vt pote percipiens aliquem effectum eius. Non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendũ aliquid vel recipiendum, quod pertineat ad cultũ sacerdotij Christi. Quod quidẽ exigitur ad hoc quod sacramentũ characterẽ imprimat.

AD SECVNDVM dicendum, quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat mũdiciem à peccato, quæ fit per gratiam. Sed specialiter per quædam sacramenta, quæ characterem imprimũt, homo sanctificatur quadam consecratione, vt pote deputatus ad diuinum cultũ. Sicut etiã res inanimatæ sanctificari dicuntur, in quantum diuino cultui deputantur.

AD TERTIVM dicendũ, quod licet character sit res & sacramentum, non tamen oportet, omne id quod est res & sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res & sacramentum, in aliis sacramentis infra * dicetur.

In materia cuiusque in speciali.

Sententiæ

Sententiæ & conclus. quæst.

PRima cõclusio, ex ar. 1. 2. & 3. *Character alter effectus* [1] *quorundam sacramentorum, est potestas* [2] *spiritualis: qua ad diuinum cultum consignamur: de sa* [3] *cerdotio Christi aliquid participantes.*

Ratio primi: quia sacramentis Deo mancipamur ad aliquod munus spirituale, quod est charactere designari.

Ratio secundi: quia ad Deum colendum, vel recipientes, vel conferentes diuina, charactere potentes efficimur.

Ratio tertij: quia verus Dei cultus à sacerdotio Christi deriuatur, vt ab exemplari effectiuè, & meritoriè: & character est potestas ad diuinum cultum, constituens sacerdotes, vel ad offerẽdum spirituales hostias tantùm, vel præterea sensibilem, manifestam, & incruentam in missa.

¶ Secunda conclusio. *Character* [1] *in intellectu, perpetuus* [2] *manet & indelebilis:* [3] *ad recipiendũ quidem per baptismum & confirmationem, ad conferẽdum per ordinem, ex art. 4. 5. & 6.*

Ratio primi: quia fides est in intellectu, & diuinus cultus cuius gratia est character, est fidei quædam protestatio.

Ratio secundi: quia sacerdotium Christi, cuius quędam participatio est character, æternum est.

Ratio tertij: quia tribus tantùm sacramentis, baptismo, confirmatione & ordine, plenè & perfectè ad Dei cultum consignamur.

COMMENTARIVS.

Guillel. Alan. de sacramentis in genere à c. 43. ad. c. 48.

1 DE effectu communi omnium sacramentorum nouę legis dictum est, restat dicendum de quorundam proprio: vt enim omnibus sacramentis nouæ legis sanctificamur, recipientes primã gratiam, vel ipsius augmentum: sic tribus sacramentis, baptismo, confirmatione, & ordine, charactere insignimur indelebili, & ideò tria sacramenta iterari & repeti in eodem non possũnt. Dicitur autem in sancta scriptura character, impressa ab alio species & imago, vt Hebr. 1. dicitur filius character Patris, quẽ reddit noster interpres, figuram scilicet impressam, ex similitudine signi & notæ, quę per inustionem ferri pecori imprimitur. Eodem sensu dicitur character bestiæ Apoc. 13. & 16. vt enim pecus charactere ferri inusto, firmam & indelebilem notam possessoris sui gerit: sic Christus in tribus illis sacramentis suscipientes designat, vt ipsi in quibusdam actibus configurentur, ad illum pertinere dignoscantur, & ab hostibus & aliis fidelibus, non consignatis ad huiusmodi ministeria, distinguantur. Græci patres vocant characterem vt Latini, sed pręterea, esphragidem, idest signum impressum: verbo quidẽ sphragizo vtitur Ioan. c. 3. cum ait, hũc pater signauit Deus, &, qui recipit eius testimonium, is obsignauit quòd Deus verax sit, & Paulus Eph. 1. obsignati estis spiritu.

Plin. lib. 35. c. 6. de terra Lẽmia, nec nisi signata vendebatur, vnde & sphragidẽ appellauere. σφραγίζω.

2 Huiusmodi igitur characteris impressi ouibus Christi, vt ad quædam ministeria specialiter consignentur, & ab infidelibus distinguantur, expressa assertio est in Patribus & cõciliis plenariis. Dyonis. c. 2. Eccles. hier. inquit baptizatum sacramento sphragidẽ, idest, notam & characterem accipit, quam susceptam, significat baptizati & spõsoris descriptio in monumentis sacris & codicibus. Eiusdem characteris meminit sæpè D. Aug. Naziãz. oratione de baptismo, Damasc. lib. 4. c. 10. de fide, & alij pleriq; citati à Thoma Vvaldens. de sacramentis c. 109. Huius consignationis mentio est in sancta scriptura, sed aliquando est cõsignatio gratiæ insulæ, vt Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis in die redemptionis: aliquando videtur esse propria huius characteris, vt 2. Corinth. 1. vnxit nos Deus, qui & signauit nos. Hîc enim distinguitur consignatio, quæ propria est characteris, ab vnctione spiritus, quę gratię propria est. in quem sensum inquit Epiph. lib. 1. hęresi. 8. baptismus & circuncidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei. Damasc. lib. eod. 4. c. 5. per baptismum, inquit, accipimus primitias spiritus,

Characteris assertio ex patrib. & concil.

ritus,& deinde signaculum, & tutelam & sanctificationem. Cyril. Hierosf.catech.17. sub finem. Ambros.lib.1.de Spiritu sancto c.6.& pleriq; alij ad eűdem locum D. Pauli 2.Cor.1.

3 Quamuis autem posset aliquis, ipsam susceptionem sacramenti, cősignationem intelligere,& non manentem ex susceptione baptismi characteré,animę impressum: tamen patres videntur sic distinxisse,& ex illis plenaria concilia difiniuisse, vt Florét. sess.vltima in doctrina de sacramentis, Trident.sess.7.de sacramentis in genere Ca.9. & Innocent. III. in c. Maiores de bapt. inquit sacramentalem operationem in quibusdam imprimere characterem,etiá quibus non confertur gratia.quę sententia sępè à D. Augustino repetita est,cum affirmat characterem dominicum inueniri in sceleratissimis,& nő deleri per peccatum, neq; per hæresim.

4 Vnde secűdum fidem catholicam his conciliis expressam,& patribus & scripturæ congruentem,asserendum est,characterem esse aliam rem ab ipsa sacramenti receptione,quam hæretici volunt esse characterem,& externam tantùm fidei professionem;& ita character esset effectus omnium sacramentorum.deindè asserendum est, esse aliud,quam gratiam sacramentis collatam,cum permaneat in peccatoribus & hæreticis, in quibus gratia esse non potest. Quid autem sit, ad controuersiam theologorum scholasticã pertinet: de qua hæc nobis certa sententia est:character est potestas indelebilis,qua ad specialia quædam religionis ministeria consignamur, & deputamur.Primò asserimus esse qualitatem permanentem in specie potentiæ & potestatis,& non tantùm respectum rationis & cogitationis,per quem mens hominis distinguit recipientes hæc sacramenta, ab his qui non receperunt, non quidem ex qualitate, quæ insit homini, sed ex actu transeunti,ex quo ratio fundat illam distinctionem. Id autem ostenditur primò, quia Deus solet ministris, quos instituit, talem qualitatem permanentem imprimere:qua muneri suo congruenter accommodétur, & non tantùm sola nominatione externa eligere, vt sæculi principes; sic de gratia & virtutibus definitű est in Viennensi Conc. & in Tridét.sess.6.c.7.& Can. 11. Ergo nő minus probabile est, Deum sic instituere

Disputatio de essentia characteris, cum catholicis & hęreticis.

An character sit potestas anima impressa.

ministros ad specialia munera religionis, per qualitatem verè infusam & permanentem. Idem confirmant illa vocabula impressionis & inhæsionis,quę ab Augustino & conciliis in hac re vsurpantur: quia non possunt relationibus rationis verè attribui & propriè.Secundò hæc videtur esse intentio concilij Tridentini in refellendis hæreticis, qui se veritati characteris opposuerunt.Hi enim non videntur aliud negasse, quam huiusmodi qualitatem inhęrentem, cum discrimen baptizati & non baptizati, ordinati & nő ordinati respectu præcedentium actionum sacramentalium,& ideò secundum relationem rationis, non negauerint.Solét auté hæretici,in omnibus sacramétis, studiosè negare habitus huiusmodi permanétes gratiarum & virtutum, vt hac ratione,instrumenta Dei magis inania & inefficacia reddant:sic pro vera remissione,dicunt non imputari peccatum,pro vera iustitia, imputationem iustitiæ Christi, consistentem in quadam relatione rationis,inducunt, & pro vera qualitate characteris,relationem illam rationis.

5 Ex cuius qualitatis permanentis ignoratione,ortus est grauis ille aduersariorum error,non minus posse deponi,aut abdicari magistratum sacrum, quam prophanű: & simul cum amissa officij executione,pro reip.aut principum voluntate,potestatem etiam omné amitti. Vnde creditur ortum esse schisma Donatistarum,putantiű simul cű gratia amissa,tolli ius & potestaté ad sacramenta administranda.In D.Augustino characterem esse permanenté qualitatem, ostendunt illæ rationes dicendi,quibus vtitur lib.2.cont.epist.Parm.c.13.ep.44.lib.6. cont.Donatist. c.1. in serm. de gestis cum Emerito Donatista. epist. 50. ad Bonifac. tract.6.in Ioan.lib.1.cont.Crescon.Grãm. c.30.sunt autem hæ, characterem inhærere,infigi,permanere,portari, imprimi, signari,dari,accipi:non corrumpi,nő destrui, non rescindi,non violari,non detrahi, non deleri,non amitti, & alia his similia. Non esse autem characteré gratiam sacramenti,confirmant illa testimonia, quæ docent eum esse,dari & recipi sine charitate, permanere in sceleratissimis & apostatis, quę affirmat August.tract.5. in epist.can.Ioan. lib.2.cont.Parmen.c.13. Sed dicitur character aliquando sanctitas sacramenti, quia effecta est per sacramentum sanctum, &

per

per consecrationem eius cui datur character. De sacramento autem baptismi & ordinis, imprimentibus characterem, extat elegantissimum testimonium lib. 1. contra Donatist. c. 1. Et mirandum est non considerasse aduersarios, hunc permanentem characterem, attribui non omnibus sacramentis, sed tribus tantùm: quod si character esset relatio illa rationis, omnibus sacramentis conueniret, vt ostensum est. Neq; etiam animaduertunt, hæc omnia à patribus affirmari, non tanquã dubia & incerta, sed tanquam recepta & probata semper in Ecclesia catholica.

q. 63. artic. 1. & 2.

6 Ostendimus characterem esse qualitatem permanentem, in suscipiente illa tria sacramenta, baptismum, confirmationem, ordinem: esse potestatem, nunc ostendendum est. Charactere enim sacramẽtorum deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis: sicut in omnibus rebusp. qui ad munus aliquod deputantur, signo aliquo consignari solent, & in omni militia benè instituta: & sacramentis perficitur anima ad cultũ Dei, & ideò in sacramentis cultum esse positum ostendimus principio huius doctrinæ de sacramentis: sed qui deputantur ad aliquod ministerium, potestate deputantur, vel recipiẽdo, vel tradendo aliis diuina: character igitur erit huiusmodi potestas. Sic charactere baptismi idoneus efficitur homo ad reliqua sacramenta recipienda, & si baptizatus non sit, characterem cõfirmationis aut ordinis non recipiet.

Art. 4.

Cum autem potẽtia sit proximum operandi principium, & character sit potestas, congruenter & accommodatè in potentia constituitur, vt ex vtraque perfecta operatio prodire possit: & quia character pertinet ad cultum Dei, & is cultus est quædam fidei Christianæ professio, & fides est in intellectu, rectè character dicitur esse in intellectiua potentia, tã quam in subiecto. neq; enim potest esse in potentia organica, cum sit spiritualis potestas: & intellectualis partis superioris, duæ tantùm sunt potentiæ intellectus & voluntas: quare cum non pertineat ad appetendum, sed ad exercendũ cultum, protestantem fidẽ Christianam, meritò collocatur in intellectu, quod est fidei subiectum.

Artic. 3.

7 Hæc potestas characteris in intellectu existẽs, fundat relationem signi, à quo, qui charactere notantur, dicuntur consignati: & ea ratione character definiri solet, signũ sanctæ communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum à hierarcha, vt in militia character imperatoris, cõsignat & deputat milites, ad propria munera: vt igitur gratia nos consignat ad beatitudinem, sic character ad munus aliquod religionis & diuini cultus. cum autem omnis huiusmodi cultus à sacerdotio Christi deriuetur, efficitur necessariò, charactere fideles participes fieri sacerdotij Christi, & eidem configurari: per characterem quidem baptismi & confirmationis, deputantur ad cultũ Dei in protestatione & defensione fidei, & reddũtur idonei ad offerendum spirituales hostias, vt cõtriti cordis, & gratiarum actionis, iuxta illud 1. Pet. 2. quod dicitur de omnibus fidelibus, vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum: per characterem autem ordinis configuramur Christo sacerdoti, ad cultũ Dei publicum & ministerium, vt tandem per sacerdotium offeramus Deo verum & propitiatorium sacrificium pro populo. Rectè igitur, qui characterem sacramentorum, Christi characterẽ appellauerũt, non quia illi insit, qui nullo huiusmodi charactere indiguit, neq; quod sit ab eo tãtùm vt causa principali & autore sacramentorum: sed quòd Christo vt exẽplari nos configurat, & conformes reddit, nos deputando ad cultum Christianũ, qui à sacerdotio Christi omnino deriuatur. Vnde sicut Christus habet plenam spiritualis & Christiani sacerdotij potestatem, ita fideles per characterẽ sacramentorum, participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, & eorum quę ad diuinum cultũ pertinent: vt potestas Christi sit plena & perfecta, characteris autẽ sit quædam illius participatio, & ideò in Christo habente plenitudinem sacerdotalis potestatis, character, cùm sit illius participatio, esse non potest.

8 Ex his efficitur ratio ad concludendũ, characterem esse indelebilem: sacerdotiũ enim Christi, cui charactere cõfiguramur, æternum est, sicut scriptum est, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. & Heb. 7. sed omnis sanctificatio & consecratio deriuatur à sacerdotio Christi, & charactere consecramur in Dei cultũ: omnis ergo consecratio & cha-

& character æterna sint oportet, vt manente re consecrata deleri non possit consecratio aut character. cùm autem character sit in potentia intellectiua, quæ immortalis est & æterna, si ex se deleri non potest, vt ostensum est, omninò æterna erit, cùm neque subiectũ deleri possit. itaq; impressus character animæ, conseruatur & permanet ad omnem æternitatẽ, siue in corpore, siue extra corpus, siue in cælo, siue in inferno, vel ad gloriam, vel ad testimonium contẽptus & ignominiam: neque ad eius acceptionem vel retẽtionem potest aliquis vllũ ponere obicem, modo verum sacramentũ suscipiatur, & suscipiens intendat sacramẽtum Ecclesię recipere. sicut etiam militaris character, adepta victoria remanet in militibus, in his quidem qui vicerunt ad gloriã, & in victis ad pœnam.

Characteris munera.

9 Ex his colliguntur munera & effecta characteris. Primùm enim est discrimen spirituale, quo ab infidelibus distinguamur, & Christo atque fidelibus consociemur in anima. Secundò, per characterẽ est in nobis legitima potestas accipiendi & cõferendi sacramenta & quædam spiritualia, & ideò pertinet character ad instrumẽtalem vim ministrorum. Tertiò, character hominem irreuocabiliter diuino cultui dedicat, non omninò, vt monachos religionis certæ professio, sed determinatè ad quædã religionis officia. Ex primo munere dicitur à vetustis theologis character, sigillũ & signaculũ: ex altero, dicitur ius & potestas accipiẽdi & dãdi sacramẽta & sacra: ex tertio dicitur sanctitas sacramentalis, & hominis consecratio, non qua fit bonus, sed qua diuino cultui mãcipatur. Ex hoc verò secũdo, orta est illa distinctio Theologorum in sacramentis imprimentibus characterem: vt sit sacramentũ tantùm, res & sacramentum, res tantùm. sacramentum tantùm, est signum externum sensibile gratiæ efficax: res & sacramentum, est effectum interius à signo externo, quod effectum prætereà aliud significet: quale est character, quod significat adiunctam gratiam, nisi obicem in subiecto inueniat. itaq; cum dicitur sacramentum & res, illa additio, [& res] minuit rationem sacramenti, quod per se est signum sensibile, vt suo loco ostendimus, cum dicatur sacramentum, quod in anima latens sensibus non patet, ex eo tantùm, quòd aliud significat. Res tantùm, dicitur effectus sacramenti, qui nihil amplius significat, vt gratia in baptismo; valet eadem distinctio in aliis sacramentis, vt suo loco ostendetur.

10 Cùm autem ex primo effectu characteris constet, nos per eum in familiã Christi cooptari, & ouili eius contineri, & ipse character perpetuò animæ insit indelebilis, efficitur necessariò, vt ex manente in nobis charactere, perpetuũ habeat Ecclesia catholica in omnes baptizatos ius, vt nullis peccatis contaminati, & ab Ecclesia separati, vt schismatici & hæreti & apostatæ, possint se ab Ecclesiæ legibus & pœnis in libertatem æthnicam vẽdicare, & omninò eluere baptismum: vt conatum ferunt Iulianum apostatam, referente Nazianz. oratione prima in eum. Multo etiã minus qui in infantia baptizati sunt, possunt cùm adoleuerint, pro arbitrio, aut retinere religionis Christianæ statum, in quem aliena opera inserti sunt, aut eundem, si ita velint & protestentur, penitus abdicare: vt definitum est in Concil. Trident. sess. 7. Can. 14. de bapt.

Sacramẽta imprimentia characterem.

11 Húnc characterem, cuius naturam & munera explicauimus, tria sacramenta imprimunt, ad proprios effectus accõmodatè, baptismus, confirmatio, ordo: quoniam licet omnia sacramenta sint medicamenta quædam peccatorum, quatenus gratiam cõferunt, qua sanctificati mũdamur à peccatis, sint etiam quidam cultus Dei, quatenus illorum vsu, nostram indigentiam, & redemptoris beneficia ad nostrã salutem protestamur: tamen quædam prætereà specialiter ad diuinum cultum sunt instituta, quoddam etiam ad delendum peccatum, vt pœnitentia, quæ hominem in pristinum statum diuinæ amicitiæ reuocat, & nihil amplius confert ad diuinum cultum directò & specialiter pertinens, vt ea sacramenta quæ imprimũt characterem. Cùm autem ad hunc specialem cultum, pertineat aliqua actio, in qua præcipuè is cultus positus est, deinde agens & recipiens, & ipsa actio cultus, pręcipuè sit in oblatione Eucharistiæ in qua Christus realiter continetur, & in eo plenitudo sacerdotij, ipsa Eucharistia non imprimit characterem, cùm non referatur ad aliam actionem, finis existens & consummatio omnium ad cultum Dei pertinentium. in agentibus verò & patientibus necessarius est character, vt illi

ad conse-

ad conferendum sacramenta sint idonei, & deputati, hi autem ad recipiendum & participandum, donec ipsa Eucharistia perficiantur.

12 Ad recipiendum igitur cætera sacramenta, character baptismi pertinet, & ideò vocatur baptismus, ianua sacramentorum & Ecclesiæ, & prima fidei & religionis Christianæ professio: & ipsius charactere ab infidelibus distinguimur, & vitam spiritualē regeneratione baptismi exordimur. character verò confirmationis ad idē quodammodo pertinet, quatenus perductos spiritualiter ad virilem ætatem, munit & consignat ad pugnam cōtra visibiles fidei hostes, & à paruulis in fide distinguit: vt sicut baptizatus profitetur fidem susceptione aliorum sacramentorum, & contra inuisibiles hostes religionis nostræ pugnat: sic cōfirmatus fidem publicè, contra visibiles & manifestos fidei hostes, profitetur. Pro charactere autem baptismi nos distinguente ab infidelibus, videtur fuisse in vet. lege externa nota circuncisionis, cùm nullum sacramētum vet. legis characterem imprimeret. Character deniq; ordinis, ministros ad conferēdum aliis sacramenta, & ad cultum Dei specialem & publicum consecrat, & ab aliis fidelibus, qui in his ministris non numerantur, distinguit. Vnde in his tribus sacramentis baptismo, confirmatione, & ordine, Ecclesia catholica semper docuit imprimi characterem, non autem in aliis: vt quemadmodū in militia vnus exercitus distinguitur propria nota ab alio, & in eodem exercitu, equites à peditibus, & duces ab aliis militibus: sic etiam in religione Christiana tres essent characteres, qui proportione eisdem responderent.

13 Ex his autem characteribus, vt effectis natura posterioribus cùm perpetuò maneant, probant patres, tria illa sacramenta, baptismum, confirmationem & ordinem, in eodem suscipiente iterari non posse, cætera verò posse: quia non imprimant characterem: licet enim per ea aliquem effectum sacerdotij Christi recipiamus, non tamen consecramur ad agendū vel recipiendum aliquid, quòd ad cultum sacerdotij Christi pertineat. Patrum de hac re testimonia pleriq; collgereūt, sed præcipuè Thom. Vualden. de sacramētis c. 110. atque ita definitum est in concilio Florēt. sess. vlt. in doctrina de sacramētis, & in Trident. sess. 7. can. 9. de sacramentis in genere: si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo, scilicet, confirmatione & ordine nō imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddā spirituale & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.

QVÆSTIO LXIIII.

De causa Sacramentorum, in decem articulos diuisa.

Deinde considerandum est de causis sacramentorum, siue per autoritatem, siue per ministerium.

¶ Et circa hoc quæruntur decem.

Primò, vtrum solus Deus interius operetur in sacramentis.

Secundò, vtrum institutio sacacramentorum sit solùm à Deo.

Tertiò, de potestate, quam Christus habuit in sacramentis.

Quartò, vtrum illam potestatem potuerit aliis communicare.

Quintò, vtrū potestas ministerij in sacramentis, conueniat malis.

Sextò, vtrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimò, vtrum angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octauò, vtrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nonò, vtrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet, quod infidelis non possit tradere sacramenta.

Decimò, vtrum requiratur ibi recta intentio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod nō solus De⁹, sed etiam minister interius operetur ad effectum sacramēti. Interior enim sacramenti effectus est, vt homo *Infr. art. 5. Et 4. dist. 5. q. 2. ar. 2. q. 2.*

mo purgetur à peccatis, & illuminetur per gratiã. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare & perficere, vt patet per Dionys.* in 5. ca. Eccl. hierar. Ergo videtur, quòd nõ solus Deus, sed etiã ministri Ecclesiæ interius operentur ad sacramenti effectum.

c. 5. 1. par. per totum.

¶ 2. Prçterea, In collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deũ exaudibiles, quàm quorumcũque, secundum illud Ioan. 9. Si quis Dei cultor est, & volũtatem eius facit, hunc Deus exaudit. Ergo videtur, quod maiorem effectum sacramenti cõsequatur ille, qui recipit ipsum à bono ministro. Sic ergo & minister aliquid operatur ad interiorem effectum, & non solus Deus.

¶ 3. Præterea, Dignior est homo, quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum: nam aqua corpus tangit, & cor abluit, vt August.* dicit super Ioan. Ergo homo aliquid operatur ad interiorẽ effectum sacramenti, & non solus Deus.

Tract. 80. in Ioã. post. to. 9.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 8. Deus est qui iustificat. Cũ ergo interior effectus omnium sacramentorum sit iustificatio, videtur, quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

Respondeo dicendum, quod operari aliquem effectum, contingit dupliciter, vno modo per modũ principalis agentis, alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorẽ effectũ sacramenti: tum quia solus Deus illabitur animę, in qua sacramẽti effectus existit, nõ autẽ potest aliquid immediatè operari, vbi non est. Tum quia gratia quæ est interior sacramenti effectus, est à solo Deo, vt in secunda parte dictum est.* Character etiam, qui est interior quorũdam sacramentorũ effectus, est virtus instrumentalis, quæ manat à principali agente, quod est Deus. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, inquãtum operatur per modum ministri, nam eadẽ ratio est ministri & instrumenti, vtriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

1. 2. q. 112. ar. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod purgatio, secundũ quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est à peccato. Sed dicuntur diaconi purgare inquantum, vel immundos eiiciũt à cœtu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponũt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrũ populum, non quidẽ gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, vt patet per Dionys.* ibidem.

* Loco citato in arg. 1.

Ad secundum dicendum, quod orationes quæ dicuntur in sacramentorum collatione proponũtur Deo nõ ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cuius preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Nihil tamen prohibet, quin deuotio viri iusti, ad hoc aliquid operetur. Illi tamẽ quod est sacramenti effectus non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis,

q.62.ar.5. cramentis, vt dictũ est.* Vnde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum imperrari potest recipienti sacramentum, per deuotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo.

Ad tertium dicendum, quod res inanimatę non operātur aliquid ad interiorem effectum, nisi instru- In cor. ar. mentaliter vt dictum est *. Et similiter homines non operantur ad sacramentorũ interiorem effectum, nisi per modum ministerij, vt di- Ibid. ctum est.*

ARTICVLVS II.
Vtrùm sacramenta sint solùm ex institutione diuina.

4.dist.3.q.1. ar.2.q.2.cor. & dist.5.q.1. ar.1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod sacramenta non sint solùm ex institutione diuina. Ea enim quæ sunt diuinitus instituta, traduntur nobis in sacra scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis de quibus nulla fit mentio in sacra scriptura, puta, de chrismate, quo homines confirmātur, & oleo, quo sacerdotes inungũtur: & de multis aliis tam verbis, quā factis, quibus vtimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solùm ex institutione diuina.

¶ 2. Præterea, Sacramēta sunt quædam signa. Res autem sensibiles naturaliter quædam significāt, nec potest dici quod Deus quibusdam significationibus delectetur, & non aliis, quia ipse omnia quę fecit approbat. Hoc autem proprium videtur esse dæmonum, vt quibus- Lib.21.ca.6. parum ante med.to.5. dam signis ad aliquid alliciantur, dicit enim August. * 21. de Ciuitate Dei. Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus cōdidit, delectabilibus pro sua diuersitate diuersis, nō vt animalia cibis, sed vt spiritus signis. Nō ergo videtur, quod sacramenta indigeant esse ex institutione diuina.

¶ 3. Præterea, Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: vnde Apostolus dicit 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, id est, ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur, quod Apostoli & eorum successores possint noua sacramenta instituere.

Sed contra est, quod ille instituit aliquid, qui dat ei robur & virtutem, sicut patet de institutoribus legum. Sed virtus sacramenti est à solo Deo, vt patet † ex prædi- Art. praec. & q.62.art.1.& 5. ctis. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum.

Respondeo dicēdum, quod (sicut ex supradictis patet †) sacra- art. praec. menta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex, scilicet instituens sacramentum, & vtēs sacramēto instituto, applicando scilicet ipsum ad inducendum effectũ. Virtus autē sacramenti non potest esse ab eo, qui vtitur sacramento, quia non operatur nisi per modum ministerij. Vnde relinquitur, quod virtus sacramēti sit ab eo, qui instituit sacramentum. Cùm igitur virtus sacramenti sit à solo Deo, consequēs est, quod solus Deus sit sacramētorum institutor.

Ad primum ergo dicendum, quod illa, quę aguntur in sacramentis

tis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed ad quandam solennitatem, quæ adhibetur sacramentis, ad excitandam deuotionem & reuerentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea verò quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus & homo. Et licet nõ sint omnia tradita in scripturis, habet tamẽ ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit 1. ad Cor. 11. Cętera cùm venero disponam.

AD SECVNDVM dicendũ, quod res sensibiles aptitudinem quandã habent ad significãdum spirituales effectus ex sui natura, sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione diuina. Et hoc est quod Hug.* de sancto Vict. dicit, quod sacramẽtum ex institutione significat. Præelegit tamẽ Deus quasdam res aliis ad significationes sacramentales, non quia ad eas cõtrahatur eius effectus, sed vt sit conuenientior significatio.

*lib. 1. de sacrã. part. 9. c. 2.

AD TERTIVM dicendũ, quod Apostoli & eorũ successores, sunt vicarij Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem & fidei sacramenta. Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiã, ita non licet eis tradere aliam fidẽ, neq; instituere alia sacramenta, sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerũt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

Infr. art. 4. co. Et 4. di. 5. q. 1. ar. 1. & q. 2. ar. 2. q. 2.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundũ quod homo, habuerit potestatẽ operãdi interiorem effectũ sacramentorum. Dicit enim Ioã. Baptista, vt habetur Ioã. 1. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritũ descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Sed baptizare in Spiritu sancto, est interius gratiam Spiritus sancti conferre, Spiritus sanctus autem descendit super Christum inquantum homo, non inquantum Deus, quia sic ipse dat Spiritum sanctum. Ergo videtur, quod Christus secundum quod homo, habuerit potestatem interiorem effectum sacramẽtorum causandi.

¶ 2. Præterea, Matth. 9. Dominus dicit. Sciatis quia Filius hominis habet potestatẽ in terra dimittendi peccata, Sed remissio peccatorũ est interior effectus sacramenti. Ergo videtur, quod Christus, secundum quod homo, interiorem effectum sacramẽtorum operetur.

¶ 3. Præterea, Institutio sacramentorum pertinet ad eum, qui tãquam principale agens operatur ad interiorem sacramenti effectũ. Manifestum est autem, quòd Christus sacramenta instituit. Ergo ipse est qui interius operatur sacramentorum effectum.

¶ 4. Præterea, Nullus potest sine sacramento effectum sacramenti cõferre, nisi propria virtute sacramenti effectum operetur. Sed Christus sine sacramento contulit sacramenti effectum, vt patet in Magdalena, cui dixit: Dimittũtur tibi peccata. Ergo videtur, quòd Christus secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

¶ 5. Pręterea, Illud in cuius virtute

tute ſacramentũ operetur, eſt principale agens ad interiorem effectum. Sed ſacramenta habent virtutem ex paſſione Chriſti & inuocatione nominis eius, ſecundum illud 1. ad Corinth. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Ergo Chriſtus inquantum homo, operatur interiorem effectum ſacramenti.

Habetur 1.q. 1.c. multi ſecularium: & medius illius ſimile habet Aug li. 3. contra Don͞at. ca.10. à med. tom.7.

SED CONTRA eſt, quod Aug. * dicit, quod in ſacramentis diuina virtus ſecretius operatur ſalutem. Diuina autem virtus eſt Chriſti, ſecundum quod eſt Deus, non autem ſecundum quod eſt homo. Ergo Chriſtus non operatur interiorem ſacramenti effectum, ſecundum quod eſt homo, ſed ſecũdum quod eſt Deus.

RESPONDEO dicendũ, quod interiorem ſacramentorum effectum operatur Chriſtus, & ſecundum quod eſt Deus, & ſecundum quod eſt homo, aliter tamen & aliter. Nam ſecũdum quod eſt Deus, operatur in ſacramentis per autoritatem; ſecundum autem quod eſt homo, operatur ad interiores effectus ſacramentorum meritoriè & efficienter, ſed inſtrumentaliter. Dictũ eſt * enim quod paſſio Chriſti, quæ competit ei ſecundum humanam naturam cauſa eſt noſtræ iuſtificationis, & meritoriè & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, ſiue per autoritatem, ſed per modum inſtrumenti, inquantum humanitas eſt inſtrumẽtum diuinitatis eius, vt ſuprà dictũ eſt. * Sed tamen quia eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati in perſona, habet quandam principalitatem & cauſalitatẽ reſpectu inſtrumẽtorum extrinſecorum, qui ſunt miniſtri Eccleſiæ, vt ex ſupradictis patet. † Et ideo ſicut Chriſtus inquantum Deus, habet poteſtatem autoritatis in ſacramentis, ita inquantum homo, habet poteſtatem miniſterij principalis, ſiue poteſtatem excellentiæ. Quæ quidem conſiſtit in quatuor. Primò quidem in hoc quod meritum & virtus paſſionis eius operatur in ſacramentis, vt ſuprà dictum eſt. † Et quia virtus paſſionis copulatur nobis per fidem (ſecundũ illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius) quam fidẽ per inuocationem nominis Chriſti proteſtamur, ideo ſecundò ad poteſtatem excellẽtiæ, quam Chriſtus habet in ſacramẽtis, pertinet quod in eius nomine ſacramenta ſanctificantur. Et quia ex eius inſtitutione ſacramenta virtutem obtinent; inde eſt quod tertiò ad excellentiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ipſe qui dedit virtutem ſacramentis, potuit inſtituere ſacramenta. Et quia cauſa non dependet ab effectu, ſed potius ẽ conuerſo, ideo quartò ad excellẽtiam poteſtatis Chriſti pertinet, quod ipſe potuit effectum ſacramentorum ſine exteriori ſacramento conferre.

q.48. & 49.

q.13. artic.2. & 3.

art.1. huius q.

q.62. ar.5.

Et per hoc patet reſponſio AD OBIECTA, vtraq; enim pars obiectionum, ſecũdum aliquid vera eſt, vt dictum eſt. † *In cor. ar.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Chriſtus poteſtatem ſuam, quam habuit in ſacramentis, potuerit miniſtris communicare.

4. diſt. 5. q. 1. ar. 2. & ar. 3. q. 1. & 2.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus poteſtatem

F

potestatem suam, quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Vt enim argumentatur August.* contra Max. Si potuit & non voluit, inuidus fuit. Sed inuidia longè fuit à Christo, in quo fuit summa plenitudo charitatis. Ergo cùm Christus non communicauerit suam potestatem ministris, videtur, quod non potuerit communicare.

*li.3.cōt.Maxi.ca.7.ad f. tom.6.

¶ 2. Præterea, Super illud Ioā. 14. Maiora horū faciet, dicit Aug.† Prorsus maius hoc esse dixerim, scilicet, vt ex impio iustus fiat, quā creare cælum & terram. Sed Christus non potuit communicare discipulis, quod crearent cælum & terram. Ergo neque quod iustificarent impium. Cùm igitur iustificatio impij fiat per potestatē Christi, quam habet in sacramentis, videtur, quòd potestatem suam, quam in sacramētis habuit, non potuerit ministris communicare.

Tract. 72. in Ioan. post me. to.9.

¶ 3. Præterea, Christo, inquantum est caput Ecclesiæ competit, vt ab ipso gratia deriuetur ad alios, secundum illud Ioan.1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed hoc non fuit aliis communicabile, quia sic Ecclesia esset monstrosa, multa capita habens. Ergo videtur, quod Christus potestatē suam nō potuerit ministris cōmunicare.

Sed contra est, quod super illud Ioan.1. Ego nesciebam eum, dicit August.* quod nō nouerat potestatem baptismi, ipsum Dominū habiturum, & sibi retenturum. Hoc autem non ignorasset Ioannes, si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

Tractat. 5. in Euang. Ioan. non multū ante me. tom.9.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est.† Christus in sacramentis habuit duplicem potestatē. Vnam autoritatis, quę competit ei secundum quod Deus & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec diuina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundū quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, vt ad inuocationem nominum ipsorū, sanctificarentur sacramenta, & vt ipsi possent sacramenta instituere, & sine ritu sacramentorum effectū sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.

ar. præce.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non ex inuidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ ministris communicare, sed propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem ponerent, & ne essent diuersa sacramenta. Ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos, qui dicebant, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, vt dicitur 1.ad Corinth.1.

Ad secundum dicendum, quod obiectio illa procedit de potestate autoritatis, quæ conuenit Christo secundum quod est Deus, licet & potestas excellentiæ possit autoritas nominari, per comparationem ad alios ministros. Vnde super illud 1.ad Corint.1. Diuisus est Christus, dicit glos.† quòd potuit eis dare autoritatem baptismi, quibus contulit ministerium.

Glos.ord.ibid.

Ad

Ad tertium dicendũ, quod ad hoc inconueniens euitandum, ne ſcilicet multa capita in Eccleſia eſſent. Chriſtus noluit poteſtatem ſuæ excellentiæ miniſtris communicare. Si tamen communicaſſet, ipſe eſſet caput principaliter, alij verò ſecundariò.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per malos miniſtros ſacramenta conferri poſsint.

Infr. art. 9. co. Et 4 d. 5. q. 2. ar. 2. & di. 7. q. 3. ar 1. q. 1. 2. & d. 24. q. 3. artic. 3. q. 5. ad 3. Et 4. cõtra. ca. 76.

Ad qvintvm ſic proceditur. Videtur, quod per malos miniſtros ſacramenta conferri non poſſint. Sacramenta enim nouæ legis, ordinantur ad emundationem culpæ, & collationem gratiæ. Sed mali, cũ ſint immundi, non poſſunt alios à peccato mundare (ſecũdum illud Eccleſ. 34. Ab immundo qui mundabitur?) & etiam cum gratiã non habeant, non videtur, quòd gratiam conferre poſſint, quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur, quod per malos ſacramenta cõferri poſſint.

¶ 2. Præterea, Tota virtus ſacramentorum deriuatur à Chriſto, vt dictum eſt.† *ar. 3. huius q.* Sed mali ſunt præciſi à Chriſto, quia non habent charitatem, per quam membra capiti vniuntur, ſecundum illud 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ergo videtur, quòd per malos ſacramenta conferri non poſſint.

¶ 3. Præterea, Si deſit aliquid horum, quod debitum eſt eſſe in ſacramentis, non perficitur ſacramẽtum, ſicut ſi deſit debita forma, vel debita materia. Sed debitus miniſter ſacramẽti eſt ille, qui caret macula peccati, ſecundum illud Leuit. 21. Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Ergo videtur, quod ſi miniſter ſit malus, nihil efficiatur in ſacramento.

Sed contra eſt, quod Aug. * dicit ſuper illud Ioã. 1. Super quẽ videris Spiritum, &c. *Trac. 5. in Ioã. circa med. to. 9* Quid in Chriſto non nouerat Ioannes? poteſtatẽ baptiſmi, ipſum Dominum habiturum & ſibi retenturum, ſed miniſterium planè trã ſiturum in bonos & malos, quid tibi facit malus miniſter, vbi bonus eſt dominus?

Respondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt † miniſtri Eccleſiæ *ar. 1. & 3. huius q.* inſtrumẽtaliter operantur in ſacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio eſt miniſtri & inſtrumenti. Sicut autem ſupra dictum eſt, † inſtrumentum non agit ſecũdum *q. 62. artic. 1. & 3.* propriam formam, aut virtutẽ, ſed ſecundum virtutem eius, à quo mouetur. Et ideo accidit inſtrumento inquantum eſt inſtrumentum, qualemcunq; formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem inſtrumenti, ſicut quod corpus medici (quod eſt inſtrumẽtum animæ habentis artem) ſit ſanũ vel infirmum, & ſicut quod fiſtula per quam tranſit aqua, ſit argentea, vel plumbea. Vnde miniſtri Eccleſiæ poſſunt ſacramenta cõferre, etiam ſi ſint mali.

Ad primvm ergo dicendum, quod miniſtri Eccleſiæ neq; à peccatis mundant homines ad ſacramenta accedentes, neque gratiam conferunt ſua virtute: ſed hoc facit Chriſtus ſua poteſtate per eos, ſicut per quædam inſtrumenta. Et ideo effectus conſequitur, in ſuſcipientibus ſacramenta, non ſecundũ

similitudinẽ ministrorũ, sed secundum configurationem ad Christũ.

AD SECVNDVM dicendum, quod per charitatem mẽbra Christi vniuntur suo capiti, vt ab eo vitã recipiant: quia vt dicitur 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, & à se separatum, quantũ ad corporis vnionem, dummodo sit coniunctum per quandã motionem, aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis & per bonos, tanquam per membra viuẽtia, & per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

AD TERTIVM dicendũ, quod aliquid est debitũ esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existẽs de necessitate sacramẽti, quod quidã si desit, non perficitur sacramẽtum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquid debitũ esse in sacramẽto secundum quandã decentiam, & hoc modo debitũ est, vt ministri sacramentorum sint boni.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm mali ministrantes sacramenta, peccent.

4. dist. 5. q. 2. ar. 2. q. 4. co. & di. 19 q. 2. ar. 2. co. Et d. 24. q. 1 art. 2. q. 1. & art. 3. q. 1. & 5.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod mali ministrãtes sacramenta, non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramẽtis, ita per opera charitatis, vnde dicitur Hebr. vlt. beneficentiæ & cõmunionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Sed mali non peccant si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4. Consiliũ meũ tibi placeat, peccata tua eleemosynis redime. Ergo videtur, quod mali non peccent sacramenta ministrando.

¶ 2. Præterea, Quicunque cõmunicat alicui in peccato, etiã ipse est reus peccati, secundum illud Rom. 1. Digni sunt morte, non solùm qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato cõmunicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

¶ 3. Præterea, Nullus videtur esse perplexus, quia sic homo cogeretur desperare, quasi non potens peccatum euadere. Sed si mali peccarent, sacramenta tradẽdo, essent perplexi, quia etiam quandoq; peccarent, si sacramenta non traderẽt, puta, cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim 1. Cor. 9. Væ mihi, si non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit) quandoq; etiam propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quod mali nõ peccent, sacramẽta ministrãdo.

SED CONTRA est, quod Dion. dicit 1. c. Eccles. Hierar. † quod malis nõ est fas nec tangere symbola, idest sacramẽtalia signa. Et in epist. ad Demophilum * dicit, Talis, scilicet peccator, audax videtur, sacerdotalibus manum apponens, & nõ timet neque verecundatur, diuina præter diuinitatẽ exequens, & Deũ putans ignorare, quę ipse in semetipso cognouit, & decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audeat immundas infamias

† c. 1. eccle. hier. declinando ad fin.

* Est epist. 8. q. Incipit Hebræorũ tradit hist. parum ante med.

infamias (non dicam orationes) super diuina signa Christi formiter enuntiare.

Respondeo dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, vt patet per philosophum in li. 2. Eth.† Dictum* est autē conueniens esse, vt sacramentorū ministri sint iusti, quia ministri debent Dño conformari, secundū illud Leuit. 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, & Ecclesiastici 10. Secundū iudicem populi, sic & ministri eius. Et ideo nō est dubiū, quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiā Dei, & contaminationē sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint) consequēs est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Ex lib. 2. ethi. c. 3. & 6. habe ri potost. Et li. 3. c. 7. to. 5. *ar. præ. ad 3.

Ad primvm ergo dicendum, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiæ sanctitatem, sic vt quædam iustitiæ partes, & ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur, siue rò sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in seipsis sanctificationem quandā habent per mysticam consecrationē. & ideo præexigitur in ministro sanctitas iustitiæ, vt congruat suo ministerio. Et ideo incongruè agit & peccat si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Ad secvndvm dicendum, quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non inquantum est talis persona, sed inquātum est minister Ecclesiæ. Et ideo quādiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentū, non cōmunicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur (puta, cùm degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat qui ab eo accipit sacramētum, quia communicat peccato ipsius.

Ad tertivm dicendū, quòd ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispēsare, quia potest pœnitere de peccato, & licitè ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus supposito quodā, scilicet, quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizādo, in casu in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet, quod nō exhiberet se ministrū Ecclesiæ, sed subueniret necessitatem patienti. Secus est autē in aliis sacramentis, quæ non sunt tantę necessitatis, sicut baptismus, vt infra patebit.* q. 67. artic. 3. & 4.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm angeli possint sacramenta ministrare.

Ad septimvm sic proceditur. Videtur, quòd angeli possint sacramenta ministrare. Quicquid enim potest minister inferior, potest & superior, sicut quicquid potest diaconus, potest sacerdos, sed nō conuertitur. Sed angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico, quam etiam quicunq; homines, vt patet per Dion. in lib. Cæle. hier. Ergo cū homines possint ministrare

4. dist. 5. q. 2. art. 3.

ca. 9. Cal. hier. parum ante med.

nistrare in sacramentis, videtur, quòd multo magis angeli.

¶ 2. Præterea, Homines sancti assimilantur angelis in cælo, vt dicitur Matth. 22. Sed aliqui sancti in cælo existentes possent ministrare in sacramētis, quia character sacramentalis est indelebilis, vt dictum est.† Ergo videtur, quod etiā angeli possint in sacramētis ministrare.

q. præ. ar. 5.

¶ 3. Pręterea, Sicut supra dictū est,* diabolus est caput malorū, & mali sunt mēbra eius. Sed per malos possunt ministrari sacramenta. Ergo videtur, quòd etiam per dæmones.

q. 8. artic. 7.

Sed contra est quod dicitur Heb. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. Sed angeli boni vel mali, non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quæ sunt ad Deum, idest, in sacramentis.

Respondeo dicendū, quod (sicut supra dictum est *) tota virtus sacramentorū à passione Christi deriuatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli, sed potius secundum passionē dicitur modico ab angelis minoratus, vt patet Heb. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramēta, & in eis ministrare, non autem ad angelos. ¶ Sciendum tamen, quòd sicut Deus virtutem suam non alligauit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrādi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nūtij veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis angelis perficeretur, esset ratū habendū, quia deberet constare hoc fieri volūtate diuina, sicut quædam tēpla dicūtur angelico ministerio consecrata. Si verò dęmones, qui sunt spiritus mēdacij, aliquod sacramētale ministerium exhiberent, non esset ratū habendum.

q. præs. ar. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod faciūt homines inferiori modo, scilicet, per sensibilia sacramenta, quę sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt angeli tanquam superiores ministri superiori modo, scilicet, inuisibiliter purgādo, illuminādo, & perficiēdo.

Ad secundum dicendum, quod sancti, qui sunt in cęlo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriæ, nō autē quantum ad conditionē naturę, & per consequēs neque quantū ad sacramenta.

Ad tertium dicendū, quod mali homines non habēt, quod possint ministrare in sacramentis ex hoc, quod per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur quòd diabolus, qui est eorū caput, magis hoc possit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intētio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Ad octavvm sic proceditur. Videtur, quod intentio ministri, non requiratur ad perfectionem sacramēti. Minister enim in sacramento instrumētaliter operatur. Sed actio non perficitur secūdum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agētis. Ergo intētio ministri nō requiritur ad perfectionē sacramēti.

Sup. q. 60. ar. 8. cor. Et 4. d. 6. q. 1. arti. 2. q. 1. & dist. 7. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. & d. 8. q. 2. ar. 4. q. 3. ad 1. & d. 30. q. 1. artic. 3 ad 3. q. 65. art. 3. & 4.

¶ 2. Pręterea, Nō potest homini esse nota intētio alterius. Si igitur

tur intentio ministri requiratur ad perfectionē sacramēti, non posset homini ad sacramētum accedenti esse notū, quòd sacramentū suscepisset. Et ita nō posset habere certitudinē salutis, pręcipuè cum quędam sacramenta sint de necessitate salutis, vt infra dicetur.†

q. 65. artic. 3. & 4.

¶ 3. Præterea, Intentio hominis nō potest esse ad id, circa quod non est attētus. Sed aliquādo illi qui in sacramētis ministrant, nō attendūt ad ea quę dicūt, vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc non perficeretur sacramētum, propter intentionis defectum.

Sed contra est, quod ea quæ sunt pręter intentionē, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorū. Ergo sacramēta requirūt intentionē ministri.

Respondeo dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea verò quę in sacramētis aguntur, possunt diuersimodè agi, sicut ablutio aquę, quę fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiā corporalē, & ad sanitatē corporalem, & ad ludū, & ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad vnū, idest ad sacramentalē effectū per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta, cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod instrumentū inanimatum nō habet aliquā intentionem respectu effectus, sed loco intētionis est motus, quo mouetur à principali agente: Sed instrumentū animatū (sicut est minister) non solū mouetur, sed etiam quodāmodo mouet seipsum, inquantū sua voluntate mouet mēbra ad operandū. Et ideo requiritur eius intētio, qua se subiiciat principali agēti, vt scilicet intēdat facere quòd facit Christus & Ecclesia.

Ad secundum dicendū, quod circa hoc est duplex opinio. Quidā enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quę si desit, nō perficitur sacramentum, sed hunc defectū in pueris (qui non habent intentionē accedēdi ad sacramentū) supplet Christus, qui interius baptizat, in adultis autē, qui intendunt sacramentū suscipere, supplet illū defectum fides & deuotio. Sed hoc satis posset dici quantū ad vltimum effectū, qui est iustificatio à peccatis, sed quantū ad effectum, qui est res & sacramentū, scilicet, quantū ad characterē, non videtur, quòd per deuotionē accedētis possit suppleri: quia character nunquā imprimitur nisi per sacramentū. Et ideo alij melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesię, cuius est minister. In verbis autē quę profert, exprimitur intētio Ecclesię, quę sufficit ad perfectionē sacramenti, nisi contrariū exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

Ad tertium dicendū, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionē habitualem, quæ sufficit ad perfectionē samenti, puta, cùm sacerdos accedēs ad baptizandum, intēdit facere circa baptizandū quod facit Ecclesia. Vnde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis, perficitur sacramentū. Quāuis studiosè curare

sacramentum, puta, si aliquis aliquem baptizaret, vt postmodum eũ occideret.

¶ 3. Præterea, Peruersa intẽtio facit totũ opus vitiosum, secũdum illud Luc. 12. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines, sicut Aug. dicit cõtra Petilianum.* Ergo videtur, quod si sit peruersa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

*Id tract. li. 1. cõtra Petil. per 8. vel 9. c. & li. 3. cõt. Cresc. c. 5. 6. 7. to. 7.

SED CONTRA est, quod peruersa intẽtio pertinet ad malitiã ministri, sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec peruersa intentio.

RESPONDEO dicendum, quod intẽtio ministri potest peruerti dupliciter. Vno modo respectu ipsius sacramẽti, puta, cùm aliquis nõ intendit sacramentũ conferre, sed derisoriè aliquid agere. Et talis peruersitas tollit veritatẽ sacramenti, præcipuè quãdo intẽtionem suã exteriꝰ manifestat. Alio modo potest peruerti intẽtio ministri, quantum ad id, quod sequitur sacramentum, puta, si sacerdos intendat aliquã fœminã baptizare, vt abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo ad veneficia vtatur. Et quia prius nõ dependet à posteriori, inde est quod talis intentionis peruersitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intẽtione grauiter peccat.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, & quantum ad sacramenti perfectionem, & quantũ ad sacramẽti vsum, sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritũ. Et ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesię, quantũ ad primam rectitudinem, non autẽ quantum ad secũdam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

AD SECVNDVM dicendũ, quod intẽtio ludicra, vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum, & ideo non est similis ratio.

AD TERTIVM dicendum, quod peruersa intentio peruertit opus intendentis, nõ autem opus alterius. Et ideo ex peruersa intentione ministri, peruertitur quod id agit in sacramentis, inquãtum est opus eius, non inquantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis, praua intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam Dominus recta intentione mandaret.

Sententiæ & conclus. quæst.

PRima conclusio. [1] *Solus Deus ex se, vt autor, sacramẽta instituere potest:* [2] *Christus verò, vt homo, habet in illa potestatẽ excellẽtiæ. ex art. 1. 2. 3. & 4.*

Ratio primi: quia solus Deus virtutem sanctificãdi, cuius instrumẽta sunt sacramẽta, potest instituere.

Ratio secundi: quia Christus humanitate, vt instrumẽto diuinæ personę verbi hypostaticè cõiuncto, nostram salutẽ perfecit meritoriè & effectiuè: & vt cęteris instrumentis ex ea coniunctione excellit: sic etiã vt homo habet potestatem excellẽtiæ: quam licet potuerit ministris à se institutis cõmunicare: non tamẽ communicauit.

Secunda conclusio. [1] *Instrumẽtalem vim habent iidem ministri, siue mali, siue boni sint:* [2] *essentialia sacramentorũ perficientes, cũ recta Ecclesiæ intentione.*

Ratio

Ratio primi: quia sacramentis necessariò adiungitur minister homo ad homines: quare non angelus.

Ratio secundi: quia vt minister agit, ex virtute principalis agentis: sic etiã ex virtute illius participata non propriç bonitatis, aut fidei, sacramentũ administrat. virtus autẽ illius intentionem illi congruentẽ, quæ est Ecclesiæ requirit, vt idẽ sit effectus principalis agentis & ministri. malitia quidem peccatorem constituit, quia potestate sibi tradita ad sanctè ministrãdum abutitur, sed efficientiam sacramenti imminuere non potest.

De prima cõclusione disputatũ est supra q. 61. de secunda verò nunc disputabitur.

COMMENTARIVS.

De ministro sacramentorũ nouæ legis generaliter.

1 AD perfectionem huius doctrinç generalis de sacramẽtis, superest disserendum de ministro: cùm enim sacramenta in coniunctione materiæ & formæ perficiantur, & rebus inanimis cõstent, nõ possunt nostris vsibus accõmodari, nisi per externos ministros & visibiles. Voluit autem Christus sacramentorũ autor, ministros sui cultus & sacramentorũ homines esse non angelos, quòd effecta sacramẽtorum à redẽptione ipsius deriuata, ad homines pertineant non ad angelos. sic ad Heb. 5. ex hominibus assumitur pontifex: & in Ecclesia visibili, quamuis inuisibiliter & spiritualiter sanctificata, ministros esse oportet visibiles, & Christo primo pontifici, vt homines homini congruẽtes & accõmodati. in quo est maxima humanç naturç dignitas & prerogatiua, quod homo homini in omni officio religionis & sacramentorũ sub Christo subseruit. sed quãuis hoc sit ordinariç potestatis & legis, dubiũ tamen nõ est posse aliquando Deũ, angelorum ministerio, sacramenta administrare, sicuti dicitur templa quçdã consecrasse: & hec sacramenta à bonis angelis administratã, rata habẽda essent, non autẽ à malis, quòd illi veritatis & veri cultus Dei nuntij sint, hi autẽ omnem veritatem & cultum Dei peruertant.

Aug. in præfat. li. de doct. christ.

2 Homo igitur ordinarius est sacramentorũ minister, nõ angelus, & eũ ministrum diuersum esse à suscipiẽte, vt nullus sibi ipsi sacramentum administrare possit, excepta Eucharistia & matrimonio, institutũ est à Christo, & vsu Ecclesiç catholicç semper retẽtum. Primò quidẽ, vt in rebus sacris ad animç medicinã, & cultum Dei pertinentibus, & ex cõsequenti in peccatorũ suorum iudicio, remediorũ vsu & applicatione, fidelis alieno potius quã suo arbitrio nitatur. Secũdò, quia hoc pertinet ad decorẽ & ordinẽ Ecclesiç, ne promiscuè pro cuiusq; voluntate sacramẽta administrentur, & ne id quisquã faciat sine vocatione, & sine externa & visibili consecratione, sine quã nulla eruditio, nulla in huiusmodi rebus tractandis dexteritas, aut prudẽtia, nulla sanctitas valere debet. Christus enim vitæ nostræ exemplum, vt ad hoc concludendũ inquit Paulus Heb. 5. non clarificauit semetipsum vt fieret Põtifex, quãto minus ministri, nisi vocati tanquã Aaron. De ministris autem Christi expressa sunt illa. 2. Cor. 3. qui idoneos nos fecit ministros noui testamẽti, & 1. Cor. 4. sic nos existimet homo vt ministros Dei, &c. vnde cõstat ministrũ nõ esse sacramenti legitimũ, qui charactere consecrationis nõ instituitur. Sed quia ab hac lege ministrũ sacramenti distinguẽte ab ipso suscipiẽte, excepimus duo sacramẽta matrimonium & Eucharistiam, obseruandũ est, ministrũ sacramenti quendã esse legitimũ, ordinariũ & ex officio, quendam autẽ aliquando esse posse ex necessitate, vel volũtate, sed in administratione tantùm baptismi, qui à quouis mortaliũ, vel propter extremam necessitatẽ piè, vel citra necessitatẽ voluntariè licet illicitè ministrari potest, & vtroq; modo est integrum sacramentũ, nec vllo modo in substantialibus postea corrigendum.

Ministrum sacramẽti esse diuersum à suscipiente.

3 Nũc agimus de ministro ordinario, legitimo & ex officio, in quo asserimus necessariã esse vocationem & consecrationẽ, vt possit omnia sacramenta alteri administrare: & sine huiusmodi ministro, nunquã quinq; sacramẽta, exceptis matrimonio & baptismo, sacramẽti rationẽ habuerũt aut habere possunt: de baptismo quidẽ cõstat, sacramentũ esse, etiãsi à non consecrato & deputato ministro cõficiatur, vt cõtingit in extrema necessitate piè à quocunq; administrari, & voluntariè posse administrari licet

Tridẽt. sess. 7. c. 10. Si quis dixerit omnes Christianos in sacramentis ad ministrandis habere potestatem, ita vt tantùm opus sit vocatione, vel electione, anathema sit.

licet illicitè à ministro non consecrato, vt ostendetur in doctrina de baptismo, quòd sit sacramentum sinpliciter necessariũ paruulis ad salutem, & adultis voto aut reipsa, si adsit qui possit ministrare in recepta forma Ecclesiæ catholicæ. itaq; ordinaria potestas ministri, ex charactere cõsecrationis oritur, cũ character sit huiusmodi potestas, vt paulò ante diximus: extraordinaria, verò oritur ex necessitate. Olim etiã ante Concilium Tridentinum, sine ministro sacramẽtum matrimonij à contrahentibus administrari poterat, sola consensus expressione sensibili, sed à concilio Tridentino definitum est sess. 24. c. 1. decreti de reformatione matrimonij, neminem contrahere posse matrimoniũ, nisi præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, vel ordinarij licentia. sed hoc decretum non instituit nouum ministrum sacramẽti huius, vt sacramentum est, sed vt contractus, quẽ pro vtilitate fidelium, in his quæ ad matrimonij sacramentũ recipiendum, videntur magis conducere, Ecclesia moderari & mutare potest: ipsum verò sacramentũ in essentialibus & ministro ad necessitatem sacramenti pertinente, solus Christus instituere potest, quia hoc pertinet ad potestatẽ excellentiæ, de qua suprà diximus.

Excipiuntur matrimonij & Eucharistiæ ministri.

4 Quare concludamus, duo sacramenta matrimonium, & Eucharistiam, suscipientes conficere posse, illud quidem contrahẽtes, quatenus pertinet ad necessitatem sacramenti, non indigentes alio ministro, quamuis sacerdos ad firmitatẽ contractus, post concilium Tridentinũ sit necessarius: Eucharistiã verò, sacerdos qui cõficit, suscipere potest & tenetur, vt suo loco explicabitur: alij verò suscipientes non sacerdotes, à sacerdote tantùm legitimè suscipiũt, etiamsi non sit idem sacerdos, qui confecit Eucharistiam, & consecrauit: & tunc minister aliis administrans, distinguitur ab eo qui sacramentum perfecit: quia Eucharistiæ sacramentum vnum ex omnibus, non ipso vsu consistit, sed ipsa consecratione perfectum est, ante vsum & sumptionem. Reliqua quinq; sacramenta, exceptis matrimonio & Eucharistia, semper habent distinctum à suscipiente ministrũ, de necessitate sacramenti: & solus ex omnibus septẽ baptismus, habet ministrum legitimũ consecratum, & non consecratum ministrum, tempore necessitatis. Ostendimus in omnibus sacramẽtis, esse necessarium ministrũ, qui materiam sacramenti formę coniũgat, siue is minister distinguatur à suscipiẽte siue non distinguatur: & omnem legitimum ministrum consecratione & vocatione cõstitui, quia consecratione recipitur character, qui est potestas spiritualis administrãdi sacramenta: deinceps de exercitio huius potestatis dicendum est accommodatè, si prius tamen ex præcedentibus, vim, efficaciamq; huius ministerij colligamus, & aduersariorum errores refutauerimus.

Disputatio de efficacia ministri sacramentorum nouæ legis, an sit instrumentalis ad effectum sacramenti.

5 Consectarium ergo ex præcedentibus efficitur, vis & efficacia ministri sacramentorum nouæ legis non tantùm sita est in applicatione materiæ & formæ sacramenti, sed etiam attingit instrumentaliter interiorem effectum gratiæ sanctificantis, vel characteris, & remissionis peccatorũ, &c. vt sicut instrumentaliter diximus sacramẽtum concurrere ad interiorem effectum: sic etiam dicamus ministrum concurrere eodem momento, sed prius natura, propius & immediatius ipsum sacramentum, ministrum verò quatenus sacramentũ conficit & administrat. Sed quia Eucharistia habet vsum distinctum, & sacramenti sumptionem, ab ipsius sacramenti perfectione & consecratione, ideo plerunq; alium numero distinctum habet ministrum consecrationis, à ministro dispensationis. De ministro autem cõsecrationis certũ est, quòd ad futurum omnem effectum sacramenti interiorem concurrat, cũ ministerio illius, sit in hoc sacramento permanens gratia, à qua deriuatur, quæ suscipientes, sacramentum sanctificat: de ministro tamen dispensationis non eadem plerisq; videtur ratio, quasi is non concurrat ad interiorem effectum suscipientis, cum illi Eucharistiam dispensat: mihi tamen concurrere videtur, quatenus est minister sumptionis sacramenti, qua sumptione suscipiens sanctificatur: & sacra scriptura, Patres & Concilia indistinctè loquuntur de omni ministro sacramenti, vt statim constabit: & certum est eum qui dispensat aliis Eucharistiam, ministrum esse legitimum sacramẽti, licet is non cõsecrauerit, quia per characterem suæ cõsecrationis, potestatẽ habet dispensandi populo sacramenta Christi.

Ministri efficacia ad interiorem effectũ sacramenti.

Probatur igitur hęc efficacia instrumentalis ministri ad interiorem effectum sacramenti. Primò, quia de ministris pœnitentiæ inquit

tiæ inquit Dominus Ioan. 20. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. quamuis autem hoc non sit expressum, intelligitur tamen datam esse hanc potestatem hominibus vt ministris sacramenti pœnitentiæ: quia sine sacramētis remittere peccata aut sanctificare, pertinet ad potestatem excellentiæ, quam solius Christi propriam esse ostendimus. Prætereà dubitari non potest an sacerdos efficiat corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, cùm Christus id eum facere iubeat, vel an inungēdo saluet infirmum, vel an baptizādo regeneret, cùm hæc in scriptura & Patribus expressa sint de sacramētorum ministris. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, non solùm cum nos regenerāt sacerdotes, sed postea etiā condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. D. Aug. q. 84 in Leuit. aduertendum est, inquit, quoties dicitur ego Dominus qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cum hoc etiam Moysi dixerit, & sanctificabis eum. quomodo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus? non enim Moyses pro Domino: sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum, Dominus autem inuisibili gratia per spiritum suū. similiter loquuntur alij Patres.

6 Vnde factum est vt in Conc. Constāt. contra Vvicleffum, in Florent. ad instructionem Armenorum, in Tridentino propter hæreticos huius temporis definiatur, sacramenta omnia perfici & operari suos effectus per ministros, & ideò meritò deseritur magiter sentent. à scholis catholicis, quatenus putauit sacerdotem absoluētem nō remittere peccata, sed remissa declarare. Vt igitur diximus sacramentalem actionem vi principalis agentis, ad infusionem gratiæ instrumentariam eleuari, sic de ministri actione sentiendum est: vt eius operatio externa & corporalis, vt ablutio, vnctio, locutio, non ex sua vi, sed eleuata vt instrumētum Dei, efficiat in nobis iustitiam, gratiam, remissionem, & alia sacramentorum effecta, quæ sine ministro non conferuntur: & vt illa sacramentorum efficientia ad gratiam, catholica est, sic hæc de ministris, & vtraq;, eodem modo quo supra diximus, asserit ministrum gratiam efficere. atq; id nō solùm verum est de ministris consecratis, sed etiam de non consecratis, vt de mulieribus & laicis, cum vel baptizant, vel matrimoniū contrahunt: quia nō sunt instrumenta gratiæ nisi per administrationem sacramētorum: sed hæc ab illis collata vera sunt sacramenta, & conferunt gratiam per se: ergo & ministri, qui ea sacramenta administrant.

7 Ad diluendas verò obiectiones, desumptas ex scripturis & Patribus non exactè ponderatis, duo obseruanda sunt. Vnū est, cum in scripturis, vel Theologis hęc instrumentaria efficientia gratiæ & interioris effectus ministris negatur, tantùm significatur ministros propria virtute & naturali causalitate, nō posse iustitiam gratiamq; conferre. vt cùm dicitur ad Rom. 8. Deus est qui iustificat, Mar. 2. nemo potest remittere peccata nisi solus Deus, Aug. lib. 3. contra Crescon. c. 11. si minister, inquit, iustificat impium, consequens est vt credamus in eum. et paulò post, si minister non audet dicere crede in me, neq; audeat dicere iustificaris à me. significat ergo in his & similibus, externam actionem sacerdotis, aut hominis, non posse natiua virtute attingere & producere talē effectū. quod etiam affirmari potest de ipsa materia & forma sacramentorum, cum omnia sint instrumenta gratiæ. quare si omnibus addatur [ministerialiter] vel [instrumētaliter,] nullum erit periculum falsę sententiæ. Vnde D. Tho. inquit, quamquam Deus solus ad interiorem effectum sacramenti operetur, ministerialirer tamen homo ad idem operari potest. id verò sic est intelligendū, minister interius operatur ad gratiæ productionem: neq; enim pars iustificationis Deo, pars homini est attribuenda: sed totū opus principali causæ, & totum ministro, licet naturali actione homo tantùm agat externè, Deus vero internè.

Obseruanda in patribus de eadem efficacia.

3. p. q. 67. art. 5. ad 1.

8 Alterum obseruandū est, quod in scriptura & patribus, effectus aliquis attribui solet principalibus causis, cum termino exclusiuo, [tantùm vel solùm] aut cùm expressa negatione ministri, vel cuiuscumq; secundariæ causæ: ad significandam excellentiam principalis causæ in operatione, & quod secundariæ causę non habent vim nisi à principali. sic Rom. 9. non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. 1. Corinth. 15. non ego sed gratia Dei mecum, Marc. 13. non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis. hoc explicatum est Act. 3. cū Petrus inquit sanato claudo, nos quid intuemini

tuemini quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus filium suum IESVM suscitauit à mortuis, & in fide nominis eius, confirmauit hoc nomen eius. eodem sensu catholicè sacerdos dicere potest, ego non remisi huic peccata, sed Deus. Contrà verò nunquam reperies, effectum causæ secundariæ attributum, cum termino exclusiuo causæ principalis, vt obseruauit D. August. in Enchirid. c. 32. asserens piè dici non posse, non est miserentis Dei, sed volentis hominis. similiter illæ voces essent blasphemæ: non est Christus sed sacerdos qui conficit, aut consecrat sacramenta: non est Deus, sed confessarius qui remittit peccata: non est spiritus, sed aqua quæ regenerat.

9 Cuius obseruationis ratio est, quia si causam causæ comparemus, instrumentalis nihil perse est, iuxta illud 1. Corinth. 3. neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. si autem effectum consideremus, is quidem totus tribuitur & principali, & instrumentali ac ministeriali causæ, sed cuiq; in suo genere. ita Deus, Moyses, oleum, simul sanctificabant Aaronē: Aqua, verbū, spiritus, sacerdos, simul regenerāt hominem. Quia verò ministri non nisi per sacramenta interiorē effectū operantur perse, illę propositiones, ego te absoluo, ego te baptizo, sic exponi solēt perse & ex vi sacramenti, vel ego tibi sacramentū absolutionis, vel remissionis impendo, ego sacramentum ablutionis confero: modò intelligatur, quod etsi per sacramentum, tamen verè minister interiorem effectum operatur simul cum sacramento, perse & propriè: cùm possit effectus ex indispositione recipientis, vel alia ex causa & accidentariò impediri. Sed hęc intelligentia tollit illam difficultatem, quæ aliàs esset, de veritate harum propositionum & similium, cùm non est dignus, vel non indiget absolutione, is qui sacramentum recipit, propter remissum antè peccatum. Necessitatem ministri & efficaciam in sacramentorum administratione ostendimus, qualitates necessarias administrandum deinceps ostendamus. Vt est materia & forma ad essentiam sacramenti necessaria, vt alterutra deficiente sacramentum perfici non possit, sic posita potestate legitimi ministri, ad vsum & administrationem sacramenti legitimam, quid nam simpliciter necessarium sit hac sententia comprehendimus.

D. Th. infr q. 84. ar. 3. & 5.

10 Minister sacramentorum nouæ legis de necessitate sacramenti tenetur habere intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia: cæteræ verò qualitates, vt fides recta, sanctitas, deuotio, & aliæ huiusmodi, vtiles quidem sunt, vt dignè & sanctè sacramentum administretur: sed non sunt simpliciter necessariæ ad essentiam sacramenti. Explicetur primum cōclusio, deinde confirmabitur. In ministro, vt in omni instrumento tria qualitatum genera distingui possunt, quædam enim qualitates sunt omninò necessariæ, sine quibus instrumentum vim suam exercere non potest, vt serram esse ferream & dentatam: quædam sunt omninò accidentariæ, quæ nihil faciunt ad vsum instrumenti, vt serram esse inauratam: quædam sunt mediæ his interiectæ, ad commodius operandum, licet nō necessariò requisitæ, vt serram esse acutam. similiter in sacramentorum ministro, ad necessitatem sacramenti, tantùm est necessaria illa intentio: ætas verò, sanitas, &c. sunt omninò accidentariæ qualitates, quę neque ad simpliciter administrandum sacramentum, neque ad melius requiruntur. mediæ sunt illæ qualitates, sine quibus quidem esset verū sacramentū, sed sanctè & dignè non administraretur, vt sanctitas, recta fides, deuotio, eruditio sacra, &c.

Disputatio de intentione ministri. an sit ea necessaria ad essentiā sacramenti.

3. p. q. 64 art. 8.

Theologi 4. d. 6. sed apertius Ricar. Scotus.

11 Deinde intentio explicanda est & distinguenda. intentio nihil aliud est quàm actus voluntatis, mouentis se in aliquem finem: & distinguitur triplex, habitualis, virtualis, actualis. habitualis intentio est inclinatio per habitum ad aliquem finem vel actum: & per eam est aliquis quodammodo dispositus, ad sacramentum administrandum, cùm se obtulerit occasio: estq; in dormiente & indifferens ad omnia sacramenta, neque actu mouet hominem ad opus peculiare alicuius sacramenti. Virtualis intentio est, quæ ex præcedenti actuali, non interrupta per actum contrarium, ordinat & dirigit consequētes actus, vt intentio finis manet virtualiter in electione medij ad finem accommodati. hanc dicimus esse in ministro cum mens eius euagatur, eo tempore quo exercet sacramentalem operationem, quia virtute præcedentis actualis intentionis circa particularem actum manet, licet in ipso

execu-

executionis momento minister animum non applicet. Actualis intentio est præsens animi applicatio, & attentio ad propositũ opus. Sententia igitur proposita, quòd sit necessaria intẽtio in sacramenti ministro, sic est accipienda: vt habitualis non sufficiat, quia nimis generalis est: actualis non sit necessaria, quia vix est in hominis potestate habere semper animum attentum: virtualis itaq; sufficiat & requiratur, quamuis melior sit actualis. Hanc virtualem, D.Tho. habitualem vocat. ex actuali enim intentione relinquitur in phãtasia, vel appetitu dispositio, per quã non manente actuali intentione, virtute tamen illius, tota actio perficitur. an verò actualis illa intentio, multo vel pauco tempore antecesserit, vt in ea fundetur quæ dicta est virtualis, moraliter & prudenter iudicandum est. Hæc est sententiæ propositæ explicatio, confirmatio singulis partibus est accommodanda.

Actualis intẽtio est melior, non in actu signato, sed in exercito, idest, non habendo in mente illud, intendo hoc facere, sed exequendo singula qua decet reuerentia.

12 Intentionem igitur esse necessariam in ministro, ex verbis Domini colligitur cùm præcipit ministris sacramẽta ministrare, dicens, ite baptizate, facite in mei memoriam, remittite peccata: hæc enim, nisi adsit intentio cõformis Christo præcipiẽti, ministri exequi nõ possunt, cùm exequãtur quod Christus præcepit, & operẽtur ex directione talis mãdati. Deinde, voluit Christus actionem sacramentalem esse humanam, idest, iudicio susceptam & deliberatam, non temerariam, fortuitam & coactã: debet igitur esse secundum propositum & intentionem. Præterea, sacramenti opus externum perse indifferens est ad plures vsus & effectus, vt ablutio externa baptismi, ad mundiciem corporis, ad refrigerationem, ad sanitatem, & ad plura alia: sed intentione ministri contrahitur & determinatur, ad vnum spirituale effectum sacramenti proprium: est igitur intentio necessaria vt sit determinata actio sacramentalis. si verba quidem formæ, materiæ sacramenti conferantur, est in illis maior determinatio, sed non omninò perfecta & consummata ad specialem sacramenti operationem, nisi intentione minstri determinetur. Vnde ministri intentio, est illud mediũ per quod minister mouetur à Christo ad opus sacramentale, & effectum principalis agentis producendum: & ideò quoties minister cum hac intentione operatur, toties à Deo instrumentaliter mouetur: qui verò caret hac intẽtione, licet actũ externũ exequatur, non est tamen instrumentum Dei, quia caret medio quo applicetur virtus Dei, causæ secundariæ.

Ex D. Th. ar 8 citato, adiunctis responsionibus argumentorum.

13 Hæc doctrina de necessitate intentionis ministri, videtur olim coniuncta fuisse cum necessitate fidei ministri; quia videtur aliquando à patribus in hoc proposito, intentio nomine fidei comprehendi: vt à Cypriano de cœna Domini cum ait: à Domino dictum est, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescunq; his verbis & hac fide actum est, simul & medicamentum, & holocaustum fit. certè D. August. epist 23. fidem pro intẽtione videtur vsurpare, & lib. 7. contra Donatistas, appellans eius cõtrarium, fallacem & simulatam operationem in sacramentis. c. 53. Non tollit necessitatem intẽtionis, in ministris, quod ea intentio nobis non possit constare, & ideò incerti essemus de sacramentis ad salutem necessariis, quia non requiritur in nobis certitudo de his rebus, quæ tollat omnino dubitationem, qualis est fidei certitudo: sed satis est ea quæ dicitur coniecturalis aut moralis, neque aliam tenetur quis habere, etiam de pertinentibus ad salutem. Vnde si minister non exprimat cõtrariam sententiam, certi esse debemus de sacramẽto collato inquit D. Thom. 3. part. q. 64. artic. 8. ad 2. vt rectè expendit Caietan. contra reprehendentes eam responsionem, vt Adrianum 4. q. 3. de baptismo, & Guillel. anglum de sacramentis in genere c. 55.

14 Ostendimus intentionem in ministro esse necessariam, nunc verò confirmandum est circa illud esse debere, quod Ecclesia catholica, vel Christus intendit, nempè vt intendat minister & velit facere, quod intendit Ecclesia facere, sed quia hæc intentio est valde confusa & implicita, distinguere oportet, quid nam sit quod Ecclesia velit facere, ne forte in speciali, intentio ministri repugnet Ecclesiæ. Debet igitur minister intendere, actum externũ sacramenti rite peragere: neq; oportet vt intendat effectum ipsius sacramenti. Ratio primi est, quia est minister sacramenti: & ideò intendat est necesse actum externum sacramenti, vt principali agenti, cuius est minister, congruere possit. Vnde excluduntur omnes actiones circa sacramenta non intentæ, aut non volitæ,

De quo sit intentio.

volitæ, vt dormientis, ebrij, phrenetici & similium, & eorum qui coactione & vi externa, vel vsu vel cassu aliquo proferrent formam sacramentorum super legitimam materiam, aliter quàm vellent aut intẽderent ipsi: quia actio ministri debet esse humanus & deliberatus actus, ad perficiendam externam actionem sacramenti. dico autem [actionem sacramenti] quia non satis est intendere actionem externam, sed vt sacramẽti propriam: alioquin satis esset, si intenderetur naturalis actio, vt ablutio, ad mũdiciem vel sanitatem corporis: cùm tamen in his nihil sacramentale sit intentum. eadem ratione irrisoria, mimica aut iocularis actio externa esse potest intenta, & tamen non satis est ad essentiam sacramenti: quia non intenditur actio sacramentalis, hoc est cæremonia religionis, à vulgari & populari actione distincta. Nihil igitur aliud est, id velle efficere in sacramenti administratione quod Ecclesia intendit, quàm velle efficere actionem sacramẽtalem à Christo institutam, in signum populo Dei, distinctam proinde ab aliis naturalibus aut humanis actionibus, & multò magis à iocosis, & ridiculis: quamuis olim dubitauerit D. August. lib. 7. de baptism. c. 53. an in actione ludicra verum sit sacramentum.

D. Th. 3. p. q. 64. artic. 10. ad 2.

15 Sed quia minister sacramenti, assumitur à principali agente, vt verum sacramentum administret, formam materiæ coniungendo, accommodatè ad virtutem principalis agentis sibi communicatam, & in hac nihil est ludicrum aut iocosum, nihil est cur nos dubitemus, dirigi oportere intentionem ministri ad sacramentum religionis perficiendum, licet de institutore, effectu & aliis non rectè sentiat. Sed intentio ludicra aut iocosa dupliciter esse potest, vel relata ad ipsum sacramẽtum, vel ad finem & motiuum administrationis. Primo modo intenderet quis non quidẽ facere quod Ecclesia facit, sed similem actionem aliam iocosè & delectationis causa: & ideò non esset sacramentum. Altero modo intenderet aliquis facere quod facit Ecclesia, sed gratia delectationis, & hæc intentio non tollit veritatem sacramenti, sicut neque si fuisset intentio auara, aut aliquo malo fine vitiosa. Recta enim intentio potest esse & quantum ad sacramenti perfectionem, & quantum ad sacramenti vsum, prima rectitudo perficit sacramẽtum, secunda operatur ad meritum: & ideò minister qui intendit, quod Ecclesia vult, efficere, habet primam rectitudinem, & verum sacramentum confert, qui autem non habet secundum, nõ administrat meritoriè. Vnde peruersa intentio contraria secũdæ rectitudini, vitiat opus eius in quantum est eius, nõ autem in quantum est principalis agentis, cuius virtute est sacramenri minister, ex D. Thom. 3. p. q. 64. art. 10. ad 2. & 3. Non esse autem dirigendam ministri intentionem ad effectum per se baptismi necessariò, quamuis esset religiosa & pia intentio: constat ex eo, quod sacramentum nouæ legis ritè administratum, effectum consequitur in suscipiente, etiamsi effectum minister non intendat, cùm immediatè operetur ad confectionem sacramenti, quod ex opere operato nisi impediatur ex indispositione suscipiẽtis, inducit suum effectum, ad quem non immediatè operatur minister, sed mediante sacramento. Vnde quamuis hæc ministri generalis intentio necessaria ad essentiam sacramenti, sit generalis, indeterminata atque confusa, respectu effectus, finis aut virtutis, quę omnia & similia in hac intentione includuntur, & non distinguntur: in illa tamen includitur, non tãtum substantia actus, sed modus & respectus, quo determinetur ad cõfectionem sacramenti & ritus Christiani: quod intelligitur cùm minister intendit facere quod Ecclesia facere solet, vel quia Christus tale instituit, vel quia Apostoli eo sunt vsi, vel quia Episcopi. his enim omnibus tantùm determinatur, & exprimitur modus, quo illa actio externa sit sacramentalis, & vt talis sit intenta: & hoc satis est generaliter intendi à ministro. Habemus huius doctriuæ illustre exemplum de puero Athanasio, baptizãte aliquot æquales suos ad imitationem Episcopi Alexandrini. interrogatus enim cur & quo animo fecerit, respondit se ad imitationem Episcopi fecisse, cum alterius rei sensum nõ habuerit: habitus est autem ille baptismus ratus & perfectus. Niceph. lib. 3. c. vlt. & lib. 8. c. 44.

16 Hic est consensus Ecclesiæ catholicæ & omnium Theologorum, quem secuta sunt duo Concilia, Florentinum & Tridentinum, illud in doctrina de sacramentis, hoc autem sess. 7. de sacramentis in genere Can. 11. vt scilicet, minster intendere

tendere debeat, ſeu velle id facere, quod intendit Eccleſia facere: quia vt inquit D. Thom. ſe ſubiicit principali agenti hac intentione, in qua ſubiectione conſiſtit ratio inſtrumenti. Cùm autem hæc intentio ſit practica, nempè ad perficiendam actionem ſacramentalem, quicquid præterea miniſter ſpeculatiuè intendat, verũ ſacramentum perficitur. vt ſi intendat virum non fœminam baptizare, vel Epiſcopus hos aut illos non ordinare: quia ſi administratione ipſa ſacramenti, velit ſingulare ſubiectũ ſibi propoſitum, vel omnia propoſita baptizare vel ordinare, ſacramẽtum perficitur: quia intentio dirigitur ad actionem ſacramentalem ſuſcipienti accommodatam, quam ſatis eſſe oſtẽdimus ad eſſentiam ſacramenti ex parte miniſtri. In matrimonio autem error perſonæ vitiat matrimonium, quia perficitur conſenſu, quem oportet ad certam & ſingularem perſonam determinari.

3. p. q. 64. ar. 9. ad 1.

17 Quod ſi dubitet quiſpiam, an hæc intentio generalis ſatis ſit ad veritatem ſacramenti, etiamſi miniſter non verè ſentiat de Eccleſia, cui conformem habet intentionem, vt ſi baptiſta Caluinianus intendat quidem quod Eccleſia intendit, ſed adiungit præterea, hanc eccleſiam eſſe Geneuenſem, non autem Romanam. Reſpondeo, hæreſim miniſtri, modò non ſit circa ipſum ſacramentum, licet ſit circa effectum ſacramẽti, vel aliquid aliud non tollere veritatem ſacramenti. itaque ſi intendit conferre ſacramentum Eccleſiæ, etiamſi de effectu, & de Eccleſia ipſa male ſentiat, verum ſacramentum adminiſtrabit: quia ſunt eſſentialia ſacramenti, debita materia & forma, & intentio ſufficiens, & hæreſis circa alia, vt ſtatim oſtẽdetur, non poteſt ſacramenrum vitiare. Simile eſt quod inquit Auguſt. Epiſt. 23. eos qui ea intentione paruulos baptiſmo offerunt, vt temporalem ſanitatem recipiant, vel retineant, non propter hanc intentionem efficere, vt illi non regenerentur: quia celebrantur per eos nihilominus neceſſaria miniſteria.

Guil. Anglus de ſacramentis in genere. c. 54.

Diſputatio an fides recta miniſtri ſit neceſſaria.

Fides recta nõ eſt in miniſtro neceſſaria ad veritatẽ ſacramenti.

3. p. q. 64. art. 9. & 10. atque etiam art. 5.

18 Oſtendimus intentionem in miniſtro ſacramenti neceſſariam eſſe, & qualis & cuius obiecti eſſe oporteret ad neceſſitatem ſacramenti: deinceps ad perfectã confirmationem ſententiæ propoſitę, oſtẽdendum eſt, neque ſanctitatem, neque rectam fidem miniſtri ad veritatem ſacramenti neceſſariam eſſe, ſed potius perfectum eſſe ſacramẽtum, etiamſi à malo miniſtro fideli, vel infideli, hæretico, excommunicato aut degradato conferatur. Primum autem proponemus argumenta cõmunia, quæ concludunt non requiri ad veritatem ſacramenti, fidem rectam, ſanctitatem aut bonos mores miniſtri, ſed ſacramentum verum permanere, ſi cætera neceſſaria adſint, nempè materia, forma, intentio faciendi quod Eccleſia fieri vult, in miniſtro habente legitimam poteſtatẽ, ideſt, characterem & poteſtatem adminiſtrandi neceſſariam: excepto baptiſmo, quem omnes conferre poſſunt: licet non debeant niſi in articulo neceſsitatis, qui nõ ſunt ſacerdotes.

19 Primum argumentum eſt ex D. Auguſt. lib. 6. contra Donatiſtas. cap. 25. Sacramenta habẽt vim, vt ſupra oſtendimus, ex opere operato, quod Auguſtino eſt ex vi verbi, hoc eſt formæ, vel ex ipſo opere, quomodocunque affectus ſit miniſter, qui eſt operans actionem ſacramentalem: ſed fides & ſanctitas ſunt operantis: ergo non requiruntur ad veritatem ſacramenti. itaque ſi habere vim ex opere operato, eſt non pendere virtutem ſacramenti ex virtute, meritis aut diſpoſitione operantis miniſtri, non poſſunt requiri neceſſariò ad veritatem ſacramenti, ſanctitas aut recta fides miniſtri. Confirmatur hęc ratio ex eodẽ Aug. lib. 5. contra eoſdẽ. cap. 20. quia ſi virtus miniſtri ad veritatem & eſſentiam ſacramẽti pertineret, maior virtus & fides maius & perfectius ſacramentum conferret, & minor minus: quod ſi verum eſſet, iam ſacramenta & dona Dei non penderent ex Chriſto aut eius inſtitutione, ſed ex differentia humanorum meritorum: & miniſter non induceret effectum ſacramenti ex virtute principalis agentis, ſed ex propria.

20 Vnde efficitur ſecundum argumentum. miniſter vel inſtrumentum non agit ex propria virtute, ſed ex vi & efficacia principalis agentis: & ideò accidentarium eſt inſtrumento qualemcumque formam aut perfectionem habere, præter eam qua propriè inſtrumentum fit, & eleuatur ad effectum principalis agentis; ſed miniſter ſacramentorum, eſt tãtum inſtrumentum Dei, ad eorum adminiſtrationem & con-

fectionem: ergo non agit ex vlla sua virtute, sed ex motione principalis causę: ne spes in homine & non in Deo collocetur, aut potestas sacramentorum nō tam Christi, quam ministri esse videatur. Vnde Corinthiorum schismata orta sunt, quæ Paulus reprehendit principio prioris epist. ad eosdem. celebris inde orta est Augustini sententia, Tract. 5. in Ioannem, sic comprehēsa: frater quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus? multa alia in hāc sententiam scribit cōtra Petil. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 6. Confirmatio huius argumenti, est illa ratio D. Thom. 4. contra Gent. cap. 77. ea quæ in administratione sacramentorum fiunt, excedunt virtutem humanam, & vi diuina, atque supernaturali conficiuntur: cùm ergo nulla humana virtute fiant, neque malitia humana impediri possunt.

21 Tertium argumentum sit ex eodem D. Thom. per habitus virtutis aut vitij fit, vt benè vel malè operemur, per potestatem autem aut impotentiam vt simpliciter operemur aut non: cùm hoc sit proprium potentiæ habilem quempiam ad operandum constituere: virtus igitur potest efficere, vt minister sacramenti bene operetur, sed quia minister est, operari potest: & quia prius non pendet à posteriori, posse conficere verum sacramentum non erit à virtute, cùm prius sit operari, quàm benè operari. Confirmatur quia potestas & consecratio ministrorum, cum detur & communicetur simpliciter, & sine vlla peccati exceptione, æterna est in illis, & non potest suspendi aut deleri, per quancunque hominis malitiam. Vnde efficitur, quod cùm Dei vis & potestas non immutetur, semper idem facit per quemcunque ministrum, modò habeat potestatem & qualitatem ministro necessariā vt minister est, quæ sola intentio est, vt ostendimus. Reliquæ autē qualitates, quæ insunt homini, non quatenus minister, sed quia homo, vel quia bonus homo, vel quia membrum Ecclesiæ est, extra rationem instrumenti sunt, & idcirco ad bonā actionem, & bonum vsum ministerij, vtiles esse possunt, ad veritatem sacramenti, quod à ministro vt minister est tantum pēdet, nullo modo requiruntur. Exempla Augustini sunt, quemadmodum aqua qua irrigatur hortus, siue transeat per canales aureos, plumbeos vel lapideos, eandem vim humectationis, arescenti terræ impertit, & quemadmodum arboribus nihil obest eorū improbitas, quorum manibus satæ sunt: ita nihil vitij contrahunt illi qui malorum hominum ministerio, Christo insiti sunt, & in illo sanctificantur. Vnde frequenter illud repetit, non minus valuisse sacramenta Iudæ quam Ioannis, lib. 3. contra Crescon. cap. 7. Thomas etiā Valden. lib. de sacramētis ostēdit omnia dona quæ hominibus donantur non sua sed aliorum & Ecclesię causa, non pendere ex meritis humanis, vt patet de dono miraculorum, sanationum, prophetiarum, exorcismorum: vnde concludit illam elegantem sententiam, minister sacramenta dispensans nō pascit plebem moribus, sed ritibus. Vndè vt Deus post datam creaturis primam vim multiplicationis, cum eisdem concurrit ad omnes effectus naturales, nullus hominum sceleribus obstantibus: ita semper suum propositum de sacramentorum effectibus producendis, retinet, nulla hominum ministrantium malitia impeditus. Sic colliges ex D. Basilio in opere sextæ diei, Chrysost. in serm. de prodit. Iudæ, Damas. lib. 4. de fide. c. 14.

22 Postremò, certa sunt in hac re testimonia traditionis Ecclesiasticæ, & conciliorum. De traditione Ecclesiastica quæ sacramenta administrata ab hæreticis vera esse agnoscit, testis est D. August. lib. 2. de baptismo, cap. 7. quam, inquit, consuetudinem tota Ecclesia obseruatam, ex apostolica Traditione venientem, credimus per Agrippinum primùm corrumpi cœpisse. In eandem sententiam citat, sæpè D. August. catholicum totius orbis Concilium, celebratum post passionem Cypriani paulò antequam Augustinus ipse natus esset, vt scribit lib. 2. contra Donat. c. 3. 4. & 9. cui cedere oportet omnia priora cōcilia prouincialia, nedum homines singulares vel sanctissimos. Huic concilio plenario asserit lib. 6. de baptismo, cap. 39. Deum reuelasse hanc veritatem, de integritate sacramentorum apud hæreticos: & ideo passim vrget hoc Concilium. lib. 2. contra Parmen. cap. 13. lib. 1. contra Donatist. cap. 17. & lib. 6. cap. 17. & 13. tanquam certissimum ad omnes controuersias iudicium. Quod autem fuerit illud plenarium Concilium nunquam exprimit, sed

sed cùm aliud nõ fuerit præter Nicænum, quod hanc causam tractauerit ante Augustini tempora, non videtur dubitandum, canonem olim in Niceno Concilio de hac re extitisse, qui tamen nunc non habetur. Allegat etiam D. August. contra Parmenianum Concilium prouinciale Carthaginense, post obitum Cypriani coactum presidente Grato Episcopo, cui dicitur Cyprianũ pro sua humilitate, si interfuisset consensurum. Ex quo Cõcilio multa sunt relata in dist. 4. de consecr. sicut ex libris Augustini Optati, Isidori, multorũque sanctissimorum pontificum. Adeò vt tandẽ non solùm de hereticorum baptismo quin integer esset, nemo catholicus dubitaret: sed etiam fidem ministri tam minimè requiri ad necessitatem sacramenti crederet, vt baptismus à Iudeo ministratus probaretur eadem d.cap. à quodam, & à pagano c. Romanus, & à quibuscunque hæreticis, modò essentialia sacramenti seruarent c. si qui: licet ipse August. lib. 7. contra Donatist. cap. 53. dubitauerit, an sacramentum datum à non baptizato valeret: quòd eo tempore nihil esset definitum in Concilio plenario, nec quicquam cœptum tractari in nationali vel regionali: adeò receptum fuit in veteri Ecclesia, vt doctissimi quique omnia referrent ad iudicium Conciliorum.

23 Exceperunt vetera cõcilia ab hac definitione vniuersali, Cataphrygas & Paulianistas, quia formã baptismi non seruauerunt. Quare hoc fuit semper catholicæ Ecclesiæ iudicium, integritatem & veritatem sacramenti, non tolli per hæresim, aut maliciam ministri, modò is legitimam haberet potestatem administrandi cum debita intentione, & adhiberet necessariã materiam & formam sacramenti. itaque positam & constitutam veritatem sacramenti non vitiaret vlla malicia, aut error, etiamsi de recta intelligentia Sacramenti aut effectus illius esset: sic Arrianorum Sabellianorum & consimilium baptismum, etiam de Trinitate, in cuius nomine baptismus perficitur, perniciose sentientium, probauit Ecclesia catholica. legendus August. de hæres. 44. hæresi. lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. lib. 1. contra Donatist. cap. 17. & lib. 2. cap. 3. & alias sæpissimè.

D. Thom. inf. q. 66. art. 9.

24 Quod autem inquit Athanas. serm. 3. contra Arrianos, eum tantùm dare verum baptismum, qui rectam fidem habeat: de quibusdam Arrianis est intelligendũ, qui suam hæresim permiscentes formæ sacramenti, non seruabant legitimam formam, & ideo neque verum baptismum conferebant: dicentes in creatore & creatura, non autem in patre & filio. vt si Caluinistę in forma aliquid ex sua heresi adiungerent, non consecrarent, dicentes hoc est figuratè vel tropice corpus meum. Similiter explicandus Ambros. lib. de his qui myster. initiantur cap. 4. & Leo Primus, epist. 77. canon Basilij 47. sunt etiam de hac re alia decreta vt Apost. can. 47. Carthaginen. 1. cap. 1. Toletan. tertium. Nicenum cap. 19. Arelaten. cap. 16. & 17. Laodicen. Can. 7. 8. Constantien. Sess. 8. contra Vvicleffi. art. 4. Trident. Sess. 7. Can. 4. de baptismo.

25 Ex hac doctrina de sacramentis hæreticorum, aliorumque malorum colligitur: Nullum sacramẽtum ab eisdem collatum si characterem imprimat iterari posse, vt baptismum, confirmationem, ordinem: quia licet in aliis sacramentis & in his etiam, cùm ab hæreticis conferuntur, plerumque non consequatur gratia & sanctificatio in adultis, character tamen semper imprimitur: & ideo ad hunc effectum distinguendum, facta est olim celebris quęst. de charactere sacramentorum. Itaque rectè adnotauit D. August. lib. 6. de baptismo, cap. 1. errorem asserentium, sacramentum administratum ab hæreticis non esse verum sacramentum, quod non distinxerint autores huius erroris, inter sacramentum & sacramenti effectum: & inter characterem qui est effectus indifferens bonis & malis, & remissionem peccatorum & sanctificationẽ quæ semper est bonorũ. Vnde quæ à D. August. & aliis Patribus dicuntur de integro baptismo hereticorum, eadem dici possunt de aliis sacramentis. verè enim Eucharistiam, cõfirmationem, ordinem, & alia sacramenta conficere possunt: & planè falluntur, qui putant confirmationem collatam olim ab hæreticis, iteratam fuisse in Ecclesia Catholica: cum in Cõcilio Tarraconen. antiquissimo, cap. 6. de hoc etiam sacramento non repetendo sit definitum: & eadem doctrina est Patrum & omnium Theologorum, de ba-

Nullum sacramentum collatum ab haretico, si imprimit characterẽ, iterari potest.

 ptismo

ptiſmo hæreticorum, atque de aliis ſacramentis. Deceptionis occaſio fuit ex vſu antiquæ Eccleſiæ, in qua redeuntes ab hæreſi per manus impoſitionem admittebantur, & cum hæc cæremonia eſſet plerunque confirmationis, vt cõſtat ex D. Iuſtino in reſponſione ad 14. q. Gẽtilium, exiſtimauerunt, illos omnes etiam ab hæreticis cõfirmatos in Eccleſia catholica iterum confirmari. Sed certè illa cæremonia impoſitionis manuum, non fuit tantùm confirmationis ſacramenti, ſed plerũque reconciliationis & pœnitentiæ, vt ſuo loco latius oſtendemus.

Sacramẽta hæreticorum quãuis ſint ſalutaria ſuſcipientibus.

26 Cauendus hîc etiam eſt error eorũ, qui exiſtimant quidem hęreticorum ſacramenta perfecta eſſe & integra, ſed nunquã habere ſalutarem effectum, quòd ab hæreticis adminiſtrentur: & ideo aſſerunt infantes ab hæreticis baptizatos, ſi diſceſſerint antequam in Eccleſia Catholica per cõfirmationem recipiantur, omnino perire. Contraria tamen ſententia eſt vera, & ab Auguſt. contra Donatiſtas ſępè cõprobata, vt lib. 7. c. 52. cum ait, baptizatũ ab hereticis in neceſsitate remiſsionẽ peccatorum & ſalutẽ aſſequi. Quod etiam de ſacramento pœnitentiæ in eadẽ neceſsitate intelligẽdum eſt, de quo etiã legenda eſt Epiſt. 23. ad Bonifaciũ. Argumentum firmiſsimum pro hac ſententia eſt, quòd ſacramentũ nouæ legis nunquã poteſt carere ſuo fructu, niſi ſit impedimentũ vel obex in ſuſcipiẽte, ſed infantes nullo modo obicem ponunt: & adulti contriti in extrema neceſſitate non videntur etiam ponere: ergo cũ ſacramento conſecuntur etiam ſalutarem illius effectũ. quare neque hęretici neque alij mali miniſtri poſſunt impedire effectũ ſacramenti, niſi peccatum ſit in ſuſcipiẽte. Quę doctrina eſt plena cõſolationis, cùm videamus nihil poſſe impedire ſacramentorum effectum, ſi nos ipſi nobis non defuerimus. Vnde quæ Auguſt. & alij aſſerunt, hæreticorum baptiſmum, verum ſacramentum eſſe extra Eccleſiam, ſed non eſſe vtile extra Eccleſiam, intelligenda ſunt de his qui voluntariè & extra neceſsitatem, & ſacramenta non omnino neceſſaria accipiunt in ſchiſmate vel hæreſi, quia eo modo ponunt obicem ſacramento: quod ſi eſſet ad ſalutem neceſſarium, & in articulo neceſsitatis, etiam extra Eccleſiam ſuum haberet effectum.

24. q. 1. cap. Si quem fortè.

Diſputatio de accipientibus ſacramenta à malis miniſtris, an ſemper peccẽt. 3. p. q. 64. art. 6.

27 Sed quoniam cautum eſſe oportet in accipiendo vel petendo ſacramentum ab hæreticis, ne committatur peccatum, & accipienti ſacramentum non ſit ſalutare: obſeruandæ ſunt huiuſmodi miniſtri diſtinctiones, miniſter enim vel eſt ex officio, vt prælatus, parochus, vel ex commiſsione & delegatus. Deinde miniſter vel publicè ſe exhibet Eccleſiæ, & ſacramentorum miniſtrum, vel non: prætereà, vel toleratur ab Eccleſia, hoc eſt iuxta definitionem Concilij Conſtantien. non eſt nominatim excommunicatus, nec manifeſtus clerici percuſor: vel eſt præciſus, quia vel publicè hæreticus vel apoſtata: aut degradatus, vel ſuſpenſus. Sacramenta autem quæ ab his adminiſtrari poſſunt, vel ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, vt baptiſmus, vel non neceſſaria. Ab eo igitur qui ſe exhibet Eccleſiæ miniſtrum ex officio vel commiſſione, & ab Eccleſia toleratur, licet accipere & exigere ſacramẽtum etiam extra neceſſitatem, etiãſi noueris illum reum eſſe peccati mortalis: quia à miniſtro legitimo iuſtè petitur debita actio, præſertim parato, vt ab vſurario parato licet accipere vſuras. In articulo autem neceſſitatis, licet à quocunque habente poteſtatem adminiſtrandi, petere ſacramentum neceſſarium ad ſalutem. In articulo mortis quæ eſt neceſſitas extrema nulli dubium eſt, baptiſmum ſine peccato recipi, à malo miniſtro etiam excommunicato, vel preciſo, ideſt hæretico, vel apoſtata, cùm in eodem articulo etiã infidelis ſit miniſter, ſed in eodem articulo definiuit Trident. Seſſ. 14. cap. 7. omnem ſacerdotẽ abſoluere poſſe ab omni peccato, & cenſura: hunc ſacerdotem omnes intelligunt etiam excommunicatum, ſuſpenſum, degradatum, & irregularem: quidam excipiunt hæreticum, vel apoſtatam, vt Silueſt. Sot. 4. diſt. 18. queſt. & art. 4. Sed certè Concilium loquitur generaliter de quocunque ſacerdote, & ideo, non eſt cur aliquis excipiatur. Qui verò miniſtrat ſacramentum baptiſmi in eodem articulo neceſſitatis, in quo poſſet laicus miniſtrare, etiamſi contaminatus mortali peccato, excommunicatus, hæreticus &c. non peccat, quia non ex officio, ſed ex neceſsitate adminiſtrat: in qua quicunque alius multis peccatis contaminatus adminiſtrans non peccaret. Extra articulum

Excommunicatus, Degradatus, Suſpenſus, quia nõ amittit characterẽ, ideo neque poteſtatem adminiſtrandi ſacramẽta, ſed facultatem vtendi ſua poteſtate.

ticulum verò necessitatis, non petitur neque datur à malo ministro sacramentum sine peccato: quia minister huiusmodi per specialem consecrationem deputatur ad sanctè administrandum sacramenta: & qui petit sciens illum existere in peccato, sine vlla vrgente necessitate, communicat peccato illius.

Hæreses, de sacramento a malis ministris administrato refelluntur.

28 Superest ad perfectionem huius doctrinæ de ministris sacramentorum, vt refellamus argumenta hæreticorum, asserentium, ab hæreticis non conferri vera sacramenta, vt diximus receptum esse & definitũ ab Ecclesia catholica. Fuit enim error Agrippini, quem diuus Cyprianus sine pertinacia secutus est, & hos Concilium quodam Africanum præsente & definiente D. Cypriano, rectam fidem esse necessariam ad sacramentorum administrationem: & ideo hæreticos, nullum verum sacramentum conferre: vnde baptizatos ab hæreticis rebaptizabant. tempore autem diui Augustini effecit hic error immane schisma, cum primum inceptus à sanctis Episcopis Agrippino & Cypriano, deinde suffultus esset aliquot Numidiæ & Africæ Prouincialibus Conciliis. His omnibus respondet D. August. lib. 3. de Baptismo, & contra autores schismatis & Donatistas & eundem errorem supra vigintiquinque libros. Sed illo tertio libro tã modestè satisfacit rationibus sancti Cypriani & suorum, vt & illius personam, atque mentem non obstinatè errantem mirum in modum colat, & errorem ipsum ne illi imputetur in peccatum sæpè inclinet: quod idem fecit D. Basil. Epist. 1. ad Amphiloch. sentiens Cyprianum & Firmilianum, quos honoris causa suos appellat, non negasse potestatem hæreticorum omnium circa sacramenta, sed eorum qui non essent ordinati, vt contingit in schismate inueterato nõ ordinari. Qui tamen error etiam foret in baptismo, nisi fortè intelligat, tales ex officio baptizare non posse. Postea verò cum à plenario Cõcilio definitum esset, vera esse sacramenta data ab hæreticis, Episcopi illi Africani, & Orientales, qui fuerant in eo errore, suas sententias retractarunt, vt scribit D. August. lib. 3. contra Crescon. cap. 1. & sequent. Euseb. lib. 7. histor. cap. 4. Nicephor. lib. 6. cap. 7. Hierony. contra Lucifer, Vicent. Lirinen. An verò diuus Cyprianus seipsum correxerit, dubitat D. Aug lib. 2. cõtra Donatist. cap. 7. & epist. 48. ad Vincent. & Dionys. Alexand. apud Euseb. non excipit ab ea retractatione Cyprianum, & Beda planè affirmat lib. 8. qq. quæst. 5. Secuti sunt deinceps Donatistæ, qui omnes manifestos peccatores à sacramentorum administratione arcebant: Hussitę occultos etiam reiiciebãt, tandem Vvicleffus etiam præscitos, quacunque etiam pollerent præsente sanctitate, & iustitia, asserens huiusmodi priuatos esse omni potestate & iurisdictione Ecclesiastica & ciuili. his gradibus ad summã istam insaniam ventum est.

29 Sed operæ pretium fuerit, eorum omnium argumenta singulatim refellere. Primum erat, non est sacramentum nouę legis, nisi gratiam conferat: sed hęreticorum sacramenta non conferunt gratiam, quia dicitur ad Ephes. 4. vna fides & vnũ baptisma: quare si non sit vna fides, neque vnus baptismus erit: ergo non sunt sacramenta hæreticorum. Respondeo, propositionem per se esse veram, sed illam efficaciam aliquando impediri ex indispositione suscipientis sacramentum: & aliud est sacramentum per se, aliud sacramenti effectum, cum possit prius esse sine posteriori. Deinde assumptio est falsa, quia baptismus ab hæretico administratus, infantem regenerabit, & pœnitentia ex sententia multorum in articulo necessitatis iustificabit, vt suprà ostensum est.

30 Alterum argumentum est: qui ipse non habet gratiam, alteri dare non potest: ergo neque hęreticus sacramentum conferens gratiam. Sic Christus Ioan. 20. conferens potestatem remittendi peccata, dedit etiam Apostolis Spiritum sanctum. Respondeo, instrumentum sæpè efficere quod non habet, quia agit ex virtute principalis agentis, quod potest per malum ministrum gratiam conferre. Dominus autem contulit Spiritum sanctum Ioann. 20. cum illa potestate, vt eam ab illo pendere pręcipuè & primò intelligeretur, à quocunque homine administretur: non autem vt gratiam Spiritus sancti necessariam esse significaret in ministro. Sic intelligendum est illud Ecclesiastici, 34. ab immundo quis emũdabitur, nempe operibus propriis immundi, & ab immundicie profectis: non autem operibus quę ministerialiter

liter exequitur, & ideo pertinent ad virtutem principalis agentis: sic minister sacramenti, quia non suum opus, sed Dei exercet, quamuis ipse sit immundus, mundare potest. Ipsa verò immundi administratio, reprehenditur à Deo, quia malè vtitur data sibi potestate, & quantum in se est, pollueret sacramenta, si pollui possent. In hūc sensum accipienda sunt illa, Exod. 19. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deū sanctificentur, ne forte derelinquat eos Dominus. Leuit. 22. Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra, ad ea quę consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immundicia, peribit coram Domino. Isai. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini, Isai. vltimo. Facinorosus qui sacrificat in vitulum, quasi canem occidat, & qui coquit similaginem, quasi sanguinem porcinum, & qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus. Quibus testimoniis Donatistæ abutebantur ad confirmationem sui erroris.

31 Tertium argumentum est: quia extra Ecclesiam nihil est Christianum, nullum sacrificium, nullum sacramentum: quare hæretici non baptizant, neq; vllum sacramentum verum conferunt. Respondeo, extra Ecclesiam esse veram scripturam in Iudæis, esse Symbolum fidei in hæreticis plerūque, esse ieiunium & alia bona opera, licet non meritoria neque salutifera: & sacramenta rite secundum essentialia collata ab hæreticis & malis ministris, non sunt extra Ecclesiam, cum sint vera sacramenta, & ideo Ecclesiæ, & ipsam administrationem, quatenus ratam habet Ecclesia, non possumus dicere esse extra Ecclesiā, licet minister sit extra eam.

32 Ex his alia consimilia argumenta refutari possunt: quare credamus vera sacramenta à malis ministris non contaminari, & plerunque habere salutarem effectum, vt explicauimus: quamuis administrantes grauiter peccent, indignè tractantes diuina mysteria, quæ malis vt ait Dionys. cap. 1. de Eccles. hierar. neque fas est attingere: quia vt inquit D. August. Tractat. 5. in Ioannem: Iustos oportet esse tanti iudicis ministros: si autem noluerint esse iusti, &c. securum tamen me fecit magister meus, de quo spiritus eius dixit, hic est qui baptizat. Hæc de ministris sacramentorum.

33 De suscipientibus autem, illud generaliter tradi potest, intentionem suscipiendi sacramentum verum, adeò esse necessariam, vt ex defectu illius, nullum sit futurum sacramentum, extra Eucharistiam quæ sine vsu est ipsa consecratione perfecta. Reliquę autem qualitates suscipientis efficiunt, vt quisque magis vel minus vtiliter suscipiat. Affectus verò & voluntas peccati mortalis, effecit ne vllum sacramentum sanctificare suscipientem possit, quamuis characterem imprimere possit. De aliis præparationibus ad singula sacramenta accommodatis, propriis locis specialiter commodius differetur. *3. p. q. 68. ar. 7. de bapt. & idem est de alus sacramētis.*

QVÆSTIO LXV.

De numero sacramētorum, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de numero sacramentorum.

Et circa hoc quęruntur quatuor.

Primò, Vtrum sint septem sacramenta.

Secundò, de ordine eorum ad inuicem.

Tertiò, de comparatione eorum.

Quartò, Vtrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

AD primū sic proceditur. Videtur, quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute diuina & ex virtute passionis Christi. Sed vna est virtus diuina, & vna Christi passio, vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, vt dicitur Hebræo. 10. Ergo non debuit esse nisi vnum sacramentum. *4. dist. 1. q. 1. art. 2. & 4. cō. cap. 58 & 1. co. prim.*

¶ 2. Præterea, Sacramentum ordinatur contra defectum peccati.

ti. Hic autem est duplex, scilicet pœna & culpa, ergo sufficeret esse duo sacramenta.

¶3. Præterea, Sacramenta pertinent ad actiones Ecclesiasticæ hierarchiæ, vt per Dionys.† patet. Sed, sicut ipse dicit, tres sunt actiones hierarchicę, scilicet, purgatio, illuminatio, & perfectio. Ergo nõ debent esse nisi tria sacramenta.

Cap. 2. Eccle. Hier. par. 3.

¶4. Præterea, August.* dicit, 19. contra Faustum, Sacramenta nouæ legis sunt numero pauciora, quàm sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet confirmationi & extremevnctioni. Ergo neque hæc debent numerari inter sacramenta nouæ legis.

Lib. 19. ca. 13. à med. to. 6.

¶5. Præterea, Luxuria non est grauius inter cætera peccata, vt patet ex his quę in secunda parte dicta sunt † Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriã debuit institui sacramentum matrimonij.

2. 2. q. 154. a. 3.

6. Sed contra videtur, quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quasi quędam sacra signa. Sed multæ alię sanctificationes fiunt in Ecclesia secundũ sensibilia signa, sicut aqua benedicta, consecratio altaris, & alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramẽta, quàm septem.

¶7. Præterea, Hugo † de sancto Victore dicit, quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes decimæ & sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiæ est vnum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes & decimę debent dici sacramenta.

Lib. 1. de sacram. par. 12. cap. 10.

¶8. Præterea, Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale, & veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus, contra mortale autem pœnitentia. Ergo deberet esse aliud præter septẽ, quod ordinetur contra veniale.

Respondeo dicẽdum, quod (sicut suprà † dictum est) sacramenta Ecclesiæ ordinãtur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem, in his quę pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianę vitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquã habet ad vitam corporalem, sicut & cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habẽt. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Vno modo quantum ad personam propriam alio modo per respectum ad totã communitatem societatis, in qua viuit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autẽ sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Vno modo per se, adquirendo scilicet, aliquã vitæ perfectionem, Alio modo per accidens, scilicet remouendo impedimenta vitæ, puta, ægritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autẽ perficitur corporalis vita tripliciter. Primò quidem per generationem, per quam homo incipit esse & viuere. Et loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. 3. per lauacrum regenerationis, &c. Secundò, per augmẽtum, quo aliquis perducitur ad perfectã quantitatem & virtutẽ. Et loco huius in spirituali vita, est cõfirmatio,

q. 62. art. 5. & q. 63. ar. 1.

in qua datur Spiritus sanctus: ad robur. Vnde dicitur discipulis, iã baptizatis, Luc. vltimo. Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini vir- virtute ex alto. Tertiò, per nutritionem, qua conseruatur in homine vita & virtus. Et loco huius in vita spirituali est Eucharistia, vnde dicitur Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet & corporaliter & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum & corporalem infirmitatem & spiritualem, scilicet peccatũ, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex, vna quidem est sanatio quæ sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est pœnitentia, secũdum illud Psalm. 40. Sana animam meam quia peccaui tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per conuenientem diætam & exercicium. Et loco huius in spirituali vita est extrema vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam, vnde dicitur Iac. 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autẽ homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Vno modo per hoc, quod accipit potestatem regẽdi multitudinem & exercẽdi actus publicos. Et loco huius in spirituali vita est sacramentum ordinis, secundum illud Heb. 7. quod sacerdotes hostias offerunt non solũ pro se, sed etiam pro populo. Secundò, quãtum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eò quòd non est solum sacramentum, sed naturæ officiũ. Ex his etiam patet sacramentorũ numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nã baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis. Confirmatio, contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur, Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum, pœnitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum, Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quę scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligẽtia, aut ex ignorantia, Ordo contra dissolutionẽ multitudinis, Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam verò accipiunt numerum sacramentorum per quãdam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatũ, dicentes, quod fidei respondet baptismus, & ordinatur contra culpam originalem: spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialem: charitati Eucharistia, & ordinatur cõtra pœnalitatem malitiæ: prudẽtię Ordo, & ordinatur contra ignorantiam: iustitiæ Pœnitentia, & ordinatur cõtra peccatum mortale: tẽperantiæ Matrimonium, & ordinatur cõtra concupiscentiam: fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod idem agens principale vtitur diuersis instrumentis ad diuersos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus diuina & passio Christi operantur in nobis

in nobis per diuersa sacramenta, quasi per diuersa instrumenta.

Ad secundum dicendũ, quod culpa & pœna diuersitatem habẽt & secundum speciem, inquantum sunt diuersæ species culparum & pœnarum, & secundum diuersos hominum status & habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, vt ex dictis *patet.

In cor. art.

Ad tertium dicẽdum, quod in actionibus hierarchicis conside rantur, & agentes, & recipientes, & actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiæ: ad quos pertinet ordinis sacramentum. Recipiẽtes autem sunt illi qui ad sacramẽtum accedunt, qui producũtur per matrimonium. Actiones autẽ sunt purgatio illuminatio & perfectio. Sed sola purgatio non potest esse sacramentum nouę legis, quod gratiam confert: sed pertinet ad quædam sacramẽtalia, quæ sunt catechismus, & exorcismus. Purgatio autem & illuminatio simul, secundum Dionys.* pertinent ad baptismum: & propter recidium, secundariò pertinent ad pœnitentiam & extremam vnctionem. Perfectio autem quantum ad virtutem quidẽ (quę est quasi perfectio formalis) pertinet ad confirmationẽ: quãtum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

Cap. 3. Eccles. hier. part. 1. circa finem.

Ad quartum dicendũ, quòd in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus sancti ad robur: in extrema autẽ vnctione pręparatur homo, vt recipiat immediatè gloriam. Quorum neutrũ cõpetit veteri testamento: & ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respõdere. Nihilominus tamen sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero, propter diuersitatẽ sacrificiorũ & cęremoniarũ.

Ad quintum dicendũ, quòd contra concupiscentiam venereorũ oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentũ. Primò quidẽ, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitiatur persona, sed etiam natura. Secundò, propter vehementiam eius, qua rationem absorbet.

Ad sextum dicendum, quod aqua benedicta & aliæ consecrationes non dicũtur sacramẽta: quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ cõsecutio. Sed sunt dispositiones quędã ad sacramenta, vel remouendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur cõtra insidias dęmonum, & cõtra peccata venialia, vel etiã idoneitatẽ quandam faciendo ad sacramenti perfectionem & perceptionem, sicut consecratur altare & vasa, propter reuerentiam Eucharistiæ.

Ad septimum dicendũ, quod oblationes & decimæ erant tam in lege naturę, quam in lege Moysi ordinatę, non solum in subsidium ministrorum & pauperum, sed etiam in figuram, & ideo erant sacramẽta: nunc autem non remanserunt inquantum sunt figuralia, & ideo non sunt sacramenta.

Ad octauum dicendũ, quod ad deletionem venialis peccati nõ requiritur infusio gratiæ. Vnde cum in quolibet sacramento nouę legis gratia infundatur, nullũ sacramentũ nouę legis instituitur directè cõtra veniale, quod tollitur per quædã sacramẽtalia, puta per aquã benedictam, & alia huiusmodi. Quidã tamen dicunt extremam vnctionem

nem contra veniale peccatũ ordinari, sed de hoc suo loco* dicetur.

Non compleuit morte præuẽtus.

ARTICVLVS II.

Vtrum sacramenta conuenienter ordinentur secundum modum prædictum.

4 dist. 2 q 1. art. 3. & d. 7. q. 1. art. 1. q. 3. & Ephe. 5 f. *Art. præc.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter sacramenta ordinentur secundum modum prædictum.† Vt enim Apostolus dicit 1. Corinthio. 15. Prius est quod est animale, deinde quod spiritale. Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quæ est animalis: per baptismum autem generatur homo secunda generatione, quæ est spiritualis. Ergo matrimonium debet præcedere baptismum.

¶2. Præterea, Per sacramẽtum ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Sed agens est prior sua actione. Ergo ordo debet pręcedere & baptismum & alia sacramenta.

¶3. Præterea Eucharistia est spirituale nutrimentum, Confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti, & perconsequens prius eo. Ergo Eucharistia est prior cõfirmatione.

¶4. Præterea, Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam. Sed dispositio præcedit perfectionem. Ergo Pœnitentia debet præcedere Eucharistiam.

¶5. Præterea, Quod est propinquius fini vltimo, est posterius. Sed Extremavnctio inter omnia sacramenta propinquior est vltimo fini beatitudinis, ergo debet habere vltimum locum inter sacramenta.

IN CONTRARIVM est, quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta, sicut prius dictũ est.* Articul præc.

RESPONDEO dicendum, quòd ratio ordinis sacramentorum appa ret ex his quæ supra† dicta sunt. Nã sicut vnum est prius quam multitudo, ita sacramenta quæ ordinãtur ad perfectionem vnius personæ naturaliter, præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo vltimo inter sacramenta ponuntur ordo & matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen post ordinem, eò quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea verò, quę ordinantur ad perfectionẽ vnius personæ, naturaliter sunt priora illa, quę per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitę, quàm illa quæ ordinantur per accidens, scilicet, ad remouendum accidens nociuum superueniens: cuiusmodi sunt pœnitentia & extremavnctio. Posterior tamen est naturaliter extrema vnctio, quæ consummat sanationem, pœnitentia quæ inchoat. Inter alia verò tria manifestum est, quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius, & deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, & post modum Eucharistia quę ordinatur ad perfectionem finis.

Art. præced.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod matrimonium, secundũ quod ordinatur ad animalem vitam, est naturæ officium, sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis, est sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, vltimo

vltimo

vltimo ponitur inter ſacramenta.

Ad secundum dicendum, quòd ad hoc quod aliquid ſit agẽs, præſupponitur quod ſit in ſe perfectũ,& ideo priora ſunt ſacramenta,quibus aliquis in ſeipſo perficitur, quam ſacramentum ordinis, quo aliquis conſtituitur perfector aliorum.

Ad tertium dicendũ, quod nutrimentum & præcedit augmentum, ſicut cauſa eius, & ſubſequitur augmentum ſicut conſeruans hominem in perfecta quantitate& virtute. Et ideo poteſt Euchariſtia præmitti confirmationi, vt Diony. †facit in lib.de Eccleſ.hier. & poteſt poſtponi,ſicut Magiſter * facit in quarto ſententiarum.

†q.cap.3.agit de Euchar. ſed cap.4.de Confir.
* Vbi de Cõfir. tract. in d.7. de Euchar. verò diſt.8.

Ad quartum dicendũ, quod ratio illa rectè procederet, ſi pœnitentia ex neceſsitate requireretur vt præparatoria ad Euchariſtiam. Sed hoc non eſt verum, nam ſi aliquis eſſet ſine peccato mortali, nõ indigeret pœnitentia ad ſumptionem Euchariſtiæ. Et ſic patet quòd per accidens pœnitentia præparat ad Euchariſtiam,ſcilicet ſuppoſito peccato,vnde dicitur 2. Paral. vlt. Tu Domine iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis.

Ad quintum dicẽdum,quòd extrema vnctio propter rationem inductam,† eſt vltimũ inter ſacramenta,quæ ordinãtur ad perfectionem vnius perſonæ.

†In argu.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit potiſsimum inter ſacramenta.

4.d.7.q.1.ar.1.q.3.co.& d.8.q.1.ar.1.q.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod ſacramentum Euchariſtię non ſit potiſſimum inter ſacramenta. Bonum enim commune potius eſt,quã bonum vnius, vt dicitur 1.Ethic.* Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune ſpeciei humanæ, per viam generationis, ſacramentum autem Euchariſtiæ ordinatur ad bonum proprium ſumentis. Ergo non eſt potiſſimum ſacramentorum.

1.& 4. cen.c. 74. col. 2. & ver.q.27.art. 4.cor.
* Lib. 1 Ethi. c.2.in fin.to.5

¶2. Præterea, Digniora ſacramenta eſſe videntur, quæ per maiorem miniſtrum conferuntur. Sed ſacramentum Confirmationis & ſacramentum Ordinis non conferuntur niſi per Epiſcopum, qui eſt maior miniſter, quàm ſimplex ſacerdos, per quem confertur Euchariſtiæ ſacramentum. Ergo illa ſacramenta ſunt potiora.

¶3. Prætereà, Sacramenta tanto ſunt potiora, quanto maiorem virtutem habent. Sed quædã ſacramenta imprimunt characterem (ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio,& Ordo) quod non facit Euchariſtia. Ergo illa ſacramẽta ſunt potiora.

¶4. Prætereà illud videtur eſſe potius,ex quo alia dependent:& nõ è conuerſo. Sed ex baptiſmo depẽdet Euchariſtia, non enim poteſt aliquis Euchariſtiam accipere, niſi fuerit baptizatus. Ergo baptiſmus eſt potior Euchariſtia.

Sed contra eſt, quod Dionyſ.* dicit 3.cap.Eccleſ.hierarch, quod non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica, niſi per diuiniſsimam Euchariſtiam. Ergo hoc ſacramentum eſt potiſſimum omnium aliorum.

* p. 3. Eccleſ. hier. non remotè a princ.

Respondeo dicẽdum, quòd ſimpliciter loquendo, ſacramentũ Euchariſtiæ eſt potiſſimum inter alia

alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet: primò quidem, ex eo quòd in eo continetur: nam in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata à Christo, vt ex supra dictis * patet. Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem. Secundò, hoc apparet ex ordine sacramentorum adinuicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistię consecrationem. Sacramentum verò baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem. In quo etiã perficitur aliquis per confirmationem, vt non vereatur se subtrahere à tali sacramento. Per pœnitentia etiam & extremam vnctionem præparatur homo ad dignè sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam saltẽ sua significatione attingit hoc sacramentum, inquãtum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ: cuius vnitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur: vnde & Apostolus dicit Ephes. 5. Sacramẽtum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Tertiò, hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam ferè omnia sacramenta in Eucharistia consumãtur: vt Dionys. † dicit 3. cap. Eccles. hierar. sicut patet quod ordinati communicant, & etiam baptizati, si sint adulti. Aliorum autem sacramentorũ cõparatio adinuicem, potest esse multiplex. Nam in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramẽtorum. In via autem perfectionis sacramentum ordinis. Medio autem modo se habet sacramentum confirmationis. Sacramentum verò pœnitentiæ & extremę vnctionis sunt inferioris gradus a prædictis sacramẽtis: quia sicut dictum est, * ordinantur ad vitam Christianã, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium superuenientis defectus. Inter quæ tamen, extrema vnctio comparatur ad pœnitentiam, sicut confirmatio ad baptismum: ita scilicet quod pœnitẽtia est maioris necessitatis, sed extrema vnctio est maioris perfectionis.

Quæst. 62. art. 3. & 4. — *Cap. 3. Eccle. Hier. circa prin.* — *Art. 1. huius quæst.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd matrimonium ordinatur ad commune bonũ corporaliter. Sed bonũ commune spirituale totius Ecclesiæ, continetur substantialiter in ipso Eucharistiæ sacramẽto.

AD SECVNDVM dicendũ, quod per ordinem & confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia, quę pertinent ad officium principis. Et ideo tradere huiusmodi sacramenta, pertinet ad solũ Episcopũ, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramẽtum verò Eucharistiæ non deputatur homo ad aliquod officium, sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum, vt dictum est. *

In cor. arti.

AD TERTIVM dicendum, quod character sacramentalis (sicut supra † dictũ est) est quædã participatio sacerdotij Christi. Vnde sacramentum quod ipsum Christum cõiungit homini, est dignius sacramento, quod imprimit Christi characterem.

q. 63. art. 3.

AD

Ad quartvm dicendũ, quòd ratio illa procedit ex parte necessitatis: sicut enim baptismus, cùm sit maximæ necessitatis est potissimum sacramentorum, sic ordo & confirmatio habent quandam excellentiam ratione ministerij, & matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

4.dist.7.q.1.art.1.q.2.& q.3.art.2.q.1. AD quartum sic proceditur. Videtur, quod omnia sacramenta sint de necessitate salutis. Illud enim quod nõ est necessarium, videtur esse superfluum. Sed nullum sacramentum est superfluum: quia Deus nihil facit frustra. Ergo omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

¶2. Prętereà, Sicut de baptismo dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei, ita de Eucharistia dicitur Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergo sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & Eucharistia.

¶3. Præterea: Sine sacramento baptismi potest aliquis saluus fieri, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentũ excludit; vt infrà* dicetur. Sed in quolibet sacramẽto cõtemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo pari ratione omnia sacramenta sunt de necessitate salutis. q.68.art.1.& 2.

Sed contra est, quod pueri saluantur per solum baptismum, sine aliis sacramentis.

Respondeo dicẽdum, quòd necessarium respectu finis (de quo nõ loquimur) dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, sine quo non potest haberi finis: sicut cibus est necessarius vitæ humanę. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem.

Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita conuenienter, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria, duo quidem personæ singulari: baptismus quidem simpliciter & absolutè, pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiæ: quia vbi nõ est gubernator, populus corruet, vt dicitur Prouerb. 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodã modo perficit baptismum, extrema vnctio pœnitentiam, matrimonium verò Ecclesiæ multitudinẽ per propagationem conseruat.

Ad primvm ergo dicendũ, quòd ad hoc quòd aliquid non sit superfluum, sufficit quòd sit necessarium primo vel secundo modo, & sic sunt necessaria omnia sacramẽta, sicut dictum est.* In cor. ar.

Ad secvndvm dicendũ, quòd illud verbum Domini est intelligendum de spirituali mãducatione, & non de sola sacramentali, vt August.* exponit super Ioan. Tract. 26. & 27. in 9.

Ad tertivm dicẽdum, quòd licet omnium sacramentorum cõtemptus, sit saluti contrarius. Non tamen est contemptus sacramenti, ex

ti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis, alioquin omnes qui nō accipiunt ordinem, & qui non contrahunt matrimoniū contemnerent huiusmodi sacramenta.

Sententiæ & conclusiones. quæst.

PRima conclusio: *Sep*[1]*tem tātum sunt sacramenta nouæ legis, baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, matrimoniū:* [2]*eodem quo proposuimus ordine, legitimè disposita. ex art. 1. & 2.*

Ratio primi, *quia his septem sacramētis, & Deus perfectè colitur, & peccata remittuntur.*

Ratio secundi: *Quia prioribus quinque sacramentis ad spiritualem vitam, priuata quælibet persona perfectè dirigitur: duobus posterioribus toti Ecclesiæ perfectè consuluit Dominus.*

Secunda conclusio: *Ex his septem sacramētis eucharistia cæteris dignitate & absolutè præstat: baptismus necessitate eminet, ex reliquis ordo perfectione præstat, baptismo cōfirmatio, vnctio pœnitentiæ, sed excellit necessitate, matrimonium denique vltimū locum occupat. Conclusionis rationes manifestæ sunt, & in promptu apud D. Thom.*

Cæterùm sacramenta, dignitate & perfectione esse inæqualia, definitum est in Trident. Sess. 7. Can. 3. & Eucharistiam omnium esse perfectissimū Sess. 13. cap. 3. baptismum necessitate cæteris præstare ead. Sess. 7. Can. 5. de bapt. ex reliquis verò illud præstantius est, quod præstantiorem effectum suscipientibus confert. Protestantes contendunt sacramenta omnia paria esse perfectione, tum quòd ab omnibus tollunt efficaciam conferendi gratiam, decernentes tantùm esse quasdam fidei externas protestationes, & signa fidei per se iūstificantis: quam opinionem supra q. 62. ex verbo Dei refutauimus: tū etiam quòd in Eucharistia, negant Christum verè & substantialiter contineri: quem errorem refellemus, infra q. 76. nihil igitur mirum est Protestantes in æqualitatem sacramentorum negare, qui negauerint efficaciam & veritatem: sic enim error errorem procreat. Si quid autem præterea obseruandum est, id supra q. 61. n. 9. & 13. obseruauimus: quare dicendum restat de his quæ cuiusque sacramenti propria sunt.

QVÆSTIO LXVI.
De pertinentibus ad sacramentum Baptismi, in duodecim articulos diuisa.

D*Einde considerādum est de singulis sacramentis in speciali. Et primò, de Baptismo. Secundò, de Confirmatione. Tertiò, de Eucharistia. Quartò de Pœnitentia. Quintò, de extrema Vnctione. Sextò, de Ordine. Septimò, de Matrimonio.*

Circa primum occurrit duplex consideratio.

Prima, de ipso baptismo. Secunda, de præparatoriis ad Baptismum.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primò, de his quæ pertinent ad sacramentum Baptismi. Secundò, de ministro huius sacramenti. Tertiò, de recipientibus hoc sacramentum. Quartò, de effectu huius sacramenti.

Circa primū quærūtur duodecim.

Primò, quid sit baptismus, vtrum scilicet sit ablutio.

Secdūò, de institutione huius sacramēti.

Tertiò, vtrum aqua sit propria materia huius sacramenti.

Quartò, vtrū requiratur aqua simplex.

Quintò, vtrum hæc sit conueniens forma huius sacramenti: Ego te baptizo in nomine Patris & filij & Spiritussancti.

Sextò,

Sexto, vtrum sub hac forma possit aliquis baptizari, Ego te baptizo in nomine Christi.
Septimo, vtrum immersio sit de necessitate baptismi.
Octauo, vtrũ requiratur trina immersio.
Nono, vtrum baptismus possit iterari.
Decimo, de ritu baptismi.
Vndecimo, de distinctione baptismatum.
Duodecimo, de comparatione baptismatum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm baptismus sit ipsa ablutio.

4. d. 3. ar. 1. & 4. con. c. 60. AD primũ sic proceditur. Videtur, quod baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit. Baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed potius regeneratio & sigillum, & custodia, & illuminatio, vt Dam. * dicit in 4. lib.

*Lib. 4. c. 10. circa med.

¶2. Præterea, Hug. de sancto Victor. *dicit, quòd baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Aqua autem non est ipsa ablutio, sed ablutio est quidã vsus aquæ, Ergo, &c.

* Hug. lib. 2. de sacr. in par. 6. c. 2. in prin.

¶3. Præterea, Augustinus dicit * super Ioann. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Elementum autem est ipsa aqua in sacramento baptismi: ergo baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

Tract. 80. in Ioan. post med. D. 9.

Sed contra est, quod dicitur Eccles. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuũ quid proficit lauatio eius? Videtur, ergo quod baptismus sit ipsa ablutio siue lauatio.

Respondeo dicẽdum, quòd in sacramento baptismi est tria cõsiderare, aliquid scilicet quod est sacramẽtum tantũ, aliquid autem quod est res & sacramentũ, aliquid verò quod est res tantũ. Sacramentum tantùm est aliquid visibile exterius existens, quod scilicet est signũ interioris effectus: hoc enim pertinet ad rationem sacramenti. Exterius autem suppositum sensui, est & ipsa aqua, & eius vsus, qui est ablutio. Quidam ergo existimauerunt, quod ipsa aqua sit sacramentum, quod quidem sonare videntur verba Hug. * de sancto Vict. Nam ipse in communi definitione sacramenti dicit, quòd est materiale elementum, & in definitione baptismi dicit, quod est aqua. Sed hoc non videtur esse verum. Cùm enim sacramenta nouæ legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur sacramentum, vbi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluẽs in hominem, qui est veræ sanctificationis subiectũ. Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio, Et ideo Magister * in 4. di. 3. sentẽtiarum dicit, quod baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborũ. Res autem & sacramentum, est character baptismalis, qui est res significata per exteriorẽ ablutionem, & est signum sacramentale interioris iustificationis, quæ est res tantũ huius sacramenti: scilicet significata & non significans.

* Posita in arg. 2. & loco ibi citato.

Lib. 4. dist. 3. in princ.

Ad primum ergo dicendum, quod id quod est sacramentũ tantũ in baptismo, transit: permanet autẽ & id quod est sacramentũ & res scilicet

licet character, & id quod est res tã tũ, scilicet interior iustificatio, sed character permanet indelebiliter (vt supra* dictũ est,) iustificatio autẽ permanet, sed amissibiliter. Damasc. † autem baptismum definiuit, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantùm, sed quantum ad id quod est interius. Vnde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet, sigillũ & custodiam, inquantum ipse character (qui sigillum dicitur) quantum est de se, custodit animã in bono. Duo etiam posuit pertinentia ad vltimam rem sacramenti, scilicet regeneratione (quæ ad hoc pertinet, quòd per baptismum homo inchoat nouam vitam iustitię) & illuminationẽ, quę pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit: secundũ illud Abac. 2. Iustus ex fide viuit. Baptismus autem est quædam fidei protestatio, vnde dicitur fidei sacramentum. Et similiter Dion. baptismum definiuit per ordinem ad alia sacramenta, dicens † 2. c. Eccles. hierar. quòd est quoddam principium sanctissimorũ mandatorũ sacræ actionis, ad eorum susceptiuam opportunitatem, formans nostros animales habitus. Et iterũ * in ordine ad cælestem gloriam (quæ est vltimus finis sacramentorum) cùm subdit, ad super cęlestis quietis anagogen, nostrum iter faciens. Et iterum quantum ad principium spiritualis vitę, per hoc quod subdit, † Sacræ & diuinissimæ nostræ regenerationis traditio.

q. 63. art. 5.

† Loco citato in art.

Cap. 2. Eccle. Hierar. nõ procul a prin.

* Eodem loco nunc dicto.

† Eod. c. prædicto, parum à prin.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictum est, * opinionem Hug. de sanct. Vict. in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari, vt baptismus dicatur esse aqua: quia aqua est materiale baptismi principium, & sic erit prædicatio per causam.

In cor. art.

Ad tertium dicendũ, quod accedente verbo ad elementum fit sacramentum, non quidem in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per vsum ablutionis. Et hoc etiam signat verbũ, quod accedit ad elementum, cum dicitur, Ego te baptizo, &c.

COMMENTARIVS.

Generalem sacramentorum doctrinam, & distributionem, specialis & propria cuiusque sacramenti sequitur, & primum baptismi. Tum quod sit fidei & religionis totius professio, cùm in aliis sacramentis specialis cuiusdã dogmatis, vt in Eucharistia, existentiæ Christi sub accidentibus panis & vini ad cibum & refectionem animæ spiritualem, propria cõtineatur professio: fides autem est prima virtus Theologica, & aliarum radix & firmamentum: erit igitur baptismus, quo in cœtum fidelium admittimur, omnium sacramentorum primum. Tum etiam quòd ad cætera sacramenta, quibus nostra salus perficitur, admitti nõ potest, nisi is qui prius baptismo tinctus fuerit. Ratio ordinis.

1 Sunt vero huius doctrinæ duæ primæ partes, vna de ipso baptismo, altera de adiunctis. in ipso considerantur essentia, institutio, partes essentiæ, minister, suscipiens, effectus: in adiunctis, duplex præparatio, quæ baptismum antecessit, quæ cum illo coniuncta est. de quibus eodem ordine differemus. Diuisio.

Primùm verò essentia baptismi definitione comprehendenda est: & cum genus ex præcedenti disputatione, de numero sacramentorum, omnino constet, nempè sacramentum nouæ legis, vel gratiæ efficax, illud tantum restat quod differentiam cõstituere possit, & baptismũ ab aliis sacramẽtis distinguere, id verò vel à materia & forma, vel ab effectu proprio colligi potest: & ideo veteres Patres & Theologi, varias definitiones

Articul propositum.

definitiones aut descriptiones baptismi constituerunt, & quidem sacræ scripturæ congruenter. D. quidem Dionys. 2. cap. de Eccles. hierarc. ex adiuncta quadã baptismi proprietate, quòd sit principium & via ad cætera sacramenta, cùm sit prima fidei & religionis Christianæ externa professio, inquit baptismum esse quoddam principium, sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad eorum susceptiuam opportunitatem, formans nostros animales habitus, ad supercælestis quietis deductionem, viã præparans, sacræ nostræ regenerationis donatio. hæc Dionysius, addito etiã fine omnis gratiæ sacramẽtalis, & effectu proprio baptismi, regeneratione & cõmuni. gratia enim quæ sacramẽtis cõfertur, nos ad cælestem patriam deducit, & sacramẽti baptismi proprium effectum esse regeneratione constabit infr. q. 69. ar. 1. D. autẽ Greg. Nazian. oratione de baptismo, ex diuersis effectibus & beneficiis, quæ per baptismum nobis communicantur, varias appellationes baptismo tribuit: vnde & variæ descriptiones componi possunt.

Explicatio.

2 Appellationes sunt, donum & gratia, quia sine vllo debito iis qui nihil prius contulerunt, donatur. Baptismus quia peccatum in aqua sepelitur, & aqua mundatur. Vnctio, quia sacer & regius, sacerdotij & regni spiritualis Christi participes nos efficiens, cùm sacerdotibus & regibus vnctio cõpetat. Illuminatio, quia splẽdor & claritas, per fidem mentis tenebras depellens. Indumentũ, quia peccatorũ velamen est, & vera expurgatio. Sigillũ, quia per eum charactere consignati, cuius nam domini simus, cognoscimur: & ab insidiis tuti conseruamur, vt in sanctitate perseueremus. D. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 10. ex eadem Gregorij oratione, eadem effecta baptismi breuius sic comprehendit: per baptismum, inquit, primitias spiritus accipimus, ac regeneratio alterius vitæ principium, signaculum vel sigillum, præsidiũ & illuminatio efficitur. Vt enim generatione naturali inquit D. Diony. cap. 2. de Eccles. Hierarc. esse primum accipimus, deinde ad operationem progredimur: sic baptismo iterum gignimur in spirituales Dei filios, & ad operationes consimiles deducimur.

3 Hæc autem omnia ex sancta scriptura eruuntur. regeneratio enim Ioan. 3. à Domino annuntiatur Nicodemo ad salutem necessaria, ex aqua & Spiritu sancto, idest ex baptismo Christi: & D. Paulus baptismo tinctos, consignatos & illuminatos vocat: *Hebr. 6.* vnde & Cyrilli Hierosol. Catecheses illuminatorum dictæ sunt. cætera autem nomina ex regenerationis gratia & effectibus, de quibus infra q. 69. deducta sunt.

4 Ex Patribus & Theologis Latinis, quidam baptismum definiunt, aquam diluendis criminibus sanctificatam per verbum Dei, vt Vgho lib. 2. de sacram. p. 6. cap. 2. & sanè videtur ita definisse, ex imitatione D. Augustini, Tract. 80. in Ioã. cum inquit, accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: cùm ipsa aqua sit elementum & materia baptismi. Quidam autem baptismum definiunt, ablutionem corporis exteriorem, factam sub præscripta verborum forma. horum princeps est Magister Sentent. dist. 3. 4. lib. quem plerique Theologi sequũtur. Vnde existit dubitatio, vtra ex his definitionibus aptior sit, & præceptis definiendi magis accommodata, quæ aquam, an quæ ablutionem assumit. De cęteris enim definitionis partibus, nulla dubitatio est. itaque non est dubitatio de tota definitione, aut essentia baptismi, neque de genere, cum ex precedentibus constet genus esse sacramentum: neque de tota differẽtia, quæ materiam & formam comprehendit: sed de parte illius, nempè materia. nisi quis fortè dicat definiri sacramentum baptismi, & de genere dubitationem proponi, sit ne ablutio an aqua: cùm genus sumatur ex materia, differẽtia ex forma. sed hæc Dialectica sunt, & à sententia Theologica videntur aliena, cùm tantum quæstio sit, vtrum proprius & exactius dicatur baptismus ablutio, an aqua.

5 Sententia D. Thomæ & omniũ Theologorum est: in sacramento baptismi, sacramentum tantùm est ablutio, non aqua, sacramentum & res est character, res tantùm est gratia regenerans aut iustificans suscipientem. Explicatio sumitur ex distinctione eorum, quæ reperiuntur in sacramentis characterem imprimentibus. hæc autem sunt tria, sacramentum tantùm, signum externum sensibile, quod significat, & non significatur, in quo posita est ratio generalis sacramenti: res autem significata est effectus in suscipiente, qui nihil amplius significat: res denique & sacramentũ, est cha- *Conclusio.*

est character, quatenus & significat intelligenti per fidem, consignationem cum Christo, & est sacramenti tãtum effectus proprius. Reperitur etiam eadem in Eucharistia distinctio, licet alio modo, infra quæst. 73. arti. 1. ad 2. Sententia igitur proposita affirmat, in baptismo sacramentum tantùm, esse absolutionem, non aquam. Confirmatio manifesta est ex verbo & forma huius sacramenti, & præcepto Domini, Matth. & Marc. vltimo: ite inquit, & docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Cùm enim baptizo, sit idem quod tingo & abluo, baptizare erit idem quod lauare: quare si baptismus regenerat ex verbis Domini, Ioan. 3. idque efficit lauando, vt forma præscribit: certè lauatio sacramentum perficiet, non aqua per se, vt à lauatione distinguitur. ex quibus hanc rationem Theologicam D. Thom. concludit.

Probatio conclusionis.

6 Illud est sacramentum tantùm in baptismo, in quo suscipientis sanctificatio perficitur: quia sacramenta nouæ legis, vim habẽt sanctificandi: sed in ablutione, & nõ in aqua sanctificatio perficitur: quia sacramentum habet vim sanctificandi instrumentalem transeuntem, dum mouetur & fit, non autem permanentem in ipsa materia sacramenti, supra quæst. 62. art. 3. & 4. Aqua autem est permanens materia, mouetur autem ad sacramenti effectum, ipsa ablutione: hæc igitur efficiet sanctificationem non aqua. consentit & naturalis ratio, quę motum in mobili & suscipienti constituit, & ideo vt suscipiens sacramentum sanctificetur, ei debet accommodari: aqua verò ablutione accommodatur iuxta formam præscriptam: est ergo ablutio sacramentum tantùm baptismi, non aqua. Vnde si quis vere dicit ablutionem esse baptismum, vel intelligit sacramentalem, vel determinatam præscriptis à Domino verbis. Quamuis autem existimem, omnes qui baptismùm definierunt, aquam diluendis criminibus sanctificatam per verbum Dei, in eadem omnino fuisse sententia: quia cum abluitur suscipiens sanctificandi vim accipit ex verbo Dei, & sola ablutione perfici potest baptismus, iuxta præscriptam formam, & præceptum Domini vt baptizẽtur, idest, abluãtur, dicente ministro: Ego te baptizo, id est abluo: exactiorem tamen & magis propriam existimo rationem dicendi, quam D. Thom. probat, vt baptismus dicatur ablutio, non aqua. potest etiam vtraque dici materia, sed illa proxima, hæc remota, vt in pœnitentia peccatum, & actus pœnitentis.

7 Sed testimonium D. Thomæ in argumento sed contrà, ad eiusdem sententiæ confirmationem, desumptum ex cap. 34. Ecclesiastici, vbi legitur, qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? quasi significetur, baptismum ablutionem esse, non aquam, valde improprium est, & à proposito alienũ. Non enim secundum literalem sensum, de baptismi sacramento loquitur Spiritus sanctus, cùm tamen is sensus tantùm sumendus sit ad dogmata fidei confirmanda: sed de baptismo veteris legis, quo ablui pręcipitur, qui cadauer aliquod contigisset, Numer. 19. itaque sensus literalis est desumptus ex huiusmodi pręcepto, & ad morum informationem ex similitudine traductus. Sic enim integra sententia habet vltra eá quę à D. Tho. adducta est: sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? q. d. quemadmodum si quis iuxta legem lauetur quia cadauer contigit, & iterum idem contigerit, nihil eius lotio prodest: sic homo qui propter peccata ieiunio se affligit, si iterũ eadem repetit, nihil illa afflictio, quę hic dicitur humiliatio, prodest, nec illius orationẽ Deus exaudit. Etenim baptizari à mortuo, idem est quod propter mortuum, quod scilicet, quis cõtigerit: similiter ieiunare in peccatis, est propter peccata ieiuniis seipsum affligere. Simili phrasi legimus Psal. 108. Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum, & alibi, humiliaui in ieiunio animam meã.

Locus Ecclesiastici 34. qui baptizatur à mortuo, &c. explicatur.

8 Olim autem Donatistę baptismum hęreticorum, quasi inutilem improbantes, hoc testimonio Ecclesiastici abusi sunt, intelligẽtes mortuum esse, qui peccatis mortalibus implicaretur: & ita baptizari à mortuo idem esse quod baptizari à peccatore; quasi ex sentẽtia illius testimonij improbetur baptismus collatus à quocunque peccatore, & ideo ab hæretico. Ad eundem errorem stabiliendum eodem testimonio vtitur D. Cyprianus epist. 71. & Episcopi ab eodem coacti in Concilio Africano.

Nullus

Nullus autem eorum legit in eodem testimonio illa verba, [& iterum tangit mortuum,] quæ tamen leguntur in Græcis & Latinis nostræ editionis vulgatę exemplaribus. Ex quibus certè deprehendi posset, illo testimonio nihil de nostro baptismo scriptum esse. D. etiam August. lib. 1. contra. lit. Petil. cap. 11. & lib. 2. contra Cresconium. cap. 24. 25. & 27. cùm non legisset illa verba quæ nos legimus, intelligit quidem testimonium de baptismo, sed docet baptizatum ab impiis, non baptizari à mortuo, sed à Christo, qui nunquam moritur, & solus baptizat in Spiritu sancto, vt Ioannes olim in aqua tantũ. Illos verò à mortuis baptizari, qui ritu Gẽtilium, à sacerdotibus idololatris baptizarentur. Admonet tamen eodem cap. 27. diligenter inspiciendos esse codices antiquos, præsertim Græcos, ne fortè ipsa verba aliter conscripta, ex præcedentibus & consequentibus alium sensum præ se ferre videâtur: quod verissimè admonuit, vt ex Latinis & Græcis exemplaribus suprà ostendimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

4. di. 3. art. 5. & dist. 8. q. 1. art. 3. q. 3. ad 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd baptismus fuerit institutus post Christi passionem. Causa enim præcedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis nouæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionem sacramentorum nouæ legis, & præcipuè institutionem baptismi: cum Apostolus dicat. Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus. &c.

¶2. Præterea, Sacramenta nouæ legis efficaciam habẽt ex mandato Christi. Sed Christus mandatum baptizandi, dedit discipulis post passionem & resurrectionem suam, dicens: Eũtes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. vt habetur Matth. vlt. Ergo videtur, quod post passionem Christi, baptismus fuerit institutus.

¶3. Præterea, Baptismus est sacramentum necessitatis (vt suprà *dictum est) & ita videtur quòd ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarẽtur ad baptismum. Sed ante passionem Christi, homines non obligabãtur ad baptismũ: quia adhuc circuncisio suam virtutem habebat, in cuius locũ successit baptismus. ergo videtur, quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi. *Q. præce. ar. 4.*

SED CONTRA est, quod Aug. *dicit in quodam sermone de Epiphania, Ex quo Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo videtur, quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus. *In ser. 1. Dñicæ inf. oct. Epipha. à me. & est in ordin. 36 to 10.*

RESPONDEO dicẽdum, quòd (sicut dictum est supra*) sacramẽta ex sui institutione habent, quòd conferant gratiam. Vnde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quãdo Christus est baptizatus. Vnde tunc verè baptismus institutus fuit, quãtum ad ipsum sacramẽtũ. *Q. 62. art. 1.*

Sed necessitas vtendi hoc sacramento, indicta fuit hominibus post passionem & resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus & alia sacramenta nouæ legis, tum etiam, quia per baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi.in-

sti, inquantum moritur peccato, & incipit nouã iustitiæ vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati & resurgere, quàm hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & resurrectioni eius.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam à Christi passione, inquantum eam præfigurabat. Aliter tamen quã sacramenta veteris legis: nam illa erant figuræ tantùm: baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat iustificandi, per cuius virtutem ipsa etiã passio salutifera fuit.

Ad secundum dicendum, quòd homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum nõ posuit sub præcepto, sed voluit ad eius exercitium homines assuefieri, & præcipuè in populo Iudæorum, apud quem omnia facta figuralia erant: vt August.* dicit contra Faustum. Post passionẽ verò & resurrectionem, non solũ Iudæis, sed etiam Gentilibus sub pręcepto necessitatem baptismi imposuit dicens: Euntes docete omnes Gentes.

Lib. 4. c. 2. circa me præcipuè tom. 6.

Ad tertium dicendũ, quod sacramenta non sunt obligatoria, nisi quando sub præcepto ponuntur. Quod quidem nõ fuit ante passionem, vt dictum est.* Quod enim Dominus ante passionem Nicodemo dixit, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei, magis videtur ad futurum respicere, quàm ad præsens tempus.

In cor. art.

COMMENTARIVS.

1 De tempore institutionis baptismi, est hæc sententia, melioribus probata Theologis. Baptismus ante passionẽ, cùm Dominus à Ioanne Precursore in Iordane baptizatus est, institutus: post resurrectionem fuit in pręcepto. Accipiendum est ex pręcedentibus, omnia sacramenta Ecclesię Catholicæ à Christo Domino fuisse instituta: vt ex verbo Domini quest. 60. ostensum est: hic autem primò de tempore institutionis baptismi, deinde de pręcepto disserendum est. In Iordane igitur institutum baptismum, hæc ratio cõcludit Sacramenta nouę legis tũc instituũtur, cùm vim instrumentalem sanctificandi accipiunt: baptismus autem eam vim accepit, cùm aqua tinctus est Dominus in Iordane, tunc igitur institutus. Propositio constat ex differẽtia propria sacramentorum nouę legis, cùm ea sint ad sanctificandum instrumentaliter, infixa ab instituente efficacia. Præcessit enim baptismum in veteri populo circuncisio, vt vmbra veritatem: & ideo significabat internam cordis circuncisionem, per infusam sanctificantem gratiam, quã sacramentalis baptismi ablutio perfectè efficit. Sic scriptum est Rom. 15. Dico enim Christũ Iesvm ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Colos. 2. in quo circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Philip. 3. Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesv, & non in carne fiduciam habentes.

Conclusio.

Probatio.

2 Itaque efficacia baptismi, quam ex instituente Christo accepit, pręstitit nobis, quod vetus circuncisio adumbrauerat: & completa est plenè illa Domini promissio Deuter. 30. scripta: circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum. Constet igitur, tunc institutum baptismum, cùm vim sanctificandi accepit, vt veritas vmbram perficeret: non quidem verbis institutionem significantibus, sed facto ipsam efficiente & probante. Sic in Iordane corpore Christi aquam contingẽte eam vim accepisse,

Baptismus est veritas circuncisionis veteris.

accepiſſe, Patribus probatum eſt, vt Aug. ſerm.36.tom.10. Bedæ, Vghoni, & Theologis ſequentibus Magiſtrũ 4.diſt.3. quòd enim, quidam ex illis dubitēt, quidam partem aliquam baptiſmi, non totum ſacramentum in Iordane dicunt inſtitutum. nulla firma ratione nititur. Et certè cum Dominus à Ioanne tingeretur, vt cæteris pręiret ad exemplum, & baptiſmum populo probaret, non de baptiſmo Ioannis quo tingebatur, ſed de baptiſmo ſuo conſideraſſe videtur: cùm Spiritus ſancti in columba repręſentatio, & vox Patris de cælo eũ Filium compellantis, Trinitatem diuinam, in cuius nomine baptiſmus inſtitueretur, expreſſerint. Quaſi diceret, hac forma & aqua naturali Spiritus ſancti gratiam in baptizatos infundēdam, qnamuis de hac re, ſicut & de multis ad ſacramenta pertinentibus, nihil ab Euangeliſtis ſcriptum legamus, quæ tamen diuina Traditione in Eccleſia Catholica retinemus. Sit igitur fidei catholicę dogma, baptiſmum noſtrũ, à Domino ante paſſionem inſtitutum, licet quando ſit inſtitutus non conſtet ex verbo Dei: Patribus autem probari in Iordane fuiſſe inſtitutum, vt explicauimus.

Apoſtolos baptiſmo Chriſti ſub forma Trinitatis baptizaſſe.

3 Vnde quod legimus Ioan. 4. diſcipulos Chriſti plures baptizaſſe, quàm Ioannes de Chriſti baptiſmo proculdubio eſt intelligendum, & de forma ab illo præſcripta, licet ſancta ſcriptura id non expreſſerit: quia Ioan.1. inquit præcurſor Domini, qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. ſed cap.4. ſcribit, Audierunt Phariſæi, quòd IESVS plures diſcipulos facit, & baptizat quàm Ioannes: quanquam IESVS non baptizaret, ſed diſcipuli eius. baptiſmus ergo, quo baptizabant Chriſti diſcipuli, fuit baptiſmus à Chriſto inſtitutus, nempè qui conferebat ſpiritum ſanctificantem: & idcirco efficitur, eum inſtitutum principio prædicationis Domini, & in Iordane cum à pręcurſore tingeretur: ſic enim Patrum ſententia cum Euangelio Ioannis omnino conſentire videtur. Quin etiam oſtendemus quæſt. 68. Apoſtolos Chriſti, baptiſmo eiuſdem tinctos fuiſſe: & id quidem valdè probabile eſt contingiſſe, cum primùm à Domino vocati ſunt. Quamuis enim virtus & efficacia ſacramentorum nouæ legis à paſsione Chriſti perfecta ſit & conſummata: meruit tamen Chriſtus pluribus actionibus, à prima ſtatim conceptione vt hominis, redemptionem & ſanctificationem hominis, ſacramentis à ſe inſtitutis perficiciendam, vel alia quacunque ratione, ex autoritate & poteſtate excellentiæ, de qua ſupra dictum eſt: quare potuerunt baptiſmo Chriſti, ante eius paſſionem, plures ſanctificari. De præcepto baptiſmi, expreſſa ſententia eſt Matt. & Marc. vlt. quam cõſtat Dominum poſt reſurrectionem, & Aſcenſioni proximum protuliſſe. De abrogatione autem veterũ ſacramentorum dictum eſt ſup. q. 62.

ARTICVLVS III.

Vtrum aqua ſit propria materia baptiſmi.

4.d.3.ar 3.q. 1. & d.17. q. 3.ar.4.q.3. & 4.con.c.59. & quol.2.ar.10. co. & lo.3.co. 4.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd aqua non ſit propria materia baptiſmi. Baptiſmus enim ſecundum Dionyſ.* & Damaſ.† habet vim illuminatiuã. Sed illuminatio maximè competit igni. Ergo baptiſmus magis debet fieri in igne quàm in aqua: prę-ſertim cùm Ioan. Baptiſta prænuntians Chriſti baptiſmum, dicat: Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.

*Dam.lib. 4. cap. 10. circa med.
† Dionyſ.c.2. Eccleſ. hier.

¶2. Prętereà, In baptiſmo ſignificatur ablutio peccatorum. Sed multa alia ſunt ablutiua, quã aqua: ſicut vinum, & oleum, & huiuſmodi alia. Ergo etiam in his poteſt fieri baptiſmus. Non ergo aqua eſt propria materia baptiſmi.

¶3. Prætereà, Sacramenta Eccleſiæ fluxerunt de latere Chriſti, pendentis in cruce: vt ſupra * dictũ eſt. Sed inde fluxit non ſolùm aqua, ſed etiam ſanguis. Ergo videtur quod etiam in ſanguine poſsit fieri baptiſmus. Qui etiam videtur magis conuenire cum cauſa & effectu baptiſmi: quia dicitur Apo-

q.62.ar.5.

calyp. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

¶4. Præterea, Sicut Augu.* & Beda dicunt,† Christus tactu suæ mundissimę carnis vim regeneratiuam & purgatiuam cõtulit aquis. Sed non omnis aqua continuatur cum aqua Iordanis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur, quod non in omni aqua possit fieri baptismus, & ita aqua, inquantum huiusmodi, non est propria materia baptismi.

*Serm. 36. de tempore circa princ. tom. 10. †Gloss. ordin. super illud Luc. 3. Iesu baptizato, ex Beda, cap. 10. in Luc. to. 2. & in homil. Euan. quod canit. in oct. Epiph.

¶5. Præterea, Si aqua secundũ se esset propria baptismi materia, nõ oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc, quod in ea baptismus fieret. Sed in solenni baptismo, aqua, in qua debet celebrari baptismus, exorcizatur & benedicitur. ergo videtur quod aqua secunse nõ sit propria baptismi materia.

Sed contra est, quòd Dñs dicit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei.

Respondeo dicẽdum, quod ex institutione diuina, aqua est propria materia baptismi. Et hoc conuenienter. Primò quidem, quantũ ad ipsam rationẽ baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam: quod maximè congruit aquæ. Vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuentia, scilicet plantæ & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi * posuerunt aquam omnium rerum principium.

* Vt dicitur in 1. Physic.

Secundò, quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ sua humiditate lauat: ex quo conueniens est ad significãdam & causandã ablutionẽ peccatorũ. Sua frigiditate etiã tẽperat superfluitatem caloris: & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Sua diaphanitate est luminis susceptiua, vnde competit baptismo inquantum est fidei sacramentũ. Tertiò, quia conuenit ad repræsentandum mysteria Christi quibus iustificamur. Vt enim dicit Chrys.* super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. sicut in quodam sepulchro, in aqua submergẽtibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde nouus rursus ascendit.

Homil. 24. in Ioann. à med. tom. 3.

Quarto, quia ratione suę cõmunitatis & abundantię est conueniens materia necessitati hui⁹ sacramẽti. Potest enim vbiq; de facili haberi.

Ad primum ergo dicendũ, quòd illuminatio pertinet ad ignẽ actiuè. Ille autẽ qui baptizatur, non efficitur illuminans, sed illuminatus per fidẽ, quę est ex auditu, vt dicitur Rom. 10. Et ideo magis cõpetit aqua baptismo, quã ignis. Quod autẽ dicitur: Baptizauit vos in Spiritu sancto & igni, potest per ignẽ (vt Hier.* dicit) intelligi Spiritus sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit: vt dicitur Act. 2. Vel per ignẽ potest intelligi tribulatio: vt Chrys. * dicit super Matt. Quia tribulatio peccata purgat, & concupiscentiam diminuit. Vel quia vt Hila. * dicit super Matt. Baptizatis in Spiritu sancto, reliquũ est consũmari igne iudicij.

* Super istud verbum Mat. 3 to. 9. & Beda super Luc. cap. 9.
*Hom. 3. in opere imperfect. to. 2.
Hila. cano. 2. in Matth. post medium.

Ad secundum dicendũ, quòd vinum & oleum non communiter assumuntur ad vsum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfectè abluũt: quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, quantum ad odorem, quod non contingit de

aqua

aqua. Illa etiã non ita communiter & abundanter habẽtur, ſicut aqua.

Ad tertium dicẽdum, quod ex latere Chriſti fluxit aqua ad abluendum, ſanguis autem ad redimendum. Et ideo ſanguis competit ſacramento Euchariſtiæ: aqua autem ſacramento Baptiſmi, qui tamen habet vim ablutiuam ex virtute ſanguinis Chriſti.

Ad quartum dicendũ, quòd virtus Chriſti deriuata eſt ad omnẽ aquam, nõ propter continuitatem loci ſed propter ſimilitudinem ſpeciei. Vnde dicit Aug. * in quodã ſermone Epiphaniæ, Quæ de Saluatoris baptiſmate benedictio fluxit, tãquam fluuius ſpiritalis, omnium gurgitum tractus, vniuerſorũ fontium venas impleuit.

In ſerm. 1. Dominicæ infra oct. Epiph. à med. to. 10.

Ad quintum dicendũ, quòd illa benedictio, quæ adhibetur aquę, non eſt de neceſſitate baptiſmi, ſed pertinet ad quandam ſolennitatem, per quam excitatur deuotio fidelium, & impeditur aſtucia dęmonis, ne impediat baptiſmi effectum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ad baptiſmum requiratur aqua ſimplex.

4. di. 3. ar. 3. q. 2. & 4. c. 58.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd ad baptiſmũ non requiratur aqua ſimplex. Aqua enim quæ apud nos eſt, nõ eſt aqua pura, quod præcipuè apparet de aqua maris, in qua plurimũ admiſcetur de terreſtri, vt patet per Philo. in lib. Meteor. * Et tamen in tali aqua poteſt fieri baptiſmus. Ergo non requiritur aqua ſimplex, & pura ad baptiſmum.

Li. 2. c. 3. to. 2

¶2. Præterea, In ſolẽni celebratione baptiſmi, aquæ infunditur chriſma. Sed hoc videtur impedire puritatem & ſimplicitatẽ aquę. Ergo aqua pura & ſimplex non requiritur ad baptiſmum.

¶3. Præterea. Aqua fluens de latere Chriſti pendentis in Cruce, fuit ſignũ baptiſmi: vt dictum eſt. * Sed aqua illa non videtur fuiſſe aqua pura, eò quod in corpore mixto (cuiuſmodi fuit corpus Chriſti) non ſunt elementa in actu. Ergo videtur, quod nò requiratur aqua pura vel ſimplex ad baptiſmum.

art. præc. & q. 62. ar. 5.

¶4. Præterea, Lixiuium non videtur eſſe aqua pura: habet enim contrarias proprietates aquæ, ſcilicet calefaciendi & deſiccãdi, & tamen in lixiuio videtur poſſe fieri baptiſmus: ſicut & in aquis balneorũ, quę tranſeũt per venas ſulphureas, ſicut & lixiuium colatur per cineres. Ergo videtur quod aqua ſimplex non requiratur ad baptiſmũ.

¶5. Præterea, Aqua roſacea fit per ſublimationem a roſis, ſicut etiam aquæ Alchimicæ generãtur per ſublimationẽ ab aliquibus corporibus. Sed in his aquis, vt videtur, poteſt fieri baptiſmus, ſicut & in aquis pluuialibus, quæ per ſublimationem vaporum generãtur. Cùm igitur huiuſmodi aquæ non ſint puræ & ſimplices, videtur quod aqua pura & ſimplex non requiratur ad baptiſmum.

Sed contra eſt, quod propria materia baptiſmi eſt aqua, vt dictum eſt. * Sed ſpeciem aquæ nõ habet niſi aqua ſimplex. Ergo aqua pura & ſimplex de neceſſitate requiritur ad baptiſmum.

art. præc.

Respondeo dicendum, quòd aqua ſuam puritatem & ſimplicitatem poteſt amittere dupliciter. Vno modo per mixtionẽ alterius corporis, alio modo per alteratio-

nem. Vtrunque autem horũ contingit fieri dupliciter scilicet per artẽ & per naturã, Ars autem deficit ab operatione naturæ, quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest. Sed omnes formæ artificiales sunt accidentales, nisi fortè apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignẽ combustibili: per quem modum à quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur. Quæcunque igitur transmutatio circa aquam facta est per artem, siue commiscendo, siue alterando, non transmutatur species aquæ. Vnde in tali aqua potest fieri baptismus, nisi fortè aqua admisceatur per artẽ in tã parua quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quàm aqua, sicut lutum magis est terra quàm aqua, & vinum lymphatum magis est vinũ quam aqua. Sed transmutatio, quæ fit à natura, quandoque quidem speciem aquæ soluit, & hoc fit quãdo aqua efficitur per naturam de substantia alicuius corporis mixti, sicut aqua conuersa in liquorem vuæ, est vinum: vnde non habet speciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam transmutatio aquę sine solutione speciei, & hoc tam per alterationem (sicut patet de aqua calefacta à sole) quam etiam per mixtionem, sicut patet de aqua fluminis, turbida ex permistione terrestrium partium. Sic ergo dicendum est, quod in qualibet aqua qualitercunque transmutata, dummodo non soluatur species aquæ, potest fieri baptismus, si verò soluatur species aquæ, non potest fieri baptismus.

Ad primum ergo dicendum, quod trãsmutatio facta in aqua maris, & etiam in aliis aquis, quæ penes nos sunt, non est tãta, quod soluat speciem aquæ. Et ideo in huiusmodi aquis potest fieri baptismus.

Ad secundum dicendum, quod admixtio chrismatis, non soluit speciem aquę, sicut nec etiam aqua decoctionis carniũ, aut aliorum huiusmodi. Nisi fortè sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena substantia, quàm de aqua, quod ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus: sicut & in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit.

Ad tertium dicendum, quod aqua fluens de latere Christi pendentis in cruce, non fuit humor phlegmaticus, vt quidam dixerũt. In tali enim humore non posset fieri baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut quocunq; licore alicuius plantæ. Fuit autem aqua pura, miraculosè egrediens à corpore mortuo, sicut & sanguis, ad comprobandam veritatem Dominici corporis, contra Manichęorum errorẽ. vt scilicet per aquam, (quæ est vnum quatuor elementorum) ostenderetur corpus Christi verè fuisse compositum ex quatuor elementis: per sanguinẽ verò ostenderetur esse compositũ ex quatuor humoribus.

Ad quartum dicendum, quod in lixiuio, & in aquis sulphureorum balneorum, potest fieri baptismus, quia tales aquæ non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solũ altera-

alterationem quandam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora.

Ad qvintvm dicendũ, quod aqua rosacea est liquor rosæ resolutus. Vnde in ea non potest fieri baptismus, & eadem ratione nec in aquis alchimicis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluuialibus, quę generantur ex maiori parte ex sublimatione vaporũ resolutorum ex aquis. Minimum autem est ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui tamen per huiusmodi sublimationem virtute naturæ, quæ est fortior arte, resoluuntur in veram aquam, quod ars facere non potest. Vnde aqua pluuialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti, quod de aquis rosaceis & aquis alchimicis dici non potest.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc sit conueniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Inf. q. 84. art. 3 co. & 4. d 3. ar 2. q. 1. & 1. co. 1. lec. 2. col. 3.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod hæc non sit conueniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Actus enim magis debet attribui principali agenti, quam ministro. Sed in sacramento minister agit vt instrumentũ (vt supra dictum est*) principale autem agens in baptismo est Christus, secundum illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat. Inconuenienter ergo minister dicit, Ego te baptizo, præsertim quia in hoc quod dicitur, Baptizo, intelligitur ego, & sic videtur superfluè apponi.

* Quæst. 64. art. 1.

¶ 2. Pręthereà, Nõ oportet quod ille qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mẽtionem, sicut ille qui docet, non oportet quod dicat: Ego vos doceo. Dominus autem simul tradidit pręceptũ baptizandi & docẽdi, dicẽs, Matt. vlt. Euntes docete omnes Gentes, &c. Ergo non oportet quod in forma baptismi fiat mentio de actu baptismi.

¶ 3. Præthereà, Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta, si sit surdus aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur, secũdum illud Eccles. 32. Vbi non est auditus, nõ effundas sermonem. Ergo inconueniẽter dicitur: Ego te baptizo, sermone directo ad eum, qui baptizatur.

¶ 4. Præterea, Contingit simul plures baptizari & à pluribus sicut Apostoli baptizauerũt vna die tria millia, & alia die quinq; millia, vt dicitur, Act. 2. & 4. Nõ ergo debet forma baptismi determinari in singulari numero, vt dicatur: Ego te baptizo, sed potest dici, nos vos baptizamus.

¶ 5. Pręterea, Baptismus virtutem habet à passione Christi. Sed per formã baptismus sanctificatur. Ergo videtur, quod in forma baptismi debeat fieri mentio de passione Christi.

¶ 6. Præterea, Nomẽ designat proprietatẽ rei. Sed tres sunt proprietates personales diuinarũ personarum, vt in prima parte dictum est.* Non ergo debet dici, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in nominibus.

* 1. p. q. 32. art. 3.

¶ 7. Præterea, Persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine Innascibilis

& Genitoris. Filius etiã significatur nomine Verbi, & Imaginis, & Geniti. Spiritus etiã sanctus potest significari nomine Doni, & Amoris procedẽtis. Ergo videtur, quod etiam his nominibus vtendo, perficiatur baptismus.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit, Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

RESPONDEO dicẽdum, quòd baptismus per suam formam cõsecratur, secundum illud Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ & August.* dicit in lib. de vnico baptismo, quod baptismus verbis Euangelicis consecratur. Et ideo oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem eius duplex causa. Vna quidem principalis, à qua virtutem habet, quę est sancta Trinitas. Alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramẽtum. Et ideo oportet in forma baptismi, de vtraque fieri mentionẽ. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo. Causa autem principalis, cum dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vnde hæc est conueniens forma baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Libro. 6. de baptis. contra Donatist. c. 25. to. 7. & li. 4. ca. 15. refertur de consc dist. 4 c. Satis ostendimus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd actio attribuitur instrumento sicut immediatè agenti, attribuitur autem huiusmodi actio principali agenti, sicut in cuius virtute instrumentum agit. Et ideo in forma baptismi conuenienter significatur minister, vt exercens actum baptismi, per hoc quod dicitur: Ego te baptizo: sicut & ipse Dñs baptizandi actum attribuit ministris, dicens: Baptizantes eos, &c. Causa autem principalis significatur vt in cuius virtute sacramentum agitur, per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nõ enim Christus baptizat sine Patre & Spiritu sancto. Græci autem non attribuunt actum baptismi ministris, ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptismi baptizantibus attribuebant, dicẽtes: Ego sum Pauli, & ego Cephæ. Et ideo dicũt, Baptizetur seruus Christi, talis, in nomine Patris, &c. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur sacramẽtum. Quod autẽ additur: Ego, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorẽ expressionem intentionis.

AD SECVNDVM dicendũ, quod quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat. Quod quidẽ nõ fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quia omnia in tali nomine facere debemus: vt habetur Colos. 3. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modũ nostrum, vel per modũ Græcorum, nõ perficitur sacramẽtum, secundum illam Dec. Alex.* 3. Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen: & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amẽ, non est puer baptizatus.

In Decre. libi 3. ti. 41. de baptismo & eius effectu, c. 2.

AD TERTIVM dicẽdum, quòd verba quæ proferuntur in formis sacramentorum, non pronuntiãtur solùm

solũ causa significandi, sed etiam causa efficiendi, inquantum habẽt efficaciam ab illo verbo, per quod facta sunt omnia. Et ideo conuenienter diriguntur non solum ad homines non intelligẽtes, sed etiã ad creaturas insensibiles, vt cùm dicitur: Exorcizo te creatura salis.

Ad qvartvm dicendũ, quod plures simul non possunt vnum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfectè ab vnoquoque agatur. Et sic si conuenirent duo, quorum vnus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actũ: non possent ambo simul baptizare, vno dicẽte verba, & alio exercente actum. Possunt autem (si necessitas exigit) plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi vnũ baptismum. Sed tunc oportebit dicere, Ego baptizo vos. Nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud est, quam te, & te. Quod autem dicitur, nos, non est idem dicere, quod ego, & ego, sed ego & tu, & sic iã mutaretur forma. Similiter autẽ mutaretur, si diceretur: Ego baptizo me. Et ideo nullus potest baptibare seipsum: propter quod & Christus à Ioanne voluit baptizari, vt dicitur extra de baptismo* & eius effectu, c. Debitũ.

In Decre. lib. 3. tit. 42. ca. 4 Debitum.

Ad qvintvm dicẽdum, quòd passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri: est tamen causa instrumentalis respectu sanctæ Trinitatis. Et ideo potius cõmemoratur Trinitas quam pasſio Christi.

Ad sextvm dicendum, quod etsi sint tria nomina personalia triũ personarum, est tamen nomen vnũ essentiale. Virtus autẽ diuina, quæ operatur in baptismo, ad essentiã pertinet, & ideo dicitur in nomine, & non, in nominibus.

Ad septimvm dicendũ, quod sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius vsus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus cõmunius consueuerũt nominari personæ in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

COMMENTARIVS.

1 De essentialibus partibus baptismi, deinde de ritibus & cæremoniis administrationis dicendum est: de illis autẽ, hęc est certa & firma sententia. Aqua naturalis simpliciter & absolutè speciem & naturam aquæ retinens, est baptismi materia: forma verò est illa: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Conclusio.*

aquã naturalem dicimus, quę verè & propriè aqua dicitur, vt distinguatur ab ea quæ æquiuocè aqua dicitur, cùm sit potius succus de herbis aut aliis corporibus expressus, à quibus & nomen accipit: vt aqua rosacea, & similes: cuius generis sunt lachrymæ, & alię defluxiones, ex humoribus & partibus corporis. Retinet verò hęc aqua naturalis suam speciem, etiamsi externis qualitatibus variè afficiatur, vt calore, sapore, colore, modò non sit facta tanta alteratio, vt in aliam naturam commutetur. an verò secundum naturam, aquę differãt specie, ad baptismũ nihil refert: cũ omnis aqua naturalis, sit eius materia. Sic aqua per cineres transmissa, quæ lexiuium dicitur, vel per sulfureos meatus, aut alterius metalli, vel parum permista cum alio corpore, vt aqua in qua caro sit decocta, & nõ sit succo carnis admodũ commista, aqua etiam parumper puluere conspersa, vel de corporibus humidis expressa, vt de luto, vera est & naturalis aqua. imo verò aqua naturaliter fit ex vaporibus, quæ vi caloris educuntur, & in nubem, deinde in aquã cõuertũtur. De aqua verò quę ex latere Christi, pendentis in cruce defluxit, dictum est supra quæst. 62. nu. 21. *Explicatio.*

2 Con-

Confirmatio. 2 Conclusionis probatio, est verbũ Dei expressum, Matth. vltimo: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cùm baptizari sit aqua ablui; Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, Act. 8. inquit Eunuchus ad Philippũ, ecce aqua, quis prohibet me baptizari. & deinde, descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum: cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum. Hinc est quod Apostoli significantes hoc sacramentum, semper aquã nominant, quasi ex parte totum intelligentes, vt Ephes. 5. de Ecclesia mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, quod Patres de materia & forma huius sacramenti intelligunt. ad Titum 3. dicitur baptismus, lauacrum regenerationis & renouationis. Ioannes etiam 1. Epist. cap. 5. aquam vocat scribens, tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Concil. Florent. Sess. vltima, in doctrina de sacramentis, materia inquit, huius sacramenti baptismi est aqua vera & naturalis, nec refert frigida sit aut calida. Tridentinum Sess. 7. Can. 2. Si quis dixerit aquam veram & naturalem, non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri IESV Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit anathema sit. Subiiciuntur anathemati huius canonis Protestantes, qui contemnentes omnium Patrum consensum, qui aquam naturalem, non metaphoricam, nempè solam innouationem internam, vel non imputationem peccatorum, vt illi loquuntur, intelligunt, negant illis verbis materiam baptismi necessariam contineri. Patrum testimonia in expositione eiusdem testimonij Ioan. 3. manifesta sunt. Constans etiam sententia est veterum omnium, aquis olim adumbratam fuisse nostrum baptismum, in natura & lege, vt aquis diluuij. 1. Pet. 3. Aquis maris rubri. 1. Cor. 10. & aliis multis, quæ colligit primò Tertul. lib. de baptismo, cap. 4. & sequẽtibus, deinde alij Patres, sed vberius D. Hieron. Epi. ad Oceanum. Sunt etiam aliquot Patrum testim. de consec. dist. 4. cap. filius, & cap. non dubito. Accedant his prophetice promissiones de baptismo, nomine aquę propositæ Isai. 12. Ezech. 36. & 47. Zachar. 13. & 14. est ergo catholicum dogma, quod omnes Theologi constanter docent. 4. Sentent. d. 3. aquam naturalem tantùm esse propriam baptismi materiam.

Contra errorẽ Protestantium de materia baptismi.

Forma baptismi catholica explicatio.

3 Sed de forma animaduertendum est, ad essentiam illius pertinere expressionẽ vnius essentiæ diuinæ, & trium personarum nominibus propriis & relatiuis, significantibus relatiuam earum inter se distinctionem, atque etiam ministri baptizantis cum propria actione, & suscipientis baptismum. Diuina essentia in illa voce [nomine] intelligitur: quia nomen est idem quod virtus & potẽtia, quæ cùm sit absoluta, in tribus personis diuinis vna est & simplicissima, & diuinę essentiæ omnino eadem, vt 1. par. ostensum est. Tres verò diuinæ personæ, propriis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti significantur. Vnde hac fidei confessione Arrius confunditur, qui Filio diuinam Patris essentiam negauit, & Arrianorum baptismus inanis ostenditur, qui in filio minore & non æquali, se credebant baptizare. oportet autem ministrum sacramenti, eundem sensum retinere in essentialibus sacramenti, quem Ecclesia catholica docet, cùm sit illius minister, neque aliter verus est Christi, cuius sponsa est Ecclesia catholica, minister, neque principali agẽti, à quo vim habet, conformis. Qui vero [in nominibus] diceret, plures essentias in diuinam Trinitatem induceret. Non autem qui diceret in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti, quia sic eadem potentia singilatim personis tribuitur.

Contra Arrianos & Sabellianos, vacet eadẽ explicatio.

4 Sic intelligunt veteres Patres formam baptismi, de vnitate diuinæ essentiæ, & trium personarum distinctione contra Arrianos & Sabellianos disputantes: vt Hilarius lib. 2. de Trinita. Athanasius disputatione contra Arrium habita in Concilio Nicæno, Vigilius Martyr, Fulgentius, August. de Eccles. dogm. cap. 52. baptisma vnum est, inquit, sed in Ecclesia vbi vna fides est, vbi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti datur. lib. posteriore cõtra Fulgent. Donatistã, scribit de babaptismate: illud est vnũ quod verũ, illud verũ quod Chisti, illud Christi, quod Patris & Filij, & Spiritus sancti, hoc est verũ, hoc salubre, huic nullũ est cõparandũ: hoc qui non accipit, ipse sibi & vitæ meritũ clausit, & mortis aditum patefecit. Itaque vt est

vna

vna fides vnitatis & Trinitatis diuinæ catholica: sic vna debet esse intelligentia formæ baptismi, qua fidem catholicam profitemur: cùm sit baptismus ingressus & ianua ad cætera sacramenta in Ecclesia catholica percipiendum: & ideo qui baptizatur, eandem fidem profitetur, cuius primum caput & articulus est de eadem diuinitate & Trinitate in sensu catholico, in quo est veræ fidei professio, & non in verbis tantùm. Hoc significauit Apostolus, vnitatem fidei cum vnitate baptismi coniungens, cùm scribit, vna fides, vnum baptisma, vt baptismi vnitas, non tantùm iterationem eiusdem sacramenti excludat, sed etiam vnius fidei catholicæ professionem representet, & contineat. Vnde D. Hieron. ad illud Matth. vltimo, [baptizantes eos] primùm, inquit, docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua: non enim potest fieri, vt corpus baptismi recipiat sacramétum, nisi antè anima fidei susceperit vnitatem. Baptizatur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt quorum vna est diuinitas, vna sit largitio, nomenque Trinitatis vnus Deus. consentit etiam quod scribit contra Arrianos de eadem forma in comment. ad Ephes. 4. consentiunt & alij Patres Græci ad eundem locum Matthei, & præterea Chryso. hom. 16. ad Rom. Isichius in 14. Leuit. Didimus lib. 2. de Spiritu sancto, Basilius, lib. 3. contra Eunom. Athanasius serm. 3. contra Arrian. Origen. lib. 3. Periarch. Cyprianus in Epist. ad Iubaian. Tertul. lib. de baptismo, Iustinus Apolog. 2. Irenæus, lib. 3. cap. 19. Dionys. Areopa. lib. de Ecclesi. hierarc. cap. 2. Clemens Rom. lib. 3. constit. cap. 15. & lib. 7. cap. 23. & Can. Apost. 48. aut 40. secundum veriorem computationem. Denique Concilium Florent. Sess. vlt. in Doctrina de sacramentis, & Trident. Sess. 7. de baptismo, Can. 4.

Contra Protestantes de professione fidei per baptismũ, & de eius forma.

5 Quod si baptismus est veræ & Catholicæ fidei professio, & fides docet saluté & iustificationem nostram, in vera pœnitentia in adultis post lapsum, & semper in mandatorum obseruatione & obedientia, vt in paruulis in legitima baptismi susceptione positam esse, vt illa verba Domini, Matth. vlt. ostendunt, ea ratione cum baptismi præcepto sic coniuncta: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis: certè Protestantes expresso Dei verbo repugnant, docentes baptismum & cætera sacramenta, esse fidei suæ specialis, quæ non habet adiunctã charitatem, & ideo neque veram pœnitentiam, neque obseruationem decalogi, protestationes quasdam: de quo etiam disputauimus supra quæst. 62. & est definitum contra eos Sess. 7. Concil. Trident. Can. 6. de sacramen. in genere. Illud etiam valde impiè & impudenter docent: formã & essentiam baptismi non cõsistere in determinatis & certis verbis & syllabis, vt magicum aliquid. necesse est enim externam fidei professionem ore & verbis fieri, sicut scriptum est, Rom. 10. corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vt autem certa est & definita fidei, quam exterius profitemur, sentétia: sic necesse est certa esse & præscripta verba, secundum legitimũ & catholicum sensum, ad sinceram & sanam eiusdem fidei professionem.

6 Quod qui non videt in verbis Domini & sententia eorum cõtineri, vt ex Patribus & Conciliis ostédimus, hic profectò, suo vitio & malo, vel in meridiana luce caligat, vel suo iudicio subuersus, vniuersalé totius Ecclesię, & Dñi sententiam contennit. Neque animaduertunt, demonem hominibus specie pietatis sępissimè imponere, vt in idololatria, responsis, prędictionibus futurorũ ambiguis, & similibus, & ea re, magica multa certis & prescriptis verbis alligasse. Itaque vt certę sunt sententię, sic certis verbis, pręsertim de rebus diuinis & supernaturalibus, necessariò sunt exprimendę: & ideo si diuinam sententiam retinere velis, certa etiã verba retinéda sunt, quæ eandem sententiam exprimant: quod Dominus voluit, cùm verba pręscripsit, sententiis congruentia, in formis sacramentorum. Quare omnes hæretici veteres & recentes, sensum formæ baptismi & aliorum sacramentorum, quouis modo non retinentes, speciem tantùm & non veritatem sacramentorum habent: quia diuinam institutionem & sententiam inuertunt: qui verò verbis immutatis, sententiam non mutant, vt ostendimus supra quæst. 61. hi grauiter peccát contra Ecclesiæ pręceptum, quæ docta ab Spiritu sancto, ver-

cto, verba congruentia diuinis sententiis, formis sacramentorum accómodauit, vt omnem errandi occasionem præcideret.

7 Eundem sensum formę propositæ, cóprehendit forma quę Gręcis in vsu est, de qua sic legimus in Concil. Florét. Seß. vlt. in doctrina de sacramento baptismi, post descriptá formá baptismi receptam in Ecclesia Latina. [Nó tamen negamus quin & per illa verba, baptizetur talis seruus Christi, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, vel baptizetur manibus meis talis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma: quoniam cum principalis causa ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramétum.] Itaque vtriusque formę verbis, essentiam baptismi constare, conciliú affirmat: licet ex præcepto Ecclesiæ, cuius violatio mortifera est, Latinus sacerdos Latinam formam, Gręcus, Gręcam vsurpare teneatur. Quod autem videtur forma Gręca, personam ministri baptizantis non exprimere, non tollit veritatem sacramenti: non enim excludit, quod baptismum irritum redderet, sed includit, in verbo [baptizetur,] à proferente enim formá ministro, proculdubio baptizari significatur. Sed ideo propriis & conceptis verbis, minister non exprimitur à Gręcis, vt à Latinis, ne quis existimaret, in nomine ministri sacramentum perfici, quod licet ab Apostolo reprehensum sit. 1. Corinh. 2. tamen videtur is error inualuisse apud plerosque: atque ideo necesse fuit, non tam apertè ministrum in forma baptismi proponi.

8 An verò liceat, in eadem forma pro nominibus relatiuis diuinarum personarum, notionalia substituere, id est genitorem, genitum & ab vtroque procedentem, pro Patre, Filio, & Spiritu sancto, negat D. Tho. ad 7. & omnes ferè Theologi 4. sent. d. 3. dubitauit q 1. Palud. sine vlla tamen dubitatione affirmauit doctißimus Caiet. Primo quia si retineatur idem sensus Catholicus formæ, quacunque lingua, verùm est sacramentum, vt Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum respondet, de có sec. dist. 4. cap. à quoddam: sed nominibus

Disputatio vtrú in forma baptismi, pro relatiuis nominibus liceat alia substituere.

notionalibus retinetur, vt constat: erit ergo verum sacramentum. Eodem pertinet Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. substituens alia nomina pro illis relatiuis. Secundò, quia paulò ante citauimus decretum Florent. in quo formam baptismi essentialem, constituit in diuinæ Trinitatis inuocatione, nihil præscribens de his aut illis nominibus, modò diuina Trinitas inuocetur. Nominibus autem notionalibus nos eandem inuocare, nulli dubium esse potest: quare, vt esset verum sacramentú, si quis pro Patre aliud nomen, quod quidem in aliquo idiomate Patrem non formaliter, quia non esset relatiuum, sed materialiter significaret, & pro filio IESVM Christum, pro Spiritu sancto Paracletum substitueret: ita etiam verum sacramentum conficitur, si pro relatiuis, notionalia nomina collocemus. Videtur enim Dominus illis nominibus relatiuis non alligasse formaliter baptismi formam, sed materialiter tantùm: vt tantùm præcepta sit diuinarum personarum distincta & expressa inuocatio, non autem aliquorum nominum pręcissa profeßio.

9 His certe argumentis probabilis efficitur Caietani sententia: sed quia in hoc sacramento, omnibus ad saluté necessario, voluit Dominus materiam & formam verbis communibus & popularibus proponi, & re maximè obuia, aqua scilicet simplici & naturali, etiamsi aliis rebus ablutio perfici posset: & ideo etiamsi ablutio maneat, si ex aqua non fiat, sacramentum non est, quod etiam valet in materia Eucharistiæ, ideo non videtur manere institutio Domini, quę nomina relatiua personarú expressit in forma baptismi, & ea re neque baptismus, si pro illis alia substituantur. Nihil verò refert eodem modò significent in aliquo idiomate, modo relatiua sint, & habeantur in communi & populari vsu. Hoc certè voluit D. Thom. ad 7. cum ait, [ad significandum tres personas in forma baptismi assumútur illa nomina, quibus cómunius consueuerunt nominari personæ in illa lingua, nec in aliis nominibus perficitur sacramentum] hoc est non manet veritas sacramenti, deficiente forma essentiali, quam Deus instituit. & cum hęc istitutio voluntaria sit, non ex rationibus, sed ex voluntate Christi, verbis institutionis expressa, expendenda est. Quare D. Tho.

Responsio ad quæstionem.

D.Thomam,Caiet.sententiæ consentire, vt de perfectione præcepti Ecclesiastici præscribentis nomina illa relatitia loquatur, non de perfectione essentiali sacramenti, valdè inconsideratè asseritur, quod & ipse Caiet. existimauit: cùm perfectionem sacramenti, semper intelligat essentialem ex vi institutionis diuinæ, quam neque Ecclesia mutare potest, non autem perfectionem ex præcepto Ecclesiastico institutam. Ex his apertè argumenta Caiet. refelluntur. Vnde si quis fortè pro relatiuis nominibus diuinarum personarum, alia substitueret in forma baptismi, dubitatio probabilis oriretur, an verum sit sacramentum, & ideò sub conditione iterandum esset.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in nomine Christi possit dari baptismus.

4.dis.3.ar.1. q.2.ad 3. Et 1.co.1. lec.2. col.4.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in nomine Christi possit dari baptism⁹. Sicut enim vna est fides, ita est vnũ baptisma, vt dicitur Ephes.4. Sed Acto.8. dicitur, quod in nomine Christi baptizabantur viri & mulieres. Ergo etiam nunc potest dari baptismus in nomine Christi.

Lib.1.c.3.ante med.to.3.

¶2. Præterea, Ambro.* dicit: Si Christũ dicas, & Patrẽ, à quo vnctus est, & ipsum, qui vnctus est Filium, & Spiritum sanctum, quo vnctus est, designasti. Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo & in nomine Christi.

De conse.d.4. c.à quodã Iudeo.

¶3. Præterea, Nicolaus Papa* ad consulta Bulgarorũ respondẽs, dicit: Qui in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Act. Apostolorũ legitur) baptizati sunt (vnũ quippe idẽque est, vt sanctus ait Ambro.*) rebaptizari non debent. Rebaptizarẽtur autem, si in hac forma baptizati, sacramentum baptismi non reciperent. Ergo potest cõferri baptismus in nomine Christi sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Christi.

Lib.1.de Spiritu sancto, c.3. ante med. to.2

SED CONTRA est, quod Pelagius Papa* scribit Gauděrio Episcopo: Si hi qui in locis dilectionis tuę vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiuscunq; dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicã venientes, in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Dydimus etiam dicit* in libro de Spiritu sancto: Licet quis possit existere saxei (vt ita dicam) cordis, & penitus mẽtis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de præceptis nominibus (scilicet triũ personarum) prętermittat, tamen sine perfectione baptizabit.

*De conse.dis. 4.c.30. Si re vera.

In lib.2. paulò à prin. habetur hic liber, in fine operũ Hier.

RESPONDEO dicẽdũ, quòd (sicut suprà dictum est*) sacramenta habẽt efficaciam ab institutione Christi. Et ideo si prętermittatur aliquid eorum, quę Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispẽsatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligauit. Christus autem instituit sacramentũ baptismi dari, cum inuocatione Trinitatis. Et ideo quicquid desit ad plenã inuocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat quod in nomine vnius personæ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille qui nominat vnam solam personã, potest habere rectam fidẽ de trib. quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis. Vnde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilib. verb. Trinitas exprimatur. Vnde &

Ar.2.huius q.

de & in baptiſmo Chriſti (vbi fuit origo ſanctificationis noſtri baptiſmi) affuit Trinitas in ſenſibilib. ſignis, ſcilicet, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus ſanctus in columba.

Ad primvm ergo dicendũ, quòd ex ſpeciali Chriſti reuelatione Apoſtoli, in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti (quod erat odioſum Iudęis & Gētilib.) honorabile redderetur, per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus ſanctus dabatur in baptiſmo.

Ad secvndvm dicendũ, quòd Ambroſ. * aſſignat rationem, quare conuenienter talis diſpenſatio fieri potuit in primitiua Eccleſia: quia ſcilicet, in nomine Chriſti, tota Trinitas intelligitur. Et ideo ſeruabatur ad minus integritate intelligibili, forma, quã Chriſtus tradidit in Euangelio.

Loco citat. in arg. 2.

Ad tertivm dicēdum, quòd Nicolaus * Papa dictum ſuum confirmat ex duobus præmiſsis. Et ideo eius reſponſio patet ex primis duabus ſolutionibus.

Loco citat. in arg. 3.

COMMENTARIVS.

1 Dvbitatio exorta de forma baptiſmi, hoc articulo illuſtratur. dubitandi occaſio ex verbis ſanctę ſcripturę Act. 8. nata eſt, vbi multi dicũtur baptizati in nomine Chriſti: quaſi non eſſet in forma baptiſmi trium perſonarum diuinarũ diſtincta inuocatio, ſed Chriſti tãtùm. ſententia D. Thomæ eſt: Baptiſmus efficax non eſt niſi tres diuinæ perſonæ ſenſibilibus verbis exprimantur: niſi ex diſpenſatione Chriſti, qui ſacramentis virtutem ſuam non alligauit. Ratio primi eſt, quia ſic Chriſtus inſtituit Matt. vltimo. & ex inſtitutione ſacramenta efficaciam habēt: quare mutata inſtitutione, non manet efficacia. Ratio ſecundi: quia in primitiua Eccleſia oportuit nomen Chriſti, Iudæis & gentibus pleriſq; deteſtabile, glorioſum & amabile effici: id verò effectũ eſt, quòd baptiſmo in nomine Chriſti adminiſtrato, Spiritus ſanctus baptizatis ſenſibiliter infunderetur.

2 De primo autē nulla dubitatio eſt, & art. pręcedenti de eo diſputatum eſt: de ſecundò, id eſt, diſpenſatione adminiſtrandi ſacramentum in nomine Chriſti, ſine inuocatione diuinę Trinitatis, grauis eſt & antiqua controuerſia: tum quòd de illa diſpenſatione ex verbo Dei expreſſo, aut cõcilij plenarij decreto, non conſtat: tum etiã quod decreta Summorum Pontificum irritum eſſe decernunt baptiſmum, ſine diuinæ Trinitatis inuocatione. vnus autem Nicolaus Primus ad conſulta Bulgarorum cap. 104, & refertur de conſecr. d. 4. cap. à quoddam Iudeo, videtur aſſerere in nomine Chriſti, eſſe verum ſacramentum baptiſmi Bulgaris adminiſtratũ, vbi de baptizatis à Iudeo inquit. Hi profectò ſi in nomine S. Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt: vnum quippe idēque eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius, cõſtat eos non eſſe denuò baptizandos. Sed certè huic decreto repugnat alterum Pelagij Papę decretum ead. d. 4. cap. ſi re vera, ad Gaudentium Epiſcopum: Si re vera inquit, hi de hæreticis qui in locis ſuę dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolum modo ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſitan confitentur, ſine cuiuſquam dubitationis ambiguo, eos ad Catholicam fidem venientes, in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis. ex Theologis verò quidam priori decreto adhærentes, vt Caieta. cenſent verum, & olim & nunc baptiſmum conferri in nomine Chriſti, cum Nicolai illud decretum octingentis poſt Apoſtolos annis, editum ſit: vt non fuerit illa primitiuę Eccleſiæ conceſſa diſpenſatio baptizandi in nomine Chriſti, ſed præceptio generalis Eccleſiæ: & quocunque modo diuina Trinitas inuocetur, ſiue explicitè, ſiue implicitè, vt in nomine Chriſti intelligitur, pater vngens filius vnctus, & in quo ſit vnctio Spiritus ſanctus, verus ſit baptiſmus. Audax proculdubio ſententia, & de ſacramento maximè neceſſario, & quæ Chriſti inſtitutioni, ſanctis Patribus, & Conciliis omnino repugnet: cum in omnibus his, adminiſtratio

De baptiſmo in nomine Chriſti.

ſtratio baptiſmi cũ expreſſa diuinę Trinitatis inuocatione nominib⁹ relatis pcepta ſit.

3 Quare duo de huiuſmodi controuerſia mihi affirmanda videntur: & baptiſmum ex inſtitutione Chriſti, Patrum explicatione, praxi & vſu Eccleſiæ catholicæ ratum eſſe & efficax noſtrę ſalutis inſtrumentum eſſe, non poſſe, niſi tres diuinę perſonæ nominibus relatiuis exprimantur: & incertum eſſe baptiſmum in nomine Chriſti, ſine inuocatione Trinitatis expreſſa, vnquã fuiſſe adminiſtratũ in Eccleſia Catholica. prior pars huius ſententię art. 5. demonſtrata eſt, ex ſancta ſcriptura, Patribus & Conciliis, & vſum eidem congruentem, oſtendunt in Græca & Latina Eccleſia, receptæ baptiſmi formę, quas eodem art. 5. propoſuimus. poſterior p. eiuſdem ſententiæ ex ſanctorum Patrum teſtimoniis colligenda eſt. quamuis enim Act. 8. & 19. ſcriptum ſit, plures in nomine Chriſti baptizatos, & id aliqui recẽtiores, preſertim Theologi ſcholaſtici, de baptiſmo intelligunt cum inuocatione Chriſti, & non Trinitatis: veteres tamen Patres, ex quibus vetuſtatis & vſus antiqui Eccleſiæ, iudicium ſumendum eſt, non eum vocant baptiſmum in nomine Chriſtri, ſed cui Chriſtus vim ſuam interius abluendi & regenerandi contulerit, cùm expreſſa diuinæ Trinitatis inuocatione. vt enim baptiſmus Ioannis dictus eſt, quem ille adminiſtrauit, ſine ſpiritus innouantis infuſione: ſic baptiſmus Chriſti, quẽ ipſe inſtituit, Matt. vltimo, cùm efficientia regenerandi & interius innouandi. Ita ſane baptiſmum in nomine Chriſti explicat D. Baſil. de Spiritu ſancto ad Amphilochium c. 12. quem videtur, vt in pleriſq;, imitatus D. Ambroſ. de Spiritu ſancto c. 3. licet explicet, quomodo in nomine Chriſti, quodammodo Pater & Spiritus ſanctus intelligantur. apertius Theophil. Luc. 24. Deniq; veteribus Patribus idem eſt baptiſmus in nomine Chriſti, atque baptiſmus Chriſti, de quo Ioannes c. 1. hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. D. Auguſt. lib. 6. contra Donatiſt. c. 25. [quis neſciat, inquit, nõ eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Euangelica, quibus ſymbolum cõſtat, illi defuerint.] ideſt inuocatio Trinitatis expreſſa. & paulò infra; nam in multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur; ſed baptiſmum Chriſti, ideſt verbis euangelicis conſecratum vbiq; eundem eſſe, nec hominum quorumlibet, & qualibet peruerſitate violari. lib. contra Fulgent. Donatiſt. c. 3. illud baptiſma Chriſti, aſſerit eſſe, quod eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti, hoc eſſe verum, & ſalubre, huic nullum comparandũ. D. Damaſc. lib. 4. de fide c. 10. in Chriſto, inquit, baptizari, ſignificat, credentes in eũ ablui. Deniq; baptiſmũ Chriſti, in nomine Chriſti, vel in nomine Dñi, cũ ſic Chriſtũ appellauerint Apoſtoli, idem valere exiſtimo, atq; in morte Chriſti baptizari, ſed cũ expreſſa Trinitatis diuinę inuocatione. ſic enim Apoſtolus Ro. 6. Quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Iesv, in morte ipſius baptizati ſumus. Hęc eſt ſententia Cathechiſmi Romani, & ideò cæteris præferenda.

Baptiſmum in nomine Chriſti ſine diuina Trinitatis expreſſione nullũ eſſe, nec fuiſſe olim, probabile cenſet Cathechiſmus Rom. de baptiſmo c. 14.

4 De Nicolai primi ſententia in c. à quodam Iudæo citato, libenter aliorum ſententiam audirem, quia videtur aperte probare baptiſmũ in nomine Chriſti tantùm, ideſt, ſine inuocatione diuinę Trinitatis. D. Tho. ad 3. ad ſpecialẽ Dñi reuelationem illius baptiſmi adminiſtrationẽ refert: vt prius retulerat baptiſmũ Apoſtolorum in reſpõſione ad primum: ſed profectò ſi nõ eſt certa illa reuelatio Apoſtolis facta, vt ex veteribus Patribus deduximus, neq; erit omninò firma hæc Nicolai, quę ad illã refertur. quare libentius affirmarẽ non excludi à Nicolao inuocationẽ Trinitatis, ſed pro filio ſubſtitui Chriſtũ, & coniungi Patri & Spiritui ſancto in forma baptiſmi. itaq; illa excluſio, in nomine Chriſti tantùm, nõ excludat alias diuinę Trinitatis perſonas ab eadẽ forma, ſed pro filio Chriſtũ collocet: vt ita cõcepta ſit, ego te baptizo in nomine Patris & Chriſti, & Spiritus ſancti, & rationem D. Ambr. eò pertinere, vt ſicut ex Filio Pater intelligitur, & ex vtroq; vt principio, Spiritus ſanctus, ſic ex Chriſto, vngens Pater, & in quo eſt vnctio Spiritus ſanctus. neq; hãc Nicolai ſententiã rectè dices, nõ eſſe omninò certã, quòd in cõcilio nõ ſit lata: ſemper enim in fide & moribus certa & firma docet ſum. Põt. preſertim rogatus à fidelibus, vt hic Nicolaus à Bulgaris.

Explicatur c. à quodam Iudæo de cõs. d. 4.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm immerſio in aqua, ſit de neceſſitate baptiſmi.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quod immerſio in aqua, ſit de neceſsitate baptiſmi.

4. d. 3. art. [illegible] q. 1.

I Vt enim

Vt enim dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Sed apud multos communis modus baptizandi est per immersionem. Ergo videtur, quod non possit esse baptismus sine immersione.

¶ 2. Præterea, Apostolus dicit Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Sed hoc fit per immersionem, dicit enim Chrysost. † super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Sicut in quodã sepulchro in aqua submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, deinde nouus rursus ascẽdit. Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

Hom. 24. in Ioannem, post med. tom. 3.

¶ 3. Præterea, Si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur quod pari ratione sufficeret, quanlibet partẽ aqua perfundi. Sed hoc videtur inconueniens, quia originale peccatum, contra quod præcipuè datur baptismus, non est in vna tantùm corporis parte. Ergo videtur, quod requiratur immersio ad baptismum, & nõ sufficiat sola aspersio.

SED CONTRA est, quod Heb. 10. dicitur: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.

RESPONDEO dicendum, quod aqua assumitur in sacramento baptismi, ad vsum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autẽ fieri potest per aquã, nõ solùm per modum immersionis, sed etiã per modũ aspersionis, vel effusionis. Et ideo quãuis tutius sit baptizare per modũ immersionis (quia hoc habet cõmunior vsus) potest tamẽ fieri baptismus per modũ aspersionis, vel etiam per modũ effusionis: secundũ illud Ezech. 36. Effundã super vos aquã mundam: sicut beatus Laurentius legitur baptizasse. Et præcipuè propter necessitatẽ: vel quia est magna multitudo baptizandorũ: vt patet Act. 2. & 4. vbi dicitur, quod crediderunt vna die tria milia, & alia die 5. milia. Quandoq; autẽ potest imminere necessitas propter paucitatẽ aquæ: vel propter debilitatẽ ministri, qui nõ potest sustentare baptizandũ, vel propter debilitatẽ baptizandi, cui posset imminere periculũ mortis ex immersione. Et ideo dicendum est, quòd immersio non est de necessitate baptismi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ea quæ sunt per accidens, non variant substantiã rei. Per se autem requiritur ad baptismũ corporalis ablutio per aquam. Vnde & baptismus lauacrũ nominatur, secundum illud Ephes. 5. Mũdans eã lauacro aquæ in verbo vitæ. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo. Et ideo talis diuersitas non tollit vnitatem baptismi.

AD SECVNDVM dicendum, quod in immersione expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi, & ideo hic modus baptizãdi est communior & laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, licet non ita expressè. Nã quocũq; modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius, aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.

AD TERTIVM dicendũ, quod principalis pars corporis, præcipuè quantum

quantũ ad exteriora mẽbra, est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores & exteriores. Et ideo, si totũ corpus aqua nõ possit perfundi, propter aquę paucitatẽ, vel propter aliquã aliã causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ. Et licet per mẽbra, quæ generationi deseruiũt, peccatũ originale traducatur, non tamẽ sunt membra illa potius aspergẽda, quàm caput: quia per baptismũ non tollitur transmissio originalis in prolem per actũ generationis, sed liberatur anima à macula & reatu peccati, quod incurrit. Et ideo debet præcipuè lauari illa pars corporis, in qua manifestantur opera animę. In veteri autẽ lege remediũ contra originale peccatũ, institutũ erat in mẽbro generationis, quia adhuc ille, per quẽ originale erat amouendũ, nasciturus erat ex semine Abrahæ. Cuius fidẽ circuncisio significabat, vt dicit Ro. 4.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm trina immersio sit de necessitate baptismi.

4.d.3.ar.4.q. 2. & 3. Et di. 23.q.1.art.1. q.2.cor. Refertur hoc in Decr. de cõs. d.4.c.77. Post quam ex Aug. Hom.4.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quod trina immersio sit de necessitate baptismi. Dicit enim Aug.* in quodã sermone de Symbolo ad baptizatos, Rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismũ in nomine sanctę Trinitatis, rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine IESV Christi, qui etiã tertia die resurrexit à mortuis, illa enim tertiò repetita immersio, typũ Dominicæ exprimit sepulturæ, per quã Christo consepulti estis in baptismo. Sed vtrunq; videtur ad necessitatem baptismi pertinere, scilicet & quod significetur in baptismo Trinitas personarũ, & quod fiat cõfiguratio ad sepulturam Christi. Ergo videtur, quòd trina immersio sit de necessitate baptismi.

¶ 2. Præterea, Sacramenta ex mandato Christi efficaciã habent. Sed trina immersio est ex mandato Christi. Scribit enim Pelagius Papa* Gaudẽtio Episcopo, Euangelicum præceptum ipso Dño Deo & Saluatore nostro IESV Christo tradẽte, nos admonet, in nomine Trinitatis trina mersione sanctũ baptismum vnicuiq; tribuere. Ergo sicut baptizare in nomine Trinitatis, est de necessitate baptismi, ita etiã baptizare trina immersione, videtur esse de necessitate baptismi.

De conse d.4. ca. 8. Multi sunt.

¶ 3. Præterea, Si trina immersio non sit de necessitate baptismi, ergo ad primã immersionẽ aliquis baptismi consequitur sacramentũ. Si ergo addatur secunda, vel tertia, videtur, quòd secundò, vel tertiò baptizetur, quod est incõueniens. Nõ ergo vna immersio sufficit ad sacramentũ baptismi, sed trina immersio videt esse de necessitate ipsius.

SED CONTRA est, quòd Greg. *dicit scribens Leandro Episcopo, Reprehensibile esse nullatenus potest infantẽ in baptismate, vel ter, vel semel immergere, quoniam & in tribus mersionibus, personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

li.1.Epist. 41. à med. & habetur de conse.d. 4.c.79. De trina.

RESPONDEO dicendũ, quod (sicut prius dictum est*) ad baptismũ per se requiritur ablutio aquę, quæ est de necessitate sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex prædicta autoritate Gregor.* patet, quantum est de se, vtrunq;

ar.præ. ad 3.

In arg. Sed contra.

vtrunq; licitè fieri potest, scilicet & semel & ter immergere, quia vnica immersione significatur vnitas mortis Christi & vnitas deitatis, per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, & etiã Trinitas personarum. Sed diuersis ex causis secundũ ordinationẽ Ecclesię, quandoq; institutus est vnus modus, quandoq; alius. Quia enim à principio nascẽtis Ecclesię, quidã de Trinitate malè sentiebãt, Christum purũ hominem esse ęstimãtes, nec dici filiũ Dei & Deum, nisi propter meritũ eius, quod prę cipuè fuit in morte, ideo nõ baptizabant in nomine Trinitatis, sed in cõmemoratione mortis Christi, & vna immersione. Quod reprobatũ fuit in primitiua Ecclesia. Vnde in canonibus Apostolorũ* legitur, Si quis præsbyter aut episcopus non trinã immersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate (quod dari à quibusdã dicitur in morte Domini) deponatur. Non enim nobis dixit Dñs, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Postmodum verò inoleuit quorundam schismaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizantiũ, sicut de Donatistis Augus.* narrat super Ioan. Et ideo in detestationẽ erroris eorũ fuit statutũ † in Conc. Toletano, quod fieret vna sola immersio. Vbi sic legitur, Propter vitandũ scismatis scandalũ, vel hęretici dogmatis vsum, simplã teneamus baptismi immersionẽ. Sed cessante tali causa cõmuniter obseruatur in baptismo trina immersio. Et ideo grauiter peccaret aliter baptizãs, quasi ritũ Ecclesię nõ obseruans, nihilominus tamen esset baptismus.

In can. 49. & 150. Et habetur de cõs. d. 4. c 78. Si quis præsbyter.

Tract. 11. to. 9.

In conci. Tolet. 4. can. 5. to. 2. Concil & habetur de conse. d 4 c. 84 Propter ex Yuone in Decr. lib. 1.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Trinitas est sicut agẽs principale in baptismo. Similitudo autẽ agentis peruenit ad effectũ secundum formã, & non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formę, nec est de necessitate, quòd significetur Trinitas per vsum materiæ, sed hoc fit ad maiorẽ expressionẽ. Similiter etiã mors Christi figuratur sufficienter in vnica immersione. Triduũ autem sepulturæ nõ est de necessitate salutis nostræ, quia etiam si vno die fuisset sepultus, vel mortuus, suffecisset ad perficiendã nostrã redemptionem, sed triduum illud ordinatur ad manifestandum veritatẽ mortis, vt suprà* dictũ est. Et ideo patet, quòd trina immersio, nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi, est de necessitate sacramenti.

q. 51. ar. 4. & 53. art. 2.

AD SECVNDVM dicendũ, quod Pelagius Papa † intelligit trinam immersionẽ esse de mandato Christi in suo simili, in hoc scilicet, quod Christus præcipit baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non tamen est similis ratio de forma & de vsu materię, vt dictum est.*

Loco citato in argum.

In sol prae.

AD TERTIVM dicendum, quod (sicut suprà † dictum est) intẽtio requiritur ad baptismum, & ideo ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit vnum baptismum dare trina immersione, efficitur vnũ baptisma. Vnde Hieron. dicit † super Epistolam ad Philip. Licet ter baptizetur (id est immergatur) propter mysterium Trinitatis: tamen vnum baptisma reputatur. Si verò intenderet, ad vnamquanq; immersionem vnum baptisma dare, ad singulas immer-

q. 64. ar. 8.

In com c. 4. ad Ephes super illud. Vna fides, vnũ baptisma. to. 9. refertur de consec. d. 4. c. 80. Eodem modo.

immerſiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in ſe eſt, pluries baptizans.

COMMENTARIVS.

Modus baptizandi per immerſionem aut effuſionem & aſperſionē, non eſt præcepti diuini, ſed eccleſiaſtici.

1 Modus baptizādi & abluendi, nūc explicandus eſt, cōtinetur autem hac ſententia. Ablutio aquę perſe & neceſſariò ad veritatē baptiſmi pertinet: modus autem abluendi, nempè aſperſione, immerſione, effuſione, licet non ſit ex neceſſitate ſacramenti, eſt tamen in præcepto Eccleſiæ. Prior pars huius ſententiæ ex inſtitutione Chriſti, quam Eccleſia mutare non poteſt, vim habet. aqua enim abluendum eſſe baptizatū illis verbis expreſſit Dn̄s Mat. vlt. [baptizantes eos] cùm baptizare ſit idem quod abluere & tingere. abluit autē baptizans aqua corpus ſuſcipientis baptiſmum, quamcunq; partē contingente aqua: quoniam ablutione externa, interius animam à peccatis abluit: anima verò eſt tota ſecundum eſſentiam in quauis parte corporis, infra q. 68. ar. 11. ad 4. itaq; ſi quid externum vt veſtes tantum, aqua contingat, non eſt baptiſmus alicuius, quia neq; corporis ablutio. ſeruari tamē debet regionis cuiuſq; & Eccleſiæ conſuetudo ex præcepto Eccleſiæ, ad quam pertinet modum adminiſtrādi ſacramenta præſcribere. Trident. ſeſ. 21. c. 2. quod aſſeruimus poſteriori parte ſentētiæ propoſitæ.

Eccleſiæ poteſtas in ſacramentorum adminiſtratione.

2 Cuius ratio firma, eſt hæc Eccleſię poteſtas, in preſcribēda adminiſtratione ſacramenti. Vnde ſeruatis eſſentialibus partibus ſacramēti, diuerſos ritus ſolet Eccleſia preſcribere, vt ſaluti fideliū cōſulat. ipſa enim ſacramenti adminiſtratio, eſt fidelis populi inſtructio, cū ſacramenta ſint viſibilia verba ad fidei profeſſionē & doctrinam: vt explicauimus ex D. Aug. ſupra q. 62. ſic in adminiſtratione baptiſmi varias Eccleſiæ cōſuetudines refert D. Tho. ar. 8. & idem erit de adminiſtratione Euchariſtiæ & matrimonij ſuis locis, vt exortos errores de Eccleſia tolleret, & de veritate ſacramēti ipſa adminiſtratione fidelem populum inſtrueret. vnde qui pręceptū Eccleſiæ & receptā conſuetudinē ſine imminēte aliqua neceſſitate violaret, peccati reus eſſet, mortalis quidē, ſi ex contemptu, aut nimia negligētia: venialis autē, ſi aliter ex aliqua ratione probabili, imminente verò neceſſitate nullius: quia huiuſmodi ritus & ſolēnia de adminiſtratione ſacramentorū, extra periculū imminens Eccleſia precepit, imminente verò periculo, eſſentialia tantùm vult adhiberi, præſertim in ſacramentis ad ſalutē neceſſariis, vt baptiſmo, Euchariſtia tempore quo ſumenda eſt ex præcepto diuino, vel eccleſiaſtico determinante diuinum.

Miniſtri intentio in baptiſmo, aut triplici immerſione perficitur.

3 De baptiſmo autē, qui triplici immerſione adminiſtratur, illud de intētione miniſtri obſeruandū eſt, vt conformis ſit ritui eccleſiaſtico & Eccleſię propoſito: hęc autē vnum baptiſmum tribus immerſionibus perfici vult, talis igitur ſit miniſtri intentio: & ſucceſione merſionū ſeruata, ex iudicio moraliter probabili. itaq; ter mergendo proferat formā, vel ſaltem cū aliqua merſione coniuncta ſit formæ prolatio, & intētio perficiendi baptiſmum ad tres merſiones referatur: & ideò merſiones ſingulæ partis ſucceſſiuæ, non totius perfecti rationem habeant. vt enim ad veritatē ſacramēti requiritur, formę cū ablutione coniūcta prolatio, ſaltē parte aliqua ſecundum prudentis iudiciū, cùm vnica ſit ablutio: quia aliter non eſſet ſacramentalis ſignificatio plena, vt oſtēſum eſt ſupra q. 60. ſic etiam cū triplex immerſio celebratur. verùm in vnaquaq; ratione adminiſtrandi ſacramentū, intentio miniſtri, rationi adminiſtrandi ſit cōformis, vt ille vnica, hic triplici baptizare intendat. Sed olim ad tollendam omnem dubitationē, ſingulę perſonę diuinę in forma baptiſmi comprehenſæ, ſingulis merſionibus in adminiſtratione coniungebantur, vt vnum ſacramentum in trium perſonarum inuocatione omninò intelligeretur. ita videtur colligi ex c. 4. Apoſtol. vel ſecundum aliam computationem 49. ſi rectè verba illius expendantur.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm baptiſmus poſsit iterari.

4. d. 6. q. 2. ar. 1. q. 1. Et 4. cont. cap. 59. & c. 70. & 71. Et Ioan. 3. col. 4. et epheſ. 4. lec. 2. col. 1. fi. et ſup. q. 63. ar. 5.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur, quod baptiſmus poſſit iterari. Baptiſmus enim videtur inſtitutus ad ablutionem peccatorum. Sed peccata iterantur. Ergo multò magis baptiſmus debet iterari, quia miſericordia Chriſti trācendit hominis culpam.

¶ 2. Præterea, Ioannes baptiſta

præcipuè fuit à Christo commendatus, cùm de eo dictũ sit, Matt. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Sed baptizati à Ioanne, iterum baptizabantur, vt habetur Act. 19. vbi dicitur, quod Paulus baptizabat eos, qui erant baptizati baptismo Ioannis. Ergo multò fortius illi qui sunt baptizati ab hæreticis, vel peccatoribus sunt rebaptizandi.

In concil. 1. Nice. can. 19.

¶ 3. Præterea, In Niceno concilio statutum est, Si quis confugerit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis & Cataphrygis, rebaptizari eos omnino debere. Videtur autem esse eadem ratio de aliis hæreticis. Ergo baptizati ab hæreticis, debent rebaptizari.

¶ 4. Præterea, Baptismus est necessarius ad salutẽ. Sed de quibusdã baptizatis aliquando dubitatur, an sint baptizati. Ergo videtur, quòd debeant iterum baptizari.

¶ 5. Præterea, Eucharistia est perfectius sacramentum, quàm baptismus, vt suprà dictum est.* Sed sacramẽtum Eucharistiæ iteratur. Ergo videtur, quod multò magis baptismus possit iterari.

q. præc. art. 4.

Sed contra est quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnũ baptisma.

Respondeo dicendum, quod baptismus iterari nõ potest. primò quidem, quia baptismus est quædã spiritualis regeneratio, prout, scilicet aliquis moritur veteri vitę, & incipit nouam vitam agere. Vnde dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei. Vnius autem non est nisi vna generatio, & ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Vnde Aug.* dicit super illud Ioan. 3. Nũquid potest in ventrẽ matris suæ iteratò introire, & renasci? Sic tu, inquit, intellige natiuitatẽ Spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatẽ carnis, quomodo enim vterus nõ potest repeti, sic nec baptismus. Secundò, quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in nouitatẽ vitę: Christus autem semel tantùm mortuus est, & ideo baptismus iterari non debet: propter quod Heb. 6. contra quosdã rebaptizari volentes dicitur. Rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei. vbi glo. dicit,* Vna Christi mors, vnũ baptisma cõsecrauit. Tertiò, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur: vnde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod Aug.* dicit in 2. contra epistolam Parmeniani, quod character militaris non repetitur, & quod nõ minus hæret sacramẽtum Christi, quàm corporalis hæc nota: cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtiq; per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur. Quartò, quia baptismus principaliter datur cõtra originale peccatũ, & ideo sicut originale peccatũ non iteratur, ita etiã nec baptismus iteratur, quia vt dicitur Rom. 5. Sicut per vni⁹ delictũ, in omnes homines in condẽnationẽ, sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.

** Tract. 11. in Euang. Ioan. ante med. to. 9.*

glos ordi super illud, Renouari rursus ad pœnitentiam.

Lib 2. c. 13. à med to 7. & supra habetur q 63. ar. 5 & vide eundem ep. f. 5c. ad Bonif. post med. tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut suprà dictum est.* Et ideo sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi non auferunt, ita etiam non auferunt,

art. 2. huius q.

rūt baptiſmum, vt neceſſe ſit ipſum iterari. Sed pœnitentia ſuperueniēte, tollitur peccatū, quod impediebat effectum baptiſmi.

Ad secundum dicendum, quod ſicut Aug. * dicit ſuper illud Ioā. 1. Sed ego neſciebam eū. Ecce poſt Ioannem baptizatum eſt, poſt homicidam non eſt baptizatū, quia Ioan. dedit baptiſmum ſuum, homicida dedit baptiſmū Chriſti, quod ſacramentum tam ſanctū eſt, vt nec homicida miniſtrante polluatur.

Tract. 5. declinādo ad fi. to. 9

Ad tertium dicendū, quod Pauliani & Cataphrygæ non baptizabant in nomine Trinitatis. Vnde Greg. * dicit ſcribēs Quirino Epiſcopo, Hi hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizabant, ſicut ſunt Bonoſiani & Cataphrygę (qui ſcilicet idem ſentiebant cum Paulianis) quia & illi Chriſtum Deum non credunt (exiſtimātes, ipſum ſcilicet eſſe purum hominem) & iſti (ſcilicet Cataphrygæ) Spiritū ſanctum peruerſo ſenſu eſſe quendam prauum hominem Mōtanum, (ſcilicet credunt) tales cùm ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur, quia baptiſma nō fuit, quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Sed ſicut in regulis Eccleſiaſticis * dicitur: Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizabant, & veniunt ad catholicam fidem, recipiātur vt baptizati.

In regiſt. lib. 9. epiſt. 61. paulò à princ. Refert de conſ. d. 4. c. Hi verò.

De eccleſiā. dogm. c. 52. t. 3 in Aug. & de conſ. d. 4. c. 43. & 24. 27.

Ad quartum dicendū, quod ſicut dicit Decre. Alexandri. † III. De quibus dubium eſt an baptizati fuerint, baptizentur his verbis prę miſſis. Si baptizatus es, ego non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Non enim videtur iterari quod neſcitur eſſe factum.

In Decre. li. 3. ti. 41. de Bapt. & eius effectu: c. De quibus, eſt c. 2. & de conſ. d. 4. 109. 110. 111. & 112.

Ad quintum dicendū, quod vtrunq; ſacramentum, ſcilicet baptiſmi & Euchariſtiæ eſt repręſentatiuum Dominicæ mortis & paſſionis, aliter tamen & aliter. Nam in baptiſmo commemoratur mors Chriſti inquantum homo Chriſto commoritur vt in nouam vitam regeneretur. Sed in ſacramento Euchariſtię cōmemoratur mors Chriſti, inquantum ipſe Chriſtus paſſus exhibetur nobis, quaſi paſchale conuiuium, ſecundum illud 1. Cor. 5. Paſcha noſtrū immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulemur. Et quia homo ſemel naſcitur, multotiens autē cibatur, ſemel tantùm datur baptiſmus, multotiens autē Euchariſtia.

COMMENTARIVS.

1 AD baptiſmi etiam adminiſtrationē, numerus & iteratio pertinet, pręſertim cùm de ea ſint in Eccleſia exorti errores. Catholica ſententia eſt: baptiſmus iterari non poteſt, ſic enim Paulus Epheſ. 2. vna fides, vnum baptiſma: quod etiam in ſymbolo maiori canit Eccleſia, hoc eſt quia vna fides, ideò vnū baptiſma inquit Aug. lib. de quinq; hęreſ. c. 7. cum baptiſmus ſit fidei profeſſio, & ideò vnitate conſentiunt. Hebr. 6. impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cęleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, iterum renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibi metipſis filium Dei & oſtentui habentes. hîc enim Apoſtolus loquitur de baptiſmo, vt oſtendunt illa, illuminari, renouari, crucifigi, quæ ſunt baptiſmi propria: quia in eo recipitur fides, qua illuminamur, regeneratio, qua renouamur, & commorimur Chriſto, & ideò crucifigimur, Rom. 6. aſſerit ergo, impoſſibile eſſe baptiſmum repeti, & ita impoſſibilem eſſe pœnitentiam per baptiſmum.

Cōcluſio, ex ſcriptura & ſymbolo.

Baptiſmus etiā ab hæreticis adminiſtratus nō poteſt iterari.

Explicatio.

Quin etiam Ecclesia in plenariis conciliis adeò probat baptismi vnitatem, & refutat iterationem, vt baptizatos ab hereticis nullo modo rebaptizet, sed potius sola reconciliatione & pœnitentia ad se confugientes recipiat, modò ab illis legitimè administratum sacramentū nouerit: nempè salua eius substantia, quæ in materia & forma, & recta intentione ministri cōsistit. verum quidē est, eos qui nullo imminēte vitæ periculo, ab hæreticis baptizari eligunt, cùm possint à catholicis, gratiam sacramenti nō recipere: sed verum baptismum recipiunt, & charactere consignantur.

Confirmatio ex Patribus & cō cil.

2 Hæc est doctrina sæpe repetita à D. August. contra D. Cypriani errorem, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos in Ecclesia catholica cēsuit, nec aliter admittēdos: quòd baptismum hæreticorum, verum baptismum non censuit: imò verò tria concilia prouinciæ Africanæ, congreganda curauit, in quibus idem definitū ab illis Patribus Africanis legimus. vnum est cuius D. Cyprianus meminit epist. 70. alterum Episcoporum Africæ & Numidiæ, de quo epist. 73. tertium Episcoporum Africe, Numidię, & Mauritaniæ, quod adhuc extat 2. tom. operum eiusdem Cypriani, cū sententiis omnium Episcoporum. sed in his non fuit vlla contentio contra Ecclesię vniuersalis decretum, sed ignorantia & deceptio ex scripturis malè intellectis, quod in D. Cypriano, martyrij constantia demonstrauit, & si quid in tuenda illa sententia, peccatum fuerat, sanguine pro Ecclesia effuso omninò mundauit, vt scribit D. August. qui multis libris editis eundem errorem in Donatistis damnauit, qui contēnentes reliquos, qui sibi non adhærebant, tanquam ex illis tantùm constaret vera Ecclesia, quam omnes fere heretici sibi arrogāt, baptizatos ab aliis, iterū ideò baptizabant: quòd censerent in vera Ecclesia nō fuisse baptizatos, in qua tantùm censent vera esse sacramenta, & quæ ex ipsis tantùm constaret. Catholici verò censent, salutaria quidem, & ad iustitiam consequendam tantū esse in Ecclesia catholica sacramenta, sed extra Ecclesiam vera esse & integra sacramenta, si in administratione eorum substātia retineatur. quin etiam hæreticos, qui extra Ecclesiam sacramenta administrant, Ecclesiæ ministerium impiè vsurpare, & sacramenta Ecclesiæ ideò cōferre, quia substantiam eorū cum Ecclesia catholica cōsentientes retinent; & illius ministros quodammodò, quatenus scilicet illius sacramēta vsurpant, se exhibent.

Cypriani & aliorum Patrū Africanorum opinio de baptismo hæreticorū reiicienda.

3 Hanc sententiā catholicam etiam dissentientibus illis Patribus Africanis, catholica semper docuit Ecclesia, & ex traditione Apostolica constāter collegit, vt inquit D. August. lib. 5. de bapt. c. 23. & ex plenario & vniuersali concilio collectam etiam sæpè scribit. & certè videtur intelligere Nicæni primi canonem 19. vbi Paulianistarū, & Cataphrygum, atq; similium baptismū reprobat: & ab illis tinctos, iterum tingendos esse in Ecclesia catholica, nec aliter admittendos: quòd scilicet substantia baptismi, apud illos salua & integra non esset: significans planè se verum baptisma censere eorum hæreticorū, qui substantialia sacramenti retinerent. sic enim aliàs probat Ecclesia baptismum Marcionis, Nouationorum, & aliorum hæreticorum similium, vt constat ex Nicæna secunda can. 7. Loadicæn. can. 8. sexta Synodo generali can. 95. & septima can. 7. Carthagineñ. 1. can. 1. Viennen. in Clement. de sum. Trinit. & fid. Florent. sess. vlt. de sacramētis. quod etiam obseruauit D. Thom. ad 3. Deniq; concil. Trident. sic apertè definiuit contra recentes Anabaptistas sess. 7. can. 9. & 11. Clemēs Papa lib. 6. constit. c. 15. August. tract. 11. in Ioan. & lib. toto de vnico baptismo contra Petilianum. Leo primus ep. 79. c. 7. & ep. 37. Damasc. lib. 4. de fide c. 10. Beda in 2. c. Ioannis. c. cum dictum est §. quod verò cū c. sequenti 1. q. 1. Eadem ratione baptisma Arrianorum improbatum est: quòd in eius forma filium intelligerent Patre minorē, cōtra dogma catholicum. quamuis autem recta fides ministri, vt illius propria est, ad veri baptismi administrationem non sit nessaria, vt ostendimus in baptismo hæreticorum, apud quos vera fides permanere non potest: requiritur tamen ad essentiam sacramenti legitimus sensus & catholicus formæ: alioquin non haberet minister rectam Ecclesiæ intentionem, quæ ad veritatem sacramenti omninò necessaria est, vt ostendimus supra. q. 60. colligamus igitur, rebaptizationem & anabaptismum damnatum semper esse in Ecclesia, in Nouatianis, Arrianis, Donatistis, quòd baptismum hereticorum, retinentiū substantialia illius in administratione, verum baptismum censeat.

Concilia contra rebaptizatores & Anabaptistas.

quare

quare nostri temporis Anabaptistæ, iam pridem cum similibus hæreticis rebaptizantibus, damnati sunt. plura de re notissima adiungere non est necesse, legat qui volet in tot libris D. Augustini contra Donatistas, in Alfonso Castrensi lib.3. contra hæres. sexta hæresi de baptismo. Rationes verò ex sancta scriptura collectas D. Thom. doctissimè in articulo collegit, vt semper solet.

4 De quibus verò dubium est sint ne baptizati, an non, obseruabitur sententia Alexand. tertij in c. de quibus, de bap. vt si probabile sit dubium, sub conditione baptizētur: quę regula ad repetendum aliquid in administratione aliorum sacramentorum essentiale, constanter etiam retinenda est. Qui verò aut scienter, aut ex contemptu, aut ex incuria non examinantes an sit illa dubitatio probabilis, aliquem rebaptizauerit, proculdubiò pœnis à iure statutis subiicitur, nempè irregularitatis, & pœnitentiæ septem annorum. c. eos quos, de consecrat. d. 4. & c. ex litterarum, de apostatis. sunt etiam & alię pœnę additæ in iure ciuili, vt l. 1. & 2. C. ne sanctum bapt. iteretur. sed quoniam hęc pœna irregularitatis propter culpam rebaptizantis est statuta, vbi culpa non subest, re accurate expensa, tam in baptizante quàm in baptizato, nulla videtur incurri irregularitas: quāuis aliquando incurri possit sine culpa, nempè cum non est vindex culpæ commissæ. vt si iudex iustè aliquem morte puniat, si quis corpore à naturę exortu vitiosus sit, irregularis fit. quod si dubitatio incidat, an ignorantia iuris aliquem ab incurrenda pœna excusare possit, vel ignorantia facti, id sanè ex regulis generalibus de huiusmodi ignorantia 1. 2. explicatis à D. Thom. diiudicandum est. prudenter prætereà expendēdum est, an nati inter catholicos pro baptizatis, aut confirmatis habēdi sint, an expositi, vel in siluis educati, cum de his nulla alia certa regula tradi possit. Cæterùm in irregularitate tollenda per dispēsationem, potestas nō est in Episcopo, sed in summo Pontif. nisi ex priuilegio, vel concilio, Episcopo, vel alteri id concessum esse constet.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens.

AD DECIMVM sic proceditur.* Videtur, quod nō sit conueniens ritus, quo Ecclesia vtitur in baptizando. Vt enim dicit Chrysost. nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu Dominici corporis sanctificata fuisset. Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniæ. Ergo magis deberet celebrari solēnis baptismus in festo Epiphaniæ, quam in vigilia Paschæ, & in vigilia Pentecostes.

*4. dist. 2. q. 1. art 3. ad septimum. & di. 6. q 2. ar. 1 q. 3. * referitur de cō sec di. 4. c. 10. Nunquam.*

¶ 2. Præterea, Ad idē sacramētum non videtur pertinere diuersarum materiarum vsus. Sed ad baptismum pertinet ablutio aquæ. Inconuenienter igitur ille qui baptizatur, bis inungitur oleo sancto. primum in pectore, deinde inter scapulas, & tertiò chrismate in vertice.

¶ 3. Præterea, In Christo IESV nō est masculus neq; fœmina, Barbarus & Scytha, & eadem ratione nec aliquæ aliæ huiusmodi differētiæ. Multo igitur minus diuersitas vestiū aliquid operatur in fide Christi. Inconuenienter igitur baptizatis traditur candida vestis.

¶ 4. Præterea, Sine huiusmodi obseruantiis potest baptismus celebrari. Hæc igitur quæ dicta sunt, videntur esse superflua, & ita incōuenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

SED CONTRA est, quòd Ecclesia regitur Spiritu sancto, qui nihil inordinatum operatur.

RESPONDEO dicendum, quod in sacramento baptismi aliquid agi-

tur quod est de necessitate sacramẽti, & aliquid est quod ad quandam solennitatem sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est forma, quæ designat principalẽ causam sacramenti, & minister, qui est causa instrumentalis, & vsus materiæ, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum. Cætera verò omnia, quæ in ritu baptizandi obseruat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solennitatem sacramenti. Quæ quidẽ adhibẽtur sacramẽto propter tria. Primò quidem, ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua, absque solennitate de facili ab aliquibus ęstimaretur, quasi quædam communis ablutio. Secundò, ad fideliũ instructionem. Simplices enim qui literis non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta, per picturas, & aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea, quæ in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel solicitantur ad quærendum de his, quę per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo quia pręter principalem sacramenti effectum, oportet quædã alia scire circa baptismum, conueniens fuit, vt etiam quibusdã exterioribus signis repræsentarentur. Tertiò, quia per orationes & benedictiones & alia huiusmodi, cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus.

Ad primvm ergo dicendum, quod Christus in Epiphania baptizatus est baptismo Ioan. vt supra dictum est.* Quo quidem baptismo non baptizantur fideles, sed potius baptismo Christi. Qui quidem habet efficaciam ex passione Christi (secundum illud Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesv, in morte ipsius baptizati sumus) & ex Spiritu sancto: secundum illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. & ideo solẽnis baptismus agitur in Ecclesia, & in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio Dominicæ sepulturæ & resurrectionis eiusdẽ (propter quod & Dominus post resurrectionem, præceptum de baptismo discipulis dedit, vt habetur Matth. vltimo) & in vigilia Pentecostes quando incipit celebrari solẽnitas Spiritus sancti. Vnde & Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse.

ar. 2. huius q. & q. 39. art. 3.

Ad secvndvm dicendum, quod vsus aquę adhibetur in baptismo, quasi pertinens ad substantiam sacramenti, sed vsus olei vel chrismatis adhibetur ad quandam solẽnitatem: nam primò baptizandus inungitur oleo sancto, & in pectore & in scapulis, quasi athleta Dei, vt Ambros.* dicit in lib. de sacramentis. Sicut pugiles inungi consueuerũt. Vnde sicut Innoc. dicit in quadam Decret.* de sacra vnctione, Baptizandus in pectore inungitur, vt per sancti Spiritus donũ, abiiciat errorem & ignorantiam, & fidem rectã suscipiat, quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas autem inungitur, vt per Spiritus sancti gratiã excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum, sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis. Post baptismum verò

lib. 1. c. 2. li. 5. ca. 1. tom. 4.

**lib. 1. Decret. ti. 15. ca. Cum venisset, à medio illius.*

(vt

lib. 1. de inst. cleric. c. 28. refertur de cõse. d. 4 c. Postquã

(vt Rabanus* dicit) statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate, sequẽte simul & oratione, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. vel sicut Ambros.* dicit: Vnguentũ super caput effunditur, quia sensus sapiẽtis in capite eius, vt scilicet, sit paratus omni petenti, de fide reddere rationem.

li. 2. de sacra. c. 1. in prin. to. 4. & de iis qui initiantur mysteriis, c. 6. & de consec. d. 4. c. 89. & lib. 1. Decret. tit 15. c. 1.

Ad tertium dicendũ, quòd vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione, quod nõ liceat ei aliis vestibus vti, sed in signum gloriosæ resurrectionis,* ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitæ, quam debent post baptismum obseruare, secundũ illud Rom. 6. In nouitate vitæ ambulemus.

De cons. d. 4. c. 90.

Ad quartum dicendũ, quòd ea quę pertinent ad solennitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, vt dictum est.†

In corp art.

COMMENTARIVS.

1 De modo baptizandi, & vitanda baptismi repetitione dictũ est: de ritibus & cæremoniis, dicendum est, quę scilicet in solemni administratione baptismi adhibendæ sunt: cùm in articulo necessitatis essentialia tantùm adhibenda sint, ne imminens periculum, susceptionem sacramenti adeò necessarij ad salutem, impediat, infra q. 71. artic. 3. ad 3. has ceremonias D. Thom. hoc articulo comprehendit, & q. eadem 71. alias adiungit, vt præparationes: vt intelligamus quasdam esse ad ipsam administrationem sacramenti solemnem adhibendas: de quibus hoc articulo: alias autem precedere ipsam administrationẽ, de quibus q. 71. De omnibus tamen eadẽ est sententia catholica: ritus & cæremoniæ ab Ecclesia catholica institutæ, ad baptismi solemnem administrationem, ex præcepto Ecclesiæ adhibendæ sunt; sed ad veritatem sacramenti non sunt simpliciter necessariæ. primùm quidem has ceremonias, piè & prudenter ab Ecclesia institutas ad illam administrationem, ostendunt tres huius articuli rationes manifestæ, & ipsarum cæremoniarum significationes, de quibus in responsionibus ad argumenta: habuisse autem potestatem illas instituendi, ostendimus art. 8. huius q. ex decreto Trident. & ex traditione Apostolica dimanasse docet Thom. Vvalden. de sacramental. c. 28. & 44. & significationes rituum baptismi distinctè & partitè ex antiquis Patribus colligit, à c. 45. ad 55. Pamelius ad ep. D. Cypr. 73. num. 6. & plenissimè ad Tertulian. librum de baptismo num. 1. Franciscus Turrian. ad Clementis Papæ constitut. Apost. lib. 7. c. 23. num. 1. ex Aug. confessio Augustiniana lib. 3. c. 4. & ex D. Hieron. cõfessio Hieronimiana. tom 3. cap. 5. Catechismus Roman. ad finem doctrinæ de baptismo.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm conuenienter describantur tria baptismata.

Ad vndecimum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter describãtur tria baptismata, scilicet aquæ, sanguinis, & flaminis, siue Spiritus sancti. Quia Apost. dicit Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Sed non est nisi vna fides. Ergo non debẽt poni tria baptismata.

¶ 2. Præterea, Baptismus est quoddam sacramentum, vt ex supra dictis patet.* Sed solus baptismus aquæ, est sacramentum. Ergo non debent poni alia duo baptismata.

¶ 3. Præterea. Damas.* in 4. li. determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo debent poni solum tria baptismata.

4. dist. 4. q. 3. art. 3 & quol. 6. ar. 4 & 3 [illegible] fin. Heb. 6. co. is. q. 65 art. 1. & 4. ortho fidei. ca. 10 post medium.

Sed contra est, quod super illud Heb. 6. Baptismatum doctrinę, dicit* glos. Pluraliter dicit, quia est baptismus aquæ, pœnitentiæ, & sanguinis.

gl. ordin. ibidẽ. q 62. ar. 1. & q 66. ar. 2.

Res-

q. 82. art. 5. & q. 66. ar. 2.

RESPONDEO dicendũ, quod (ſicut ſupra dictũ eſt*) baptiſmus aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti (cui aliquis configuratur per baptiſmum) & vlterius ſicut à prima cauſa à Spiritu ſancto. Licet autem effectus dependeat à prima cauſa, cauſa tamen ſuperexcedit effectum nec dependet ab effectu. Et ideo præter baptiſmum aquæ, poteſt aliquis conſequi ſacramenti effectum ex paſſione Chriſti, inquãtum quis ei conformatur, pro Chriſto patiendo. Vnde dicitur Apocal. 7. Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus ſancti conſequitur effectum baptiſmi, nõ ſolùm ſine baptiſmo aquæ, ſed etiã ſine baptiſmo ſanguinis, inquãtum ſcilicet alicuius cor per Spiritum ſanctum mouetur ad credẽdum, & diligendum Deum, & pœnitẽdum de peccatis. vnde etiam dicitur baptiſmus pœnitentiæ. Et de hoc dicitur Iſai. 4. Si abluerit Dñs ſordes filiarum Sion & ſanguinem Hieruſalẽ lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Sic igitur vtrunq; aliorum baptiſmatũ nominatur baptiſmus, inquantum ſupplet vicem baptiſmi aquę. Vnde dicit Aug.* in 4. lib. de vnico baptiſmo paruuolorum. Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui nõ baptizato dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo. Beatus Cyprianus non leue documentum aſſumpſit, quod etiã atq; etiam conſiderans, inuenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem cõuerſionemq; cordis, ſi fortè ad celebrãdum myſterium baptiſmi, in anguſtiis temporũ ſuccurri non poteſt.

lib 4. de bapt. contra Donat. c. 22. in princ. to 7. & refertur de conſe. d. 4. ca. 33.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod alia duo baptiſmata includuntur in baptiſmo aquę, qui efficaciã habet & ex paſſione Chriſti & ex Spiritu ſancto. Et ideo per hoc non tollitur vnitas baptiſmatis.

AD SECVNDVM dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt*) ſacramentum habet rationem ſigni. Alia verò duo conueniunt cum baptiſmo aquæ, non quidem quãtum ad rationem ſigni, ſed quantum ad effectum baptiſmatis, & ideo non ſunt ſacramenta. q. 60. ar. 1.

AD TERTIVM dicendũ, quòd Damaſ.* ponit quædam baptiſmata figuralia, ſicut diluuiũ, quod fuit ſignum noſtri baptiſmi, quãtum ad ſaluationem fidelium in Eccleſia, ſicut tunc paucæ animæ ſaluę factæ ſunt in arca, vt dicitur 1. Pet. 3. Ponit etiam trãſitum maris rubri, qui ſignificat noſtrum baptiſma, quantum ad liberationẽ à ſeruitute peccati. Vnde & Apoſtol. dicit 1. Corint. 10. quòd omnes baptizati ſunt in nube & in mari.

li. 4. orth. fidei c. 10 à medio.

Ponit etiã ablutiones diuerſas, quæ fiebant in veteri lege, præfigurantes noſtrum baptiſma, quantum ad purgationem peccatorum. Ponit etiam baptiſmum Ioan. qui fuit præparatorius ad noſtrũ baptiſma.

ARTICVLVS XII.

Vtrũ baptiſmus ſanguinis ſit potiſsimus inter alia baptiſmata.

AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur quod baptiſmus ſanguinis non ſit potiſſimus inter tria prædicta baptiſmata. Baptiſmus

4. d. 4. q. 3. ar. 3. q. 4. Et Heb. 6. co. 3. f.

ptiſmus enim aquæ imprimit characterem. Quod quidē baptiſmus ſanguinis non facit. Ergo baptiſmus ſanguinis nō eſt potior, quàm baptiſmus aquæ.

¶ 2. Præterea, Baptiſmus ſanguinis nō valet ſine baptiſmo flaminis, qui eſt per charitatem: dicitur enim 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeā: charitatem autē non habuero, nihil mihi prodeſt. Sed baptiſmus flaminis valet ſine baptiſmo ſanguinis: non enim ſoli martyres ſaluātur. Ergo baptiſmus ſanguinis non eſt potiſſimus.

¶ 3. Præterea, Sicut baptiſmus aquæ habet efficaciam à paſſione Chriſti (cui ſecundū prædicta reſpondet baptiſmus ſanguinis) ita paſſio Chriſti efficaciam habet à Spiritu ſancto, ſecundū illud Heb. 9. Sanguis Chriſti, qui per Spiritū ſanctum obtulit ſemetipſum pro nobis, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, &c. Ergo baptiſmus flaminis potior eſt, quàm baptiſmus ſanguinis. Non ergo baptiſmus ſanguinis eſt potiſſimus.

Sed contra eſt, quod Aug. † ad Fortunatum, loquens de comparatione baptiſmatum, dicit: Baptizatus confitetur fidem ſuam coram ſacerdote, martyr coram perſecutore, ille poſt confeſſionem aſpergitur aqua, hic ſanguine, ille per impoſitionem manus pontificis recipit Spiritū ſanctum, hic templū efficitur Spiritus ſancti. *habetur in lib. de eccleſ. dogmat. c. 74. t. 3.*

Respondeo dicendum, quòd (ſicut dictum eſt†) effuſio ſanguinis pro Chriſto, & operatio interior Spiritus ſancti, dicuntur baptiſmata, inquantum efficiunt effectū baptiſmi aquæ. Baptiſmus autē aquæ efficaciam habet à paſſione Chriſti, & á Spiritu ſancto, vt dictū eſt.† Quæ quidem duæ cauſæ operantur in quolibet horum trium baptiſmatum, excellentiſſimè tamen in baptiſmo ſanguinis. Nam paſſio Chriſti operatur quidem in baptiſmo aquæ, per quandam figularem repręſentationem, in baptiſmo autem flaminis, vel pœnitentiæ, per quandam affectionē, ſed in baptiſmo ſanguinis, per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus ſancti operatur in baptiſmo aquę, per quā dam virtutem latentem, in baptiſmo autem pœnitentiæ per cordis commotionē, ſed in baptiſmo ſanguinis, per potiſſimum dilectionis & affectionis feruorem: ſecundum illud Ioan. 15. Maiorē hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *ar. præce.* *ar. præcē.*

Ad primum ergo dicendum, quod character eſt res & ſacramentum. Non autem dicimus quòd baptiſmus ſanguinis, pœnitentiam habeat ſecundum rationem ſacramenti, ſed quantum ad ſacramenti effectum.

Ad secundum dicendū, quod effuſio ſanguinis non habet rationē baptiſmi, ſi ſit ſine charitate. Ex quo patet, quòd baptiſmus ſanguinis includit baptiſmum flaminis, & non econuerſo. Vnde † ex hoc ipſo probatur perfectior. *c. 3. Eccl. hier. parte. 2. & 3.*

Ad tertium dicendū, quòd baptiſmus ſanguinis præeminentiam habet, non ſolum ex parte paſſionis Chriſti, ſed etiam ex parte Spiritus ſancti, vt dictum eſt.† *in cor. ar.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

Conclusio.

Baptismatum distinctio nõ est vniuoca, quia nomine nõ ratione conueniunt.

1 Essentiam baptismi, ablutionis modum & ritus, aptè consequitur baptismi distinctio, in baptismum aquæ, pœnitentiæ, & sanguinis, qui cæteris præstat: vel fluminis, flaminis, martyrij, quæ idem valent. Baptismi nomen ad pœnitentiam, & martyrium, ex imitatione sanctæ scripturæ videtur translatum. scriptum est enim de Domino Luc.12. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur? vbi Dominus suam passionẽ baptismũ appellat. vnde baptismus sanguinis, dictum est martyrium, & ab eo, quia similiter supplet vicẽ baptismi aquæ, baptismus flaminis, siue actus pœnitentiæ virtutis in adultis nondum baptizatis. Voco autem distinctionem, non diuisionem, quia est ambiguitatis quædam distinctio, non autem vniuoca & eiusdem rationis diuisio. constat enim, duobus nomen baptismi ideò conuenire, quòd vicem illius suppleãt, in gratię infusione & peccatorum remissione, etiam in his qui nondum religioni Christianæ adscripti sunt: & ita videntur in eam, credentes inserere: vt baptismus aquæ perfectè & plenè idem efficit, cùm sit illius ablutio, Chistianitatis externa professio: vt olim Iudaismi, circũcisio, quod supra explicauimus. Baptismus flaminis, vel pœnitẽtiæ dicitur in adultis tantùm ratione vtentibus, propositum nouæ vitæ, cùm vera peccatorum detestatione, quæ exordium & vim habeat ex gratia Dei præueniente & excitante: quale fuisse legimus in Cornelio ante quàm baptizaretur, Act.10. in Eunucho & Paulo. c. debitum de bapt. Trident. sess.6.c.4. Martyrium verò dicitur mortis perpesio pro Deo, ex charitate proueniens, iuxta illud Ioan.15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. hoc verò vicem baptismi supplet tam in paruulis, quàm in adultis, vt in illis satis sit ipsa mortis pro Christo perpesio, vt constat in innocentibus infantibus, quos vt martyres Ecclesia veneratur: in his prætereà sit necessaria dilectio Dei, quæ excitet ad patiẽdum pro eo, & ideò inclusam habeat peccatorum detestationem perfectam, nempe charitate consummatam & perfectam. constet igitur, pœnitentiam in adultis tantùm, martyrium in paruulis & adultis, & baptismum aquæ, in illis quidem in re, in his autem saltem in voto, quod vicem baptismi habet, suscipientes participes redẽptionis Christi efficere: & hac ratione nomen baptismi illis accommodatum est. vt baptismus aquæ ad salutem simpliciter sit necessarius, flaminis verò & sanguinis non simpliciter, sed cùm baptismi copia haberi non potest, infra q.68.art.1.& 2.

Explicatio, & probatio.

Sot.li.2. de natura & gratia c.16.

2 Ratio autẽ sacramenti baptismi, omninò illis non conuenit; quòd non sint signa diuinitus ad sanctificandũ instituta, vt planè scribit D.Tho. in responsione ad secundum, & per se manifestum est. sed sanctificandi vim habere, ex verbo Dei omninò constat. nota enim sunt illa Ezech.18. Conuertimini ad me, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. & iterum, cùm auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiã, ipse animam suam viuificabit. & ad excitandum nos ad pœnitentiæ studium, addit, omnium iniquitatũ eius non recordabor. & c.33. Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt cõuertatur impius à via sua & viuat. hęc autẽ omnia propriè ante Euangelium de pœnitentia tantùm virtute, & post Euãgelium etiam ante susceptum baptismum, intelligũtur. fuit enim pœnitentia hæc, quouis tempore necessaria ad salutem his omnibus, qui se mortali aliquo peccato inquinauissent, vt definitũ est in Conc. Tridẽt. sess.14.c.1. sed in Euangelio tunc dicitur baptismi vicem habere, cùm adultus nondum sacramento baptismi initiatus est: & ideò habere debet adiũctum votum saltem implicitum suscipiendi baptismum. vt cum aliquis ex animo detestatus peccata, & nouam vitam instituẽs, proponit saltẽ pręstare & efficere omnia, quæ ad salutem consequendam intellexerit necessaria, & ideò virtute saltem propositum habet suscipiendi baptismum. Cùm verò aliquis baptismi suscepti gratiam peccando amisit, salutarem pœnitentiam instituere non potest, sine voto suscipiendi sacramentum pœnitẽtiæ. hęc in doctrina de iustificatione vberius explicantur: nunc verò constet, baptismum flaminis siue Spiritus sancti, appellari pœnitẽtiam, acceptam ex animo ante baptismum, sed cum illius voto: & ita per eam perfectam, mundari peccatorem ab omni peccato originali & actuali,

Pœnitentia in quibus & qua ratione, dicatur baptismus flaminis, & vicẽ suppleat baptismi aquæ.

Sot.li.2. de natura & gratia c.12.

Infra q. 68. art. 1. ad 3. & art. 2.

Pœnitens adultus ante baptismũ tenetur præcepto baptismi, & nõ iudicatur pars Ecclesiæ, nisi illo suscepto.

actuali, & ea ratione baptismi vicem & effectum supplere in sanctificatione accipiẽda, non autem charactere; cùm sit hic proprius effectus baptismi sacramenti, quòd ablutione perficitur, & non alterius. Quare qui huiusmodi pœnitẽtia ante baptismum iustificatur, tenetur oblata opportunitate, baptismo tingi: tum ne violet præceptum de suscipiendo baptismo Christi. D. Aug. lib. 4. de baptismo capitibus 22. 24. & vlt. q. 84. in Leuit. q. 33. in Numer. & epist. 108. tum etiam vt externa professione Christianitatis, in Ecclesia Christianus haberi omninò possit. quamuis enim hic ante baptismũ iustificatus, Christi membrum viuum effectus coram Deo sit, & pars Ecclesiæ catholicæ Christi: tamen Christianus haberi nõ potest & censeri in Ecclesia, donec visibili sacramento Christianam religionem profiteatur: cùm Ecclesia iudicare non possit, nec omninò decernere, qui nam sint fideles, nisi visibili sacramento in Ecclesiam admittatur. sic enim supra q. 60. ostendimus, homines in vnam Ecclesiam colligari non posse, nisi signis sensibilibus conueniant, & Cornelius priùs iustificatus, ad Petrum tamen missus sit, vt baptizaretur, Act. 10.

Disputatio de efficacia baptismi flaminis.

3 An verò hæc pœnitentia, quæ baptismus flaminis dicitur, vt aufert omnem culpam originalẽ & actualem, omnem etiam pœnam auferat, ex distinctione respondẽdum est. pœnam quidem æternam omninò aufert, cùm sit factus filius Dei per adoptionem, & ideò hæres vitæ ęternæ, qui huiusmodi pœnitentia ante baptismum iustificatus est: pœnam vero omnem temporalem, plerunq; & magna ex parte auferre non solet: quia plerunq; nõ est admodum intensa hæc pœnitentia: absolutè tamen omnẽ pœnam etiam temporalem auferre potest: quia pœnitẽs ex dono Dei potest in dilectione Dei & peccatorum detestatione adeò perfici, vt omnis pœna peccatis respondens aboleatur. quare quod inquit D. Thom. infra q. 67. art. 3. ad 3. effectũ baptismi nulla alia re suppleri posse, id altero ex duobus modis intelligẽdum est. in pueris quidem & adultis ratione characteris, quẽ solus baptismus aquæ imprimere potest, infra q. 68. art. 1. ad 3. & sine charactere potest, & sæpè solet esse sanctificatio interior. præterea in pueris tantum; quia nulla alio nisi baptismo aquæ sanctificari possunt secundum legem Christi ordinariam; eod. art. 3. q. 67. & q. 88. ar. 1. & 2. & aliquãdo martyrio, vt statim explicabitur: in adultis etiam erit vera eadem sentẽtia plerunq; & magna ex parte, ad remissionem omnis pœnæ temporalis, vt explicauimus. & sic erit accipienda illa sententia eiusdem articuli tertij: [adulti non possunt aliter quàm per baptismum, plenam remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.] Semper enim sacramentum susceptum, propter vim illam operãdi sanctificationem, & remissionem peccatorum ex opere operato; si suscipientis dispositio sit accõmodata, multo magis operatur ad gratiæ incrementum, pœnæ temporalis remissionem, & donorum pleniorem infusionem, quàm votum tantùm sacramenti: etiã si vtrunq; sit cùm vera contritione & gratia coniunctũ: vt explicauimus supra q. 62. hactenus explicatum sit, qua ratione pœnitentia in adultis, vicem baptismi supplere possit, & quis sit effectus, & efficacia illius.

Efficacia martyrij in remittẽda culpa & pœna.

4 Deinceps vt intelligatur, qua ratione martyrium tam in paruulis quàm adultis, vicem baptismi aquę suppleat, de efficacia illius dicendũ est, vnde intelligetur an pręstet aliis baptismis, quos hactenus distinximus. Est igitur recepta Theologorum sententia 4. sent. d. 4. Martyrium tam in paruulis, quam adultis, remittere omnem culpam & pœnam, siue æternam, siue temporalem, etiam sine formali & expressa peccatorum detestatione. Firmamentum huius sentẽtiæ est, quòd martyrium sit actus charitatis præstantissimus: sicut scriptũ est Ioã. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. vt enim sacramenta omnia vim habent remittendi peccata, ex passione Christi: sic etiam, illud amplius hãc vim participat, quod eidẽ passioni, à qua est virtus huius remissionis, congruentius est. congruit autem baptismus aquæ cũ passione Christi secundum repręsentationem; quatenus quicunq; baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, Rom. 6. vt cõsepulti cùm illo per baptismum, in nouitatem vitæ resurgamus, quę omnia, ipsa ablutione aquę, siue immersione & emersione, baptismus repræsentat, & instrumẽtaliter efficit. martyrium autem cum passione Christi congruit operis imitatione, quatenus eximiæ dilectionis actus est: est igitur maxima vis remittendi peccatum à passione Christi in martyrium

Martyriũ perfectione operis, compensat efficaciam baptismi aquæ ex opere operato: & ideo vterque omnem culpam & pœnam remittit.

Disputat Sot. lib. 2. de nat. & grat. c. 16.

martyrium deriuata: & ideò remissionem peccatorum efficit perfectissimam, non solum secundum rationem culpę, sed etiam omnis pœnæ eternæ & temporalis. An vero alius actus charitatis preter martyrium, satis sit adulto peccatori ad iustificationẽ, sine expressa & formali pœnitentia & detestatione peccatorum, non est huius loci disputare: cùm martyrium tantùm baptismi nomen accipiat, & certè pœnitẽtia adulto peccatori est via regia ad iustificationẽ: vt cõstat ex Domini predicatione, & Apostolorum in Actis. Martyrij autem illam efficaciam, qua omnem culpam & pœnam remittit, vt baptismus aquæ, colligit D. August. lib. 13. de ciuit. c. 7. de fid. ad Petrũ c. 3. & 30. ep. 108. ex verbo Domini, qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. dixit etiam, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum, coram Patre meo, &, qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. idẽ decernitur c. Catechumenum de cõsec. d. 4. & c. cùm Marthę de celeb. miss. illis verbis, iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre: quòd iam fruatur Deo, cui remissa sit omnis culpa & pœna.

Ioan. 3.

Matth. 10.

Martyrium nõ esse propriè sacramentum.

5 Quòd verò quidam Theologi, ex hac efficiencia martyrij efficiunt, martyrium esse sacramentum, & gratiam conferre ex opere operatò, inconsideratè dictum esse videtur. Nam licet martyrium in paruulis, baptismo sit persimile, quia confert illis sine actu interno gratiam, & remittat omnẽ culpam & pœnã, & quòd in adultis vtriq; debet adiungi interior actus, quo alter saltem velit baptizari, & adscribi religioni Christianę, alter pro Christo mortem opetere: tamen ratio sacramenti baptismo sanguinis conuenire non potest, cùm non sit institutus vt signum sensibile, neq; infundat gratiã ex opere operato: sed potius operantis, vt eximius charitatis actus in adultis, & in paruulis, non aliter quã ex imitatione preclari operis, quo passus est ex nimia charitate Christus pro nobis, vt nos redimeret, & testimonium perhiberet veritati: quod perhibet etiã martyr Christo Domino. Colligamus igitur baptismum aquæ & sanguinis, in ratione efficiendi dissimiles esse, cùm ille efficiat, vt sacramentum ex opere operato, hic vel ex opere operantis vt in adultis, vel ex imitatione charitatis Christi, vt in paruulis: persimiles autem & æquales esse in remissione omnis culpę & pœnæ.

Primũ consect. Baptismus sanguinis prestat baptismo aquæ & flaminis.

6 Ex his colligitur quod inquit D. Tho. art. 12. baptismum sanguinis cęteris omnibus prestare, quę nomine baptismi conueniunt: quia passionis Christi vis excellentissimè cõmunicatur martyrio, nempè imitatione eiusdem passionis, sed baptismo aquę representatione tantùm instrumentali, pœnitentię siue baptismo flaminis, conuersione interiori, quę licet charitate perficiatur, non tamen est perfectissimus actus illius, vt Martyrium. Quamuis itaq; paria sint in remissione culpę & omnis pœnę, baptismus aquę & sanguinis; operis tamen perfectione hic prestantior est. Ille semper est ad salutem necessarius, hic non est, nisi necessarium sit pro Christo mortẽ subire: ille imprimit characterem, hic non imprimit, sed vincit adhuc charitatis perfectione.

Secundũ cõsect.

Disputatio contra hereticos asserẽtes, baptismi & pœnitentię sacramẽtum idẽ esse.

Fenard. in appendice Castrẽsis, heresi quarta de baptismo. Argumẽta hereticorum.

7 Colligitur deinde, impiam esse Caluini sententiam, baptismum aquæ cum pœnitentię sacramento confundentis, vt non duo sacramenta, sed vnũ tantùm sint, appellatione tantùm distinctum. aptissimè, inquit ille, dixeris, si baptismum vocaueris pœnitentię sacramentum. Argumẽta illius duo sunt. vnum ex sancta scriptura, alterũ ex Patribus. ex scriptura quidem, quia Euãgelista, inquit, Mar. 1. & Luc. 3. recitat Ioannem predicasse baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum: quasi baptismus Ioannis fuert pœnitentiæ sacramentum, & baptismum Ioãnis eundem omninò facit cum baptismo Christi, vt apertius cõstabit q. 69. de Patribus subiungit, [pœnitẽtię sacramentum cum baptismo eundem esse, peruulgatum & certissimum axioma fuisse in veteri Ecclesia. Nam in libello de fide ad Petrum, qui Augustino inscribitur, sacramentum fidei & pœnitentiæ baptismus dicitur.]

Refutatio ex sancta scriptura.

8 Sed huius erroris refutatio in promptu est, ex verbo Dei expresso, ex totius Ecclesiæ catholicæ cõsensione in Patribus & conciliis. Primum quidem constat ex Ioan. 3. & 4. Apostolos Christi baptismo multos initiasse, antequam Christus claues regni cælorum, quibus pœnitentiæ sacramentum nititur, eisdem vel promisisset, vel contulisset. promisit enim Matt. 16. & 18. contulit post resurrectionem, Ioan. 20. Secundò, Petrus Act. 2. & 3. Iudęis nõdum

renatis

renatis in Christo pœnitentię virtutem indixit, vt præparationem adultis necessariã, ad suscipiendum baptismum, dicens: pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisq; vestrum. Sed Simonem Magũ iam antea per Philippum baptizatum & peccantem, ad pœnitentię sacramẽtum excitat his verbis, Act. 8. pœnitentiã age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Similiter Paulus Ro. 2. Scribit eos iam renatos, bonitate & longanimitate Dei, ad pœnitentiam adduci. Corinthios itidẽ 2. Cor. 7. iam baptizatos gaudet se contristasse ad pœnitentiam. Similitudo huius distinctionis sacramenti pœnitentię & baptismi, in veteri lege præcessit. Circuncisio enim, quę vmbra fuit & typus baptismi, distincta omninò fuit à plerisq; sacrificiis, quę pro peccato offerebantur, & ideò vmbra quædam & typi fuerunt sacramenti pœnitentiæ. sic precursor Domini Ioannes, circuncisos Iudęos ad pœnitentiã excitabat, Dominus & Apostoli: sed ille ad pœnitentiam, quæ baptismi Christi preparatio est, Trident. sess. 6. c. 6. hi autem non solùm ad eandem, sed etiam ad sacramentum pœnitetiæ, quod his necessarium esse docebãt, qui à gratia baptismi excidissent, Trident. sess. 14. c. 1.

Ex patribus.

9 Patrum omniũ testimonia obuia sunt, & per omnia eorum opera dispersa: & distinctis doctrinis de baptismo & pœnitentiæ sacramento cõprehensa. Basilius hom. de pœnitentia, Nissenus libro extremo de vita Moysis, Nazianz. oratione in sancta lumina, & in sanctum baptisma. Cyprianus in epist. ad clerum de pręsbyteris, qui temere pacem lapsis dederant, & libro ad Nouatianum, quòd lapsis spes veniæ non est neganda, contra quẽ etiam extat liber Ambrosij de pœnitentia, & idem Ambros. ad virginem lapsam cap. 8. & 10. August. lib. de vera & falsa pœnitent. baptismum nulla vnquam ratione repeti debere scribit, vt explicauimus art. 9. huius q. & subiungit, per fructus itaq; pœnitẽtiæ baptizatis spes veniæ adhibetur; quæ apertè baptismum à pœnitentia distingunt. & lib. 50. homiliarum, vltima homilia, formas & gradus pœnitentiæ sic distinguit: vt prima sit, quæ in adultis Catechumenis baptismum præcedere debet, quos nisi pœniteat vitæ veteris, nouam non possunt inchoare, vt inquit Trident. Sess. 6. c. 6. de hac Christus & præcursor. Matth. 3. & 4. pœnitentiam agite, facite fructus dignos pœnitentię. Secunda, ait August. pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam perpetua supplicationis humilitate subeunda est: quia vitã ęternam, incorruptibilem, immortalemq; nullus desiderat, nisi eum vitę huius temporalis, corruptibilis, mortalisq; pœniteat. Tertia actio pœnitentiæ, ait idem Pater, est ea quæ pro illis peccatis subeunda est, quę legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, quoniam qui talia agũt, regnum Dei non possidebunt. eandem distinctionem proponit epist. 108. ad Seleucianum, & testimoniis scripturæ confirmat. & lib. 1. de symb. c. 6. tribus modis inquit, dimitti peccata, baptismate, oratione, & humilitate maioris pœnitentiæ. D. Hieron. Epistolis ad Pammach. & Demetr. pœnitentiam inquit esse secundam tabulam post naufragium, scilicet gratiæ in baptismo acceptæ, vt explicat contra hæreticos & defendit Concil. Trident. Sess. 6. cap. 14. de eadem pœnitentiæ & baptismi distinctione, plura sunt eiusdem Patris testimonia, Dialogo 1. 2. & 3. contra Pelagian. & alibi. Tertulianus denique in lib. de Pœnit. cap. 6. baptismo pœnitentiæ actionem vt præparationem sic coniungit, [lauacrum obsignatio est fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur. Aquam adituri sub antistitis manu cõtestamur nos renuntiare diabolo & pompæ, & angelis eius.] Sed de pœnitẽtię sacramento, vocãs eam secundam Christianorum spem, vt D. Hieron. secundam tabulam, & post instructionem vel baptismum, aduersus gehennam secunda subsidia, sic partite & distinctè scribit, vt in eius sententia, partium huius sacramenti, & administrationis ritus descriptio expressa proponatur, à baptismo & eius sacramento omninò distincta. Sic enim scribit eod. lib. de pœnitent. c. 9. tantùm releuat confessio delictorum, quãtum dissimulatio exaggerat, cõfessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio cõtumaciæ, & quæ sequuntur. ex quibus fere ad verbũ multa Cypr. ad finem libri de lapsis, & Pacianus Parenęsi ad pœnit. quamuis enim hæc de publica & solemni pœnitentia scripta sint, conueniunt tamen & priuatæ; quòd vtriusq; communis esset secreta delictorum confessio, vt ad eundem librum Tertulliani eruditissimus Pamelius obseruauit

Pœnitentiæ gradus & species diuersæ.

Ex imitatione Tertul. lib. de pœnitentia, vbi amissionem gratiæ vocat naufragiũ, & pœnitentiam subsidia secunda.

obseruauit num. 1. vbi etiam plurima veterum Patrum testimonia de pœnitentia, vt à baptismo distincta recenset; quibus adiũge Iustini q. 97. ad orthodoxos, Clementem Alexand. lib. 1. pedagogi c. 9. & lib. 2. stromat. Theophilum Antiochenũ lib. 2. & 3. ad autolycum, Irenæum lib. 3. c. 37. Clementem lib. 2. constitut. Apost. c. 7. & multis aliis sequentibus.

Ex conciliis.

10 Ex conciliis vniuersalibus apertissima etiam sunt testimonia. Florent. sess. vltima. baptismum à pœnitentiæ sacramento, ex materia, forma & ministris apertissimè distinguit: & omnia concilia hac ratione septem distingunt sacramenta, quòd baptismum à pœnitentia distinctum connumerent: vt ostendimus supra differentes de numero sacramentorum q. 61. num. 9. sed expressius contra recentes hæreticos distinguit baptismum à pœnitentia Concil. Trident. sess. 14. c. 2. primò quidẽ, quia materia, forma & ministri omninò dissident, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus 1. Corinth. 5. de his qui foris sunt iudicare. iudex autem est minister pœnitentiæ, vt constat. Secundò, quia baptismus iterari non potest vt art. 9. huius q ostensum est: sacramentum verò pœnitentiæ toties iteratur, quoties ad ministrum illius pœnitentes confugerint. Tertiò, ex effectis; baptismo enim efficitur homo per regenerationem noua creatura, plenè & perfectè remissis omnibus culpis & pœnis: pœnitẽtia non regenerat, sed reconciliat nos Deo, magnis nostris laboribus & fletibus, vnde vocatur baptismus à sanctis Patribus laboriosus, non autem simpliciter & propriè baptismus. Quare eadẽ sess. 14. can. 2. sic decretũ est: si quis sacramenta confundens ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo sacramẽta distincta non sint: atq; ideò pœnitentiam non rectè secundã post naufragium tabulã appellari, anathema sit.

Argumẽta hæreticorum refelluntur.

11 Quæ verò ab eisdem protestantibus argumenta, pro sua sententia concluduntur, planè nullam vim habent. constat enim baptismum Ioannis, à baptismo Christi longe differre, vt constabit exactius infra q. 69. ille excitabat ad pœnitentiam tantùm, interius non regenerãs, hic autem requirit quidem in adultis actum pœnitentiæ virtutis, sed suscipientem sic legitimè preparatũ, vel puerum sine vlla præparatione, regenerat. quòd autem baptismus aliquando dicatur pœnitentię sacramentum, vt de fide ad Petrum c. 30. eadem ratione constat: nempè quòd adultis, precedẽte actu virtutis pœnitentiæ, conferatur: sicut dicitur sacramentum fidei, quòd sit publica fidei professio in baptismi susceptione, vt supra ostẽsum est. non tamen inde efficitur, baptismi sacramentum, esse pœnitentiam, vel esse ipsam fidem: vt impiè & imperitè Caluinus & reliqui Protestantes colligunt. quòd verò Caluinus remissionem peccatorum, recordationi baptismi suscepti tribuit, quasi baptismus, vt pœnitẽtia sola recordatione, illa peccata remittat, ead. q. 69. plenè refutabitur.

QVÆSTIO LXVII.

De ministris, per quos traditur baptismi sacramentum, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ministris, per quos traditur sacramentum baptismi.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

Primò, vtrum ad diaconum pertineat baptizare.

Secundò, vtrum pertineat ad præsbyterũ, vel solum Episcopum.

Tertiò, vtrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.

Quartò, vtrum hoc possit facere mulier.

Quintò, vtrum non baptizatus non possit baptizare.

Sextò, vtrum plures possint simul baptizare vnum & eundem.

Septimò, vtrum necesse sit aliquem esse qui baptizatum de sacro fonte recipiat.

Octauò, vtrum suscipiens aliquem de sacro fonte, obligetur ad eius instructionem.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm ad officium diaconi pertineat baptizare.

4.d.5.q.2.ar. 1.q.2.& d.7. q.3.art.1.q.1. cor.& d.13.q. 2.artic.5.q.1. cor.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod ad officiũ diaconi pertineat baptizare. Simul enim iniungitur à Domino officiũ prædicandi Euangelium,& baptizandi ſecundum illud Mat. vltimo. Euntes docete omnes gentes, batizantes eos,&c. Sed ad officiũ diaconi pertinet euangelizare. Ergo videtur, quòd etiam ad officiũ diaconi pertineat baptizare.

ca.5.in par. 1. à med. vſque ad finem. illius partis.

¶ 2.Preterea,Secundum Dion. * 5.c.Eccle.hier. purgare pertinet ad officium diaconi. Sed purgatio à peccatis maximè fit per baptiſmum,ſecundum illud Ephe.5. Mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat ad diaconum.

¶ 3.Preterea,De beato Laurentio legitur, quòd cùm ipſe eſſet diaconus,plurimos baptizabat. Ergo videtur, quod ad diaconos pertineat baptizare.

Gelaſ.1.in ep. ad Epiſ per Lucaniam,c.9. diſt. 93.c.13. Diaconos.

SED CONTRA eſt,quod Gelaſ. * Papa dicit,& habetur in Decret. 93.diſt.† Diaconos propriam conſtituimus obſeruare menſuram, & infra,Abſque Epiſcopo,vel presbytero baptizare nõ audeãt,niſi prędictis ordinibus fortaſſe lõgius cõſtitutis,neceſſitas extrema cõpellat.

RESPONDEO dicendum,quod ſicut cæleſtium ordinum proprietates & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur (vt Dionyſ. *dicit.7.c.cęleſt.hier.)ita etiam ex nominibus eccleſiaſticorum ordinum accipi poteſt quid ad vnunquẽque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi,quaſi miniſtri,†quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod ſacramentũ principaliter, & quaſi ex proprio officio prębere: ſed adhibere miniſterium aliis maioribus in ſacramentorum exhibitione.Et ſic ad diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere ſacramentũ baptiſmi,ſed in collatione huius ſacramenti &aliorũ, aſſiſtere & miniſtrare maioribus. Vnde Iſidor.† dicit, ad diaconũ pertinet aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in ſacramẽtis Chriſti in baptiſmo, ſiue in chriſmate,in patena & calice.

ca.7.cæle.hier. in prin.& c.8. circa prin.

Decr.d 93.ca. 17.habetur in decr.d. 25.ca. Perlectis. Et dicitur eſſe in ep. ad Ludifredũ.

c.5.in ti.de ſacerdotum perfectionibus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ad diaconum pertinet recitare Euangelium in Eccleſia, & prædicare ipſum per modum catechizantis. Vnde & Dion.* dicit,quod diaconi habent officium ſuper immundos, inter quos ponit catechumenos.Sed docere,id eſt,exponere Euangelium, pertinet propriè ad Epiſcopum,cuius actus eſt perficere,ſecundũ Dion.† 5.ca.Eccl.hier. Perficere autem idẽ eſt quod docere.Vnde nõ ſequitur,quòd ad diaconos pertineat officium baptizandi.

c.5.eccleſ. hier. par.2.& 3.

AD SECVNDVM dicendum, quod ſicut Dion.*dicit in 2.c.eccl. hier.baptiſmus non ſolũ habet purgatiuam, ſed etiã illuminatiuã virtutem.Et ideo excedit officiũ diaconi,ad quem pertinet ſolùm purgare,ſcilicet,vel repellendo immũdos, vel diſpodendo eos ad ſacracramenti ſuſceptionem.

c.2.part.1. & 2.

AD TERTIVM dicendũ, quòd quia baptiſmus eſt ſacramentũ neceſſitatis, permittitur diaconibus neceſſitate vrgente, in abſentia maiorũ baptizare,ſicut patet ex autoritate Gelaſij † ſupra inducta. Et hoc modo beatus Laurentius diaconus exiſtens baptizauit.

In arg.Sed cõt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm baptizare pertineat ad officium præsbyterorum.

4.d.5.2.2.ar. 1.q.2.Et d.7. q.3.ar.1.q.3. cor.Et d.17.q. 3.ar.3.q.ar.3. q.2.cor. Et di. 24 q.2.art.2. ad 1. q.prec.artic.5. arg.2.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod baptizare nõ pertineat ad officiũ presbyterorũ, sed solũ Episcoporũ. Quia (sicut dictũ est*) sub eodẽ precepto iniungitur Mat. vl. officiũ docẽdi & baptizandi. Sed docere, quod est perficere, pertinet ad officiũ Episcopi, vt patet per Dion.† 5. & 6. c. Eccles. hier. Ergo & baptizare pertinet tantũ ad officium Episcopi.

c.5.in par.1. à me.

¶ 2. Præterea, Per baptismum annumeratur aliquis populo Christiano, quod quidem videtur ad officiũ solius principis pertinere. Sed principatũ in Ecclesia tenent Episcopi, qui, vt dicitur in* glos. Luc. 10 tenent locũ Apostolorũ, de quibus dicitur in Psal. 44. Constitues eos principes super omnẽ terram. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat solum ad officium Episcopi.

est gl. ord. ibid. ex Beda Luc. 10. super illud. Designauit Iesus 72. discip. to.2.

¶ 3. Pręterea, Isido.† dicit, quod ad Episcopũ pertinet basilicarum cõsecratio, vnctio altaris & confectio chrismatis, ipse ordines ecclesiasticos distribuit, & sacras virgines benedicit. Sed his omnibus maius est sacramentũ baptismi. Ergo videtur, quòd multò magis ad officiũ solius Epi pertineat baptizare.

habetur in decre di. 25. cap. Perlectis & dicitur esse in ep. ad Ludifredũ.

SED CONTRA est, quod Isidor. *dicit in li. de officiis. Cõstat baptisma solis sacerdotibus esse traditũ.

Li. 2. c. 24. nõ multum remotè ante finem, & habetur de cõs. d.4.c.18.

RESPONDEO dicendũ, quod sacerdotes ad hoc consecrantur, vt sacramentũ corporis Christi conficiant, sicut supra dictum est.* Illud autẽ est sacramentum ecclesiasticę vnitatis, secundũ illud Apost. 1. Corin. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Per baptismum autẽ aliquis fit particeps ecclesiasticę vnitatis. Vnde & accipit ius ad mensam Dñi accedẽdi. Et ideo sicut ad sacerdotẽ pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotiũ ordinatur) ita ad propriũ officium sacerdotis pertinet baptizare. Eiusdem enim videtur esse operari totum, & partem in toto disponere.

q.63. art.1. 2. & 6.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod vtrunq; officium, scilicet docẽdi & baptizandi, Dñs Apostolis iniunxit, quorũ vicem gerunt Episcopi, aliter tamẽ & aliter. Nã officiũ docendi cõmisit eis Christus, vt ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimũ. vnde & ipsi Apostoli dixerunt Act. 6. Non est æquũ nos relinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Officiũ autẽ baptizandi cõmisit Apostolis, vt per alios exercendũ. Vnde & Apost. dicit 1. Cor. 1. Nõ misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Et hoc ideo,* quia in baptizãdo nihil operatur meritũ & sapiẽtia ministri, sicut in docendo, vt patet ex supradictis.† In cuius etiã signum nec ipse Dñs baptizauit, sed discipuli eius, vt dicitur Ioã. 4. Nec tamẽ per hoc excluditur, quin Episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior, potest & superior. Vnde & Apostolus ibidẽ dicit, se quosdam baptizasse.

Id habet glos. Lyrani, super eũ locũ Apost.

q.64. art. 5. 6. & 9.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd in qualibet republica, ea, quæ sunt minora, pertinẽt ad minora officia, maiora verò maioribus reseruãtur, secundum illud Exod. 18. Quicquid maius fuerit, referãt ad te, & ipsi tãtummodo minora iudicẽt. Et ideo ad minores ciuitatis principes pertinet

tinet disponere de infimo populo, ad summos autẽ principes pertinet disponere ea, quę pertinẽt ad maiores ciuitatis. Per baptismũ autem nõ adipiscitur aliquis, nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes Ecclesię, idest, ad presbyteros, qui tenẽt locum septuaginta duorum discipulorum Christi, vt dicit glos.* Lucæ 10.

Est gl. or. ibid. ex Bed. loco citato in arg.

Ad tertium dicendũ, quòd (sicut supra dictũ est†) sacramentũ baptismi est potissimũ necessitate. Sed quantum ad perfectionẽ, sunt quædam alia potiora, quæ Episcopis reseruantur.

†q. 65. artic. 3. ad 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm laicus possit baptizare.

2. 2. q. 100. ar 2. ad 1. Et 4. d. 5. q. 2. ar. 1. q. 1. & 3. & d. 6. q. 2. ar. 3. q. 2. & 3. ar. praec. in locis citatis artic. pra, in vtroque argu. Sed cont.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod laicus baptizare nõ possit. Baptizare enim (sicut dictũ est*) propriè pertinet ad ordinẽ sacerdotalẽ. Sed ea quæ sunt ordinis, non possunt committi nõ habẽti ordinem. Ergo videtur, quòd laicus, qui non habet ordinẽ, baptizare non possit.

¶ 2. Pręterea, Maius est baptizare, quã alia sacramentalia baptismi perficere, sicut catechizare, & exorcizare, & aquã baptismalẽ benedicere. Sed hæc nõ possunt fieri à laicis, sed solũ à sacerdotibus. Ergo videtur quòd multo minus laici possint baptizare.

¶ 3. Pręterea, Sicut baptismus est sacramẽtum necessitatis, ita & pœnitẽtia. Sed laicus nõ potest absoluere in foro pœnitentiali. Ergo neq; potest baptizare.

Sed contra est, quod Gelas. Papa & Isid.* dicũt, quòd baptizare necessitate imminente, laicis Christianis plerunq; conceditur.

Ptho decr. ibidẽ citat. & d. 93. ca. 13.

Respondeo dicendum, quod ad misericordiã eius, qui vult oẽs homines saluos fieri, pertinet, vt in his, quę sunt de necessitate salutis, homo đ facili remediũ inueniat. Inter omnia autẽ sacramẽta, maximę necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitã spiritualẽ, quia pueris aliter omnino subueniri nõ potest, & adulti non possunt aliter, quã per baptismum plenã remissionẽ consequi, & quantũ ad culpam & quantũ ad pœnam. Et ideo vt homo circa remediũ tam necessarium defectũ pati nõ possit, institutũ est, vt & materia baptismi sit cõmunis, scilicet aqua, quę à quolibet de facili haberi potest, & minister baptismi etiã sit quicunq; non ordinatus: ne propter defectum baptismi, homo salutis suę dispendiũ patiatur.

Ad primum ergo dicendum, quod baptizare pertinet ad ordinẽ sacerdotalẽ, secundum quandã conueniẽtiam & solennitatẽ, non autẽ hoc est de necessitate sacramenti. Vnde etiamsi extra necessitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen sacramẽtum baptismi confert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus.

Ad secundum dicendum, quod illa sacramentalia baptismi pertinẽt ad solennitatẽ, non autem ad necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debẽt, nec possunt à laico, sed solum à sacerdote, cuius est solenniter baptizare.

Ad tertium dicendũ, quòd (sicut supra dictũ est*) pœnitentia nõ est tãtę necessitatis sicut baptismus. Potest enim per contritionẽ suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quę nõ liberat à tota pœ-

q. 65. arti. 3. & 4.

 na,

na, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cuius effectus per nihil aliud suppleri potest.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm mulier posit baptizare.

Sup. arti. 3. & locis ibidem inductis.

In Conc. 4. Cartha. c. 99. & 100. & refertur de cõs. d. 4. c. 19. Mulier.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod mulier nõ possit baptizare. Legitur enim in Carthaginẽsi cõcilio, quòd mulier, quãuis docta & sancta, viros in conuẽtu docere, vel aliquos baptizare non prȩsumat. Sed nullo modo licet mulieri docere in conuẽtu, secundum illud 1. ad Cor. 14. Turpe est mulieri, in Ecclesia loqui. ergo videtur, quòd nec etiam aliquo modo mulieri liceat baptizare.

¶ 2. Prȩterea, Baptizare pertinet ad officiũ prȩlationis. vnde à sacerdotibus habẽtibus curã animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non potest cõpetere mulieri, secundũ illud 1. Tim. 2. Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio. Ergo mulier baptizare non potest.

Tract. 11. paulò ante mediũ, to. 9.

¶ 3. Prȩterea, In spirituali regeneratione videtur aqua habere locũ materni vteri (vt Aug.* dicit super illud Io. 3. Nũquid homo potest in ventrẽ matris suæ iterato introire, & renasci?) ille autẽ qui baptizat, videtur magis habere patris officiũ. Sed hoc non cõpetit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

Vrba. Vitali præsbytero Brixiensi scribens. 30. q. 3. c. Super quibus.

SED CONTRA est, quod Vrba. Papa dicit *, & habetur in Decret. 30. q. 3. Super quibus cõsuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac sentẽtia respondendum, vt baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine sanctȩ Trinitatis baptizauerit.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus est, qui principaliter baptizat, secundum illud Ioan. 1. Super quẽ videris Spiritũ descendentẽ & manentẽ, hic est qui baptizat. Dicitur autẽ Colos. 3. Quod in Christo nõ est masculus & fœmina. Et ideo sicut masculus laicus potest baptizare quasi minister Christi, ita etiã & fœmina. Quia tamẽ caput mulieris est vir, & caput viri est Christus (vt dicitur 1. Cor. 11.) nõ debet mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec laicus prȩsente clerico, nec clericus prȩsente sacerdote: qui tamẽ potest baptizare prȩsente Episcopo, eo quòd hoc pertinet ad officium sacerdotis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut mulieri non permittitur publicè docere, põt tamen priuata doctrina, vel monitione, aliquẽ instruere, ita nõ permittitur ei publicè & solenniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

AD SECVNDVM dicendũ, quod quãdo baptismus solenniter & ordinariè celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere à prȩsbytero curam animarum habẽte, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamẽ nõ requiritur in articulo necessitatis, in quo põt mulier baptizare.

AD TERTIVM dicendum, quod in generatione carnali masculus & fœmina operantur secundũ virtutẽ propriȩ naturæ, & ideo fœmina nõ potest esse principiũ generationis actiuũ, sed passiuum tantùm. Sed in generatione spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumẽtaliter tantũ per virtutem Christi, & ideo eodẽ modo potest vir & mulier in casu necessitatis baptizare.

re. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, nō esset rebaptizandus, sicut & de laico dictum est.* Peccaret tamē ipsa baptizans, & alij qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquē offerendo.

art. præc.

ARTICVLVS V.

Vtrùm non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre.

Sup. a ar. 3. & loc. 8 ibid. notatis.

AD QVINTVM sic procedit. Videtur, quod ille qui nō est baptizatus, nō possit sacramentū baptismi conferre. Nullus enim dat quod non habet, sed non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

¶ 2. Preterea, Sacramentū baptismi cōfert aliquis, inquātum est minister Ecclesię. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re, nec sacramento. Ergo nō potest sacramentum baptismi conferre.

¶ 3. Præterea, Maius est sacramentū conferre, quā suscipere. Sed non baptizatus nō potest alia sacramēta suscipere. Ergo multo minus pōt aliquod sacramentum cōferre.

SED CONTRA est, quod Isidor.* dicit, Rom. Pōtifex nō hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat. Sed ille qui est baptizatus, nō dicit Paganus. Ergo etiā non baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

refertur 1. q. 1. ca. 60. Si quis per ignorātiā. Et de cōs d. 4. c. 2. Romanus.

RESPONDEO dicēdum, quod hanc quęstionē Aug.* indeterminatā reliquit. Dicit enim in 2. contra Epist. Parmen. Hęc quidē alia quæstio est, vtrū & ab his, qui nunquam fuerūt Christiani, possit baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandū est, sine autoritate tanti concilij, quantū tantę rei sufficit. Postmodum verò per Ecclesiā determinatū est, quòd nō baptizati, siue sint Iudęi, siue Pagani, possunt sacramētum baptismi conferre, dūmodo in forma Ecclesię baptizēt. Vnde Nicolaus Papa respōdet, de cōse. d. 4. ad cōsulta Bulgar. c. 3. A quodā Iudęo, nescitis vtrū Christiano an Pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos, & quid inde sit agendū, cōsulitis. Hi profectò si in nomine sanctę Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari nō debēt, si autē forma Ecclesię nō fuerit obseruata, sacramentū baptismi nō cōfertur. Et sic intelligendū est, quod Greg.* secūdus scribit Bonifacio Epo: Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti (scilicet Ecclesiæ forma nō seruata) vt de nouo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus. Et huius ratio est, quia sicut ex parte materiæ, quantū ad necessitatē sacramenti, sufficit quęcunq; aqua, ita etiā sufficit ex parte ministri quicunque homo. Et ideo etiā non baptizatus, in articulo necessitatis baptizare potest, vt si duo nō baptizati se inuicē baptizēt, dū prius vnus baptizaret aliū, & postea baptizaretur ab eodē, & consequeretur vterq; non solū sacramentū, sed etiam rē sacramēti. Si verò extra articulū necessitatis hoc fieret, vterq; grauiter peccaret, scilicet baptizās baptizatus; & per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

Li. 2. c. 13. post medium, to. 7. refertur 1. q. 1. c. 98 Itē Aug. de vnico bapt. cōt. Petil. ca. 7. to. 7.

De cons. d. 4. c. 23. A quodam Iudæo.

habetur de cōse d. 4. Quos a paganis. c. 51. De nouo.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod homo baptizans adhibet tantummodo ministeriū exterius, sed

Christus est qui interius baptizat, qui potest vti omnibus hominibus ad quodcunq; voluerit. Et ideo non baptizati possunt baptizare, quia, vt Nicolaus Papa dicit, baptismus nō est illorum, scilicet baptizantium, sed eius, scilicet Christi.

De consf. d. 4. c. 23. A quodā Iudeo, in fi.

AD SECVNDVM dicendum, quod ille qui nō est baptizatus, quā uis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eā pertinere intētione & similitudinē actus, inquantū scilicet intēdit facere quod facit Ecclesia, & formā Ecclesiæ seruat in baptizando. Et sic operatur vt minister Christi, qui virtutem suam non alligauit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

AD TERTIVM dicendū, quòd alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. Et ideo magis conceditur, quòd non baptizatus possit baptizare, quàm quòd possit alia sacramenta suscipere.

COMMENTARIVS.

1 AD baptismi administrationem, cuius essentiam hactenus explicauimus, ministri consideratio necessaria est: cùm ipsius recta intentio, essentiam illam perficiat & absoluat. Minister autem, aut est ipsius baptismi, aut baptizati. deinde baptismi minister, vnus aut plures: vnus autem, vel ordinarius & ex officio, vel extraordinarius ex commissione, & in articulo tantùm necessitatis: plures vero ministri, vel totales & integri, vel partiales & non per se, sed potius coniuncti, ad eandem administrationem sacramenti perficiendam. De vno ministro, est hæc sententia recepta ab omnibus Theologis. 4. sentent. dist. 5. praxi & vsu Ecclesiæ catholicæ probata. [1] Minister ordinarius baptismi tam in solēni & publica administratione, quàm in priuata, est Episcopus, vel sacerdos iure suo etiam præsente Episcopo; ex commissione autem & concessu Episcopi, aut sacerdotis, diaconus: cogente verò [2] necessitate & sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt omnes de populo, mares & fœminæ, non solùm fideles, sed etiam infideles, Iudæi & hæretici; & verum [3] sacramētum conferunt, si iuxta Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, necessaria adhibeant ad sacramenti confectionem.

De ministro ordinario, & extraordinario baptismi.

2 Ratio primi ex verbo Domini colligitur. Episcopis enim in Apostolis, quibus successerunt, præcepit Dominus Matth. & Mar. vlt. euntes baptizate, & docete. Sed Apostolorum vsus & praxis docuit, præcipuum munus Episcopi esse docendi cōmissam sibi plebem fidem & Christianos mores, quod proinde per seipsum præstare teneretur; & presbyteris sacramenti baptismi & pœnitentiæ atque sacræ communionis, administrationem committendam esse. sic enim scriptum est Act. 6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: & verbo Dei consentienter concilia decreuerunt, præcipuum munus Episcopi esse prædicationem. quod in Ecclesia sua ipse per se, nisi legitime impeditus fuerit præstare teneatur, & eo impedito per eos, quos ad id munus assumet; in aliis autem Ecclesiis per parochos, siue iis impeditis, per alios ab Episcopo ad idē munus eligendos. sic enim D. Paulus de Episcopo, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: hoc est diuinum præceptum, vt Episcopi tanta sit cognitio doctrinæ & religionis Christianæ, vt possit populum instruere, & verbo Dei repugnantes, falsitatis conuincere. itaq; licet à munere docēdi legitime impeditus abstineat: necesse tamen est illum ea pollere facultate doctrinæ, vt possit & populum docere, & corruptores verbi Dei refellere, vt sanam & sinceram doctrinam populus retinere possit, & à falsis doctoribus minime decipi. sic de munere præcipuo Episcopi definitum est in Concilio Trident. sess. 5. c. 2. decreti de reformat, & sess. 24. c. 4. decreti secundi de reformat. & iam olim Carthagin. 4. c. 20. Toletan. II. c. 2. Rhemen. c. 14. præcipiūt Episcopo, quod Apostolus antè præceperat, attendere orationi, lectioni sanctæ scripturæ & patrum, atque prædicationi: cætera omnia ministris committere, Lateranen. sub Innocent. III. c. 10. Denique omnia Episcopi munera collegit breuiter idem Concil. Trident. sess. 23. c. 1. decreti de reformat.

Episcopi præcipuum munus.

format. his verbis, [cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; diuini prædicatione, sacramẽtorum administratione, ac bonorum omnium operũ exemplo pascere, pauperum aliarumq; miserabiliũ personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere.] constet igitur Episcopum per se ipsum teneri ad populum docendum, & quędam sacramẽta administrandum, vt confirmationem, ordinem, aliorum verò administrationem, presbyteris committendam esse, præsertim parochis, & aliis deinde quos in Domino ad id munus idoneos iudicauerit. itaq; ex iure diuino deriuatur, vt si Episcopus ex legitimo impedimento prędicare non possit, aut non in omnibus populis suæ curæ commissis, eligat tamẽ viros potentes opere & sermone, vt loquitur Lateran. Concil. pauló antè citatum, qui idem munus præstare possint.

Diaconus, qua ratione dicatur prædicare & baptizare.

3 Quòd autem diaconis in sua ordinatione dicitur ab Episcopo, diaconum oportet baptizare & prædicare, id sane ministerialiter est intelligendũ, idest, vt iuxta nomen suum, prædicanti, aut baptizanti Episcopo, aut sacerdoti ministrum se exhibeat. est enim diaconus idẽ quod minister, & ideò congruenter nomini suo dicitur, vt baptizet & prædicet, nempè ministrãdo iis, quibus vtrunq; munus ex officio competit. sic diaconus dicitur prædicare cum populo legit, aut recitat Euangelium, materiam prędicationis Episcopo, vel sacerdoti ministrans. sic colliges ex c. constat de consecr. d. 4 illud etiam certũ est posse diaconũ ex impositione, aut cõmisione Episcopi prędicare & populũ docere, vt inquit Pelagius d. 93. c. diacones. Rectè igitur D. Thom. art. 1. ad primùm, ad diaconum, inquit, pertinet recitare Euangelium, & prædicare ipsum per modum catechizantis. Sed docere, idest exponere Euangeliũ, pertinet propriè ad Episcopum, cuius actus est perficere, quòd idem est atq; docere.

D. Tho art. 2. ad 1.

Episcopus ministerium baptizãdi committet aliis, sed prædicandi per seipsum exerceat.

4 Eadem omnia apertè in seipso Apostolus docuit 1. Cor. 1. & in seipso omnes Episcopos, qui successores sunt Apostolorũ, vt sacerdotes discipulorum septuaginta, Anaclet. epist. 2. August. ad illud Psalm. 44. pro patribus nati sunt tibi filij. 68. d. c. quorum, Clement. I. de pœnis, Vvaldens. de sacramental. p. 7. lib. 3. c. 29. inquit ergo Apostolus de se, & omnibus Episcopis: non misit me Christus baptizare, sed euãgelizare. ipse etiam Dominus, qui per seipsum euangelizauit, tamẽ nõ baptizauit per seipsum, sed per discipulos Ioan. 4. baptizauit tamẽ aliquando Apostolus, quia quod potest inferior minister, potest etiam superior. sed quia omnia idẽ Episcopus prestare non potest, vsurpat ipse quod precipuũ & sibi proprium est, cætera committit aliis, sed inuigilans & incumbens muneribus eorum. sic enim subiungit eod. c. 1. gratias ago Deo quòd neminem vestrũ baptizaui nisi Crispũ & Caium, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. baptizaui autem & Stephanæ domum: ceterum nescio si quẽ alium baptizauerim. de inuigilando autem in omnibus, est illud de instructione Timothei Episcopi 2. Timot. 4. tu verò vigila in omnibus, labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. est enim illud expendendum, [vigila in omnibus & labora] quasi in committendis muneribus, & eorum executione, inuigilandum sit semper Episcopo: ipsius tamen propriam, quã proinde per se ipsum præstare teneatur, esse Euangelij prædicationem. id enim exprimunt illa verba [fac opus Euangelistę.] ad Titum 2 Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinã. vt enim non potest Episcopus per alium potens esse exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere, cùm hæc potentia sit Episcopi propria facultas: sic neq; loqui sanam doctrinã & facere opus Euangelistæ: & ipsa excusatio per legitima impedimenta à munere per se ipsum docendi, accusatio est cessante legitimo impedimento. impotentia verò, non est propriè & uere legitimum impedimentum, sed potius defectus, & priuatio illius potentiæ & facultatis ad docendam fidem, & mores Christianos, & redarguendum repugnantes: cùm impedimentum sit non facultatis, quàm inesse oportet ex diuino præcepto Episcopis, sed muneris quòd ab ea facultate deriuatur, & eam præexistentem omninò exigit & requirit, quatenus facultates ad munera destinantur. Sic autẽ sacerdos in sua ordinatione, baptizandi potestatẽ accepit: vt tamẽ sine Episcopi, aut parochi cõmisione, eam exercere nõ possit, & idoneus iudicatus sit prius ab Episcopo ad solẽnem baptismũ & extra articulum

Episcopus inuigilet & laboret in omnibus et ã quæ aliis committit.

Facultas & potentia ad prædicandum præcepto diuino Episcopo imposita, & quod est illius legitimum impedimentũ.

ticulum necessitatis. quare si aliter administret hoc sacramentũ, grauiter peccat. An vero diacono possit cõmitti baptismi administratio: respondeo non posse, nisi vbi pluribus necessariò baptizãdis sacerdos nõ sufficeret, & eo pręcipiente, vt de Eucharistiæ administratione definitur in Cõc. Niceno cap. 14. & Arelatẽ. c. 15. & suspensione notatur à Niceno, Diaconus etiã aliter baptizãs irregularitate. c. 1. de cler. non ordin. min. ita fit vt nisi cogẽte necessitate, diaconus baptizare nõ possit absente præsbytero, vel eo pręsente & præcipiente: quòd obseruauit glo. verbo necessitas c. diaconos. 93. d. vt legimus de Philippo baptizante eunuchum Act. 9. cùm tantùm esset diaconus.

6 De prima p. sentẽtię propositę dictum est. Alterius verò p. de baptismi ministris in articulo necessitatis, vbi locus non est solẽnibus ceremoniis, cõfirmatio est manifesta. cũ enim hoc sacramentum sit omnibus ad salutem maximè necessariũ, infra q. 68. art. 1. & 2. & ideò materia illius communis aqua naturalis: sic etiam nemině ab eius administratione excludi voluit Ecclesia, vt omniũ saluti cõsuleret. Tert. de bap. Hieron. cõtra Lucif. plurima patrũ decreta de cons. d. 4. quare Caluiniani impiè cẽsent, baptismum à laicis administratũ, nullum esse: & ideò sic tinctos iterũ tingunt & abluunt: vt refert Feuard. in appẽd. Castrẽsis. 6. heresi de baptismo. voluit tamen Ecclesia ordinẽ quendã inter ipsos ministros statuere, vt omnia decẽter & secundũ ordinẽ fiant: quãuis ad essentiã sacramenti illius ordinis immutatio nihil efficiat. nẽpè mulier pręsente viro, laicus pręsente clerico, clericus ordine inferior pręsente sacerdote, administrationẽ sibi sumere nõ debet: nisi forte dignitate, aut ordine inferior, in administratione sacramẽti peritior sit. sic obstetrices, quę in casu necessitatis imminẽtis, baptizare consueuerunt, viris plerunq; præferendę sunt. quin etiã si probabile periculũ vitę infantis & pueri imminere videatur, nec alius minister pręsto sit, licebit matri, aut patri sacramentũ puero administrare: neq; inde aliqua inter parẽtes spiritualis cognatio cõtrahitur, quę eos à debito inuicẽ reddẽdo diuellat: cũ hoc impedimentũ & cognationẽ articulus necessitatis excludat. Ab his autẽ omnibus verũ sacramentum, & rem sacramẽti, idest effectũ, conferri, dubitandũ nõ est, cũ essentialia sacramẽti adhibita sint, & Ecclesia catholica ita sępè definierit, & cõsentientem suę definitioni praxim & vsum semper retinuerit. Cæterũ sic baptizatis, si euaserint imminens vitę periculũ, statuit solemnes cæremonias, quas necessitatis articulus exclusit, in Ecclesia publicè adhiberi, quòd in eis insit etiã aliqua vis ad profectũ vitæ spiritualis, vt explicat D. Th. infra q. 71. ar. 3. decreta verò Ecclesiastica de his extraordinariis ministris, referũtur ex veteribus de cõs. d. 4. & preterea in Cõc. Florẽ. ses. vl. in doctrina de sacramẽtis ita definitũ est. Minister huius sacramẽti est sacerdos, cui ex officio cõpetit baptizare. in casu autẽ necessitatis, non solùm sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus & mulier, imo etiã paganus & hæreticus baptizare potest: dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. de baptismo autem hæretico dictum est q. 66. art. 9.

De ministris extraordinariis in casu necessitatis.

7 De peccato autẽ illorũ, qui in baptismo solẽnes cęremonias & ritus nõ retinẽt, vel nulla cogẽte necessitate nõ adhibent, nõ rectè omninò Caiet. iudicauit. aut enim ait secundũ se, suapte natura, vel ex genere, hoc consideratur, aut ratione præcepti Ecclesiastici. primo quidẽ modo, mortale peccatũ nõ potest hìc accidere: quia quod aliquando rectè fit, id suaptè natura malũ esse non potest, cùm naturale mutari non possit: constat autem in casu necessitatis ritus illos laudabiliter omitti. Secundò autẽ modo, mortale peccatum esse potest, vno ex tribus modis, primo ex inobedientia, si adsit contemptus: secundo ex præsumptione, vt si laicus sacerdotis munus assumat: tertio si præcepti Ecclesiastici tãta esset vis ex modo impositionis. vnde solẽniter baptizãs, teneretur sub reatu mortalis peccati, ritũ Ecclesię seruare, quãuis leuis omissio excusaret plane. similiter laicus, vsurpãs solẽnem sacramenti adnistrationẽ. quod si extra necessitatis articulũ baptizaret sine solẽni ritu, & sine contẽptu & presumptione, nõ videretur cõmittere peccatũ mortale, vt si existimaret se rectè facere. Idẽ dicẽdum est de his, qui se vicissim baptizarent extra necessitatis articulũ. sic Innocẽt. III. in c. debitũ de bapt. affirmat Iudęũ baptizantẽ se, si statim è vita excessisset, ad patriã euolaturũ: quasi nullum peccatũ cõmisisset: cũ tamẽ grauior sit error seipsum baptizantis,

zantis, quā is de quo agimus. quòd autē inquit D. Th. ar. 5. baptizātes se vicissim adeò grauiter peccare, vt impediatur effectus baptismi, id de præsumētibus est intelligendū, vel de integro baptismi effectu: illi enim, licet gratiā consequerentur, non tamen remissionem omnis culpę & pœnæ, quia veniale saltem peccatum committerent. sic Caiet.

8 Sed verior & certa sentētia est: laicum vel extra articulū necessitatis, etiā sine solē nitate baptizantē, vel in eodē articulo, vel extra eū solemnia adhibentem, mortaliter peccare ex suo genere: & sola ignorātia inuincibili excusari posse. sed secundo modo minus graue peccatū est. Ratio primi est, quia vsurpatio muneris sacerdotalis, ex suo genere mortale peccatum est, & sacrilegium: quare qui sic vellet baptizari, vel eidem baptismo cooperarētur, idem peccatum committerent: & adulti se vicissim baptizantes gratiam nō consequerētur, quòd planè voluit D. Tho. artic. 5. licet omnibus character imprimeretur. vnde c. si quis de cler. non ord. omnis laicus ex officio baptizans, id est, solemniter, irregularitatē incurrit, non autem in articulo necessitatis: quia illa pœna culpę illius comes est. Ratio secūdi est, quia ignorātia inuincibilis facit inuoluntariū, sine quo peccatū non est. vtrū autem liceat in articulo necessitatis baptizari ab eo, qui ex precio tantū & simoniace baptizare vellet. D. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 2. ad 1. semper autē paruulus baptizatus à quocunque ministro, etiā delinquēte grauissimè, integrū effectū baptismi recipit: sed adultus, nisi excusetur ignorātia inuincibili, characterem, fidem, & spem, non autem charitatem recipiet, quia cooperatur peccato alterius, & poterit baptismi voto salutem cōsequi, infra q. 68. art. 2.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm plures possint simul vnum baptizare.

4. d. 3. ar. 2 q. 2. ad 1. & 2. d. 6. q. 2. art. 1. q. 1. ad 3.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod plures possint simul vnū baptizare. In multitudine potest facere vnus, possint facere titur. Vnde videtur, quod quicquid enim cōtinetur vnū, sed nō conuc- multi, & non è cōuerso, sicut multi trahūt nauem, quā vnus trahere non posset. Sed vnus homo potest baptizare. Ergo & plures possunt simul vnum baptizare.

¶ 2. Pręterea, Difficili⁹ est quòd vnū agēs agat in plura, quā quod plures agentes agant simul in vnū. Sed vnus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis plures possunt simul vnum baptizare.

¶ 3. Præterea, Baptismus est sacramentū maximę necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessariū, quod plures simul vnū baptizēt, puta, si aliquis paruulus esset in articulo mortis, & adessent duo, quorū alter esset mutus, & alter manibus, & brachiis careret, tūc enim oporteret quòd mutilatus verba proferret, & mutus actum baptismi exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul vnum baptizare.

SED CONTRA est, quod vnius agentis est vna actio. Si ergo plures vnum baptizarent, videretur sequi, quòd essent plures baptismi, quod est contra id quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma.

RESPONDEO dicendum, quod sacramentū baptismi præcipuè habet virtutem ex forma, quā Apostolus nominat verbū vitę. Ephe. 5. Et ideo cōsiderare oportet, si plures simul vnū baptizarent, qua forma vterentur. Si enim dicerēt: Nos te baptizamus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, dicūt quidā, quòd nō conferretur sacramentū baptismi, eo quod non seruaretur forma Ecclesię, quę sic habet: Ego te baptizo in noīe Patris & Filij & Spiritus sancti. Sed hoc excludit per formā baptizādi, qua vtitur Ecclesia Græcorū, possent enim dicere, Baptize-

tur seruus Christi N. in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, &c. Sub qua forma Græci baptismũ suscipiũt, quę tamẽ forma multò magis dissimilis est formę, qua nos vtimur, quã si dicatur: Nos te baptizamus. Sed considerandũ est, quod ex tali forma, te baptizamus, exprimitur talis intẽtio, quod plures conueniant ad vnũ baptismum conferendũ. Quod quidẽ videtur esse contra rationẽ ministerij: homo enim nõ baptizat, nisi vt minister Christi, & vicẽ eius gerẽs. Vnde sicut vnus est Christus, ita oportet esse vnũ ministrũ, qui Christũ repręsentet. propter quod signanter Apost. dicit, Ephe. 4. Vnus Dñs, vna fides, vnum baptisma. Et ideo cõtraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum. Sic verò vterq; diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vterq; exprimeret suã intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo cõtentiosè vterq; aliquẽ baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptismi sacramẽtũ, alius verò quantũcunq; ius baptizãdi haberet, nihil faceret, & si verba pronũtiare pręsumeret, esset puniendus tanquã rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrẽt, & hominẽ immergerẽt, aut aspergerẽt, essent puniẽdi de inordinato modo baptizãdi, & nõ de iteratione baptismi: quia vterq; intẽderet non baptizatum baptizare. Et vterq; quantum est in se baptizaret. Nec traderent aliud & aliud sacramentum, sed Christus, qui est vnus, interius baptizans, vnum sacramentum per vtrunq; conferret.

¶ Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa locum habet in his, quę agũt propia virtute. Sed homines nõ baptizãt propria virtute, sed virtute Christi, qui cùm sit vnus, per vnum ministrũ perficit suum opus.

Ad secundum dicendũ, quod in casu necessitatis vnus posset simul plures baptizare, sub hac forma: Ego vos baptizo, puta, si imminneret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quòd omnino morã non pateretur, vt sigillatim omnes baptizarẽtur. Nec per hoc diuersificaretur forma Ecclesię, quia plurale nõ est nisi singulare geminatũ: pręsertim cũ pluraliter dicatur Matt. vlt. baptizãtes eos, &c. Nec est simile de baptizante & baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est vnus, sed multi per baptismum efficiuntur vnum in Christo.

Ad tertium dicendũ, quod (sicut suprà dictum est†) integritas baptismi consistit in forma verborũ, & in vsu materiæ. Et ideo neque ille, qui tantum verba profert baptizat, neq; ille, qui immergit. Et ideo si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse cõueniens, neq; enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet) neque etiam poterit dici: Nos te baptizamus, cùm neuter baptizet. Si enim duo sint, quorum vnus vnam partẽ libri scribat, & alius aliam, non erit propria locutio, Nos scripsimus librum istũ, sed synecdochica, inquantum totũ ponitur pro parte. q. 66. ar. 3. & 5.

COMMENTARIVS.

1 De baptismi vnico ministro dictũ est; de pluribus nunc differendum est,

est,contingit autẽ plures esse, vel vt partes cõstituentes integrum vnũ, & perfectũ ministrum,vel vt integros & perse,sed conuenientes ad eiusdẽ baptismi administrationẽ.primus modus duplex est:aut enim plures illi ministri simul materiã & formã administrant,plurali numero dicentes.nos te baptizamus,&c.aut vnus materiã,abluẽdo scilicet,alter formam proferẽdo.Secundus modus etiam duplex est;aut enim vnus alterũ administratione sacramenti præuenit, aut simul administrant.v.g.vnus integram formã abluendo,cũ legitima intẽtione, singulari numero profert, & citius altero absoluit:vel simul proferunt,sed quisq; singulari numero,quòd accideret si ex cõtentione baptizarent.[1] Primò modo baptismus non est:altero verò modo is,qui alterũ prę uenit,[2] verũ baptismum administrat, alter rebaptizat:[3] & vterq; simul administrãs verè baptizat:[4] vtroq; tamen modo cõmittitur ab his ministris graue peccatum.

2 Ratio primi est:quia ministrũ sacramẽti,oportet Christo principali agenti intentione cõuenire:cũ sit illius minister:qui autẽ illo modo baptizarent, intẽtione non cõuenirent cũ Christo sacramẽti institutore: vt enim est vnus Christus : sic esse oportet vnũ ministrũ,iuxta illud Eph.4. Vnus Dñs, vna fides,vnũ baptisma, cũ vnus minister vnum Christum repręsentet. Nõ igitur illi plures ministri verũ baptismũ administrarent,ex defectu legitimę intentionis. itaq; ex vi significationis formę, cũ ita concipitur,nos te baptizamus,&c.idest,ego & tu, ait D.Tho.exprimitur talis intentio,quòd plures partialiter concurrant ad eiusdẽ baptismi administrationẽ, vt intẽtio vnius ab alterius intẽtione pendeat, & ita nõ sit certa & legitima faciendi,quòd Christus instituit. quòd videtur repugnare intentioni Christi,qui vicẽ sui gerere instituit,vnũ sacramenti ministrũ.Quòd si quilibet perse, independentẽ ab altero intentionem haberet,& idẽ esset secundũ intelligentiam illorũ,[nos te baptizamus] atq; ego & ego te baptizamus,&c.idẽ esset iudiciũ de his,atque de his qui simul singilatim formã singulari numero proferrent.Sed D.Th.iudicat de illo baptismo,ex vi significationis forme,plurali numero prolatę, vt dictum est. Quod si pleriq; Theologi animaduertissent,nullã rationem probabilẽ inuenissent dissentiẽdi à sentẽtia D.Tho.aut dubitandi

Duran. Palud.

de veritate illius.Similiter etiã de veritate sacramẽti administrati ab vno in plures simul suscipiẽtes,dubitari non potest:quamuis sine peccato id perfici nõ possit nisi in articulo necessitatis: vt ad 2.D.Th. ostẽdit & ad 3.qua ratione nõ sit baptismus, si ex duobus ministris alter abluat, alter formã proferat,vt si alteri manus desit, alteri sermo. Ratio secundę p.sententię propositæ omninò cõstat:quia nihil tunc deest de sacramẽti essentia. & cũ baptismus sine magno crimine iterari nõ possit,vt ar.9. ostensum est,qui perfecto illo priori baptismo, posteriorẽ adhiberet, certè eodẽ crimine implicaretur.Ratio tertię p.est,quia adhibitis essentialibus sacramenti, vterq; intenderet nõ baptizatũ baptizare,& vterq; baptizat,& ex vnitate subiecti vnũ censetur sacramentũ,& ex vnitate Christi,per vtrũque baptizãtis. Tandẽ ratio quartę p.in prõptu est,quia quicunq; sic baptizaret, indecenter & non secũdum ordinem baptizaret:omnia autem in Ecclesia decenter, & secundũ ordinem fieri debẽt, præsertim in sacramentorũ administratione,vt Apostolus admonuit,& quilibet se exponit periculo rebaptizandi.peccatũ autẽ huius ordinis perturbati ex causis ipsius expendendũ & iudicandũ est. videtur autẽ graue peccatũ esse,nisi ignorãtia excusetur: vt cẽsetur graue priuata in domo baptizare extra articulũ necessitatis Clemẽt.vnica de bapt.Reliqua subtiliter & accuratè à plerisq; disputata,de his pluribus ministris, aliena sunt ab analytica doctrina, quã instituimus.quòd si aliqua dubitatio incidat , de huiusmodi baptismis nõ ritè administratis,remediũ c. maiores de bapt.adhibendũ est,vt sub cõditione baptizẽtur suscipientes.erit persimilis disputatio de pluribus simul cõsecrantibus panẽ & vinũ infra q.82.ar.2. de homine autẽ seipsum baptizante, cõnstat ex his, quid sentiendũ sit.si enim in omnibus sacramẽtis, exceptis Eucharistia,&matrimonio, suscipiẽs à ministro distinguitur necessariò, ex ipsa sacramẽti institutione,quę ad essentiã pertinet:certè in baptismo seipsum baptizantis sacramentũ non erit. in baptismo verò illa institutio manifesta est.Matt. vlt. cùm ait Dñs,baptizantes eos, &c. precipit enim ministris vt baptizent. sic etiã Dñs à Ioanne baptizari voluit, supra q.66.art.5. ad 4.ex c. debitum de bapt.

Multi eundem simul baptizantes peccant.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in baptiſmo requiratur aliquis qui baptizatum leuet de ſacro fonte.

Inf. ar. 8 ad 1.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quod in baptiſmo non requiratur aliquis, qui baptizatum de ſacro fonte leuet. Baptiſmus enim noſter per baptiſmũ Christi conſecratur, & ei conformatur. Sed Chriſtus baptizatus nõ eſt ab aliquo de fonte ſuſceptus, ſed ſicut dicitur Matth. 2. Baptizatus IESVS confeſtim aſcẽdit de aqua. Ergo videtur, quod nec in aliorum baptiſmo requiratur aliquis, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat.

2. Pręterea, Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, vt dictum eſt. *Sed in carnali generatione non requiritur niſi principium actiuum, quod eſt pater, & principium paſſiuum, quod eſt mater. Igitur cùm in baptiſmo locum patris obtineat ille qui baptizat, locum autem matris, ipſa aqua baptiſmi (vt Auguſt. *dicit in quodam ſermone Epiphaniæ) videtur, quòd non requiratur aliquis alius, qui baptizatum de ſacro fonte leuet.

ar. 3. huius q.

in ſer. 1. Dominica intra octa. epiph. tom. 10.

¶ 3. Præterea, In ſacramentis Eccleſiæ, nihil deriſorium fieri debet. Sed hoc deriſorium videtur, quòd adulti baptizati, qui ſeipſos ſuſtẽtare poſſunt, & de ſacro fonte exire, ab alio ſuſcipiantur. Ergo videtur, quòd non requiratur aliquis præcipuè in baptiſmo adultorum, qui baptizatum de ſacro fonte leuet.

SED CONTRA eſt, quod Dion. *dicit 2. c. Eccleſ. hierar. quòd ſacerdotes aſſumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem ſuſceptori & duci.

c. 2. par. 2. de eli. ad fin.

RESPONDEO dicendum, quòd ſpiritualis regeneratio, quæ fit per baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali. vnde dicitur 1. Pet. 2. Sicut modò geniti infantes rationabiles, & ſine dolo, lac concupiſcite. In generatione autem carnali paruulus nuper natus, indiget nutrice & pædagogo. Vnde & in ſpirituali generatione baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando & inſtruendo eum, quaſi nouitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem & vitam Chriſtianã. Ad quod prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt, circa communem curam populi occupati: paruuli enim & nouitij indigent ſpeciali cura præter communem. Et ideo requiritur quòd aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro fonte, quaſi in ſuam inſtructionem & tutelam. Et hoc eſt quod Dioniſ. * dicit vltim. ca. Eccleſ. hierar. Diuinis noſtris ducibus (ideſt Apoſtolis) ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecũdum iſtum ſanctum modum, quod naturales pueri parentes, traderent puerum cuidam docto in diuinis pędagogo, & reliquũ ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub diuino patre & ſaluationis ſanctæ ſuſceptore.

c. 7. Eccleſ. non multum procul a fin.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Chriſtus non eſt baptizatus, vt ipſe regeneraretur, ſed vt alios regeneraret. Et ideo poſt baptiſmum non indiguit pædagogo tanquam paruulus.

AD SECVNDVM dicendũ, quod in generatione carnali non requiritur ex neceſſitate niſi pater & mater. Sed ad facilem partum, & educationem pueri conuenientem, requiritur

quiritur obſtetrix & nutrix & pędagogus, quorum vicem implet in baptiſmo, ille qui puerũ de ſacro fonte leuat. Vnde non eſt de neceſſitate ſacramenti: ſed vnus ſolus poteſt aliquem baptizare, neceſſitate imminente.

Ad tertium dicendum, quod baptizatus non ſuſcipitur à patrino de ſacro fonte propter imbecillitatem corporalem, ſed propter imbecillitatem ſpiritualem, vt dictum eſt *.

In cor. ar.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ille, qui aliquem leuat de ſacro fonte, teneatur ad eius inſtructionem.

Infr. q. 71. ar. 1. ad 3. Et 4. d. 6. q. 2. a. 2. q. 3. cor. et ad 3.

Ad octavvm ſic proceditur. Videtur, quod ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, nõ obligetur ad eius inſtructionem. Quia nullus poteſt inſtruere niſi inſtructus. Sed etiam quidam non inſtructi, ſed ſimplices admittuntur leuare aliquem de ſacro fonte. Ergo ille qui ſuſcipit baptizatum, nõ obligatur ad eius inſtructionem.

¶ 2. Præterea, Filius magis poteſt à patre inſtrui, quàm ab alio extraneo, nam filius habet à patre eſſe & nutrimentum & diſciplinam, vt Philoſ.* dicit in 8. Ethic. Si ergo ille, qui ſuſcipit baptizatũ, teneretur eum inſtruere, magis eſſet conueniens quòd pater carnalis filium ſuum de fonte ſuſciperet, quàm aliquis alius. Quod tamen videtur eſſe prohibitum, vt habetur in Decreta.* 30. q. 1. Peruenit. & Dictum eſt *.

Li. 8. eth. c. 12. circa med. et c. 11. non longè à princ.

30. q. 1. c. Peruenit, & ca. Dictum eſt. ar. præc.

¶ 3. Pręterea, Plures magis poſſunt inſtruere, quàm vnus ſolus. Si ergo ille qui ſuſcipit aliquẽ baptizatum, teneretur eum inſtruere, magis deberẽt plures ſuſcipere, quàm vnus ſolus, cuius contrarium habetur ex Decre.* Leonis Papæ. Non Plures, inquit, ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem, quàm vnus, accedant, ſiue vir, ſiue mulier.

loco cit. in arg. 2.

Sed contra eſt, quod Aug. † dicit in quodam ſermone Paſchali, Vos ante omnia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, vt vos cognoſcatis fideiuſſores, apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.

Hoc dictum eſt Aug. refertur de conſe. d. 4. c. 204. Vos ante omnia. Aug. in ſer. poſt Paſchæ Dño. incipit, Hodierna dies, to. 10.

Respondeo dicendũ, quod vnuſquiſque obligatur ad exequendum officium quod accepit.* Dictũ eſt autem, quòd ille, qui ſuſcipit aliquẽ de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pędagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret, ſicut eo tempore & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed vbi nutriuntur inter catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, prę ſumendo quod à ſuis parentibus diligenter inſtruãtur. Si tamen quocũque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum modum, ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.

art. præc.

Ad primvm ergo dicendum, quod vbi immineret periculum, oporteret eſſe aliquem doctum in diuinis, ſicut Dionyſ.* dicit, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſciperet. Sed vbi hoc periculum non imminet, propter hoc quòd pueri nutriũtur inter catholicos, admittuntur quicunq; ad hoc officium, quia ea, quæ pertinent ad Chriſtianam vitam, & fidem, publicè omnibus nota ſunt. Et tamen ille qui non eſt baptizatus

ca. 7. eccl. hier. non multũ procul à fine.

ptizatus

ptizatus, non potest suscipere baptizatum (vt est declaratum in Concilio Moguntino*) licet non baptizatus possit baptizare, quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipiētis, sicut dictum est.*

refertur de consec.d.4.cā.101. In baptismate.

ar. prae.

AD SECVNDVM dicendum, quod sicut est alia generatio spiritualis à carnali, ita etiam debet esse alia disciplina: secundū illud Heb. 12. Patres quidem carnis nostrę habuimus eruditores, & reuerebamur eos, non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? Et ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.

AD TERTIVM dicendū, quòd confusio esset disciplinæ, nisi esset vnus principalis instructor. Et ideo in baptismo vnus debet esse principalis susceptor. Alij tamen possunt admitti quasi coadiutores.

COMMENTARIVS.

1 DE ministro sacramēti dictum est: de ministro suscipientis sacramentum postremò dicendum restat. Hic autē in solēni administratione, ex præcepto Ecclesię adhiberi debet: absolutè enim necessarius non est, cùm ad essentiam sacramēti non pertineat. Vocatur ab antiquis Patribus susceptor, sponsor, fidei iussor: à recentioribus patrinus aut compater. Eius munus est, baptizatum de sacro fonte suscipere, quasi suæ tutelæ & curæ commissum, vt in fidei rudimentis, & moribus Christianis accuratè instituatur. Itaque licet patrinus teneat ad sacrum fontem baptismo tingendum, licet respondeat baptizanti in catechismo & aliis: his tamen actionibus non id quo susceptoris munus assumitur, efficit: sed tantùm cùm baptizatum de manu sacerdotis suscipit: vt cætera adhibere deceat & congruum sit, suscipere autem necessarium sit, vt illo munere deuinctus teneatur. Sic apud Dionys. cap. vlt. de Eccles. hierar. dicūtur patrini suscipere infantes erudiendos vt pædagogi. Sic etiam loquuntur Pontificum decreta de cons. dist. 4. c. in Catechismo & sequētibus, & Concil. Tridēt. Sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim. susceptorum munus esse, inquit, baptizatum de baptismo suscipere. Et certè ab eo munere, susceptores vocati sunt: & adultos, cum baptizantur ad sacrum fontem tenere, vel pro eis respondere necesse non est, sed tantùm de baptismo suscipere instruendos. Ipsa enim susceptoris obligatio in suscipiendo baptizatum de sacro fonte imponitur: sed munus instruendi tādiu manere intelligitur, quandiu perfectè rudimentis fidei, & eorum plana & facili intelligentia imbuatur. Sic enim Dionys. c. 2. citato spōsoris munus expressit. [Spōdeo puerum inducturum, cum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, vt abrenuntiet cōtrariis omnino, profiteatur, peragatq; diuina, quę pollicetur.] Illud tamē certum est, quod ar. 8. D. Thom. admonuit, hanc docendi obligationem permanere, si necessitas discendi immineret, vt si baptizati inter infideles educētur: at vbi nulla necessitas imminet, videntur eadem obligatione non adstringi. Videndum tamen est, vt sunt huius sæculi mores, ne hoc munus susceptoris negligenter tractetur, & nomen tantùm nudum relictum sit, vt Catechismus Romanus admonuit.

Susceptores & patrini nomina, institutio et munus.

Munus docendi quādiu, obligat susceptorē.

2 Fuit autem in Ecclesia hæc susceptoris institutio necessaria: vt sicut generationis naturalis proprios parentes natura constituit; sic regenerationis supranaturalis, suos veluti parentes, pędagogos & eruditores infantium Ecclesia ideò instituerit, vt quasi sit hęc posterior generatio, ab illa priori distincta intelligeretur: & quemadmodū pueri in lucē editi nutrici & pędagogo committuntur, vt eorum opera educentur, & bonis artibus erudiantur: ita necesse est, vt renati in vitam spiritualem, susceptori prudēti committantur: vt in pietate Christiana bene instituti, in viros perfectos, adiuuante Domino euadant; parochis in adultorū institutione & disciplina valde occupatis. Vnde, quia tota hæc institutio religionis Christianæ, spiritualis est, & à naturali omninò distincta, sanctè decreuit Ecclesia, vt susceptor cum eo, quem suscipit, & cùm eius veris parentibus affinitate quadam spirituali deuinciatur: vt inter hos omnes matrimonium

Spiritualis affinitas ex baptismo.

nium contrahi non posſit, & contractum dirimatur. Sed ne inter plures, huiuſmodi affinitates contraherentur: atque ita impedirent ne hominum inter ipſos coniugia legitima diffunderentur, vel ignoranter contracta perſeuerandi in peccato cauſæ eſſent, vel non ſine magno ſcandalo dirimerentur, ſtatutum eſt in Concilio Trident. Seſſ. 24. cap. 2. de reformat. matrim. vt vnus tantum ſiue vir ſiue mulier, vel ad ſummũ vnus & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem: nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Quorum nomina Parochus in libro deſcribat, doceatque eos quã cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excuſari valeant. Non igitur contrahitur hæc affinitas inter duos ſuſceptores, ſi fortè duo aſſumãtur, vt coniuges plerũq;.

3 Cùm autem baptiſmus priuatim adminiſtratur, cogente neceſſitate, quicunque de baptiſmo ſuſcipit baptizatum, hanc affinitatem contrahit, exceptis parentibus legitimo matrimonio coniunctis: inter quos nulla huiuſmodi affinitas contrahitur, ſi vrgente neceſſitate filium baptizarẽt, nullo alio preſente qui adminiſtraret baptiſmũ: vel ſi ex ignorantia inuincibili id ſibi licere in eodem articulo neceſſitatis, etiã aliis pręſentibus, exiſtimarent: vel ſi alter coniugum, filium alterius ex eadem ignorantia baptizaret. Dico autem in legitimo matrimonio coniunctis: quia ſi ante contractũ matrimoniũ idẽ contingeret, contraheretur inter eos eadem affinitas, quæ impedit matrimoniũ contrahendum, & dirimit cõtractum. Sic colliges ex D. Tho. 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. hæc de affinitate ſpirituali ratione baptiſmi. Si verò contingat baptiſmo adminiſtrato priuatim propter imminentem neceſſitatem, poſteà ſolennes ritus publicè in Eccleſia adhiberi, is qui puerũ in catechiſmo tenet, affinitatem cõtrahit ſpiritualem, quæ impedit quidem matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit. cap. per catechiſmum de cogn. ſpirituali, lib. 6. & cap. in catechiſmo de conſecr. d. 4. contrahitur autem inter eoſdem, de quibus Concil. Trident. definiuit, & nõ plures: quia licet de hac cognatione ex catechiſmo orta, nihil definierit, & ideo ea ex iure antiquo retinenda ſit: tamen perſonas deuinctas cognatione maiori reſtrinxit: quare & eas quæ minori, & decreti illius ratio par eſt & æqualis in omnibus. Poſtremò obſeruãdum eſt, à ſuſceptoris munere repelli non tantum naturales parentes, vt à naturali generatione, ſpiritualis diſtinguatur, ſed etiam Iudęos, hęreticos, infideles denique omnes, ne pro ſana & ſincera religionis doctrina, alienam & deprauatam doceant: poſtremò abbates & monachos, ne docendi pueros gratia, extra monaſterij ſepta vagandi occaſionem habeant: denique in baptiſmate catechumenus non baptizatus ſuſceptor eſſe non poteſt: nec is qui non eſt confirmatus in confirmatione. Sic definitum eſt de conſecr. di. 4. c. in baptiſmate & duobus proximè ſequentibus. & de perſonis, inter quas cognatio ex tenente confirmatum contrahitur, eadem omnino ratio eſt, atque de cognatione quæ ex baptiſmo, vt definitum eſt eod. Trid. decreto Seſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim.

Affinitas ſpiritualis ex Catechiſmo.

Ex confirmatione.

QVÆSTIO LXVIII.
De ſuſcipientibus baptiſmum, in duodecim articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de ſuſcipientibus baptiſmum.

Et circa hoc quæruntur duodecim.

Primò, vtrum omnes teneantur ad ſuſcipiendum baptiſmum.

Secundò, vtrum aliquis poſſit ſaluari ſine baptiſmo.

Tertiò, vtrum baptiſmus ſit differendus.

Quartò, vtrũ peccatores ſint baptizandi.

Quintò, vtrùm peccatoribus baptizatis ſint imponenda opera ſatisfactoria.

Sextò, vtrum requiratur confeſsio peccatorum.

Septimò, vtrùm requiratur intentio ex parte bapttizati.

Octauo, vtrum requiratur fides.

Nonò, vtrum pueri ſint baptizandi.

Decimo, vtrùm pueri Iudæorum ſint baptizandi inuitis parentibus.

Vndecimò, vtrùm aliqui sint baptizandi in maternis vteris existentes.

Duodecimo, vtrùm furiosi & amentes sint baptizandi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem baptismi.

Inf. q. 70. art. 2. ad 3. & 4. & 4. d. 4. q. 3 art. 3. q. 2. cõ. & ad 3. & d. 6. q. 1 art. 1. q. 1. cõ. & 4. cõt. c. 72.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non teneãtur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi aduentum poterant homines saluari sine baptismo. Ergo & post Christi Aduentum.

¶2. Præterea, Baptismus maximè videtur esse institutus in remediũ peccati originalis. Sed ille qui est baptizatus, cùm non habeat originale peccatum, nõ videtur quòd possit illud transfundere in prolẽ. Ergo filij baptizatorum non videntur esse baptizandi.

¶3. Præterea, Baptismus datur ad hoc, quod aliquis per gratiam à peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi, qui sunt sanctificati in vtero, sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismũ.

SED CONTRA est, quod dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et in lib. de Ecclesiasticis* dogmatibus dicitur, Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.

In lib. de eccl. dogm. c. 24. & 74. Habetur inter oper. Aug. to. 3.

RESPONDEO dicẽdum, quòd ad illud homines tenẽtur, sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest salutem cõsequi, nisi per Christum. Vndè & Apost. dicit Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Ad hoc autem datur baptismus, vt aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius. Vnde dicitur Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vnde manifestum est, quòd omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nunquam homines potuerũt saluari etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi: quia vt dicitur Acto. 4. nõ est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sed ante Aduentum Christi, homines Christo incorporabantur per fidem futuri aduentus: cuius fidei signaculum erat circũcisio, vt Apostolus dicit Roma. 4. Ante verò quàm circũcisio institueretur, sola fide (vt Gregor.* dicit) cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporãtur, secundũ illud Ephe. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Sed alio signo manifestatur fides rei iam præsentis, quàm demonstraretur, quando erat futura: sicut etiam aliis verbis significatur præsens, præteritum, & futurum. Et ideo licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen cuius baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.

Lib. 4. Moral. c. 2. circa med.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd (sicut

1. 2. q. 85. ar. 3. ad 2. (sicut in secũda parte dictum est*) illi qui baptizantur, renouãtur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati, secundum illud Roman. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Vnde & August.* probat in lib. contra Iulianum, quod non baptizatur in homine, quicquid in eo est. Manifestum est autem, quod homo nõ generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filij baptizatorum, cum peccato originali nascuntur, vnde indigent baptizari.

Lib. 6. ca. 6. à med. ad fi. to. 7.

AD TERTIVM dicendum, quod illi qui sunt sanctificati in vtero, consequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali, non tamen ex hoc ipso cõsequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in vtero, necesse esset eos baptizari, vt per susceptionem characteris, aliis membris Christi conformarentur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine baptismo aliquis posśit saluari.

3. 2. q. 113. ar. 3. ad 1. & 4. d. 4. q. 3. ar. 3 q. 2. cor. & ad 3. & 4. contr. 6. 72. col. 2. & quol. 1. ar. 4. Et 10. 6. 1. 7. col. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod sine baptismo nullus posśit saluari. Dicit enim Dominus Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Sed illi soli saluantur, qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest saluari sine baptismo, quo aliquis regeneratur ex aqua & Spiritu sancto.

¶ 2. Præterea, In lib.* de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Nullum catechumenum, quãuis in bonis operibus defunctum, vitã æternã habere credimus, excepto martyrio, vbi tota virtus sacramenti baptismi completur. Sed si aliquis sine baptismo posset saluari, maximè hoc haberet locum in catechumenis, bona opera habentibus, qui videntur habere fidẽ per dilectionem operantem. Videtur ergo, quòd sine baptismo nullus posśit saluari.

*Ca. 74 to. 3. habetur de cõsec. d. 4. c. 36.

3. Præterea, Sicut supra dictum est,* sacramentum baptismi est de necessitate salutis. Necessarium autem est, sine quo non potest aliquid esse, vt dicitur 5. Meta.* Ergo videtur, quod sine baptismo nullus posśit consequi salutem.

q. 65. art. 3. & 4.

*Lib. 5. Met. tex. 6. to. 3.

SED CONTRA est, quod Aug.* dicit super Leuiticum, Inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse, sine visibilibus sacramentis, visibilem verò sanctificationem (quæ fit sacramẽto visibili) sine inuisibili posse adesse, sed non posse prodesse. Cùm igitur sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur, quod sine sacramento baptismi, aliquis posśit salutem consequi per inuisibilem sanctificationem.

†In li. q. 1. Le ui. q. 84. à me. to. 4.

RESPONDEO dicẽdum, quòd sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse. Vno modo & re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quòd manifestè ad contemptũ sacramenti pertinet, quantũ ad illos qui habent vsum liberi arbitrij. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramen-

caliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cùm aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praeuenitur morte, antequam baptismũ suscipiat. Et talis sine baptismo actuali, salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante: per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Vnde Ambros.* dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit. Quem regeneraturus erã amisi, verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.

In lib. de obitu Valentin. paulo ante med. habetur lib. 5. Epi. immediate post epi. 33. tom. 3.

Ad primvm ergo dicendum, quod sicut dicitur 1. Reg. 16. Homo videt ea, quae patent, Dominus autem intuetur cor. Ille autem qui desiderat per baptismum regenerari ex aqua & Spiritu sancto, corde quidem regeneratus est. Licet non corpore, sicut & Apost. dicit Rom. 2. quod circũcisio cordis est in Spiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Ad secvndvm dicendum, quod nullus peruenit ad vitam ęternam, nisi absolutus ab omni culpa & reatu poenae. Quę quidẽ vniuersalis absolutio fit in perceptione baptismi & in martyrio, propter quod dicitur quod in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur, scilicet, quantum ad plenam liberationem à culpa & poena. Si quis ergo catechumenus sit habens desideriũ baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens non statim peruenit ad vitam ęternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteris, ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem, vt dicitur 1. ad Corinth. 3.

Ad tertivm dicendum, quod pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, quę apud Deũ reputatur pro facto.

COMMENTARIVS.

1 Ab essentia sacramenti, qui etiam ministrum in baptismo omnino comprehendit, ad suscipientes accõmodata fit progressio: quia constat institutũ, vt suscipientes sanctificet. primò igitur generalis erit de omnibus suscipientibus doctrina, deinde specialis de quibusdã. de priori est haec sententia & firma cõclusio. Nemo salutem consequi potest, sine baptismo re ipsa suscepto, aut voto suscipiẽdi, atq; ideo praecepto baptismi omnes continentur cõstricti. Hoc est, duplex necessitas baptismo competit, vna finis, altera pręcepti. Necessarium ad finẽ simpliciter est, sine quo salutem consequi non possumus, etiamsi nullũ esset pręceptum impositum: necessarium verò ratione praecepti dicitur, quod si non esset in pręcepto, ad salutem omnino necessariũ non esset. in gratia & remissione peccatorum consequenda est necessitas primo modo, in obseruatione diei festi & ieiunij, est altero modo necessitas. In baptismo verò & multis aliis vtraq; necessitas reperitur, cùm paruulis nulla ad salutem via pateat, sine baptismo reipsa suscepto aut martyrio: adultis verò sine baptismo re aut voto vel martyrio. Vnde si quis adhuc ex vtero matris, sanctificationẽ diuino munere consequeretur, ex vi tamen praecepti ad suscipiendũ baptismũ teneretur. Nec aliter charactere cõsignaretur, vt cęteris fidelibus conformis esset.

Conclusio.

Explicatio.

2 Probatio omniũ partium conclusionis cõmunis, deinde partium propria cõcludetur. Cõmunis hęc est ex sancta Scriptura. Nemo salutem cõsequi potest, nisi fiat mẽbrũ Christi, S.S.E. Act. 4. de Christo, non est aliud nomen sub cęlo, in quo nos oporteat saluos fieri: sed fide & sacramento fidei

Probatio.

dei efficimur mébra Christi, vt ex his colligitur. Ephes. 3. habitare Christum per fidé in cordibus vestris, in natura verò, fidei huius protestatio necessaria ad veri Dei cultú, aliqua externa oblatione, in lege verò circuncisione determinata est: in Euãgelio tandé ipso baptismo: & vt fides, sic & professio externa fuit necessaria, quia corde creditur ad iustitiá, ore auté confessio fit ad saluté, Roma. 10. vt explicauimus de his sacramentis veteribus, sup. q. 61. est igitur ad salutem consequendã baptimus necessarius, quatenus est fidei externa professio, & religionis Christianę. in qua sacramétis tantùm àdeo institutis colligari possumus. Atque etiã, quia baptismo tantum ex institutione Christi, efficimur membra eius, & regeneramur, vel eo quod vicem habet baptismi: regeneratio auté est principiú vitę Christianę. Idé côcludút, illa Ioã. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nó potest videre regnú Dei. Roma. 6. an ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus: Significat enim baptismo nobis applicari mortis Christi efficaciá ad nostram saluté. Itaque quod de circuncisione scriptú est, Rom. 4. fuisse scilicet signaculum iustitię fidei, idé de baptismo modò dicendú est: adiuncta baptismo efficacia sanctificãdi, quæ olim non fuit in circuncisione, vt explicabitur infr. q. 70. Confirmat etiá eandem baptismi necessitaté ad salutem, originalis peccati infectio omnium hominú, qui naturaliter propagantur, cómunis. Hæc enim in Euangelio nisi baptismo deleri non potest: quare vt est illius peccati remissio, ad consequendã saluté, absolutè necessaria: sic & baptismus, quo perficitur illa remissio, necessarius est. Rom. 5. sicut per vnius delictú in omnes homines in cõdénationem: sic & per vnius iustitiá in homines omnes in iustificationem vitæ. Hęc enim iustificatio nobis primùm baptismo communicatur reipsa suscepto, vel voto & desiderio suscipiendi.

Baptismi in voto & martyrij efficacia.

3 Hoc auté votú, atq; martyriú vicé habere baptismi, illud quidé in adultis tantùm, hoc auté in pueris & adultis, ostensum est, sup. q. 66. ad art. 11. & 12. & vtrúque ex verbo Dei apertè deducitur. Vt enim de baptismo aquę dictú est, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. Ita etiã dictum est à Dño, qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor eum corã Patre meo: vt obseruauit D. Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 7. & de voto baptismi, quod est cú vera peccatorum detestatione coniunctú, vt vicé baptismi aquę habere posit, manifesta est ex sãcta Scriptura deductio. Quoniá illud desideriú procedit ex fide per dilectioné operãte, quam iustificare constat, S. S. E. Gala. 4. in Christo Iesv, neq; circuncisio aliquid valet, neque prępútium, sed fides quæ per charitatem operarur: vel vt scribit c. 5. sed noua creatura: hanc verò nouitaté efficit formaliter gratia regenerãs. Et certissima est promisio Dei, quod detestantes ex animo peccata recipit & sanctificat Ezec. 33. & in Cornelio & Eunucho reipsa cõfirmatú est, & iustificatos ad baptismú deduxit, Acto. 8. & 10.

Vna obiectio contra eandem efficaciam refellitur.

4 Neq; est quòd quenquam mouere debeat testimoniú, quod nomine D. Augu. citatur, ex lib. de Eccle. dogm. c. 74. vbi baptismi aquę vicariú tantú efficit martyriú, non autem baptismi votú. Nam pręter explicationé veram D. Th. art. 2. ad 2. constat húc librum non esse D. August. sed Gennadij cuiusdam, qui etiã in plerisque aliis errauit, vt alibi D. Th. obseruauit, & ex recétioribus Vega, lib. 5. in Conc. Trid. c. 15. & Castren. lib. 3. contra hæres. de baptismo hæresi. 10. Videtur autem hic autor non accuratè expendisse sententiam D. Aug. aliquãdo scribentis, plerisque catechumenis votum baptismi non prodesse: sed his planè intelligit, qui nó detestantur ex animo peccata, sed potius in affectu peccadi perseuerantes, ideo baptismum differunt, vt eo suscepto omnia deleantur.

Altera obiectio dissoluitur.

5 Quod verò Vvicleffus apud Vvalden. de sacramentis, c. 96. & 104. eleuare & deprimere cónatur necessitatem baptismi aquę ad saluté, quòd martyrium & baptismus flaminis per se ad salutem sufficiant, id sanè impie & inconsideratè asseritur. Non enim per se & absolutè illa sufficiút, sed cum relatione & respectu ad baptismú aquæ, & ideo vicem illius supplere dicuntur. Etenim votum baptismi idem est atque baptismus flaminis, & ideo habet formaliter inclusam relationem ad baptismú aquæ: alioquin non esset votú & desideriú illius. Itaque data opportunitate tenebitur reipsa baptizari: qui prius solo desiderio baptismi iustificatus est, & amplius iustificabitur, characterem recipiet: & pręcepto

baptismi satisfaciat. Tunc enim per se valet votum baptismi, vbi baptismũ ipsum necessitas excludit, vt inquit D. Ber. Epist. 77. cum voluntas pro facto habeatur, vt est in responsione ad tertium art. 2. In martyrio autẽ, licet non sit formaliter & explicite desiderium baptismi aquæ, & ideo relatio & respectus: est tamen implicita & secundum virtutem: quatenus qui mortem oppetit pro Christo, is sanè quicquid esset ad salutem sibi necessarium ex animo impleret. De Caluino autem, baptismum cum pœnitentia confundente, dictum est sup. q. 66. ad art. 11. & 12.

Disputatio contra hereticos de baptismi necessitate.

6 Grauiter autem & impudenter, baptismi necessitatem refellere hæretici conati sunt. Primùm Manichæi, referente D. Augustino, lib. de hæresib. cap. 46. nihil cuiquã ad salutem conferre asseruerunt: quia vt ex eodem D. August. colligitur lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 2. concupiscentiam, cui sanandæ videtur adhiberi baptismus, naturaliter malam, & immutabilẽ à malitia, vt potẽ à malo principio creatam, asserunt. Pelagiani fatentur quidem baptismum esse necessarium, non ad consequendum remissionem peccati originalis, quod omnino negant, sed ad assequendum regnum Dei, id est vitam quandam eternam, quæ sit regnum Dei cæleste. Existimauerunt enim, paruulos nullũ contrahere peccatum originale, & ideo decedentes sine baptismo, salutem & vitam eternam consequi, non tamen regnũ Dei cum Christo, quasi hoc sit proprium renatorum per baptismum, ex illa sententia Ioan. 3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnũ Dei. Itaque vitam illam æternam decedẽtium sine baptismo, quasi mediam & interiectam esse volunt inter prẽsentem vitam & futuram beatitudinem cælestem. Sic colliges de Pelagianis, ex Augustino, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. qui est de baptis. paruul. cap. 18. & 30. & ex Leone Primo, Epist. 84. Vicentius Victor contra quem D. August. edidit, 4. libros de anima & eius origine, concedit quidem paruulos naturaliter contrahere peccatum originale, in quo dissentit à Pelagianis; sed eisdem paruulis non dum renatis in Christo, & decedẽtibus, cõcedit misericors paradysum, quod non sit regnũ Dei cæleste, in quo cũ eisdem Pelagianis consentit, & post resurrectionem eosdẽ paruulos in idem regnũ cæleste misericordior introducit: in quo rursum ab eisdẽ dissentit, vt colligitur ex lib. 2. citato, c. 10. & 12. Vt autẽ aliquatenus in hac causa vel se rò ad Ecclesiæ sacramẽta confugiat, cẽset pro his paruulis sine baptismo decedentibus, oblationes assiduas & offerenda iugiter sanctorum sacrificia sacerdotum, vt scriptũ est eod. lib. c. 11. est autẽ hic Victor Pelagianis audacior, quatenus & solui originale peccatũ in paruulis sine baptismo Christi censet, & regnũ cœlorum non baptizatis pollicetur: vtrunque vero paruulis Pelagiani negãt. Confirmat suum errorẽ Victor exẽplo latronis, qui à Christo sine baptismo, non quidem ad regnum cælorum, ad paradysum tamen est admissus. Item exẽplo Dinocratis, qui precibus sororis sanctę Perpetuæ martyris, cũ septẽnis sine baptismo mortuus fuerit, à pœnis translatus est ad requiem, vt refert D. Aug. eiusdẽ operis lib. 1. c. 9. & 10. lib. 2. c. 10. lib. 3. c. 9. sic etiã intelligit idẽ Victor, plures esse mansiones apud patrẽ, vt designẽtur merita multa & diuersa: & hic nõ baptizatus perducatur ad veniam, baptizatus ad palmam, quæ est parata per gratiam.

Stulta est hac vita æterna distinctio, & noua præsumptio inquit D. August. lib. 1. de pec merit. c. 20 cũ salus æterna sit vita æterna & beatitudo, & regnum cælorum & Dei, cuius inchoatio est gratia præsentis vitæ.

Protestantium varia hæreses contra baptismi necessitatẽ.

7 Ex recentioribus hæreticis, nullus baptismo per se concedit necessitatẽ ad salutẽ, quasi vim habeat abluendi à peccatis, quia sacramentis hanc vim omnino negãt vt ostendimus supra q. 61. asserentes tantũ esse signa externa fidei illius specialis, cui per se iustificationem tribuunt. Sed in remissione peccatorũ per baptismum, varia sentiunt. Lutherus quidẽ tam altè vult nobis esse infixum peccatũ originale, vt nullo sacramento deleri possit, sed tantũ radi aut non imputari, & hac ratione efficere regenerationem, ex Roffen. art. 2. & 3. contra Luth. Zuinglius negat eidem peccato verã rationem peccati, sed tantũ esse defectum naturæ, veluti morbum corporis, vt seruum nasci crimen non esse, sed miseram generis conditionem: atque ideo negat, paruulis baptismum necessarium esse ad salutem. In eodem errore fuit Bucerus, & alij plerique. Ex pueris autem illos salutem consequi asserunt, qui prædestinati sint, reliquos perire: vt sola prædestinatio sit illis causa salutis, contrà reprobatio. Quin etiam eò dementiæ ventum est, vt Hugnostici baptismum vocent Pharisaicam lotiunculam & mimicam, alij non esse ex

se ex diuina institutione, sed tantùm circuncisionem, atque ita plerique baptismũ è medio tollunt, vt olim execrabantur Archontici, referente Epiphanio contra hæresim 40. Hinc orta est valde impia Calui ni sententia, quam ex eo colligit Ruar. artic. 2. nullam esse paruulis baptismi necessitatem ad salutem, quòd ex sola promissione facta Abrahæ & posteris eius, Genes. 17. salutem consequantur. promissit enim se Deum illi futurum, & semini eius post eum: est autem Deus (vt ipse interpretatur) iis tantùm, quibus gratiam & spiritum suum impertitur. Ex vi huius promissionis asserit scriptum esse ab Apostolo 1. Cor. 7. sanctos nasci filios, qui ex altero fideli parente nascuntur, cùm ait: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic cõsentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Sacramentariorum impia responsio.

8 Ad sententiam autem Saluatoris, quę planè concludit necessitatem baptismi ad salutem, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei: respondet primo. si aqua baptismum significet, quis concedat simul significare baptismi suscipiendi votum? quod etiam satis esse dicunt catholici, & necessarium ad salutem in articulo necessitatis. Respondet secundo, aquam secundùm veteres significare mortificationem: sibi tamen videri additam vice epitheti, vt vim & naturam spiritus exprimeret, interius nempè refrigerantis. Vt enim cùm dicitur baptismus in Spiritu sancto & igni, significatur non baptismus ignis, sed proprietas spiritus expurgantis omnes sordes peccati: sic baptismus aquæ, quia abluit animam à peccatis, cum sit idem atque baptismus spiritus, vt ille asserit. Hactenus de hæreticis negantibus baptismi necessitatem ad salutem. sunt alij qui necessitatem quidem baptismi fatentur, sed negant sufficere ad salutem: imo addendam esse præterea paruulis etiam Eucharistiam: hi sunt Græci & Boemi. cuius erroris causas expendere, non est huius loci proprium, sed infra. q. 73. art. 3. & q. 80. art. 11. hactenus de sententiis alienorum.

De remedio paruulorũ decedentium sine baptismo.

9 Nostri verò de baptismi necessitate ad salutem, nihil dubitantes, de pueris vel nondum in lucem editis, & mortuis, vel editis & cogente necessitate minime tinctis, plures quidem sperandum censent de diuina misericordia, quòd precibus & oblationibus offerentium, sine baptismi lauacro salui erunt: non tamen esse hoc legem ordinariam, sed preter illam. † Aliqui verò hoc esse preceptum & statutum à Deo, vt baptismus ex voto parentum cum aliqua oblatione, illis valeat ad salutem consequendam. † Priorum sententia, ex antiquioribus aliis Theologis, orta esse videtur: qui defectum in essentialibus sacramenti, ex humana aliqua infirmitate, vel cogente necessitate, contingentem, à Deo supleri affirmauerunt. Horum autem opiniones, cũ testimoniis sacris, decretis Conciliorum, aut rationibus verè Theologicis confirmari non possint: coniecturis quibusdam nituntur. quòd ex Dei misericordia nihil minus sperandum sit: quòd originale peccatum non propria & expressa paruulorum voluntate contractum, consentaneum sit, aliorum etiam voto & oblatione deleri, & alia pleraque his similia.

Plures illi sunt Gers 3. p. ser. de natiu b. V. consiuerat. 2. Gab. 4. d 4. q & dubio 2. Bonau. 4 d. 6. p. 2. a1. & q. 1.

Caiet in Comment quam Pi9 V. rescindi præcepit ab hoc loco, & inf. ar. 11

D. Tho. 4. d. 24. q. 1. ar. 2. q. 2. 2. Bona. 4. d. 6 ar. 2. q. 1. Alẽ. 4. p. q. 13. memb. 1 Altisiod. lib. & tract. 3. c. 4. q. 2. Palud. 4. d. & q. 1. paulo ante 3. concl. Marsi. 4. q. 4. ar. 4. dubio 16

10 Sed his nos opponimus catholicam, & expressam in verbo Dei sententiam: nẽpè, baptismum aquæ simpliciter esse ad salutem necessarium remedium, paruulis & adultis, cuius defectum in vtrisque supplet martyrium: & in adultis prætereà votum & desiderium baptismi, cum vera peccatorum detestatione. Huius sententiæ partes omnes principio huius articuli, ex verbo Dei apertè deduximus. Et nihil apertius dici potuit, quàm quod scriptũ est Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest videre regnum Dei. Hoc autem testimonium de baptismo aquę sanctificante semper intellexit Ecclesia Catholica, praxi atque vsu confirmauit, paruulos primo quoque tempore baptismo offerens: & sine baptismo decedentes, ab Ecclesiastica sepultura repellens. Fides autem catholica non in verbis, sed in recepto & probato Patribus sensu posita est: quorum testimonia proposuimus supra q. 66. ad art. 3. & 4. ostendentes illud testimoniũ Ioannis de baptismo aquæ intelligendum esse. Deinde, præceptum de baptismo suscipiendo ab omnibus, Matth. & Marc. vlt. nonne eandem necessitatem fidei & baptismi expresit dicente Domino? docete,

De necessitate baptismi paruulorum. infr. ar. 9. huius q.

De necessitate fides ad salutẽ 2. 2 q. 2. ar. 5 & sequentibus.

& baptizate: constat autem, sine fide neminem Deo placere posse: ergo neque sine baptismo aquę. huius autem vicem supplere aliquando, si necessitas baptismum excludat, martyriũ in omnibus, & in adultis votum baptismi: constat ex Trident. Sess. 6. cap. 4. & ostendimus etiam ex verbo Dei, ead. q. 66. ad artic. 11. & 12.

11 Vsus autem Ecclesiastici, testes habemus antiquos Patres, Dionys. vltimo cap. de Ecclesi. hierar. D. August. multis lo. i. Vnde scribit Epist. 105. propter illud verbum Domini, Ioan. 3. non ausos Pelagianos concedere paruulis sine baptismo vitam cœlestem: quibus profecto audaciores sunt Theologi, qui vel ex speciali priuilegio, cuius ratio aut testimonium nullũ esse potest certũ & firmum, vel quod adhuc audacius est, secundũ legem ordinariam, repugnante omnino verbo Dei, cõsuetudine catholica, & patrum testimonio. Sic enim eadem Epist. subiungit D. August. esse contra Apostolicam predicationem, & totam Ecclesiam: vbi propterea cùm paruulis baptizandis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse. Quia qui non habet filium, non habet vitam: neque filium paruuli habere possunt, nisi per baptismum aquæ aut sanguinis. Et apertius contra eorũdem Theologorum sententiam Epist. 23. non dictum est, inquit, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut offerentium fide, sed ex aqua & Spiritu sancto. Legendus est idem August. lib. 6. hypognost. ad finem. lib. 6. contra Iulian. cap. 10. lib. 1. de pec. mer. cap. 23. & 27. lib. 3. cap. 4. Epist. ad Renat. de bono perseuerantiæ cap. 12. absit inquit, vt causam paruulorum sic relinquamus, vt esse nobis dicamus in certum, vtrum in Christo regenerati, si moriantur paruuli, transeant in æternam salutem, non regenerati autem transeant in mortem secundam. Sed de pœna paruulorum sine baptismo decedentium, nõ est huius loci disserere. Ad rationes autem illas Theologorum, paruulis salutem promittentium sine baptismo, sic respondet D. August. cap. 23. citato de peccat. mer. lib. 1. Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit scriptura diuina, humanis omnibus ingeniis præferenda. & Theologus non ex priuilegio, sed ex lege ordinaria iudicare & censere debet, atque diuini iudicij profunditatem de misericordia, quibusdã negata, aliis verò concessa reuereri, non verò scrutari, aut expendere suo iudicio & ratione.

Contra promittentes salutem paruulis sine baptismo aut martyrio.

Sot. lib. 1. de nat. & gr. c. 14

12 In refellendis autem sententiis hæreticorum, & earum argumentis, videndũ est accuratè, ex quo errore ortus sit hic de neganda necessitate baptismi paruulorum: illo enim sublato, necesse est errorem posteriorem auferri. Manichæi igitur quia existimauerunt esse aliquid suapte natura malum, & ex malo vitio exortum, ideo baptismi necessitatem ad sanandam concupiscentiam, quam à malo principio malam effectam existimauere, omnino negauerunt. Sed ille error prior iam pridem refutatus est, non solùm ex fide, sed etiam ex ratione naturali, vt ostẽdimus. 1. p. quęst. 49. artic. 3. Pelagiani negantes peccatum originale, negant paruulis baptismum necessarium: sed de assertione peccati originalis 1. 2. disseritur, & definitum est à Trident. Sess. 5. Protestantes negant eandem baptismi necessitatem, tum quia negant omnibus sacramentis efficaciam ex opere operato: tum etiã quòd affirment, nos fide quadam speciali iustificari, non sacramentis, deinde quia negant remitti & auferri à nobis, quicquid habet rationem peccati originalis: denique, quod gratiæ infusionem ad solã prędestinationem referant, non ad aliquam sacramentorum efficaciam. Sed contra primum ex his, disseruimus suprà apertè ex verbo Dei, q. 62. n. 25. Contra 2. erit propria disputatio in doctrina de iustificatione. contra 3. in disputatione de originali peccato, contra 4. infra q. 69. art. 8. & manifestum est plerosque iustificari, qui postea damnentur: & prędestinatio includit etiam media, in quibus sunt sacramẽta ad gratiam inducendam efficacia. Nihil igitur amplius restat, quod de illorũ erroribus hoc loco disseramus.

Contra hæreticos negãtes baptismi necessitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm baptismus sit differendus.

4. d. 4. q. 3. art. 1. q. 2. & d. 17 q. 3. ar. 1. q. 4. cor. Et mal. q. 4. ar. 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod baptismus sit diffe-

Habetur de cõsec. d. 4. c. Duo tempora. Et sumitur ex Epi. eius 4. c. 5.

differendus. Dicit enim Leo* Papa, Duo tempora: id est Pascha & Pentecoste ad baptizandum à Romulo Pontifice legitimè præfixa sunt: vnde dilectionem vestrã monemus, vt nullos alios dies huic obseruationi misceatis. Videtur ergo, quod oporteat non statim aliquem baptizari, sed vsque ad prædicta tempora baptismum differri.

In Concil. Agathen. c. 25.

¶2. Præterea, In Concilio Agathensi* legitur, Iudęi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges catholicas venire voluerint, octo menses inter catechumenos Ecclesiæ limen introeant, & si pura fide venire noscantur, tũc demum baptismi gratiam mereãtur. Non ergo statim sunt homines baptizandi, sed vsque ad certum tempus est differendum baptisma.

¶3. Prætereà, Sicut dicitur Isa. 27. Iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum. Sed magis videtur auferri peccatum vel etiam diminui, si baptismus diu differatur. Primò quidem, quia peccantes post baptismum grauius peccant, secũdum illud Heb. 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, scilicet per baptismum? Secundò, quia baptismus tollit peccata præterita, non autem futura, vnde quanto magis baptismus differtur tanto plura peccata tollit. Videtur ergo, quod baptismus debeat diu differri.

Sed contra est, quòd dicitur Ecclesiast. 5. Nõ tardes conuerti ad Dñm, & ne differas de die in diẽ. Sed perfecta cõuersio ad Deũ, est eorũ, qui regenerantur in Christo per baptismũ, Non ergo debet baptismus differri de die in diem.

Respondeo dicendum, quòd circa hoc distinguendũ est, vtrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendũ baptisma. Primò quidẽ, quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiã plenior cõuersio. Secundò, propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subueniri, nisi per sacramentũ baptismi. Adultis verò subueniri potest per solum baptismi desideriũ, vt supradictũ est.* Et ideo adultis non statim cũ conuertuntur, est sacramentũ baptismi conferendũ, sed oportet differre vsque ad aliquod certum tẽpus. Primò quidẽ propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, sacramentum fictè accedentibus, conferens, secundũ illud 1. Ioã. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quæ quidẽ probatio sumitur de accedentibus ad baptismũ, quãdo per aliquod spatiũ, eorum fides & mores examinãtur. Secũdò, hoc est necessariũ ad vtilitatẽ eorũ, qui baptizãtur, quia aliquo tẽporis spatio indigent, ad hoc quod plenè instruantur de fide, & exercitentur in his, quę pertinent ad vitã Christianam. Tertiò, hoc est necessariũ ad quandã reuerentiã sacramenti, dũ in solennitatibus pręcipuis, scilicet Paschæ & Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, & ita deuotius sacramentum suscipiunt. Hęc tãmẽ dilatio est prętermittenda duplici ratione. Primò quidem, quãdo illi, qui sunt baptizãdi, apparent perfectè instructi in fide, & ad baptismũ idonei, sicut Philippus statim baptizauit Eunuchum (vt habetur Acto. 8.) & Petrus Cor-

Ar. præc.

nelium, & eos qui cum eo erant, vt habetur Acto. 10. Secundò, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Vnde Leo Papa, *dicit, Hi qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragij, vrgentur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliquis morte præueniatur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, saluatur: licet per ignem, vt suprà dictum est.* Peccat autem si vltra tempus institutum ab Ecclesia, differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria & licentia prælatorum Ecclesiæ. Sed tamen & hoc peccatum cum aliis deleri potest per succedentem contritionem, quæ supplet vicem baptismi, vt suprà dictum est.*

Habetur de cõsec. dist. 4. c. Si qui necessitate, sumitur ex epi. eius. 4. c. 6.

Ar. præc. ad 2.

In cor art. & ar. præc.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod illud mandatum Leonis Papæ de obseruandis duobus temporibus in baptismo, intelligendum est de adultis, excepto tamen periculo mortis, quod semper in pueris est timendum, vt dictum est.*

In cor. ar.

AD SECVNDVM dicendum, quòd illud de Iudæis, est institutum ad Ecclesiæ cautelam, ne simplicium fidem corrumpant, si non fuerint plenè conuersi. Et tamen, vt ibidem subditur, si infra tempus præscriptum, aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.

AD TERTIVM dicendũ, quòd baptismus per gratiam, quam confert, non solùm remouet peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant. Hoc autem præcipuè desiderandum est, vt homines non peccent. Secundario autem vt leuius peccent, vel etiam vt eorum peccata mundentur. Secũdum illud, 1. Ioan. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

COMMENTARIVS.

1 OStẽsa baptismi necessitate ad salutẽ consequendã: & quod ideo de baptismo suscipiendo sit præceptum affirmatiuum diuini iuris, & humani Ecclesiastici, vt ex verbo Dei, & vsu Ecclesiæ catholicæ deduximus: statim ostendendum sequitur, de tempore, personis, & loco, quibus eisdem præceptis satisfaciendum est: cùm præcepta affirmatiua vim obligandi habeant, his circunstantiis determinatam, & non omni loco & tempore vt negatiua. Primùm autem de tempore, deinde de personis & earum præparatione, ab art. 4. ad finem quæstionis huius differetur. De loco & aliis circunstantiis & ritibus q. 71. De tempore igitur suscipiendi baptismum, est hæc sententia ab omnibus Theologis recepta. Baptismus [1] paruulorum differendus non est: adultorum [2] verò baptismum differre oportet ad certa tempora ab Ecclesia præfixa: nisi [3] plena baptizandi in fide instructio, aut imminens vitæ periculum, illa tempora præueniat: alioquin [4] graue peccatum committeret, qui baptismum sine causa prælatis Ecclesiæ probata, longius differret.

Ordinis ratio.

Conclusio de tẽpore, quo præceptum baptismi obligat.

2 Sed principiò obseruandum est, diuinum de baptismo suscipiẽdo præceptum, non solum obligare fideles, vt sibi subiectos, baptizandos quàmprimùm curent, si paruuli sint, vt obligantur præceptis aliorum sacramentorum diuini & Ecclesiastici iuris: cùm in eos iurisdictionem suã Ecclesia exercere debeat, quos susceptio baptismi sibi subditos effecit: sed etiam obligare præceptum baptismi infideles adultos: quemadmodum obligat fidei Christianæ admittẽdæ preceptũ. Sic enim Dñs Matt. & Mar. vlt. præcipit omnibus fidem suã annũtiari, & baptismũ administrari di-

Explicatio conclusionis.

ri dices: Docete & baptizate omnes gentes: & de fide admittenda, est illud, si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Ioan. 15. & cap. 3. eiusdem qui non credit iam iudicatus est, & cap. 8. Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Itaque promulgato Euangelio, nisi quis ignorantia inuincibili excusetur, fidei & baptismi præcepto tenetur. Vtriusq; enim necessitas coniuncta est necessariò, vt ostendimus ad art. 1. & 2. huius quæst. & quidem constat, omnem hominem cum primùm ad vsum rationis peruenerit, teneri ad deliberandum de sua salute, hanc verò, si rectè deliberauerit, præsertim ex diuino munere & gratia, in fide perfecta Christi admittẽda positã esse intelliget: sicut scriptũ est, Act. 4. non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. fidei autem certum magisterium, est tantùm in Ecclesia catholica, cùm sit columna & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. In Ecclesiam autem non est ingressus, nisi per baptismum, neque alio sacramento profitemur fidem primò, neque membra Ecclesiæ efficimur, & in corpore eius colligamur: quare tenentur adulti, vt præcepto fidei suscipiendæ: sic etiam præcepto baptismi.

Baptismi præceptum ex iure diuino.

3 De paruulis autem, licet per ętatẽ nullo præcepto & iure violato teneri possint, ex eorum parentibus, vel iis qui eorum vicẽ gerunt, iudicandum est, qua ratione ad suscipiendum baptismum, teneatur. Si enim parentibus, ex iure naturali patriæ potestatis, incumbit, de salute filiorum, qui nondum mente valent, vt sibi consulere possint, opportunè prouidere: certe iidem tenebuntur vt filios ad consequendam salutem æternam dirigant, & sacramento fidei, & fide suo tempore imbuendos curare. Itaque ex hoc iure naturali, & diuino supernaturali de fide & baptismo, efficitur, paruulos baptizandos esse: & ad id exequendum parentes eorum teneri, vel qui eorum vices gerunt. De iure autem Ecclesiastico, scimus duo fuisse tempora solẽnioris administrationis baptismi, vnũ in Paschate, alterum in Pentecoste, referente Siricio Papa, Epist. 2. ad Episcopũ Tarraconẽ. cap. 2. & Leone Primo, Epist. 4. cap. 5. & refertur de consecr. dist. 4. cap. duo tempora, sed non sic erant hęc tempora præfixa, vt nullo alio tempore baptismus celebrandus esset: sed potius solennior erat tunc celebratio, cũ orationes & preces Ecclesiæ, ad eam accommodatæ publicè in Ecclesia proponebantur toti populo, vt in fide huius sacramenti plenius institueretur. baptizabantur autem illis temporibus pueri & adulti, qui sine periculo ad eos dies præparati erant. rectè igitur scriptum est in Catechismo Romano de baptis. cap. 18. omnibus hominibus baptismi legem à Domino præscriptam esse: ita vt nisi per baptismi gratiã Deo renascantur, in sempiternam miseriam à parentibus, siue illi fideles, siue infideles sint, procreentur. Igitur sæpè à pastoribus explicandum erit, quod apud Euangelistam legitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quam legem non solùm de his, qui adulta ætate sunt, sed etiam de pueris infantibus intelligendam esse, idque ab Apostolica traditione Ecclesiam accepisse, confirmat communis Patrum sententia, & autoritas. Hæc de conclusionis explicatione: ad probationem accedamus.

Tẽpora baptismo solẽniori dicata ex Ecclesiæ præcepto.

4 Primùm igitur baptismum paruulorum differendum non esse, sed paucis à primo ortu diebus administrandum esse, nisi ex imminenti periculo statim administrari sit necesse, hæc ratio euincit. Paruulis nulla ad baptismum suscipiendum, præparatio necessaria est, & propter ętatis imbecillitatem, infinita penè pericula impendunt: ergo statim administrari debet baptismus: cùm nulla alia via secundum legem ordinariam comparandæ salutis illis relicta sit. Vnde graui peccato sese obstringunt, qui eos diutius hoc sacramento carere, quàm necessitas postulet, patiuntur. Paruulos autem baptizandos esse constabit, art. 9. huius quæst.

Quo tempore paruuli baptizandi.

5 Altera, & 3. p. propositæ conclusionis, de differendo baptismo adultorum ad certa tempora, intelligitur nullo imminente vitæ periculo. Cùm enim imminet, si velint sacramẽto Ecclesiæ initiari, statim salutari lauacro tingendi sunt, ne vllo modo via salutis præcludatur. Vbi verò nulla cogit necessitas, vsus & consuetudo antiquæ Ecclesiæ declarat, præsertim cũ hi ex infidelibus parentibus orti sunt, qui adulti baptizãtur, vt illis proponatur primò fides catholica ad

De tẽpore baptismi adultorum.

ca ad salutẽ necessaria, & ad eam suscipiendam alliciendi & inuitandi, vbi verò ad Dominum conuersi, & in fide plenè fuerint instructi, tunc baptizandi sunt. Sic Philippus Eunuchum Candacis reginæ, annuntiato prius Christo baptizauit: & Petrus Cornelium, Act. 8. & 10. breui catechesi præcedẽti: & nihil notius est in Ecclesia, quã catechumenorum disciplina, & antiquæ cathedræ, & magisteria catechistis dicata doctoribus.

6 Sed ratione Theologica firmiter idẽ concludamus. Scriptum est enim Ecclesiast. 5. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: sed non renatorum conuersio perfecta, est noua per baptismum regeneratio: non est igitur differenda, nisi vsque ad præfinitum tẽpus perfectę in fide disciplinæ. Prætereà, eos qui diutius quàm oportet, ad baptismum accedunt, carere necesse est aliorum sacramentorum vsu & gratia, cùm ad ea sine baptismo nullus admitti possit. Præsertim cùm in baptismo, non solùm sit remissio omnium præcedentium delictorum, sed etiam gratiæ nos regenerantis infusio: cuius auxilio deinceps peccata vitare posimus. Dum autem ad eum accommodatè suscipiendum præparantur, sæpè ipso proposito suscipiendi, cum vera peccatorum detestatione iustificantur. Habet etiam hæc dilatio alias vtilitates adiunctas: nam voluntas baptizandi magis exploratur, ne ficto animo ad sacramentum accedat. Vnde legimus in Agathensi Concil. cap. 25. vt Iudęi ad fidem catholicam venientes, ante quàm baptizentur, aliquot menses sint inter Catechumenos, vt perfectius in fide & moribus Christianis erudiantur. Præterea hæc dilatio, maiorem sacramento reuerentiam, & augustiorem repræsentat fidei Christianę & religionis professionem, quæ baptismo suscepto perficitur. Ex hac reuerentia contigisse videmus, vt pij & religiosi homines olim baptismum vltra præfinita Ecclesiæ tempora differrẽt, fortassis ex consilio prælatorum. vt legimus de fratre D. Ambros. de Constãtino Imperat. qui vero sine vlla legitima causa baptismum differebãt, grauiter à Patribus reprehenduntur, vt Chrys. Hom. 1. in acta, & Hom. 2. ad Pop. & D. August. sæpisimè in concionibus, & lib. de fide & operibus. Vnde constat, (quę fuit quarta pars cõclusionis propositę,) quam grauiter peccent, qui diutius quàm oportet, baptismum differant, cùm hoc sit salutis viam spernere, & gratiam Dei oblatam contemnere.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccatores sint baptizandi.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod peccatores sint baptizandi. Dicitur enim Zacha. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hiesalem, in ablutionẽ peccatoris & menstruatæ. Quod quidem intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur, quod sacramentum baptismi sit etiam peccatoribus exhibendum. *Infra. art. 8. ad 4.*

¶ 2. Præterea, Dominus dicit Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Malè autem habentes, sunt peccatores. Cũ igitur spiritualis medici, scilicet Christi, medicina sit baptismus, videtur quod peccatoribus sit sacramentum baptismi exhibendum.

¶ 3. Præterea, Nullum subsidium debet peccatoribus subtrahi. Sed peccatores baptizati, ex ipso charactere baptismali spiritualiter adiuuantur, cùm sit quædam dispositio ad gratiam. Ergo videtur, quod sacramentum baptismi sit peccatoribus exhibendum.

SED CONTRA est, * quòd August. † dicit, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Sed peccator cùm habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo, imo magis contrarium operatur.

** Alias, quia Aug. ad Bonifaciũ Ep'st. 23 dicit in baptismo aliquis mẽbrũ Christi efficitur. Sed nullus peccator, persistẽ in voluntate peccandi, potest fieri membrum Christi, quod est incorporari Christo: Ergo huiusmodi peccator non est baptizandus: quia frustrà batizaretur.*

† Colligitur ex tract. 72. in Ioan. to. 9.

ratur. Ergo frustrà adhiberetur si- bi baptismus ad iustificationẽ non disposito.

Respondeo dicendũ, quod aliquis potest dici peccator dupliciter. Vno modo propter maculã & reatum præteritum. Et sic peccatoribus est sacramentum baptismi conferendum: quia est ad hoc specialiter institutũ, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur, secundum illud Ephes. 5. Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lauacro aquæ in verbo vitæ. Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi & proposito persistẽdi in peccato. Et sic peccatoribus non est sacramentum baptismi cõferendum: primò quidem, quia per baptismũ homines Christo incorporantur: secundum illud Gala. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus, secũdum illud. 2. Cor. 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Vnde & August.* dicit in lib. de pœnitentia, quod nullus suæ voluntatis arbiter constitutus, potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat. Secundò, quia in operibus Christi & Ecclesiæ nihil debet fieri frustrà. Frustrà autem est, quod non pertingit ad finem, ad quem est ordinatum. Nullus autem habens voluntatem peccandi, simul potest à peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus, quia hoc esset ponere contradictoria esse simul. Tertiò, quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signũ falsum, cui res significata non respondet. Ex hoc autẽ, quod aliquis lauandum se præbet per baptismũ, significatur, quod se disponat ad interiorem ablutionem. Quod non contingit de eo, qui habet propositum persistendi in peccato. Vnde manifestum est, quod talibus sacramentũ baptismi nõ est cõferendũ.

*Lib. de medicina pœnit. c. 2. non procul à princ. to. 9.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud verbum est intelligendum de peccatoribus, qui habent voluntatem recedendi à peccato.

Ad secundum dicendũ, quòd spiritualis medicus, scilicet Christus, operatur dupliciter. Vno modo interius per seipsum, & sic præparat voluntatem hominis, vt bonum velit, & malũ odiat. Alio modo operatur per ministros, exterius adhibendo sacramenta, & sic operatur perficiendo exterius id, quod est interius inchoatũ. Et ideo sacramentum baptismi non est exhibendum, nisi ei, in quo interioris conuersionis aliquod signum appa ret: sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturę appareat.

Ad tertium dicẽdum, quòd baptismus est fidei sacramentum. Fides autem informis non sufficit ad salutem, nec ipsa est fundamentum, sed sola fides formata, quæ per dilectionem operatur, vt Augustinus* dicit in lib. de fide & operibus. Vnde nec sacramẽtum baptismi salutem cõferre potest cum voluntate peccandi, quę fidei formã excludit. Non est autẽ per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad gratiam, quãdiu in eo apparet voluntas peccandi, quia Deus neminem ad virtutem compellit, sicut Dam.* dicit,

*Cap. 16. to. 4

*Lib. 2. de ortho. fid. c. 30. circa principium.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sup. q. 49. ar. 3 ad 2. & inf. art. 6. cor. & 2. dist. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. cor. & 3 d. 19. ar. 3. q. 2. ad 1. & 4. d. 6 q. 1. art. 1. q. 1. cor. Et 4. Cont. c. 58. & Rom. 1 lect. 4. col. 4 & 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda. Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur, vt pro quolibet peccato aliquis puniatur, secundum illud Eccles. vltimo. Cũcta quę fiunt, adducet Deus in iudicium. Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteritorum peccatorum. Ergo videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

¶ 2. Præterea, Per opera satisfactoria exercitãtur peccatores de nouo conuersi ad iustitiam, & subtrahuntur eis occasiones peccandi, nam satisfacere est peccatorum causas excidere, & peccatis additum non indulgere. Sed hoc maximè est necessarium nuper baptizatis. Ergo videtur, quod baptizatis sint opera satisfactoria iniungenda.

¶ 3. Præterea, Non minus debitum est, vt homo Deo satisfaciat, quàm proximo. Sed nuper baptizatis iniungendum est, vt satisfaciãt proximis, si eos læserint. Ergo etiã est eis iniungendum, vt Deo satisfaciant per opera pœnitentiæ.

Est gl. D. Ambro. in illum locum, tom. 5.

SED CONTRA est, quod Ambros.* super illud Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, dicit, gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque plãctum, vel etiam opus aliquod: sed solam fidem, & omnia gratis condonat.

RESPONDEO dicẽdum, quod sicut Apostolus dicit Romano. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem: ita scilicet quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autẽ ex supradictis,* quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solũ nostris, sed etiam totius mundi, vt dicitur 1. Ioan. 2. Et ideo ei, qui baptizatur, pro quibuscunque peccatis, non est aliqua satisfactio iniungenda, hoc enim esset iniuriam facere passioni & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. q. 49. & 48.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut Aug.* dicit in lib. de baptismo paruulorum, ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius. Vnde ipsa pœna Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut & pœna vnius mẽbri potest esse satisfactoria pro peccato alteri' membri. Vnde Isai. 53. dicitur: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Lib 1. de bap. paru. c. 26. à medio, to. 7.

AD SECVNDVM dicendũ, quod nuper baptizati, exercitandi sunt ad iustitiam, non per opera pœnalia, sed per opera facilia, vt quasi quodam lacte facilis exercitij, promoueantur ad perfectiora: vt glossa* dicit super illud Psal. 130. Sicut ablactatus est super matre sua. Vnde & Dominus discipulos suos de nouo conuersos, à ieiunio excusauit, vt patet Matth. 9. Et hoc est quod dicitur 1. Pet. 2. Sicut modò geniti infantes, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Glos. ordi. ibi.

AD

AD TERTIVM dicēdum, quòd restituere malè ablata proximis, & satisfacere eis de iniuriis illatis, est cessare à peccando, quia hoc ipsum quod est detinere aliena, & proximum læsum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis iniungendum est, quod satisfaciant proximis, sicut & quod desistant à peccato: non est autem eis iniungendum, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm peccatores ad baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri.

3.d.19.ar.3. q.2.ad 1.& 4. con.c.58. & Rom.11. lib. 4.col.4.& 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod peccatores ad baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matthæi tertio, quod baptizabantur multi à Ioanne in Iordane, confitentes peccata sua. Sed baptismus Christi est perfectior, quã baptismus Ioannis. Ergo videtur, quod multo magis illi, qui sunt baptizandi baptismo Christi, debeãt sua peccata confiteri.

¶ 2. Præterea, Prouerb. 28. dicitur, Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, Sed ad hoc aliqui baptizantur, vt peccatis suis misericordiam consequantur. Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri.

¶ 3. Præterea, Pœnitētia requiritur ante baptismum, secundum illud Acto. 2. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrũ. Sed confessio est pars pœnitentiæ. Ergo videtur, quod confessio peccatorũ requiratur ante baptismũ.

SED CONTRA est, quòd confessio peccatorum debet esse cum fletu, dicit enim August.* in lib. de pœnitentia: Omnis ista varietas confitenda est & deflenda. Sed sicut Ambros.† dicit, gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum. Ergo à baptizandis non est requirenda cõfessio peccatorum.

* Aug. in lib. de vera & fal. pœn. c.14. nõ procul a princ. to.4. & habetur de pœni.d. c.1. ante me.
† mb ad Roma.11 super illud: sine pœnit. sunt dona Dei, co.5.

RESPONDEO dicendum, quòd duplex est peccatorum confessio. Vna quidem interior, quæ fit Deo: & talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, vt dicit August.* in lib. de pœnitentia. Alia verò est confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante baptismum. Primò quidem: quia talis cõfessio cùm respiciat personã ministri, pertinet ad pœnitentię sacramentum, quod non requiritur ante baptismum: quia est ianua omnium sacramentorum. Secundò, quia confessio exterior, quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, quod sacerdos confitentē absoluat a peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda, vt supra dictũ est.* Nec etiã baptizati indigēt remissione peccatorũ per claues Ecclesię, quibus omnia remittuntur per baptismũ. Tertiò, quia ipsa particularis cõfessio homini facta, est pœnosa propter verecundiã confitentis: Baptizato autē nulla exterior pœna imponitur. Et ideo à baptizãtis nõ requiritur

* In lib. de med. pœn cap.2. nõ procul a princ. to.9.

* Art. præc.

ritur specialis confessio peccatorum, sed sufficit generalis, quam faciunt, cùm secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant Satanæ & omnibus pompis eius. Et hoc modo dicit quædam glos.* Matth. 3. quod in baptismo Ioannis, exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata, & promittendi meliora. Si qui tamen baptizandi, ex deuotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quòd contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

In glo. ord. super illud: Exibāt vt baptizarentur ab eo.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in baptismo Ioannis non remittebantur peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ. Et ideo conuenienter accedentes ad illud baptisma, confitebantur peccata, vt secundum qualitatem peccatorū, eis pœnitētia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori pœnitentia, vt Ambr.*dicit. Vnde non est similis ratio.

Amb. loco citato in argu. Sed contra.

AD SECVNDVM dicendum, quod baptizatis sufficit cōfessio interior Deo facta, & etiam exterior generalis, ad hoc quod dirigantur & misericordiam consequantur. Nec requiritur confessio specialis exterior, sicut dictum est.*

In cor. art.

AD TERTIVM dicendū, quòd confessio est pars pœnitentiæ sacramentalis, quæ non requiritur ante baptismum, vt dictum est, * sed reritur interioris pœnitētiæ virtus.

In cor. art.

ARTICVLVS VII.

Vtrū ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentū baptismi.

Inf. q. 69. art. 9. & 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 3. & d. 27. q. 1. art. 2. q. 4. cor.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet, sicut patiēs in sacramento. Intentio autem non requiritur ex parte patiētis, sed ex parte agentis. Ergo videtur quòd ex parte baptizati, non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

¶2. Præterea, Si prætermittatur id, quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus: sicut cum prætermittitur inuocatio Trinitatis, vt suprà dictum. * Sed ex hoc non videtur aliquis esse denuo baptizandus, quòd intentionem non habebat suscipiēdi baptismum, alioquin cùm de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo quod intētio requiratur ex parte baptizati vt suscipiat sacramentum.

Q. 66. ar. 6.

¶3. Prætereà, Baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus (vt videtur) intentionem non requirit ex parte baptizati.

SED CONTRA est, quòd secundum ritum Ecclesiæ baptizandi, profitentur se petere ab Ecclesia baptismum, per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

RESPONDEO dicēdum, quod per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ nouitatem, secundum illud Roma. 6. Consepulti sumus Christo per baptismum in mortē, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur

riatur

riatur veteri vitæ, requiritur secun dũ Aug. in habente vsum libe. arbi voluntas, qua eũ veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, quã intendat vitæ nouitatẽ, cuius princi piũ est ipsa susceptio sacramẽti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, siue intentio suscipiendi sacramentum.

In lib. de medi. pœn. ca. 2. nõ longè à prin. to. 4.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in iustificatione, quę fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intẽtio recipiendi id quod ei datur.

AD SECVNDVM dicendũ, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non cõstaret, esset dicẽdum, Si nõ es baptizatus, ego te baptizo.

AD TERTIVM dicendum, quod baptismus ordinatur non solũ contra originale peccatum, sed etiam contra actualia, quæ per voluntatẽ & intentionem causantur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fides requiratur ex parte baptizati.

4. d. 6. q. 1. ar. 3. q. 1. c. q. 2. ar. 2. q. 3. cor. & d. 9. ar. 2. q. 3. ad. 2.

AD octauum sic proceditur, Videtur, quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi à Christo est institutum. Sed Christus formam baptismi tradens, fidem baptismo præmittit, dicens Mar. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Ergo videtur quod nisi sit fides, nõ possit esse sacramẽtũ baptismi.

¶ 2. Præterea, Nihil frustra in sacramẽtis Ecclesia agitur. Sed secũ dũ ritum Ecclesię, ille qui accedit ad baptismũ de fide interrogatur, cùm dicitur, Credis in Deum Patrem, &c. Ergo videtur quod fides ad baptismum requiratur.

¶ 3. Præterea, Ad baptismum requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc nõ potest esse sine recta fide, cũ baptismus sit rectę fidei sacramentum. per eum enim incorporãtur homines Christo (vt Augu.* dicit in lib. de baptismo paruulorũ) hoc autẽ non potest esse sine recta fide, secundũ illud Ephe. 3 Habitare Christũ per fidem in cordibus vestris. Ergo videtur, quod ille qui non habent rectam fidem, nõ possit suscipere sacramentum baptismi.

Lib. 1. de per. mert. & remi. c. 26. à med. to. 7.

¶ 4. Pręterea, Infidelitas est grauissimum peccatum, vt in secunda parte habitum est.* Sed permanentes in peccato, nõ sunt baptizandi. Ergo etiam nec permanẽtes in infidelitate.

2. 2. q. 10. ar. 3.

SED CONTRA est, quod Greg.* scribens Quirino Episcopo dicit, Ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim, in Trinitatis nomine baptizantur, cũ ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Hoc autem non esset si recta fides esset de necessitate baptismi. Non ergo recta fides ex necessitate requiritur ab susceptionem baptismi.

In regi. lib. 9. ep. 61. non longè à princ. & habetur de cõsec. d. 4. c. 43.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex dictis patet,* duo efficiuntur in anima per baptismũ, scilicet character & gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum. Vno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismũ, quia sicut

Q. 63. ar. 6. & q. 69. ar. 4. & 6.

ſicut dicitur Ro.3. Iuſtitia Dei eſt per fidẽ IESV Chriſti. Alio modo requiritur aliquid ex neceſſitate ad baptiſmum, ſine quo character baptiſmatis imprimi non poteſt. Et ſic recta fides baptizati non requiritur ex neceſſitate ad baptiſmum, ſicut nec recta fides baptizantis, dũ modo adſint cętera quę ſunt de neceſſitate ſacramẽti. Non enim ſacramentũ perficitur per iuſtitiã hominis dantis vel ſuſcipientis baptiſmũ, ſed per virtutem Dei.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dñs loquitur ibi de baptiſmo, ſecundũ quod perducit homines ad ſalutẽ per gratiã iuſtificantẽ. Quod quidẽ ſine recta fide eſſe non poteſt: & ideo ſignanter dicit, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

AD SECVNDVM dicendũ, quod Eccleſia intendit homines baptizare, vt emundẽtur à peccato: ſecundũ illud Iſai. 27. Hic eſt omnis fructus, vt auferatur peccatũ. Et ideo quantum eſt de ſe, non intendit dare baptiſmũ niſi habentibus rectã fidem, ſine qua non eſt remiſſio peccatorũ. Et propter hoc interrogat accedẽtes ad baptiſmũ, an credãt. Si tamen ſine recta fide aliquis baptiſmum ſuſcipiat extra Eccleſiã, non percipit illud ad ſuam ſalutẽ. Vnde Aug. dicit, Eccleſia paradiſo cõparata indicat nobis, poſſe quidẽ baptiſmũ eius, homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem percipere vel tenere.

Lib. 4. de Bapti. contra Donat. in prin. c. 7

AD TERTIVM dicẽdum, quòd etiã non habens rectã fidem circa alios articulos, poteſt habere rectã fidem circa ſacramentũ baptiſmi, & ita non impeditur quin poſſit habere intentionẽ ſuſcipiendi ſacramentum baptiſmi. Si tamen etiam circa hoc ſacramentum non rectè ſentiat, ſufficit ad perceptionem ſacramenti generalis intentio, qua intendit ſuſcipere baptiſmum, ſicut Chriſtus inſtituit, & ſicut Eccleſia tradit.

AD QVARTVM dicendũ, quod ſicut ſacramentũ baptiſmi non eſt conferendũ ei, qui non vult ab aliis peccatis recedere: ita etiã nec ei, qui non vult infidelitatẽ deſerere. Vterq; tamẽ ſuſcipit ſacramentũ, ſi ei conferatur: licet nõ ad ſalutẽ.

COMMENTARIVS.

Concluſio de præparationibus adulto neceſſariis ad ſuſcipiendum baptiſmum.

1 PRæparationes baptizandi adulti, & ſuę mentis compotis, his articulis cõtinentur. ex quibus hec cõcluſio colligitur. Peccatores adulti, qui non ſunt in affectu peccandi, baptizãdi ſunt: ſed eis neq; confeſſio, aut ſatisfactio ſacramentalis, ad ſuſcipiendũ baptiſmum neceſſaria eſt: requiritur tamen intẽtio & voluntas ſuſcipiendi ſacramentũ, ad veritatẽ ipſius ſacramenti: non tamẽ fides recta ſuſcipientis. Peccatores dicuntur, qui peccati macula etiã prætериti, infecti ſunt, nec ab eo plenè mundati, etiãſi affectum & propoſitũ peccandi omnino exuerint. his igitur aſſerimus baptiſmum rectè adminiſtrari. Ratio Theologica ſic concluditur, baptiſmus mundat & abluit ſordes peccati ex vĩ ſuę inſtitutionis, & ideo ſacramentũ mortuorũ dicitur, & infundit prætereà gratiã regenerantem in nouitatẽ vitę ſpiritualis: ſed primo ex his duobus, nõ repugnat pręteriti peccati macula & reatus: ſecundũ verò planè repugnat affectui & propoſito peccandi: baptiſmus igitur rectè adminiſtrabitur infectis macula peccati pręteriti, non autẽ perſeuerantibus in voluntate & propoſito peccandi. ſic de baptiſmo ſcriptum eſt, Epheſ.5. quod mundat Eccleſiam & fideles, in verbo vitæ: nõ mundatur autem, niſi quod eſt ſordibus peccati infectum. Baptizati etiam dicuntur Chriſto commortui & cõſepulti, id eſt mortis eius efficaciã participãtes, vt deletis peccatis, in nouã vitam reſurgãt, Roma.6. Gratia verò regenerans, quæ tribuit diuinĩ eſſe participationem & conſortiũ, quomodo poteſt

Explicatio

Probatio primæ part.

do poteſt cũ iniqua volũtate coniũgi, quę ad peccandũ propenſa eſt? quę enim participatio iuſtitię cũ iniquitate? 2. Cor. 6. certiſſima eſt enim illa ſentẽtia, etiam illuſtratis tantũ lumine rationis naturalis, quę eſt apud D. Aug. lib. de medicina pœnitent. cap. 2. nullus ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus, poteſt nouam vitam inchoare, niſi eum veteris vitæ pœniteat.

Pœnitentia adulto neceſſaria antè baptiſmum.

2 Quare licet omnis homo adultæ ętatis, baptiſmi characterẽ recipiat, permanẽs in affectu peccandi, ſi velit ex animo ſacramentum Eccleſię recipere: gratiam tamen iuſtificantem & dona illi adiuncta, ſine aliqua pœnitentia peccatorũ, non percipiet. dico autem pœnitentiæ virtutis actum, cũ deteſtatione peccati, & propoſito amplius non peccandi, licet contritio perfecta non ſit. ſatis eſt enim odium vitæ præteritæ aliquod, cum illo propoſito coniunctum, ita vt verè, qui ſic affectus eſt, peccatum deteſtetur, & propoſitum peccandi exuerit. Neutra enim quæ dicitur voluntas, cui neque diſpliceat peccatum, neque omnino placet, ficta eſt & ab hoc propoſito valde aliena. quare merito à ſacra ablutione reiiciendus eſt, cui in peccato perſeuerare placet, ne efficaciam baptiſmi ad regenerandum inanem reddat, & contemnat. Sic Petrus Act. 2. ad eos, qui compuncti corde dixerant, quid faciemus viri fratres? pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiq; veſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. expẽde illos fuiſſe corde compũctos, ſic enim actus quidã pœnitentiæ ſignificatur, non autem plena & perfecta contritio: & ideo monet princeps Apoſtolorum, vt baptizentur, tum ad remiſſionem peccatorum, tum ad donorum diuinorum infuſionem. Sic etiam videmus exordium Euangelicæ prædicationis ſemper fuiſſe pœnitentiam, vt ad baptiſmum benè præparati accederent. ſic denique in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. præparantur adulti, qui baptiſmo iuſtificãdi ſunt ab originali & actualibus peccatis, vt primò à gratia diuina excitati, & libere eidẽ cooperãtes, fidẽ ex auditu concipiãt: & peccatores ſe eſſe intelligentes, diuinę iuſtitię timore vtiliter concuciantur: ſpe erecti, Deũ propter Chriſtum propitiũ ſibi fore confidentes, & tanquã ſanctitatis autorẽ diligere incipiant: ac propterea aduerſus peccata moueantur per odiũ aliquod & deteſtationẽ, hoc eſt per eam pœnitentiã, quam ante baptiſmum agi oportet. quibus verbis planè ſignificatur, pœnitentiam eſſe neceſſariam, ſed non perfectã contritionẽ: ſubiungit enim, deniq; dum proponũt ſuſcipere baptiſmum inchoare nouam vitã, & ſeruare diuina mandata. Vnde ead. ſeſſ. 6. cap. 14. definitum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, aliam eſſe à baptiſmali: illa enim non ſolùm ceſſationẽ à peccatis & eorũ deteſtationẽ, ſed etiam ſacramentalẽ confeſſionem ſaltẽ in voto & ſuo tempore faciendã, ſacerdotalem abſolutionẽ, & ſatisfactionem pro pœna tẽporali, quę tota baptiſmo deletur, cõtinet. legẽdus de hac re D. Aug. hom. vlt. ex 50. lib. de vtilitate pœniten. cap. 1. Chryſoſt. hom. ad populum Antiochenum. hæc de prima parte concluſionis.

Paſsionis Christi efficacia per baptiſmum & alia ſacramenta.

3 Altera & tertia pars, negat peccatoribus adultis, vt iuſtificentur ab origiuali & actualibus peccatis, neceſſariam eſſe ſacramentalẽ confeſſionem, aut ſatiſfactionẽ, quę in eadẽ imponi ſolet, vt dignè præparẽtur ad recipiendum baptiſmũ: licet illis neceſſarium eſſe oſtenderimus aliquẽ actum pœnitentię virtutis. id verò ſic apertè concludi poteſt. In baptiſmo Chriſto cõmortui & cõſepulti, noui homines efficimur, in quibus de vetuſtate peccati nihil remanet, alioquin non eſſet per baptiſmũ plena & perfecta regeneratio: per illũ ergo liberamur à reatu omnis pœnæ, & ideò neque ſatisfactione indigemus, cũ hęc ſit ſolutio pœnę temporalis: neque confeſſione ſacramentali, quę nobis & remiſſionem peccati, cum ea ſit à baptiſmo pleniſſima, per abſolutionem impendat, & ſatisfaciẽdi obligationẽ imponat. Qui enim cõmoritur Chriſto per baptiſmũ, ſic paſſioni & morti eius incorporatur, ac ſi ipſe paſſus & mortuus eſſet, vt rectè inquit D. Tho. inf. q. 69. art. 2. id enim eſt commortuũ eſſe cum illo. nec aliter intelligi poteſt regenerari hominem interius, & nouũ eſſe diuinũ participare, quã ſi de peccatis omnibus pręteritis, nihil omnino remaneat, quod vel culpæ vel pœnę rationem habeat. alioquin nõ fieret per illã regenerationem plenè & perfectè nouus homo: itaque vt hic effectus per ſe & proprius baptiſmi, altè menti inſideat, ratio illa commortui Chriſto, & regenerati noui hominis accuratè expendenda eſt. Sic

Quid ſit Chriſto commortuum eſſe, regenerari, & effici nouam creaturam per baptiſmum.

de baptismo semper loquitur D.Paul. Roma.6.Gala.3.Ephe.5.&deo ex hoc principio D.Tho. deducit confirmationem omnium ferè sententiarum, de baptismi prepa rationibus & effectis hac q.& proxima sequenti. Vnde diuina est sententia Concilij Trid.sess.6.c.2. ad distinguendum baptismũ à pœnitentiæ sacramento. alius, inquit, præterea est baptismi, alius pœnitentię fructus. per baptismum enim Christum induẽtes, noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamẽ nouitatem & integritatem per sacramentũ pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, diuina id exigẽte iustitia, peruenire nequaquã possumus: vt meritò pœnitentia laboriosus quidã baptismus, à sanctis Patribus dictus fuerit. hactenus Conciliũ.

4 Quamuis enim omnia sacramenta, ex passione Christi vim & efficaciam adepta sint, vt ostendimus sup.q.62.nu.21.& omnibus infundatur gratia dignè suscipientibus, finita & determinata: tamẽ quia gratia baptismi, etiã si certo gradu definita, regenerandi in nouam vitam, vim habet, & cõmortuos nos Christo cõstituit: ideo in remittenda omni culpa & pœna, nullis est cõprehensa terminis, sed omnẽ omnino culpam & pœnam æternã & temporalem remittit: quia aliter nouã creaturam per regenerationem non constitueret, nisi omnem reatũ pœnæ aboleret, & omnem peccati vetustatem deleret. neq; verò inde efficitur, nos imputatam iustitiam & satisfactionem Christi constituere, cũ sine vlla propria satisfactione, adultis baptizatis, Christi satisfactionẽ applicamus. Sic enim D.Th.q.69 art.2. omni, inquit, baptizato cõmunicatur passio Christi ad remediũ, ac si ipse passus & mortuus esset. & iterũ, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. quamuis enim baptizato applicetur satisfactio & iustitia Christi, non tamẽ est iustitia Protestãtium, quæ dicitur nobis imputata, cũ sit propria Christi. in hac enim imputatione tantũ est externa denominatio iustitiæ, quę inhęret Christo tantũ, & nulli iustificato: vt medicamentũ dicitur sanũ ab externa sanitatis animalis denominatione, quatenus eã efficit, tuetur & conseruat. at baptizati formaliter sunt iusti, per inhærentem iustitiã, baptismi efficacia infusam, & non secundũ externam denominationem.

Qua ratione baptizatis imputatur Christi satisfactio, ac si esset illorum propria.

Sed quia forma hęc inhęrens illis, est gratia regenerans, & nouam efficiens creaturam, atq; nos insertos Christo, mẽbra illius noua & viua constituens, ideo satisfactio Christi fit nostra, quia sumus membra sui corporis noua, abolita omni vetustate peccati, & quę est pro omnibus impensa, vnicuiq; accommodatur, quantum satis est, vt nouus homo efficiatur.

5 Quarta pars propositæ cõclusionis, exigit ab adulto baptizando voluntatẽ & intẽtionem suscipiendi sacramentum, alioquin veritas illius nõ constabit, neque recipiet characterẽ aut gratiam. itaque si quis coactus & inuitus baptizaretur, baptismi sacramentũ non suscipit: quod si velit, etiam minis, aut metu imminentis mali impulsus, sacramentũ suscipit & characterẽ, non gratiã: cũ nolit interius absolutè nouam vitam inchoare. minister tamen sacramenti grauiter peccat, quia nõ minis, sed adhortationibus homines ad baptismũ alliciẽdi sunt. itaque consensus minis expressus, qui ad contrahendũ matrimonium nõ valet, quia Ecclesia huiusmodi contractũ rescindit, is sanè valet ad recipiendum baptismi characterẽ, vel ordinis, quia satis est diuino iure consensus, quamuis ratione extortus. dico consensum internum, etiam ex metu prouenientẽ: nam si exteriùs propter metum cõsentire videtur, & interiùs dissentit & renuit, planè sacramentum non recipit: licet Ecclesia eum baptizatũ iudicaret, & in suis fidelibus numeraret. Ratio huius partis ex præcedentibus apertè deducitur. nouam enim vitã, hominem mentis suę compotẽ inchoare, cum pręteritę detestatione impossibile est, nisi volentẽ & libenti animo: sed baptismo nouam vitã inchoamus, præterita peccata detestantes: baptismum igitur nullus suscipere potest nisi volens & libẽter. Præterea nullus nisi volens religionẽ profiteri potest: baptismus autem est fidei professio, & religionis Christianę protestatio: baptismũ igitur nullus nisi volẽs suscipere potest. quare ex sancta traditione semper obseruatũ est, vt nemini baptismus ministretur, nisi prius interrogatus fuerit, an velit baptizari. quomodo autem etiã in infantibus volũtas suscipiendi baptismũ accipienda sit, explicabitur art.9. huius q. ad 1. & 2. neminẽ autem inuitum baptizandum esse disseretur. art.10. eiusd.q. Scio quosdã Theologos, sine voluntate suscipientis, verum

Consensus ad baptismum suscipiendum.

rũ baptiſmum cenſere, ſed nulla certa ratione & firma nituntur.

Recta fides in ſuſcipiente quo modo non ſit neceſſaria.

6 Reliqua eſt vltima concluſionis pars, fidem rectã in ſuſcipiente nõ eſſe neceſſariam ad veritatẽ ſacramenti, quãuis ea deficiente, gratiã ſacramenti conſequi non poſſit, cum noſtrę ſalutis initiũ ſit recta & ſincera fides, characterẽ tamen recipiet. itaq; hęreticus vel circa alia fidei dogmata, vel circa ipſum baptiſmũ, modò intendat ſuſcipere baptiſmũ, ſicut Chriſtus inſtituit, & ſicut Eccleſia docet, verum baptiſmũ recipiet, cum enim eſſentialia ſacramenti conſtant, neceſſe eſt veritatem ſacramenti cõſtare: fides autẽ miniſtri, vt oſtenſum eſt ſuprà q.64.n.18.& ſequentibus, nõ eſt ad eandem veritatem ſacramenti neceſſaria, neq; ſuſcipientis fides in partibus eſſentialibus ſacramenti numeratur: non eſt igitur neceſſaria ad veritatem ſacramenti. idẽ euidenter oſtendit antiqua & recepta Eccleſiæ catholicę conſuetudo, quæ baptizatos in hæreſi, vel ab hæreticis, eſſentialia ſacramentorũ adhibentibus, non rebaptizat, cũ ad Eccleſiam catholicam venerint, ſed pœnitentes admittit, de quo diſſeruimus ſup. q.66.ar.9. ab hereticis igitur confertur, & recipitur verum ſacramentum, ſed non ad ſalutem.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pueri ſint baptizandi.

4.di. 4ª q. 3ª ar.1. q. 1. & Mal.q. 4. ar. 1.co.princ. & quol.4.ar.10. cor. Et quol.9. ar.12.cor. ar. 7. huiusq.

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod pueri non ſint baptizandi. in eo enim qui baptizatur, requiritur intentio ſuſcipiendi ſacramentũ: vt ſupra dictum eſt.* Huiuſmodi autẽ intentionem nõ poſſunt pueri habere, cùm non habeãt vſum liberi arbitrij. Ergo videtur, quod non poſſint ſuſcipere ſacramentum baptiſmi.

¶2. Præterea, Baptiſmus eſt fidei ſacramentũ, vt ſupra dictũ eſt.* Sed pueri non habent fidem, quæ conſiſtit in credentium voluntate, vt Aug.* dicit ſuper Ioan. Nec etiã poteſt dici quod ſaluetur in fide parentũ: quia quandoq; parentes ſunt infideles, & ſic magis per eorum infidelitatẽ damnarentur. Ergo videtur q pueri nõ poſſint baptizari.

Q.65.ar. 1.

In lib. de prædeſt.ſanct. c.5. in fi.to. 7.

¶3. Præterea, 1. Pet. 3. dicitur, quod homines ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum. Sed pueri neque conſciẽtiam habent bonam vel malam (cũ non habeant vſum rationis) neque etiam conuenienter ipſi interrogãtur, cum non intelligant. Non ergo pueri debent baptizari.

SED CONTRA eſt, quod Dionyſ. dicit vltimo cap. Eccleſ. hiera. Diuini noſtri duces, ſcilicet Apoſtoli, probauerunt infantes recipi ad baptiſmum.

C.7. Eccle.hie. nõ procul à fi

RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut Apoſtolus dicit, Roma. 5. Si vnius delicto, mors regnauit per vnum, ſcilicet per Adam, multò magis abundãtiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnũ IESVM Chriſtum. Pueri autẽ ex peccato Adæ, peccatum originale contrahunt. †Quod patet ex hoc quod ſunt mortalitati ſubiecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertranſiit, vt Apoſtolus ibidem dicit. Vnde multo magis pueri poſſunt per Chriſtum gratiam accipere, vt regnẽt in vita æterna. Ipſe autem Dominus dicit, Ioan. 3. Quod niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Vnde neceſſarium fuit pueros baptizari, vt ſicut per Adam damnationem incurrerunt naſcendo,* ita per Chriſtum ſalutem conſequantur renaſcendo.†

Vt dicit Aug. lib.5. Hypog. & lib.1. de pec cat. mer. & rem. cap. 18, to. 7.

Aug. de Gene ad lite. lib.10. cap.11. tom.3. Conc. Mileui. c.2. tomo.1.

Fuit etiam conueniens pueros baptizari, vt à pueritia nutriti in his, quæ ſunt Chriſtianæ vitæ, firmius in ea perſeuerent, ſecundum illud Prouer. 22. Adoleſcẽs iuxta

 viam

viam suam, etiã cũ senuerit non recedat ab ea. Et hanc rationem assignat Dion.*vlt.ca.Eccle.hierar.

c.7.Eccle. hierar.non procul à fi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod regeneratio spiritualis, quę fit per baptismum, est quodammodo similis natiuitati carnali, quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis vteris constituti, non perseipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habẽtes vsum rationis, quasi in vtero matris Ecclesiæ constituti, nõ perseipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Vnde Augu.* dicit in lib. de peccatorum meritis & remissione. Mater Ecclesia os maternum paruulis præbet, vt sacris mysteriis imbuantur. quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiã, nec ore proprio confiteri ad salutem. *Si autem propter ea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitãtur. cur etiam nõ pœnitentes habeantur, cum per eorundem verba gestantium, diabolo & huic sęculo abrenuntiare monstrentur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis: cum ipsi quandoque contranitantur & plorent, sed per actũ eorum à quibus offeruntur.

Lib.1.c.25.circa fi.to.7.

Eod.lib c.19. circa, fi.to.7.

AD SECVNDVM dicendũ, quod sicut August.* scribens Bonifacio dicit, in Ecclesia Saluatoris paruuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles: quia sicut* Aug. dicit, eidem Bonifacio scribens, offerũtur paruuli ad percipiẽdam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorũ gestãtur manibus (quãuis & ab ipsis si & ipsi boni fideles sunt) quã ab vniuersa societate sanctorũ atq; fidelium. Ab omnibus nanq; offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorũ charitate ad communionem sancti Spiritus adiungũtur. Infidelitas autẽ propriorum parentũ, etiam si eos post baptismum dæmoniorũ sacrificiis imbuere conentur, pueris nõ nocet: quia vt Augusti.*ibidem dicit, puer semel generatus per aliorũ voluntatẽ, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis abstringi, vbi nulla sua voluntate consentit, secundum illud, Ezech.18. Sicut anima patris mea est, ita & anima filij: anima quę peccauerit, ipsa morietur. Sed ideo ex Adam traxit, quòd sacramenti illius gratia solueretur: quia nõdum erat anima separatim viuens. Fides autem vnius immò totius Ecclesię paruulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui vnit Ecclesiam, & bona vnius alteri communicat.

Ep.23.c. 2.

In ea.ep.23.in me.to.2.

Ea ep.23. circa trin to.2. habetur de Cõsec.d.St.4.ca.129.

AD TERTIVM dicendum, quod sicut puer cum baptizatur non perseipsum, sed per alios credit: ita nõ perseipsum, sed per alios interrogatur: & interrogati confitentur fidẽ Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramẽtum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso: non quidẽ actu, sed habitu per gratiam iustificantem.

ARTICVLVS X.

Vtrum pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam inuitis parentibus.

2.2.q.10.art 12.& quol.2. ar.7.& quol. 2. ar. 7. 1. cor.

Magis

Magis enim debet homini subueniri contra periculum mortis æternæ, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existēti est subueniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subueniēdum pueris infidelium filiis, per baptismum contra periculum mortis æternæ, etiam inuitis parentibus.

¶ 2. Præterea, Filij seruorū sunt serui, & in potestate dominorum. Sed Iudæi sunt serui, & regum & principum, & quicunque etiam alij infideles. Ergo absque omni iniuria possunt principes filios Iudæorum vel aliorum seruorum infidelium facere baptizari.

¶ 3. Præterea, Quilibet homo est magis Dei, à quo habet animā, quàm patris carnalis, à quo habet corpus. Non est ergo iniustum, si pueri infidelium filij parētibus carnalibus auferantur, & Deo per baptismum consecrentur.

Sed contra est, quod in Decret.* dist. 45. ex Concilio Toletano sic dicitur de Iudæis. Præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volētes, vt integra sit forma iustitiæ.

Dist. 45. c. de Iudæis, Ex Cōcil. Tol. 4. c. 55

Respondeo dicēdum, quod pueri infidelium filij, aut habent vsum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea, quæ sunt iuris diuini vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse. Et ideo propria voluntate inuitis parentibus possunt baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere. Et ideo tales licitè moneri possunt & induci ad suscipiendum baptismum. Si verò nondum habent vsum liberi arbitrij, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi prouidere non possunt. Vnde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod saluauantur in fide parentum. Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri inuitis parentibus baptizarentur: sicut etiam si aliquis habens vsum rationis baptizaretur inuitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filij infidelium inuitis parentibus baptizentur.

Ad primum ergo dicendum, quod à morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris ciuilis: puta si aliquis à suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere. Vnde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturæ, quo filius est sub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis æternæ.

Ad secundum dicendū, quod Iudæi sunt serui principum seruitute ciuili: quæ non excludit ordinem iuris naturalis vel diuini.

Ad tertium dicendū, quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Vnde puer ante quam vsum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationē parentum, quorum curæ naturaliter subiacet, & secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum diuina agenda.

ARTICVLVS. XI.

Vtrum pueri in maternis vteris positi, sint baptizandi.

4. d. 6. q. 1. artic. 1. q. 1. & d. 23. q. 2. ar. 2. q. 1. ad 1. & 2.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quod pueri in maternis vteris existentes possint baptizari. Efficacius enim est donum Christi ad salutem, quam peccatum Adę ad damnationē, vt Apostolo dicit, Rom. 5. Sed pueri in maternis vteris dānantur propter peccatum Adæ. Ergo multo magis saluari possunt per donum Christi. quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis vteris existentes possunt baptizari.

¶ 2. Prætereà, Puer in vtero matris existens, aliquid matris esse videtur. Sed baptizata matre, baptizatur quicquid est eius intra ipsam existens. Ergo videtur, quòd baptizatata matre, baptizetur puer in vtero eius existens.

¶ 3. Prętereà, Mors æterna peior est, quàm mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum est eligendum. Si ergo puer in vtero matris existēs baptizari nō potest, melius esset, quòd mater aperiretur, & puer vi eductus baptizaretur, quàm quòd puer æternaliter damnaretur absque baptismo decedēs.

¶ 4. Prætereà, Contingit quandoque, quod aliqua pars pueri prius egreditur: sicut legitur Genes. 38. quòd pariente Thamar, in ipsa effusione infantiū, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens, Iste egredietur prior, illo verò manum retrahente, egressus est alter. Quandoque autem in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur, quòd illa pars debeat baptizari, puero adhuc in materno vtero existente.

SED CONTRA est, quod Augu. *dicit in Epist. ad Dardanum, Nemo renascitur nisi primò nascatur. Sed baptismus est quędam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex vtero nascatur.

Epi. 57. inter me. & fi. to. 2.

RESPONDEO dicēdum, quòd de necessitate baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cùm baptismus sit quædam ablutio: vt suprà dictum est.* Corpus autem infantis antequam nascatur ex vtero non potest aliquo modo ablui aqua, nisi fortè dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lauatur ad filiū in ventre existātem perueniat. Sed hoc esse non potest: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationē ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati, iam est formatum, & per consequens à corpore matris distinctum. Et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem, in vtero matris existētem. Vnde Augustinus * dicit contra Iulianū. Si ad matris corpus id quod in ea cōcipitur, pertinet, ita vt eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm ipse etiam, scilicet, infans baptizetur, non vtique ad maternum corpus, cùm esset in vtero, pertinebat. Et ita relinquitur, quod nullo modo infantes in maternis vteris existentes, baptizari possunt.

Q. 66. ar. 1.

Lib. 6. cap. 14 non longe ante med. to. 7.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod pueri in maternis vteris existentes, nōdum prodierunt in lucē, vt cum aliis hominibus vitam ducant.

cāt. Vnde non possunt subiici actioni humanæ, vt per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Possunt tamen subiici operationi Dei, apud quem viuūt, vt quodam priuilegio gratiæ sanctificationem consequantur: sicut patet de sanctificatis in vtero.

Ad secundum dicendū, quod membrum interius matris est aliquid eius per continuationem & vnionem naturalem partis ad totū. Puer autē in vtero matris existens, est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicēdum, quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona, vt dicitur, Rom. 3. & ideo nō debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit viuente prole in vtero, debet aperiri vt puer baptizetur.

Ad quartum dicendū, quod expectanda est totalis egressio pueri ex vtero ad baptismū, nisi mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente: & non est postea rebaptizandus si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quæcunque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite videtur quibusdam quod propter dubiū, quacunque alia parte corporis abluta, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma, Si non est baptizatus, ego te baptizo.

ARTICVLVS XII.

Vtrum furiosi & amentes debeant baptizari.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod furiosi & amētes, non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur: vt supra dictum est.* Sed furiosi & amentes, cum careant vsu rationis, non possunt habere ordinatam intentionem. ergo non debent baptizari.

4. d. 4. q. 3. ar. 1. q. 3. Et d. 18. q. 1. art. 3 q. 1. cor. & ve ri. q. 28. ar. 3. ad 2.

Art. 7. huius q. 1.

¶2. Præterea, Homo bruta animalia superexcedit in hoc quod habet rationem. Sed furiosi & amentes non habent vsum rationis: & quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur, quod sicut bruta animalia non baptizantur, ita nec tales furiosi & amentes debeant baptizari.

¶3. Præterea, Magis est ligatus vsus rationis in furiosis vel amentibus, quàm in dormientibus. Sed baptismus non cōsueuit dari dormiētibus. Ergo non debet dari amentibus & furiosis.

Sed contra est, quod August. dicit, 4. Confes. de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nescieus: & tamen baptismus in eo efficaciam habuit. Ergo carētibus vsu rationis, aliquando baptismus dari debet.

Lib. 4. c. 4. parum ante me. to. 1.

Respondeo dicendum, quod circa amentes & furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt à natiuitate tales, nulla habētes lucida interualla: in quibus etiam nullus vsus rationis apparet. Et de talibus quantum ad baptismi susceptionē, videtur esse idem iudicium & de pueris, qui baptizantur in fide Ec-

 clesiæ,

Ar. 9. huius q. clesiæ, vt supra dictum est. *Alij verò sunt amentes, qui ex sana mente quam habuerunt prius, in amentiã inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum volũtatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis volũtas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia & amentia cõstitutis: etiam si tunc actu contradicant: alioquin si nulla voluntas suscipiẽdi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. *Quidam verò sunt, qui etsi à natiuitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti possunt. Vnde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiã in amentia constituti. Et debet eis tunc sacramentum conferri si periculum timeatur: alioquin melius est, vt tẽpus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, quod deuotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam verò sunt, qui etsi non omnino sanæ mẽtis existant, in tantum tamen ratione vtũtur, quod possunt de sua salute cogitare, & intelligere sacramẽti virtutem. Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sanę mentis existunt, qui baptizantur volentes non autem inuiti.

Vt habetur in Decr. lib. 3. ti. 42. c. 3. in fin.

Ad primum ergo dicendum, quod amentes, qui nunquam habuerunt, nec habent vsum rationis, baptizantur ex intentione Ecclesiæ, sicut & ex actu Ecclesiæ credunt & pœnitent: sicut suprà de pueris dictum est. * Illi vero qui aliquo tempore habuerunt vel habent vsum rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tẽpore sanæ mentis.

Ar. 9. huius q.

Ad secundum dicendum, quod furiosi vel amentes carẽt vsu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis: non autẽ propter defectum animæ rationalis, sicut bruta animalia. vnde non est de his similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod dormientes non sunt baptizãdi nisi periculũ mortis immineat: in quo casu baptizari debẽt, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut & de amentibus dictum est. *Sicut August. *narrat in 4. lib. Cõfessi. de amico suo, qui baptizatus est nesciẽs, propter periculum mortis.

In cor. ar. *Lib. 4. c. 4. parũ ante med. to. 1.*

COMMENTARIVS.

1 De adultorum baptismo dictum est, reliquum est, vt de paruulorũ baptismo dicamus. conclusio ex omnibus articulis est: paruuli baptizandi sunt, non tamen vtero inclusi, sed in lucem editi, nec infideliũ filij parentibus inuitis: ad pueros verò referuntur amentes à primo ortu, nisi per interualla ad mentem sanam reuocentur. Prima pars est dogma catholicum, ex diuina traditione in Ecclesia retentum, iã inde ab Apostolis, vt autor est Dionys. c. 7. de Eccles. hierar. & ex Patrum testimoniis latissimè deducit, D. Aug. lib. de bapt. paruulorum. idem etiam euincit ratio Theologica. Gratia enim Christi abundantior ad salutem est, quàm peccatum primi parẽtis ad perditionem hominũ, Rom. 5. Sed illud peccatum paruulos infecit peccato originali: ergo gratia Christi mundabit ad salutem. baptismus autem tãtum paruulos mũdare potest ab originali: baptizandi sunt igitur, ne pereant. prætereà, circuncisio vmbra baptismi & typus, octauo die à natiuitate pueris secundum legem administrata est: baptismus igitur pueris administrabitur,

De baptismo paruulorum.

tur,vt veritas vmbræ respondeat. Deinde cùm legimus totam aliquam familiam à Paulo baptizatam esse, satis cõstat pueros, etiam qui in eorum numero erant, baptizatos fuisse, sic legitur, 1. Cor. 1. & Acto. 16. Denique videtur planè Dominus pueris baptismi gratiam concedere, cùm de eis dicat Matt.19. sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, taliũ est enim regnum cælorum: quos etiam amplexabatur, super quos manus imponebat, quos benedicebat, Mar.9. & 10. Fuit quidem grauis Ecclesiæ catholicæ controuersia cum quibusdam nouatoribus prȩsertim ætate D. Augustini, sed tandem antiqua sententia de baptizandis paruulis retenta est ex Apostolorum diuina traditione, vt obseruauimus ad art.1. & 2. huius q. huius verò traditionis testes sunt, omnes fere Patres veteres, vt constat ex D. Cypriano, epi.59. de pueris baptizandis, & ad eandem annotatione Pamelij, nu.5. quæ testimonia aliorum continet: constat etiam ex D. August. confessione, lib.3. cap.3. & ex Hieronymiana eodem Tom. & cap. 3. Concil. Mileuitan. can.2. Africano, can. 77. Lateranen. sub Innocent. III. can. 1. Trident. sess. 5. canon.4.

Paruuli in baptismo quomodo credant.

2 Qui verò baptismum paruulis negant, quòd credere non possint, & sine fide impossibile sit placere Deo, hi profectò insigniter impudẽtes sunt, quasi Ecclesia, quȩ eis baptismũ administrat, ignoret, eos aliena fide offerri ad baptismum, ex prȩcepto diuino, & fidem diuinitus infusam in baptismo accipere, vt cum adoleuerint, credere possint sicut oportet. Ratione autẽ huius fidei infusæ, inter fideles numerantur, & quatenus baptizantur credere dicuntur, ex D. Augustino, lib.1. de peccat. merit. c. 20. & 27. & 33. & hanc vocat consuetudinẽ Ecclesiæ canonicam & fundatissimã serm. 14. de verb. apostoli. itaque vt adulti fideles vocantur mentis assensu, ita paruuli fidei sacramentum percipiendo, epist. 23. ad Bonifacium. consentaneum est enim, vt sicut parentum peccato polluti sunt, sic parentum fide purgentur. corpus mortis in primis parẽtibus generauit eos peccatores, spiritus vitæ in posterioribus parentibus regenerauit eos fideles.

4. p. concl.

De baptismo amentium & dormientium.

3 Ad eandem sentẽtiam & rationem de paruulorum baptismo, expendendus est baptismus amentiũ & furiosorum. Si enim numquam rationis vsum habuerũt, eos in fide Ecclesiæ, vt pueros, Ecclesiæ consuetudo & autoritas baptizandos admonet, qui aliquo tempore habuerunt vel habent vsum rationis, secundum eam intentionẽ baptizentur, quam habent vel habuerunt tempore, quo suȩ mẽtis compotes fuerũt. itaque si in discrimine vitæ versentur, & antequam furere inciperent, voluntatis suscipiendi baptismum, significationem dederunt, abluendi sunt: sin minus à baptismo abstinendum est. idem iudicium sit de dormientibus. horum nulla ratio alia est, quã fuit puerorum: in omnibus enim rationis nullus est vsus: & ideo Ecclesiæ consuetudinem, quæ eisdem baptismum administrat, sequi oportet.

Pueri nondum in lucem editi non sunt baptizandi.

4 Sed de pueris nondum in lucem editis, quos secunda parte conclusionis comprehendimus, constat baptismo non esse tingendos, tum ex his, quȩ disseruimus de eisdem ad artic.1. & 2. huius quȩst. tum etiã, quia vt inquit August. epi.57. nemo renascitur, quod est propriũ baptismi, nisi prius nascatur. Sic etiam concludere licet ex eodem, lib. 6. cõtra Iulianum, cap.5. puer adhuc vtero conclusus nec abluitur, si mater abluatur: quia animam abluendam à sordibus peccati distinctam habet: nec ipse per se ablui potest: non ergo baptizari potest nisi in lucem editus, cum baptismus, ablutione corpus contingente, necessariò perficiatur. An verò liceat inciso vtero matris, puerũ, vt baptizetur, extrahere, vel emissam aliquam partem baptizare, D. Thom. in responsionibus ad argumenta apertè expressit.

Disputatio de filiorum baptismo, inuitis parentibus infidelibus.

5 MAior autem & valde difficilis, Theologorum inter ipsos, controuersia est, de pueris Iudȩorum vel aliorum infidelium, inuitis parentibus baptizãdis. nos autem censemus cum D. Thom. huiusmodi filios infidelium, habentes quidẽ vsum rationis, inuitis parẽtibus, ad fidẽ & baptismum induci posse: non habentes autẽ, induci non posse. Primi ratio est: quia in his, quæ sunt diuini iuris & naturalis, filius ratione vtens in sua est, & non alterius potestate; potest ergo fidem Christianam

nam & baptismum suscipere etiam inuitis parentibus, quòd hæc sint diuini iuris. sic etiam filij cōtrahere possunt matrimoniū, inuitis parentibus: quia contrahendi potestas est iuris naturalis. Sic de omnibus Iudęis Toletan.4.Concil. & habetur de consec.d.4.pręcipit,nemini deinceps ad credēdum vim inferri:cui enim Deus vult miseretur,& quem vult indurat. non enim tales inuiti saluandi sunt,sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ.sicut enim homo propria arbitrij libertate, serpenti obediens periit,sic vocante se gratia Dei,propriȩ mētis conuersione credendo saluatur. Secundi ratio sit,quia inuitis parentibus puerum baptizare,est contra ius naturȩ, quȩ ipsis filios subiicit, quandiu per naturam suȩ mentis potestatem, & vsum non habent: non licet autem ius naturæ violare,pręsertim quod valde verendum esset, ne repugnantibus parentibus baptizati, ipsorum familiari & frequenti adhortatione,ad infidelitatem & patrium cultum reuerterentur.itaque firmamentum huius sententiæ, est ius patriæ potestatis in filios, nondum suæ mentis potestatem habentes. fidelium autem filios,potest & debet Ecclesia, etiā inuitis parentibus baptizare,quia in parentes & res eorum vim habet coactiuam & coercitionē. omnia hæc confirmat Ecclesiæ consuetudo,quȩ priores illos filios non baptizat,hos vero posteriores fidelium baptizat.illud vero omnibus certissimum est, baptismum paruulorum siue parentes consentiant,siue repugnent, ratum esse & firmum,quia nihil deest ad essentiam sacramenti:sed illis inuitis non rectè administrari,quòd ipsis fiat iniuria,contendimus.

D.Tho. sententia,& firmamētum, de baptismo paruulorū inuitis parentibus infidelibus

6 Hanc sententiam semper defendit & tuetur D.Thom.& eius sectatores doctissimi,4.sentent.dist.5.Capreol. Caiet.in cōment. Dominicus Soto quondam pręceptor meus,non sine honoris pręfatione nominandus,Paludanus pretereà,Marsil.4.q.4.art.4.dubio 2.Ricar.4.d.6.ar.& q.3.hoc dilemmate eandem sententiam sic concludit.aut enim paruuli inuitis parentibus infidelibus baptizati, eisdem restituerentur educādi aut non:si primum,eos proculdubio periculo apostasię exponeremus:si secundum,fieret iniuria parentibus, quorum est iure naturali patria potestas in filios, quamdiu sui iuris nōn sunt: non sunt ergo inuitis parentibus baptizandi. Eadem rationis progressio fuit semper in D. Tho.cū ostendisset enim.2.2. q. 10. art. 8. nullum adultę ętatis ad fidem suscipiendam compellendum esse,deinceps art. 10. eiusdem q.idem plane de baptismo paruulorum parentibus infidelibus inuitis,cōcludit, quod hoc loco conclusum ostendimus.vt ex omnibus colligeretur, nullum adultū,aut paruulum parente inuito infideli, ad fidem vel fidei sacramentum,cogendum esse.plerisque aliis Theologis hæc sententia non placet:imo verò affirmant, si non à priuata persona, saltem à principe potestatem in repub.habente, ad baptismum adducendos esse paruulos,inuitis etiam parentibus infidelibus.

7 Quin etiam Scotus 4.d.4.q.9. quem sequitur Gab.ead.d.q.2.dubio 5. ad eundē principem pertinere, non tantum filios infidelium parentum sibi subditorum, eisdē inuitis baptizandos curare, sed etiam parētes ad suscipiendum baptismum cogere, & susceptum tueri & conseruare: adhibita tamen diligenti cautione, ne parētes odio religionis Christianæ, pręuidentes hoc futurum,filios occiderent:& vt religiose educarentur, à parentum cura & institutione separati:non tantùm,inquit, hoc religiosè princeps Christianus faciendum curaret, sed etiam studio religionis propagandę teneretur. Rationem primi colligit ex argumento 3.huius art.& D.August. homil. 6. de verb.dom. in omnibus enim potestatibus,quȩ ordine continentur & legitima dispositione,inferioris pręceptum repugnāte superiori,non obligat, cum potius inferioris intersit, subiectos ad obedientiam superioris compellere. vinculum igitur, & ius patriæ potestatis, nullam vim habet in his,quæ pręceptis Dei summi principis & Domini repugnant: cuiusmodi est præceptū de paruulis baptizādis,vt supra ostēdimus.Ratio secundi hęc est, ex duobus malis,quod min⁹ est,eligi oportet,si alterutrū eligere sit necesse, quia minus malum,in hoc discrimine, boni rationem habet: minus autē malum est, nō posse per coactionem,infidelitatem & sectam retinere, quā sine vllo metu in ea perseuerare: expediret igitur non solum filios infidelium baptismo abluere,sed etiam parētes inuitos, & repugnantes.pręsertim cùm sperandum esset,his omnibus religiosè institutis & educatis, quod eorum posteri in tertia aut

Scoti sentētia.

Firmamenta eiusdem.

quarta

quarta progenie, verè & ex animo fideles essent: ideoque olim in Concilio Toletano, 4. Sisebutum Regem religiosissimum à Patribus Concilij vocatum esse, quòd Iudæos inuitos, & eorũ filios, ad suscipiendũ baptismum compulisset. Ex hac Scoti deductione constat eius sententiam tantum intelligẽdam esse, de principe Christiano, cui infideles subiecti sint: cùm tota nitatur coactiua potestate eiusdem principis: vt obseruauit doctissimus Pater Frãciscus Victoria, primus apud nostros D. Thomæ clarissimus interpres, & defensor, in relectione de Indis priori, propositione 6.

Durandi sententia de adultis & paruulis.

8 Duran. 4. d. 4. q. 6. primò quidem censet, adultos nullo modo minis aut pœnis, ad fidem aut baptismum compellendos esse, sed potius persuasionibus & doctrina alliciendos: vt colligunt Patres ex illo præcepto Domini, docete omnes, & baptizate, Matth. vlt. vt doctrina baptismum præcedat: quia fieri non potest vt corpus recipiat baptismi sacramentum, nisi anima antè fidei veritatem susceperit. Qui autem fidem susceperint aut baptismum, compellendi sunt, vt opere compleãt, quæ promiserunt. Hoc etiam D. Thom. docet, 2. 2. q. 10. art. 8. affirmans infideles negatiuè, aut contradictoriè, qui fidem nostram nunquam susceperunt, ad suscipiendam non esse cogendos: infideles verò contrariè, vt hæreticos & apostatas, cogẽdos esse. quare Duran. hactenus de adultis cũ D. Thoma conuenit, & dissentit ab Scoto, quatenus pium & religiosum esse putat, adultos ad fidem & baptismum suscipiendum cõpellere.

9 Sed de paruulis Duran. non simpliciter & absolutè, vt D. Thom. definit, sed potius sic esse distinguendũ censet. aut enim hi paruuli & eorum parentes infideles, separati sunt à dominio & conuersatione fidelium, aut eisdem subiecti. Si primum, vt fuerunt olim Sarraceni Granatenses, non licet res eorum aut filios, dominis aut parẽtibus inuitis, vel auferre, vel ad baptismum compellere. constat enim iure naturali & diuino prohibitum esse nobis, res alienas deliberato animo concupiscere: tantum abest vt inuitis dominis vsurpare liceat. De iure autem belli iusti, quo victi res, victoris dominio subiiciuntur, alia ratio est. quod si secundum contingat, vt scilicet infideles fidelibus pareant, & subiecti sint, vel vt bello iusto capti, serui sunt, vel liberi: vt apud nos, mercatores infideles commercia exercent: de liberis quidem, idem est omnino iudicium, atque de omnino se paratis à consortio & dominio fidelium: cum infideles liberi, veri sint rerum suarũ domini: & qui eorũ res, ipsis inuitis, auferret, crimine furti teneretur: neque licet de raptis & furto sublatis, Deo aliquid offerre: quare neque filium paruulum inuito parente infideli, baptismo & religioni Christianæ dicare.

10 Quod si infideles sint fidelium serui vt Iudæi, est inquit Duran. quorumdam sententia, non esse eos inuitis parentibus baptizandos: quia in his, quæ sunt naturalis & diuini iuris, non sunt serui, sed sui iuris: & ideo ratione seruitutis non possent filij, contra ius patriæ potestatis, parentibus inuitis baptizari. Sed hæc ratio valet in adultis, quòd non sint cogendi ad ea, quæ sunt diuini iuris, addit Duran. de paruulis autem parentibus vsu rationis censet, non esse baptizandos quandiu manent sub cura parentum infidelium, propter periculũ apostasiæ, vt suprà ostendimus. Subtractos vero à parentum cura & institutione huiusmodi seruos per venditionem, baptizari posse affirmat, sed nõ expedire. Primum confirmat, quia neque pueris fit iniuria, sed potius magnum illis confertur beneficiũ: neque parentibus: cùm separati à parentibus filij per venditionem, transeant in curam & tutelam dominorũ, à quibus proinde baptizari possunt, amisso iã iure patriæ potestatis, filiis peregrè profectis, quod ius erat impedimentum baptismo suscipiẽdo. Ratio secundi est, tum quia vis inferri videretur parẽtibus ad credendum: tum etiã quia facile pueri, cùm adoleuerint, resilirent ab eo, quod ignoranter fecissent, & parentibus inuitis. ex quibus causis videtur Durando, inualuisse Ecclesiæ consuetudinem, de non baptizandis paruulis, parentibus infidelibus inuitis.

Opinionum consensio.

11 Ex his constat, cõsentire omnes Theologos cum D. Thoma in iure naturali patriæ potestatis, quod parentibus etiam infidelibus, erga liberos competit. dissentire autem Scotum & Durandum in filiorum baptismo, quatenus asserunt non obstante iure patriæ potestatis, inuitis parentibus baptizandos esse, sed ex diuersis principiis. Scotus quidem, quia abutantur suo iure in fi-

Dissidiũ Scoti & Durandi à D. Th. ex diuersis principiis, quæ refellit D. Th. ad 1. & 2. ar. 10.

in filiorum perniciem: & ideo illo priuandos esse. Durãdus autem, quia si serui sunt, iuste vendi possunt, & subtrahi à patria potestate, & ex consequenti baptizari inconsultis parentibus. Conueniunt autem Scotus & Duran. quatenus tãtum loquũtur de filiis seruorum infidelium, vt supra de Scoto obseruauimus, & de Durando constat, ex firmamentis & distinctionibus suæ sententiæ hactenus explicatis. Ad has opiniones reliquæ reuocari possunt: & ideo superuacaneum fuerit eas recensere, cùm his ponderatis, reliquarum veritas aut falsitas omnino constabit.

12 Sed præter illas Theologorum scholasticorum, est recentior quædam sententia, quæ quodam modo cum illis consentit, quodammodo dissentit, & iccircò separatim & per se necessariò expendenda est. hæc affirmat neminem ad suscipiendam fidem & baptismum cogendũ esse, in quo planè cum aliis consentit. Prætereà asserit, infideles, qui fidem numquam susceperũt, si legem naturalem violent, posse bello & armis, si non sit alia via cõmodior, ad obseruationem legis naturalis compelli: & illis debellatis & victis, fidem esse annuntiãdam, vt volentes eam suscipiant, & ad retinendam fidem susceptam & conseruandã, à fideli principe defendantur. itaque duo sunt in hac sententia, & violationem iuris naturalis, iusti belli causam esse: & ea causa victis, fidem esse annuntiandam, vt per illud bellum ad tranquillam & quietam Euangelij prædicationem perueniatur. Huius sententiæ autor est Genesius Sepulueda lib. 7. Polit. cap. 2. & Gregorius lupus iureconsul. in commentariis legum regis Alphon, par. 2. titulo 23. l. 3. primum ex his, quatuor argumentis confirmatur.

Sententia Genesii Sepulueda de infidelibus ad fidem & baptismum adducendis.

13 Primò quidem: quia huiusmodi transgressores iuris naturalis, legibus in sua rep. latis, ne in eos animaduertatur, natura sunt serui, in quos bellum est suapte natura iustum, si non sit alia via commodior, vt in officio contineantur. vt si esset aliqua gẽs adeò barbara, vt peccata contra naturam, cædes innocentium, in rebus turpibus non haberet, aut legibus & moribus non vindicaret, aut grauissima scelera, præsertim quæ natura detestatur, leuissimis pœnis puniret: quædam prorsus non punienda censeret, hæc inquam gens dicitur verè legibus statutis, ius naturale violare. Seruitutem autem naturalem philosophi vocant, insitam tarditatem & hebetudinem mentis, ad iudicandum quæ recta sint & honesta. Sic Arist. 1. Polit. c. 3. natura seruos vocat, homines ingenio tardissimos, corpore tamen validos ad obeunda munera necessaria. est alia seruitus aduentitia, non naturalis, vi, iuregentium aut ciuili inducta, vt cùm bello capti serui fiunt capiẽtis. in hos igitur natura seruos, iustum esse bellum affirmat Aristot. eodem lib. 1. cap. 5. cùm scribit, venatoria facultate vti oportere, tũ in beluas, tum in eos homines, qui cũ sint ad parendum nati, & veluti facti & conformati, imperium tamen recusant. est enim huiusmodi bellum natura iustum. Probat etiam D. Thom. lib. 2. de regim. princ. c. 10. ex eodem lib. Aristotelis, quosdam homines esse natura seruos. Videtur consentire diuina Scriptura Prouerb. 11. cum ait, qui stultus est, seruiet sapienti. itaque homines natura serui, subiici debent magisterio, ratione & virtute præstantium, vt ab eis in officio & virtute instituantur: & hoc ipsis vtile est, vt deposita feritate, in honestum vitæ cultum redigantur. id vero imperium in docendo, si nolint recipere, bello secundum naturam cogi possunt. Hæc enim instituit, imperfecta perfectis, deteriora potioribus, vt vtrisque bene sit, obtemperare. sic materia formæ, corpus animæ, appetitus rectæ rationi secundum naturam subiectus esse debet. Sic ingenio ad virtutem tardi, corpore validi, iis, qui valẽt ingenio, etiamsi corpore sint imbecillo, subiecti esse debent. huius sententiæ hoc est primũ ex ratione naturali argumentum: idque cõfirmat euangelica conuiuij parabola, Luc. 14. in qua compelluntur quidam in conuiuium intrare, quod videtur significare D. August. 23. q. 1. cap. paratus. quod si principis sic natura præstantis, vt meritò cæteri debeant ei parere, hæredes instituti, à parentis præstantia degenerent, & ideo non sint ad imperandum accommodati, quia neque ingenio, neque prudentia valent: tamen propter maiora mala, quæ orta seditione, excitarentur, si regnum paternum vt legitimi hæredes adire prohiberentur, in repub. ferendi sunt.

Barbari qui violant ius naturale legibus statutis.

Natura seruus homo.

Seruitus hominis duplex naturalis, & aduentitia vel ciuilis.

Natura subiicit imperfecta perfectis.

14 Alterum argumentum huius sententiæ, colligitur ex diuinæ scripturæ exemplis. legimus enim Leuit. 18. 20. Deute. 18. Dominum multis ærumnis afflixisse incolas

las regionis, Patribus Iudęorum promissæ, quod idololatrię dediti, humanas victimas immolarent. Exod.32. precipitur Leuitis, vt occiderent fratres, amicos & proximos, quia idola coluissent: & subiungit, consecrastis hodie Domino manus vestras, vnusquisque in filio & fratre suo. idem legimus Sap.12. Psalm.105.4. Reg.16.& 17. ob eadē peccata traduntur Iudęi in manus gentiū. Id verò non solùm licere contra fideles, fidem suis sceleribus cōtaminantes, sed etiā aduersus infideles, qui nunquam fidem susceperunt, eisdem exemplis ostenditur, in quibus videmus, & gentes, & Iudæos ob eadem crimina punitos esse. quod si iustè eadem scelera morte puniuntur, certè punientur bonorum direptione, & publicatione, cum hæc sit mitior pœna. quod etiā verum esse colligitur ex D. Cypriano 23. quæst. cap. si audieris, & ex D. Ambrosio, eadem quæst. cap. remittuntur. itaque infideles, licet non sint propter infidelitatē debellandi, sunt tamen propter grauia crimina infidelitati adiuncta. Sic Iureconsulti cap. super his de voto, in quibus est Innocentius, asserunt satis esse causę, ad delendū Paganos & Iudęos in iuris naturalis trāsgressione: sed autore Pontif. Maximo. eisdem cōsentit Antonin. 3. part. titul. 22. cap. 5. §. 8. Siluester verb. Papa, §. 7. etenim vt inquit, D. Chrysost. in Matth. iniurias Dei neque vsque ad auditum perferre debemus exemplo Christi. & iterum, in propriis criminibus quemquam esse patientē laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. præsertim cū principes laudentur, quod amicorum & propinquorum iniurias, etiam in externis gentibus bello persequantur, vt constat de Abrahamo, qui pœnas iniuriarum Loth suo cognato, & aliis amicis illatarum à quatuor regibus expetiuit: quanto magis vindicare oportet iniurias Deo à quocunque illatas. quin etiam D. August. lib. 4. de Ciuit. cap. 33. & lib. 5. cap. 12. 15. & 18. cūm ostendisset regnorum constitutionē Dei esse, iuxta illud Prouerb. 8. per me reges regnant, colligit duabus potissimum causis Imperium Romanis à Deo collatum esse, & quod patriam diligerent, legibus iustis sibi subiectos regerent, & quòd bonis plerumque artibus, ad gloriam & honorem niterentur. & ideo, qua ex parte in officio continebantur, receperunt mercedem suā: aut, inquit, est nobis occulta causa, & Deo tantùm nota, qui plerumque regnare facit hominem hyppocritam. Sic ferè colligit D. Thom. ex August. lib. 3. de regim. princip. capitibus, 4. 5. & 6. Hactenus de secundo argumento huius sententiæ.

Dominus punit morte & bello fidelium & infidelium grauia crimina.

Imperiū cur Romanis à Deo cōcessum.

15. Tertium argumentum est: quia vt nō potest summus Pontif. Christianis legibus Paganos obligare: sic eius interest dare operam, si commodè fieri possit, vt Pagani ab idolorum cultu, ab impiis sectis, ad veram religionem & humanos mores traducātur. si enim de omnibus scriptum est Eccle. 17. vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo: quid dicemus de Christi Vicario? ad quē pertinet ex omnibus gentibus Ecclesiam adunare, & amplificare, sic enim omnibus Apostolis præcepit Dominus, Matth. vlt. Ite, docete omnes gentes. & quod in hæreticos licet, ex Aug. 23. q. 5. ad fidem stabiliēdam, cur non etiam licebit in Paganos ad fidem propagandam?

Quartū argumentum est: ex lege naturæ & Euangelij, licet vnicuique repellere iniurias innocentibus illatas: à Paganis verò plerisque innocentes impunè occiduntur, ad immolandum idolis, vt ab Indis Occidentalibus: licebit igitur etiam bello defendere huiusmodi innocentes, si non sit alia via commodior. qui enim nō repellit ab alio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm qui facit, ex D. Ambrosio 23. quæst. 4. cap. non inferenda. Confirmauimus hactenus primam partem sententiæ propositæ: restat altera confirmanda, nempè huiusmodi bellum contra Paganos iuris naturalis violatores, accommodatum esse medium, vt bello pacatis Euangeliū annuntietur. Ratio sit hæc: qui finem petit, eodem iure potest commodiora media eligere: rectè autem principes Christiani hunc finem sibi proponunt, annuntiandi infidelibus Euāgelium: tenentur igitur cōmodiora media eligere. ex his vero vnum esse videtur, vt prius bello, propter violationem iuris naturalis, debellentur, cum hoc bellum iustum esse ostenderimus: deinde debellatis, tutò fides annuntietur, vt impune possit vnusquisque ad fidem conuerti, & à principe Christiano ab infidelibus defendi, ad fidei susceptæ confirmationem. Varias opiniones, & opinionum argumenta proposuimus: quid verò ad dubitationem propositam

Ab innocentibus iniuria repellenda.

fitam respondendum sit, magis ad fidei principia & legem naturalem accommodate, subiectis sententiis & conclusionibus comprehendemus.

16 Prima conclusio: ex autoritate summi Pontif. Episcopi Romani, conceditur ministris legitima potestas ad prædicandum Euangelium etiam infidelibus. Sic apertè deducitur, ex illa sententia Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gẽtes, Marc. vltimo, prædicate Euangelium omni creaturæ. Etenim si iure doceri possunt, quæ sunt naturalis iuris: cur non ea quæ sunt diuini? Vnde rectè bello coerceri possunt, prædicationem fidei impedientes, si non possint alia via ex D. Tho. 2.2.q.10.ar.8. Præterea, vt ad singulos Episcopos in sua diœcesi pertinet Euangelij prædicatio, & prouidere vt eis legitimè impeditis, viri potentes opere & sermone, ad prædicandum mittantur, vt definitum est in Concilio Lateranen. sub Innocent. III. Sic etiam ad Episcopum totius Ecclesiæ catholicæ spectat, ministros Euãgelij ad prædicandum omnibus mittere. idem etiam, praxis & vsus Ecclesiæ catholicæ, confirmat: cùm semper à summis Pontif. huiusmodi ministri in omnes prouincias, in omnibus historiis missi legantur.

Euangelij prædicandi autoritas à summo Pontifice.

17 Secunda conclusio: exhortatione, doctrina & beneficiis, infideles ad suscipiendam fidem alliciendi, non autem vi aliqua aut coactione. Sic enim forma Euangelicæ prædicationis, Matth. 10. his verbis describitur: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Deinde præcipit, vt omnibus offerant pacem & regnum cælorum. in quem locum pro nostra sententia legendus est D. Hieron. & Chrysosto. homil. 34. quid autem agendum esset eisdem ministris, si infideles oblatam fidem reiecerint, statim admonuit Dominus, dicens: Si vos non audierint, exeuntes de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris: amen dico vobis, tolerabilius erit in die iudicij terræ Sodomorum & Gomorrheorum, quã illi ciuitati. Similiter Apostolus prędicatorẽ Euangelij armis spiritualibus instituit, vt fidei dogmata, vt sunt, sic appareant credibilia. inquit enim Ephes. 6. succincti lumbos mentis vestræ in veritate, & induti loricam iustitiæ: & quæ sequũtur omnium quidem fidelium communia, sed ad prędicationem Euangelij, ideo accommodata, quia sic concludit, vigilãtes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui. 1. Corint. 1. non in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi: vbi significat nullo modo confidendum esse in humana industria & potẽtia, & quã tum huius confidentię sumitur, tantum de virtute Euangelij & crucis detrahi. fuit enim hoc diuinum consiliũ in annũtiatione Euangelij, vt eod. c. 1. his verbis exprimitur, quę stulta sunt mũdi, elegit Deus, vt cõfundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mũdi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ nõ sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu Dei. postrema verba ponderãda sunt: quibus significat Dñs gloriã Euangelicæ prædicationis ex solo Deo pendere, nõ ex humanis viribus. Præterea, annuntiatio Euangelij, quæ est de aduentu Christi, vt Saluatoris, non consentit cũ iudicis aut debellatoris potentia, imò verò eisdẽ maximè repugnat. Non enim missit Deus filium suum [in primo scilicet aduentu] vt iudicet mundũ, sed vt saluetur mundus per ipsum. Luc. 9. cũ Samaritani Christũ in suam ciuitatẽ non admitterent, dixerunt discipuli, Dñe, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos. & conuersus increpauit illos dicens: nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.

Prædicationis Euãgelicæ forma.

Eadem prædicatio omnibus viribus humanis destituta, soli Deo nititur.

18 Consentiunt Patrũ testimonia, Dion. Areop. ep. ad Demophilũ, sacratissimus inquit noster institutor, in mansuetudine docẽdos admonuit eos, qui doctrinę Dei aduersarentur. doceri quippe ignaros decet, nõ suppliciis affici: sicut & cęcos nõ cruciamus, sed ad manũ ducimus. D. Greg. lib. 1. ep. 45. & lib. 2. ep. 52. & D. Ambro. ad illud Luc. 10. nolite portare sacculũ neque perã, neque virgã: quia virga, inquit, est perferẽdę potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris: & eos missit ad seminandam fidem, qui non cogerent sed docerẽt: nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Præterea

Nullus ad fidẽ suscipiendam, vel fidei sacramentum cogendus est.

terea c.qui sincera d.45. Toletan.4.c.55. præcipit concilium nemini deinceps vim inferri ad credendum, vt ostenditur fieri oportere 2.2.q.10.art.8.fidei enim persuasio, quæ euidentia intellectum conuincere non potest, voluntatis propensione adiuuanda est: facit ergo contra fidei naturam, qui ad credendum cogit, vel ad suscipiendum fidei sacramentum. Mahumetanæ perfidiæ proprium est armis defendi, prædicari & propagari. quare non video, quo modo cum hac Patrum sententia, quam ex sancta scriptura colligunt, conuenire vllo modo possit illorum theologorũ opinio, qui adultos ad fidem suscipiendã & baptismum, compelli posse asseruerũt: ex quibus Scotum fuisse suprà ostẽdimus.

19 Tertia conclusio, principes Christiani, etiam autoritate summi Pontif. nõ possunt armis coërcere infideles à peccatis cõtra naturam: quasi hoc bellum esset accommodatum medium, ad prædicandum illis deuictis Euangelium. Ratio primæ p. sit, quia summus Pontif. non habet in huiusmodi infideles, qui nunquam fidem susceperunt, vllam iurisdictionem, aut potestatem spiritualem, nisi potentia tantùm, atq; ad prædicandum Euangelium, vt in ouile Christi suaptè sponte, vt antè ostendimus, adducantur: non habet igitur vllam in eosdem temporalem potestatem, sine qua delicta iustè punire non potest. neq; eam vnquam, vt summus Pontif. habet, nisi relatã ad spiritualem, vt ostenditur 2.2.q.1.ar.10. & explicauit Turrecr. lib.2. de Ecclesia c. 113.& 114. Victoria relect. prima de Indis numero 27. Domin. Sot. lib.4. de Iustit.q. 4.art.1. idem etiam videtur significare Paulus 1.Corinth.5. cùm ait, quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Ratio secũdę p. sit, quia illud bellum iustum nulla ratione esse potest: etenim si peccata contra naturam dicantur, quia rectæ rationi repugnant, esset etiam bellum iustum propter punitionem homicidij, fornicationis, & aliorum omnium, quæ rectæ rationi aduersantur: quod tamen nulla ratione licet, nisi autoritate principis, & propter bonum commune. 2.2.q.40.arti.1. si autem illa peccata dicantur contra naturam, quòd non solùm rectæ rationi repugnent: sed etiam ordinẽ naturalem inuertant: de quibus Apostolus Rom.1. 2.Cor.2. & D.Thom.2.2.q.154. art.11.& 12. certè ad illa tantùm punienda

Bellum nõ est accommodatũ medium, ad fidei prædicationem.

bellum iustè geri non potest, cùm sint alia grauiora, ad quorum punitionem bellum non est accommodatum medium, vt homicidium, blasphemia. sic concludit Victoria eadem relect. prima de Indis num. 40. Prætereà, si finis huius belli, nẽpè fidei prędicatio, coactionem & vim suaptè natura non admittit, quia credere volentis est, vt paulo antè ostendimus: profectò neque in mediis coactionem esse oportet, vt cum fine consentiant: quare neq; bellum. valdè enim mirabile est, eum bello premi posse, quem ad fidem suscipiendam cogere non possis, & id bellum ad fidem annuntiandã accommodatum videri. quinimo hac ratione fides & religio Christiana, inuidię & odio infidelium plane exponeretur, quasi occasione illius liceat eos libertate & dominio priuare, præsertim cum infidelitas negatiua nullum sit peccatũ. 2.2.q.10.art.1. Deniq;, si non licet Christianis etiam autoritate Papæ, fidelibus aliis inferrę bellum, quòd sint peccatis etiam contra naturam implicati: certè neq; licebit inferre infidelibus: præsertim cùm illorum peccata grauiora sint. 2.2.q.10.artic.3. ad 3. etenim ad vsum iustitiæ vindicatiuæ, non satis est crimen esse dignum supplicio, sed prætereà oportet, ab eo decerni supplicium, qui habeat legitimam potestatem & iurisdictionem. quod si Papa legibus latis infideles obligare non potest, qua ratione in eos poterit iudicia & pœnas decernere, & ipsi parere tenentur iudicio illius? cùm potestas in fideles Christi, sit actu, in infideles autẽ, sit habitu & potentia, vt loquitur & explicat D.Thom.3.p.q.8.art.3.ad 1. habuit quidem Christus vt homo, potestatem in omnes, iuxta illud Matth. vltimo, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: eam tamen non exercuit actu in omnes, sed in fideles, & in eosdem exercendam suo vicario commisit. in extremo tamen iudicio exercebit in omnes, etiam inuitos & repugnantes, sicut scriptum est 1.Cor.15. deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & virtutem & potestatem, oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.

Summi pontif. potestas in infideles.

20 Sed quamuis bellum non sit accommodatum medium ad fidei prædicationẽ: licet tamen, & iustum est, aduersus impediẽtes fidei progressum, & annuntiationẽ,

ex D. Tho. 2.2. q. 10. arti. 8. vt enim summi Pōtif. est, doctores fidei in omnes infideles ad eiusdē annuntiationem mittere, qua ratione regibus Hispan. Indos attribuit: sic etiā quo iure fides annuntiari potest, poterunt etiā coerceri impedientes fidei prædicationē etiam bello, si nō sit alia via cōmodior, & inde scandalū non oriatur cōtra fidei dignitatē. sic olim Euaristus Papa instituit, vt septē diaconi defenderent Episcopum prędicantē, quorum defensio, vt constat, violenta esse nō potuit, quia diaconorum. eadē etiam ratione, infideles à consortio & cōuictu fideliū expelluntur à principibus Christianis, vt olim Iudei ab Hispania & Gallia expulsi sunt, & Mahumetani Granatēses à Regibus catholicis Ferdinando & Elisabetha, quòd eorū consuetudine & illicitis contractibus fidei progressus, & sanctitas Christianorū perturbaretur. vnde in Cōc. Tolet. 6. can. 3. sic definitū est, futurus olim princeps, nō antè assumat regiā dignitatē, quàm inter reliqua conditionū sacramenta polliceatur, nullū non catholicū permittere in regno suo degere. cuius promisii, si temerator extiterit, sit anathema maranatha. non catholicū pro infideli vsurpauit, qui vel nunquā fidē admisit, vel admisam deseruit. similiter prohibetur fidelibus habitatio cū Iudæis c. Iudæi de Iudæis & Clement, vnica de eisdem.

Bellum contra impedientes fidei progressum

Infideles separandi à consortio fidelium.

21 Quarta conclusio. licet fidelibus bello premere, pręcedēte correptione & admonitione, infideles, ob violatā legem naturæ in perniciem innocentiū & proximorum, vt eos, qui diis suis homines immolant, vel carnibus humanis vescūtur: donec tamen liberentur innocētes iniustè oppressi, neq; deinceps ad aliorū iniuriam, vel prouincię, aut regionis deuastationē progressio fiat. itaq; ob hanc causam infideles debellari possunt, & iure belli opprimēdi sunt, si aliæ rationes & media ad illa mala propulsanda satis non sint. sic apertè Prouerb. 24. eos qui ducūtur ad mortem erue, & qui trahūtur ad interitū, liberare ne cesses. hinc enim dogma illud catholicū, & vice prouerbij receptum, vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo, vbi scilicet cōmodè liberari potest ab imminēti malo. Deo autem immolare hominē, & vesci carne humana esse contra legem diuinā & naturalem ostēdit Victor. relect. de Tēp. à num. 5. D. Th. 2.2. q. 142. ar. 4. ad 3. & q. 88. ar. 2. 2. Aug. li. 7. iudic. c. 49.

Bellum contra infideles propter quæ peccata iustum est.

Vict. relect. 2. de Indis nu. 15.

22 His omnibus, ad perfectionē doctrinę, necessariò coniuncta est explicatio causarum iusti belli gerēdi, aduersus infideles negatiuè. videntur autē huiusmodi esse, iuris gentiū violatio, vinculum societatis & amicitiæ; impedita Euāgelij prędicatio, vel cōuersio ad fidē illius, compulsio eorum qui eandē susceperunt ad defectionem: de quibus singillatim dicendum nobis est. prima igitur causa latissimè patet, cū iuris gentiū plura sint capita, sed in proposito argumēto exemplū sit de iis, quę incolis & peregrinis cōmunia sunt, vt cōmercia, hospitia, conuictus: si enim fideles, ab infidelibus sine legitima causa, ad hæc non admittātur, possunt se bello defendere, donec pacificātur de pace, securo cōmercio & conuictu: præsidia etiā & arces ad defensionem construere, oppida demoliri, & incolas sibi subiicere. etenim si ex his causis, ad propulsandam iniuriam, iustè aduersus fideles bellū geritur autoritate principis 2.2. q. 40. ar. 1. cur etiā aduersus infideles nō geratur, nulla potest iusta ratio subesse. Altera causa societatis & amicitiæ, effecit vt Romanorum pro fœderatis iusta bella fuerint, & Abrahami pro sociis, cognatis & vicinis, Gen. 14. Caiet. ad eundem quæst. 40. ar. 1. Nam si infideles inter se belligerentur, qui ex iis iniuriam patiuntur, possunt in suum auxilium Christianos aduocare, & cū illis præmia & iura victoriæ communicare. in his autem omnibus cauendum est, ne dolo malo aliquid fiat, & fictæ belli causę pro veris accipiantur. hic tamen retinenda est illa sententia Apostoli, non omnia, quæ licent, expediunt. fieri enim potest, vt ad vitandum, aut sedandum ortum scandalū, vt de religione nostra pie sentiāt infideles, vt facilius persuaderi possint, & ad credendū inducantur, expediat magis nō vti iure belli inferendi, sed alia cōmodiori ratione ad suscipiendum Euangelium deducere. quòd si aliqui ad fidem cōuersi sint, etiam metu & minis quodammodo impulsi, ij ad fideliter retinēdum, quod susceperunt, compellendi sunt, ne qua religioni & sacramentis eius iniuria fiat. sic definitum est Tole. 4. can. 55. & Tolet. 8. can. 7. baptisma, inquit, à nolentibus, vel nescientibus susceptum prophanari non debet. sic etiā in Maguntiaco sancitū est, vt iniustè tonsi in clero permaneant. quod si bona aliqua infidelium pars ad fidē nostram sponte cōuersa

Causa iusti belli aduersus infideles negatiuè.

ſit,poſſint defendi à principe fideli,& poteſt ſummus Pont.ſi expedire viderit, principem fidelem illis præficere,cùm eius interſit fidem amplificare,defendere & tueri,& ad eam rem,quos meliores exiſtimauerit,miniſtros eligere.ſic enim Innocentius IIII.Regi Portugalliæ ſegni & deſidi in regni adminiſtratione adiutorem dedit comitem Bolonień. regis fratrem, ad regni vtilitatem, Eccleſiarum defenſioné, monaſteriorum, & perſonarum Eccleſiaſticarū.c.Grandi de ſuplen.negl.prælat. in 6.& Gregorius VIII. lib.8.ep.reg.ep.21. ad Metenſem Epiſcopum Zachariam Romanum Pontif.regem Francorum Childericum à regno depoſuiſſe, nō tam pro ſuis iniquitatibus, quàm quòd tantæ poteſtati eſſet inutilis,& Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in eius locū ſubſtituiſſe. 16.q.6.c.alius,Turrecr. in ſumma Eccleſiæ lib.2.c.114. Sed in hac dominorum & principum mutatione cauendū eſt, ne vel ſeditio reip.cędes,aut alia maiora mala,vt fidei odium & deteſtatio,ſacramentorum prophanatio inde excitentur & conſequantur.

23 Tertia cauſa iuſti belli gerendi aduerſus eoſdem infideles negatiuè, eſt ſpontanea reip.ſubiectio,modò ne fiat iniuria legitimo principi, quē ex iuſtis cauſis repellere licet,vt oſtēdit doctiſſimus Sot.lib.4. de Iuſtit.q.4.art.1. ſic enim reſp.poteſt cui velit, ſe ſubiicere, & is armis & bello eam tueri & defendere,ſi non ſit alia ineundæ pacis commodior ratio. Quarta etiam cauſa ſubiiciendi eoſdem infideles,ſed iam ad fidem conuerſos, eſt adminiſtrata illis prædicatio Euangelij.ſi enim ductu, auſpiciis, ſumptibus regis alicuius fidelis, gēs aliqua infidelis, ad fidem adducta ſit, tenebitur ad compenſanda beneficia ſuſcepta,tributa illi pendere,ſaluis tamen & integris legitimis eorum dominiis. quod ſi gens eadē, à fide & religione ſuſcepta, ex animi quadam leuitate deficere ſolet,legitimum eſt vt principi fideli,qui eam compellat ad retinendam fidem ſuſceptam, ſubiiciantur, deficiente præſertim hærede regis natiui, aut eo inepto ad defenſionem fidei, vt ante diximus,fieri poſſe autoritate ſummi Pōtif.& affirmat doctiſſimus Victoria ad finem poſterioris relectionis de Indis. vnde neceſſario efficitur,eos principes,quibus à ſum.Pontif.commiſſa eſt Euangelij prædicatio,in his regionibus infidelium, omninò ex munere ſibi iniuncto & diuino pręcepto teneri ad obſeruationem eorū, quæ diximus neceſſaria,ad legitimam Euangelij prædicationem,nempè vt eam fieri procurent per viros doctos & pios, potentes opere & ſermone,qui doctrina, exemplo, & moribus eos ad fidem conuenienti & accommodata ratione deducant. ab illis præterea ea tantùm accipiant,quæ ad prædicationis munus rectè exequendum,& vitæ indigentiam fuerint neceſſaria,bona nō diripiant,neq; ab inuitis vllo modo auferant:neq; bellum aduerſus eos, niſi ex iuſtis cauſis propoſitis geratur. hi enim ſunt veri Domini rerum ſuarum, nemini ferè iniuriam inferunt, niſi vel propulſando ſibi illatā,vel laceſſiti prius maximis & grauiſſimis rerum ſuarum incommodis. vnde quæ ab his fortè ablatata ſunt iure belli iniuſti, & ſine legitima principis autoritate, ea ſanè iniuſtè cōparata ſunt, & reſtitutioni obnoxia ſunt: permutationes etiam rerum cum malo dolo & fraude, verum dominium non transferunt.rectè enim docet D.Thom. iure belli,niſi iuſtum ſit,victos in ſeruitutem redigi non poſſe,neque eorū bona auferri.2.2.q.40.ad eandem vero reſtitutionem & ij tenentur, qui ad hæc bella iniuſta bellicos apparatus aduexerunt: qui opera & labore infidelium, aut captiuorum in bello iniuſto ſine iuſta mercedis retributione abuſi ſunt: qui ab illis plura exegerunt, quàm eſſent regia & principis autoritate,conceſſa.quæ verò ab his recēs conuerſis accepta ſunt, vel ratione doctrinæ,vel gubernationis,vel adminiſtrationis ſacramētorum,ea iuſtiſſimè accepta ſunt, & comparata, & illi tenentur ad hæc eadē iudicibus & Parochis exhibenda.ſed de his ſatis dictum ſit.

Principū obligatio in prædicanda fide infidelibus.

Reſtitutioni obnoxia in bello iniuſto.

24 Quinta concluſio, pueri infidelium non ſunt inuitis parentibus, tutoribus, aut curatoribus baptizandi, niſi ratione ſeruitutis venditi omninò remoueantur à cura parentum, ſine vlla ſpe ad illos redeundi. ſic D.Thom.concludit ex iure naturali patriæ poteſtatis,2.2.q.10.art.12.ſtatutum eſt enim à Deo,vt filij,antequam ratione vtantur,cura & adminiſtratione parentum gubernentur,etiam in his,quæ ad Deum pertinent:vt Deus naturæ voluerit,filios à parentibus ad veram religionem & cultum Dei deduci. qui autem inuitis parentibus

Filij inuitis parentibus nō baptizandi.

filios baptiſmo conſecrat, violat hoc ius naturale: quod ſanè nulla ratione licet: quare cum non ſint facienda mala, vt inde veniãt bona: non licebit ſanè filios inuitis parentibus baptizare. conſtat enim, & ordinẽ gratiæ, cum naturę ordine conſentire, quia gratia perficit, non tollit, aut violat naturam: & ideò ad conferendã gratiam per baptiſmũ, non eſt violandum ius naturale patrię poteſtatis. ſic etiam apud Romanos, filius non ſolũ erat in patris poteſtate, ſed etiam eadem ſacra colebat l.vlt.C.de inoff.teſt. & l.vlt.§.vlt.C.de bon. quę lib. de auis autẽ, atauis, tutoribus, curatoribus eadem ratio eſt, quia parẽtibus ſuccedunt in paruulorum inſtitutione & gubernatione: quãuis maior parentibus, quã his fieret iniuria, in violatione iuris patriæ poteſtatis. tutor enim & curator curam habent bonorũ & morũ pupilli l.in copulandis C.de nupt.l. cũ in plures §.cũ tutor ff.de adminiſtr.tutor.& inſtit.de Attiliano tutore. §.impuberes in tutela eſſe naturali, iure conueniens eſt, vt is qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur. idem eſt ius curatoris. inſtit. de curator. de filiis autem ſeruorum infidelium eadẽ ratio eſt, quia ciuilis ſeruitus ius illud naturale paternũ tollere non poteſt. ſed de venditis filiis, & à cura parentũ abductis, ſine redeundi ad eoſdem ſpe, idem omninò cenſendum eſt, atq; de iis, qui nõ ſunt parentibus ſubiecti, neq; ſub patria poteſtate. conſentit hoc cũ iure ciuili, nam inſtit. quib. mod. ius pat. pot. ſoluat. §.ſi ab hoſtibus captus fuerit parens, & apud eos deceſſerit, exinde ex quo captus eſt, filius ſui iuris eſſe videtur, l.in bello.§.ſi quis. ff. de capt.& poſtlim.reu.& l.5.eod.tit. §.in pace. filios etiam Iudæorum in ſeruis numerari apud antiquos conſtat. Nam in. c. etſi Iudæos extra de Iud. & Sarracen. Iudæi ſunt ſerui Chriſtianorum, & res eorum in dominorum poteſtate: ſed nunc eorũ perfidia ſeruitutem non inducit apud Chriſtianos, & eorum liberi parentibus ſubiecti ſunt, & in eos ius patriæ poteſtatis exercent. quòd ſi alter parentum ad fidem cõuertatur, filius eidem educandus in eadem fide traditur: ſic enim definitum eſt, de patre quidem c.ex literis de cõuerſ. infid. de matre autem 18.q.1.c.Iudæi ex conc. Tolet.4.c.62. quod vero c. 59. eiuſdem definitur, filios, aut filias à conſortio parentum Iudæorum ſeparandos eſſe, id ſanè de filiis adultis & fidelibus intelligendũ eſt: addit enim, ne parentum vltrà inuoluantur erroribus: quod ſanè, niſi de fidelibus intelligi non poteſt.

25 Deinceps argumẽta diuerſarum ſententiarum refellenda ſunt, Scoti, Durandi & tertiæ illius ſententiæ recentioris. Scoti quidem, quia ad fidem nulla coactio legitima & iuſta eſſe poteſt, vt oſtendimus. deinde ratio illa inferioris & ſuperioris Domini, tunc vera eſt, cùm ſuperiori parendũ eſt, etiam repugnãte inferiori: cùm autem ſuperior ſtatuit poteſtatem inferioris, neque eam vllo modo violari vult, ſed ea ſalua, ſibi obtemperari, ratio Scoti nihil omninò efficit, ſic autem eſt in propoſito. vult enim Deus, homines ratione vtentes & adultos, ad fidem accedere per actionem propriam diuinæ vocationi conſentientẽ: paruulos autem parentũ directione, cùm illis eorum vita & ſalus commiſſa ſit. quare ſi Deus ordinem hunc naturæ, per gratiam aboleri non vult, ſed perfici: certe nõ licet violato iure naturali patrię poteſtatis, filios inuitis parentibus baptizari. In Durãdi ſententia, ſi rectè omnia expendantur, nihil eſt quod D.Thomæ meritò repugnare dicatur. hic enim per ſe, & quod frequentius accidit, vt oportet in morali doctrina, definiuit, filios ſcilicet à patria poteſtate ſeparandos non eſſe, vt baptizentur, quia naturale ius violaretur: ille autem, quod aliquando accidere poteſt conſiderauit, in filiis nempè infidelium ſeruorum, quos à parentibus ſeparare per venditionem nõ eſt contra ius naturale. quare in his duabus ſententiis diuerſitas quædam eſſe videtur, ſed nulla repugnántia.

26 Ad primum argumentum tertiæ ſententiæ, quæ eſt Sepuluedæ & aliorum, fatemur quidem eſſe quoſdam homines natura ſeruos, & ad parẽdum, non ad regendũ natos, ſed ea tantùm ratione, vt ſapientum conſilio in ſuũ bonũ regantur, ſeruato etiã in eorũ gubernatione legitimo ordine, & non inducta ciuili ſeruitute, quia naturalis illa ſeruitus, ciuilem libertatem non tollit. vt enim natura dominis, & ad regendũ natura conformatis, non licet aliena regna & imperia inuadere: ſic neq; licebit imperare hominibus natura ſeruis, niſi ſeruato iuris ordine & conſtitutione. ſic Victor.1.relect.de Indis num.23.Sot.lib.4.de Iuſtit.q. & ar.2. preterea Ariſt. in Politicis tantũ affir-

mat

mat bellum esse natura iustũ, aduersus eos natura seruos, qui palantes more ferarum, hominum societates & respub. perturbãt, si tamen adsit legitima principis autoritas, vt iidem etiam autores affirmant. illud autem Luc. 14. compelle eos intrare, non est intelligendum de coactione, qua vtendum sit cum infidelibus negatiue, cũ nullus eorum ad fidem suscipiendam compellẽdus sit: sed de efficacia diuini verbi, cuius annuntiatio eos, qui primo fidei repugnabãt, insitis motibus sic concutit, vt quasi compellere videatur, sed absolutè nõ compellit. infideles autem contrariè, vt hæretici, fidem, quam susceperunt, retinere cogendi sunt, vt ostendit D. Thom. 2. 2. q. 10. artic. 8. Ad secundum satis nobis esse debet respõsio glossæ in c. maiores de bapt. quæ diuino iudicio fiunt, in consequentiã trahi non debent. constat enim Deum sæpè pœnas de peccatis sumere, vrbes euertere, regna mutare, quæ tamen plerumq; imitari non licet, quòd diuini consilij ratio nobis occulta sit. illa autem Iureconsultorum sentẽtia, aut falsa est, aut de illis tãtum est vera, qui ius naturæ violant in perniciem innocentium, vt in quarta conclus. explicatum est. Ad tertium, fatemur infideles ad fidem deducendos esse, sed per media accommodata, ex quibus non esse bellum, tertia conclus. ostendimus. Ad quartum in quarta conclus. responsum est. quare de hac disputatione satis dictum est.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus Baptismi, in decem articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de effectibus baptismi.*

¶ *Et circa hoc quæruntur decem.*

Primò, vtrum per baptismũ auferantur omnia peccata.

Secundò, vtrum per baptismum liberetur homo ab omni pœna.

Tertiò, vtrum baptismus auferat pœnalitates huius vitæ.

Quartò, vtrum per baptismum conferantur homini gratia & virtutes.

Quintò, de effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.

Sextò, vtrum etiam paruuli in baptismo gratias & virtutes accipiant.

Septimò, vtrum per baptismum aperiatur baptizatis ianua regni cælestis.

Octauò, vtrum baptismus æqualem effectum habeat in omnibus baptizatis.

Nonò, vtrum fictio impediat effectũ baptismi.

Decimò, vtrum recedẽte fictione, baptismus obtineat suum effectum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per baptismum tollantur omnia peccata.

AD primum sic proceditur. Videtur, ꝙ per baptismũ non tollatur omnia peccata. Baptismus enim est quædam spiritualis regeneratio, quæ contra ponitur generationi carnali. Sed per generationem carnalem homo contrahit solùm originale peccatum. Ergo per baptismum soluitur solum originale peccatum. *2. dis. 32. q. 1. ar. 1. & 4 d. 4. q. 2. ar. 1. q. 1. & d. 17. q. 3. ar. 5. q. 1. & 4. con. c. 59. & 72. co. 2. & He. 6. co. 3. fin.*

¶ 2. Prætereà, Pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum. Sed ante baptismum in adultis requiritur pœnitentia, secundum illud Act. 2. Pœnitẽtiã agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

¶ 3. Prætereà, Diuersorũ morborum diuersæ sunt medicinæ: quia sicut Hierony.* dicit, non sanat oculum, quod sanat calcaneũ. Sed peccatũ originale, ꝙ per baptismũ tollitur, est aliud genus peccati à peccato actuali. Ergo nõ omnia peccata remittuntur per baptismum. *Mar. 9. super illud verbum, Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi, &c. ꝛmo 9.*

SED CONTRA est, quòd dicitur Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundã: & mũdabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Respondeo dicẽdum, quod sicut Apostolus dicit Rom.6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesv, in morte ipsius baptizati sumus. Et postea cõcludit. Ita & vos existimate vos mortuos quidẽ esse peccato viuẽtes autẽ Deo in Christo Iesv Dño nostro. Ex quo patet, quod per baptismũ homo moritur vetustati peccati: & incipit viuere nouitati gratiæ. Omne autem peccatũ ad pristinã vetustatẽ pertinet. Vnde consequens est, ꝙ omne peccatũ per baptismum tollatur.

Ad primvm ergo dicendum, quod sicut Apost. dicit Rom.5. Peccatũ Adæ non tantũ potest, quantũ potest donũ Christi, quod in baptismo percipitur. Nã iudicium ex vno in condẽnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationẽ. Vnde Aug.* dicit in lib. de Baptismo paruulorum, quòd generãte carne tantũ modo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum originaliũ, sed etiam voluntariorũ fit remissio peccatorũ.

Li.1. de peccato. meritis & remiss. c 15. in fine tom. 7.

Ad secvndvm dicendũ, quod nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutẽ passionis Christi: vnde & Apostolus dicit Heb.9. quòd sine sanguinis effusione non fit remissio. Vnde motus humanæ voluntatis, qui est in pœnitẽte, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi, & propositũ participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subiicien do se clauibus Ecclesiæ. Et ideò quando aliquis adultus pœnitẽs ad baptismũ accedit, consequitur quidẽ remissionem omniũ peccatorũ ex proposito baptismi, perfectius autẽ ex reali susceptione baptismi.

Ad tertivm dicendum, quod ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autẽ operatur in virtute passionis Christi, quæ est vniuersalis medicina omnium peccatorum. Et ideo per baptismũ omnia peccata tollũtur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per baptismũ liberetur homo ab omni reatu peccati.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd per baptismũ non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apost. Rom.13 Quę à Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa non ordinatur, nisi per pœnã, vt Aug.* dicit. Ergo per baptismũ non tollitur reatus pœnæ præcedẽtium peccatorum.

Sup.68. art.5. & 3.d.19. art. 3. q.2. Et 4.d. 4. q.2. ar.1. q. 2. & ar.3. q.1 et d.7. q.1 ar. 1. q.1. et 4. cõt. c.58.59. et 72. co.2. & Rom. 11. le. 4. col.4. & 5. Et He.6. co.3. fin.

Li.1. retrac. c. 9 & li.3. de li. arb. c. 18. to.1.

¶ 2. Pręthereà, Effectus sacramẽti aliquam similitudinẽ habet cum ipso sacramento: quia sacramenta nouę legis efficiunt, quod figurant: vt suprà dictũ est.* Sed ablutio baptismalis habet quidẽ aliquã similitudinem cũ ablutione maculæ: nullam autem similitudinem habere videtur cũ subtractione reatus pœnæ. Non ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

Q.62. ar.3.

¶ 3. Prætereà, Sublato reatu pœnæ, aliquis non remanet dignus pœna: & ita iniustum esset eũ puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus pœnæ iniustũ esset, post baptismũ suspendere latronẽ, qui antea homicidium cõmisit: & ita per baptismũ tolleretur rigor humanę disciplinæ: quod est inconueniens. Non ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

Sed contra est, quod Ambros. † dicit super illud Roma.11. Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio. Gratia, inquit, Dei in baptismo

Super illud ad Rom.11. to.5.

ptismo

ptiſmo gratis omnia condonat.

Respondeo dicendum, quod (ſicut ſuprà dictũ eſt*) per baptiſmũ aliquis incorporatur paſſioni & morti Chriſti, ſecundũ illud Roma. 6. Si mortui ſumus cũ Chriſto, credimus, quia ſimul etiã viuemus cũ eo. Ex quo patet, ꝙ omni baptizato communicatur paſſio Chriſti ad remediũ, ac ſi ipſe paſſus & mortuus eſſet. Paſſio autẽ Chriſti (ſicut dictũ eſt†) eſt ſufficiens ſatiſfactio pro omnibus peccatis omnium, hominũ. Et ideò ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ, ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter ſatiſfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis.

*Ar. præ. & q. 68. ar. 5. ad 1. & artic. 2.

† q 68. ar. 5.

Ad primvm ergo dicendum, quòd quia pœna paſſionis Chriſti cõmunicatur baptizato, inquãtum ſit membrũ Chriſti, ac ſi ipſe pœnam illã ſuſtinuiſſet, ideo eius peccata remanẽt ordinata per pœnam paſſionis Chriſti.

Ad secvndvm dicendũ, quod aqua nõ ſolùm abluit, ſed etiã refrigerat. Et ita ſuo refrigerio ſignificat ſubtractionem reatus pœnæ, ſicut ſua ablutione ſignificat emũdationem à culpa.

Ad tertivm dicẽdum, quòd in pœnis, quę iudicio humano infe runtur, nõ ſolùm attẽditur, qua pœna ſit homo dignus, quo ad Deum, ſed etiam in quo ſit obligatus, quo ad homines, qui læſi & ſcandalizati ſunt per peccatũ alicuius. Et ideo licet homicida per baptiſmũ liberetur à reatu pœnę, quo ad Deũ, remanet tamen obligatus adhuc quo ad homines, quos iuſtum eſt ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa. Piè tamen talibus princeps poſſet pœnam indulgere.

COMMENTARIVS.

1 Esſentiã baptiſmi in ſuſcipiente, de quibus hactenus dictũ eſt, effecta, & fructus conſequuntur, de quibus ſtatim dicendũ eſt. ſentẽtia generalis proponitur de omnibus effectibus primũ, tum ſpecialis & diſtincta ſingulorũ. illa generalis, dogma catholicũ hoc modo cõprehendit. baptiſmus in paruulis culpã originalẽ, in adultis originalem & actualẽ mortalẽ & venialem remittit: in vtriſq; verò omnis pœnę, ſiue ęternę, ſiue tẽporalis reatum. remiſſionẽ intelligimus verã emundationem & expiationẽ peccati, non autẽ, vt Proteſtantes fingunt, non imputationẽ. reum autẽ eſſe, vnde reatus dicitur, vel peccato contaminatũ eſſe ſignificat, & inde reatus erit ipſa iniquitas & peccatũ, vel obnoxiũ pœnę, quę culpã ipſam conſequitur, vnde reatus erit ad pœnã ſubeundam quedã obligatio. ſic colligitur ex ſentẽtia D. Aug. lib. 6. cõt. Iulian. c. 8. ſed pœna, quę culpã mortalẽ conſequitur, ęterna eſt, ſed plerũq; ea remiſſa cũ culpa, manet adhuc perſoluẽda aliqua tẽporalis, vt definitũ eſt in cõcil. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. affirmat igitur ſentẽtia propoſita, baptiſmo omnẽ culpam ſuſcipiẽtis, & omnem pœnã remitti, vt nulla amplius ſatiſfactio perſoluenda ſit, ſed liber pateat ad vitã æternam aditus.

Baptiſmi effectus per ſe & proprius, remiſſio omnis pœnæ & culpæ.

2 Id vero perſe & propriũ eſt baptiſmi: nõ alterius ſacramenti. pœnitẽtia enim legitimè ſuſcepta, ſiue ea virtus ſit, ſiuè ſacramentũ, remittit quidem omnẽ culpã & pœnã ęternã, temporalẽ verò pro intẽſione cõtritionis, nõ ſemper, neq; perſe, ſed aliquãdo. reliqua verò ſacramenta perſe gratiã in bene pręparatis infundũt, nõ tamẽ primã, qua peccata remittũtur, niſi ex accidẽti, cũ perſe nõ ſint mortuorũ, qui per primã gratiã à peccatis excitãtur ad vitam ſpiritualẽ, ſed viuentiũ ſacramenta, vt in eadẽ conſeruentur & augeãtur, vt de Euchariſtia oſtẽdit D. Thom. infra. q. 79. artic. 3. quod ſi intelligamus, diuinam gratiam baptiſmi eſſe, per quam non ſolum fit peccatorũ remiſſio, ſed etiam animæ interna innouatio, ac ſplendor quidã & lux, quę nos regenerando reddit diuinæ naturæ conſortes, intelligemus plane, gratiæ infuſione, quã baptiſmus efficit, omnẽ culpam & pœnã remitti, alioquin nõ eſſet animę innouatio & regeneratio totius hominis, ita vt noua creatura & Deo accepta ad hęreditatẽ vitę æter-

næ euadat.sed colligamus hanc sentētiam ex verbo Dei, Patribus & conciliis.

Sancta scriptura testimonia.

3 Ezech.36.de aquę baptismi effectu prędictū est: effundā super vos aquā mūdam, & mūdabimini ab omnibus inquinamētis vestris: hanc verò baptismi aquam esse, Patres intelligunt, ex parte, scilicet totū, vt cōstat ex D.Hieron. & ideò multa de hac re scripsit ad c.47.eiusdē prophetę: ex imitatione certè Tertul.de bapt. & D.Cypr. Micheę 7.sic ad Dn̄m oratio dirigitur, proiice in profundū maris omnia peccata nostra, idest in baptismum: sequitur enim de promissionibus per Christum impletis, dabis veritatem Iacob, misericordiam Abrahā, quæ iurasti Patribus nostris à diebus antiquis. sic explicat Basil.hom.1.in Psal.28. & D.Hier.ad Oceanū in fine 2.tomi. Theodoretus autem demersionē intelligit, peccatorum perpetuā obliuionem, cui sit persimilis peccatorū remissio per baptismū, Rom.6.quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus: vnde concludit, ita & nos existimate, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino nostro. vita hæc à gratia infusa deriuatur, & mortuus dicitur peccato, in quo plena eius remissio facta est, vt morte omnis ratio vitæ aboletur. sed adhuc apertiùs Colos.2. exprimitur idem effectus baptismi, cùm ait, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis: & cùm essetis vos mortui in delictis, & præputio carnis vestræ conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti, quod erat cōtrarium vobis.

4 Vnde rectè ar.2.concludit D.Thom. omni baptizato cōmunicatur passio Christi ad remediū, ac si ipse passus & mortuus esset. & in responsione ad primum, pœna passionis Christi communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset. atq; ideò baptismo remittitur omnis culpa & pœna, & hoc est in morte Christi baptizari suprà, q.68.art.5. prætereà 1.Corint.6.enumeratis multis peccatoribus, qui regnum Dei non possidebunt, subiungit, & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri IESV Christi. 1.Cor.10. transitus maris rubri est typus & figura baptismi: vnde colligunt Patres, baptismo omnia peccata aboleri, vt in mari demersi sunt omnes Ægyptij. Cypr.lib.3.ep.7. D. Greg. lib.ep.39. Hier.ad Oceanum, Theodoretus Michæ.7.ad finem. similiter eadem ep.39.intelligit illud Greg.Ioan.13.qui lotus est, nō indiget, nisi vt pedes lauet, vt lotio illa sit baptismi, & significet Dominus Apostolos baptismo fuisse ab omni peccato expiatos, & solùm superesse lotionem pedum, idest affectuum leuiorum, quæ quotidie cōtingūt, expurgationem. hęc ex sancta scriptura, vnde Patres, vt solent, persimiles sententias colligunt. D.Cypria.lib.2.ep.3. per baptisma Spiritus sanctus accipitur, & sic à baptizatis & Spiritum sanctum consecutis, ad bibēdum Domini calicem peruenitur. & lib.4.ep.7. cùm, inquit, ad aquam salutarem, atq; ad baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & fidere, quia illis diabolus opprimitur, & homo dicatus diuina indulgentia liberatur. in sermone de ablut. pedum de baptismo scribit, de abdito & secretissimo Spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula, aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat. & infrà de fomitis expurgatione addit, hæreditarium onus à sobole remouens & misericorditer ablutione & vnctione medicinali, corruptionis primitiuæ fermentum expurgans. similia scribit lib.3.ad Quirinū c.65. D.Hieronimus multa etiā in eandem sententiam Ezech.36.& 47.& ep. ad Oceanū in fine 2.tomi. D.Basil.ho.1.in Psal.28. ad illa verba, Dominus diluuium inhabitare facit. & hom.in Psal. 59. ad illud Moab lebes spei meæ, & hom.de baptismo, latissimè explicans, quo modo baptizemur baptismo Christi, & lib.de Spiritu sancto ad Amphilochiū.c.14.& 15. D.Amb.lib.2.de sacram. c.2.& 7.& ad Rom.11. vnde desumptus est c.sine pœnitentia de cons.d.4. de quo suprà q.68.art.5.in argumento sed contrà, & autor lib.de vocat.gent. D.Prosper.lib.1.c.5. scribit, vnde autem posset probari, quod ad euacuandum originale peccatum, nulla idonea esset industria, nisi & impij & facinorosi per lauacrum Christi assumerentur in regnum: agnoscerentq;, qui in sua iustitia gloriantur, quàm nihil dignè agere possunt adoptione filiorum Dei, si ad regenerationis

Patres de eodē.

rationis

rationis non peruenerint sacramentum, cũ eadem, qua sceleſtiſſimi peccatores conditione teneantur: pares futuri in ſanctificatione, ſi adfuerit regeneratio, ſimul perituri, ſi ceſſauerit ablutio. & infrà, euacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti. idem confirmat ex illo Apoſtoli 1. Timot. 3. ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, ideſt per baptiſmum: ſaluum autem dicit, hæredem vitæ æternæ, ſine aliquo impedimento. Chryſoſtomi plurima ſunt ad eadem teſtimonia D. Pauli. perſimiles ſententiæ Cyrilli Hieroſol. in catech. & aliorum Patrum ad illud Ioã. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: ex quibus aliqua collegimus ſuprà q. 68. ar. 2. ſed elegantiſſimè Nazianz. oratione in ſanctũ baptiſma, Chryſ. ad Neoph. & baptizandos, & hom. 24. in Ioan. Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 6. denique omnibus Patribus expreſſa ſunt in eũdem ſenſum illa verba Domini Marc. 16. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalus erit: Act. 2. baptizantur multi in remiſſionem peccatorum, & ad recipiendum donum Spiritus ſancti. Sed ne quis hæc ad alienas à propoſito Spiritus ſancti ſententias impiè traducat, Conciliorum decreta adiungenda ſunt.

Concilia. 5 Florentinum concil. in doctrina de ſacramentis ſeſſ. vlt. effectus, inquit, baptiſmi eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt pœnitentia, vel ſatiſfactio, ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionẽ perueniunt. Trident. ſeſſ. 5. can. 5. ſi quis, inquit per IESV Chriſti Domini noſtri gratiam, quę in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationẽ habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit. Proteſtantes enim auferunt à baptiſmo efficaciam remittendi ipſa peccata, ſed id tantùm efficere, ne cùm reuera inſint, imputentur ad damnationem. Caluinus verò, qui videtur efficaciam baptiſmi amplificare, dicens recordatione illius antè ſuſcepti, deleri quæ poſt ipſum peccata cõmituntur, eleuat potius & extenuat. volunt enim hi omnes, ſua illa fide ſpeciali nos iuſtificari: ſacramenta vero, neque gratiam neque iuſtitiam conferre, ſed eſſe ſigna fidei illius perſe iuſtificantis, atq; ita baptiſmum eſſe ſignum & teſſerã militiæ Chriſtianæ, vel quaſi ſigillum appendens gratiæ collatæ per illam fidem, neque aliũ eſſe vſum & effectum baptiſmi: & ideò recordationẽ baptiſmi delere peccata, quòd illa recordatio excitet, & quaſi deducat in actum fidem illam perſe iuſtificantem. cõtra hanc ſententiam, quæ ab omnibus ſacramentis tollit vim conferendi gratiam, generaliter diſputauimus ſuprà, ad q. 62. numero 25. & ſequentibus, quod verò ſpecialiter de baptiſmo aſſerunt, ſatis refutatũ eſt ex ſancta ſcriptura Patribus & cõciliis, à quibus nullus omninò Theologorũ diſſentit 4. ſent. d. 4.

6 Sed colligamus ex his Theologicas rationes. *Theologicæ rationes.* Prima ſit, quia baptiſmo regeneramur in nouã vitam ſpiritualem, effecti mẽbra Chriſti: ergo baptiſmus delet omnem peccati vetuſtatem: alioquin non eſſet vera regeneratio, quę ablato veteri, eſſe nouũ tribuat. quo modo enim nouũ eſſe poteſt, quod cũ vet⁹ ſit, adhuc manet? Secũda, baptizatus cõmoritur Chriſto, & cõſurgit ad nouã vitam: ergo paſſio Chriſti illi applicatur, tũ ad remiſſionem culpæ, tũ ad ſatiſfactionem pro pœna, vt D. Thom. art. 2. concludit. firmius tamen & exactiùs ſic ex ſancta ſcriptura concludit Concil. Trident. eodem can. 5. cùm enim decreuiſſet, baptiſmo auferri quicquid rationem peccati habet, ſubiũgit cauſam, in renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. expendenda ſunt illa verba, [in renatis nihil odit Deus:] ſignificant enim renatos baptiſmate, ipſa regeneratione nouum eſſe, & ſpiritum Chriſti viuificãtem indutos, nihil vetuſtatis peccati retinere, cùm regeneratio conferat nouum eſſe, & vetus interimat.

7 Itaq; cũ in ſalute, nobis per Chriſtũ exhibita, duo cõtineantur, & malorũ remotio, *Quare baptiſmo tribuantur tot & tam admirabiles effectus.*

 & bono-

& bonorũ ſpiritualiũ cõmunicatio,& ea ſa lus baptiſmo cõmunicetur plenè & perfectè, quia cõmortui Chriſto, regeneramur ſpiritu,neceſſe eſt aſſerere, per baptiſmum auferri quicquid rationẽ peccati habet, vt omne malum ſpirituale repellatur, & gratiam atq; dona Spiritus ſancti nobis infundi, vt fiat bonorum ſpiritualium plena cõmunicatio.cõferunt quidem cętera ſacramenta gratiam ad ſpecialem effectum & propriũ cuiuſq; ſacramenti:ſed quia gratię baptiſmi propria eſt regeneratio, & noui hominis per Chriſtũ conſtitutio,ideò baptiſmi propriũ eſt, omnẽ culpam & pœnã auferre,quia hęc ad vetuſtatẽ peccati pertinẽt, qua omninò abolita,baptiſmus nouũ hominẽ in ſpiritu,regenerãdo efficit.vnde veriſſimè dicitur omnes effectus paſſionis Chriſti,per baptiſmũ cumulatiſſimè cõmunicari.de his vero inquit Aug.lib.1.de pec. mer:& remiſſ,venit ille viuificare, ſaluare, liberare,illuminare,redimere à morte, infirmitate, à ſeruitute, captiuitate & tenebris,quę omnia in dignè ſuſcipientibus baptiſmus efficit,quare cũ in ſacramẽtorum vſu ſit Dei cultus,vt de ſacramẽtis generaliter oſtẽdimus ad q.60. nu.12. qui baptiſmũ ſuſcipit,ſuſcipiendũ procurat,aut confert, fatetur nos ab ipſo ortu & natiuitate immundos,peccato infectos, carentes vita Dei,expulſos ab hęreditate cęleſti, odibiles deniq; Deo,quę omnia baptiſmus auferat,filios Dei & hęredes vitæ ęternæ cõſtituens. ad hoc idẽ illuſtrandum plurimum valẽt definitiones baptiſmi ex eius effectibus compoſitæ, quas collegimus ſuprà q. 66.ar.1.num.1.& 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per baptiſmum debeant auferri pœnalitates præſentis vitæ.

2.d.32. q.1. arti.1. q.2.& d.33.q.1.ar.2 & 3.d.19.art. 3.q.2.& 4.d. 4.q.2.ar.1.q. 3.& 4.con.c. 52.fi.& 55.ad 5.& 27.& c. 59.& quol.6. ar.15.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur,quod per baptiſmũ debeãt auferri pœnalitates pręſentis vitę.Vt enim Apoſt.dicit Ro.5.Donũ Chriſti potentius eſt,quã peccatũ Adę.Sed per peccatum Adæ(vt ibidẽ Apoſtolus dicit)mors in hũc mundũ intrauit, & per conſequens omnes aliæ pœnalitates præſentis vitę. Ergo multò magis per donũ Chriſti,quod in baptiſmo percipitur,homo à pœnalitatibus præſentis vitæ debet liberari.

¶ 2.Præthereà,Baptiſmus aufert & culpã originalem & actualẽ, ſicut ſuprà dictũ eſt.†Sic autẽ aufert actualem culpam,quod liberat ab omni reatu pœnę conſequẽte actualem culpam. Ergo etiam liberat à pœnalitatibus,præſentis vitæ, quæ ſunt pœna originalis peccati. Ar.1.huius q.

¶ 3.Pręthereà,Remota cauſa,remouetur effectus. Sed cauſa harũ pœnalitatum eſt peccatum originale,quod tollitur per baptiſmum. Ergo non debent huiuſmodi pœnalitates remanere.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Ro.6. Deſtruatur corpus peccati,dicit gl.*Per baptiſmũ id agitur,vt verus homo crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur:non ita, vt in ipſo viuẽte carnis concupiſcẽtia reſperſa,& innata repentè abſumatur,& non ſit, ſed ne obſit mortuo,quæ inerat nato. Ergo pari ratione nec aliæ pœnalitates per baptiſmum tolluntur. Eſt gl. Augu. lib 1.de baptiſ. paruu.c.39.inter priu.& medium,tom.7.

Respondeo dicendum,quòd baptiſmus habet virtutẽ auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamẽ eas aufert in præſenti vita, ſed eius virtute auferẽtur à iuſtis in reſurrectione,quãdo mortale hoc induet immortalitatem,vt dicitur 1. Cor.15.Et hoc rationabiliter. primò quidẽ:quia per baptiſmum homo incorporatur Chriſto & efficitur mẽbrum eius, vt ſuprà dictum eſt.† Et ideò conueniens eſt,vt id agatur in membro incorporato, ꝙ eſt actũ in capite.Chriſtus autem à principio ſuę conceptionis fuit plenus gratia & veritate, habuit tamẽ q.68.art.5.ad 1.& ar.præce.

corpus

corpus passibile, quod post passionē & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatū. Vnde & Christianus in baptismo gratiam consequitur, quantū ad animam, habet tamē corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Vnde Apostolus dicit Rom. 8. Qui suscitauit IESVM Christū à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantē spiritum eius in vobis & infrà eodem, Heredes quidem Dei, cohęredes autem Christi: si tamē cōpatimur, vt & simul glorificemur. Secūdò, hoc est conueniēs propter spirituale exercitiū, vt videlicet cōtra concupiscentiam & alias passibilitates pugnans homo, victorię coronā acciperet. Vnde super illud Rom. 6. Vt destruatur corpus peccati, dicit gl. † Si post baptismū vixerit homo in carne, habet concupiscentiā, cum qua pugnet, eamq; adiuuante Deo superet. In cuius figurā dicitur Iudic. 3. Hæ sunt gētes, quas Dñs dereliquit, vt erudiret in eis Israëlem, & postea discerent filij eorū certare cū hostibus, & habere consuetudinē pręliandi. Tertiò hoc fuit conueniēs, ne homines ad baptismum accederēt propter impassibilitatē pręsentis vitę, & nō propter gloriā vitę ęternæ. Vnde & Apostolus dicit 1. Cor. 15. Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominib⁹.

† Est Aug. li. 1. de Bap. paruu. c. 39. circa prin. tom. 7.

AD PRIMVM ergo dicendū, ꝙ (sicut gl. dicit Rom. 6. super illud, Vt vltra nō seruiamus peccato) sicut aliquis capiens hostē atrocissimū, non statim interficit eū, sed patitur eum cum dedecore & dolore aliquantulū viuere: ita & Christus pœnam prius alligauit, in futuro autem perimet.

AD SECVNDVM dicendū, quod sicut ibidē dicit gl.* duplex est pœna peccati, gehēnalis & tēporalis. Gehennalem prorsus deleuit Christus, vt eā non sentiant baptizati & verè pœnitentes. Temporalē verò nondū pœnitus tolit, manet enim fames, sitis & mors, & huiusmodi. Sed regnū & dominium eius deiecit, vt scilicet hoc homo nō timeat, & tandē in nouissimo eandē pœnitus exterminabit.

** glo. ordi. super illud ad Ro. 6. homo noster simul crucifixus.*

AD TERTIVM dicendū, quòd (sicut in 2. parte dictū est†) peccatū originale hoc modo processit, ꝙ primò persona infecit naturam, postmodū vero natura infecit personā. Christus verò conuerso ordine prius reparat id quod personæ est, & postmodū simul in omnibus reparabit, id quod naturæ est. Et ideò culpam originalis peccati, & etiam pœnā carentię visionis diuinæ, quæ respiciunt personā, statim per baptismū tollit ab homine, sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturā, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideò isti defectus non tollentur, nisi in vltima reparatione naturæ, per resurrectionem gloriosam.

† 1.2. q. 81. ar. 1.

COMMENTARIVS.

CVm ostēsum sit baptismo auferri omnem culpam & pœnam, quam peccatum primi parentis in homines naturaliter propagatos induxit, atque in his pœnis numerentur cōcupiscentiæ contra rationem & legem Dei, perturbatio, labores, ærūnæ, corporis imbecillitas, ad ægritudines & mortem quasi necessitas quædam: meritò dubitari potest, an hęc omnia baptismo auferri

ferri possint, præsertim cùm omnes baptismo tincti, eisdem malis continuò implicentur. Sententia catholica respõdetur: huiusmodi mala, quas schola theologorũ pœnalitates vocat, baptismus quidem auferendi vim habet: sed in hac vita non aufert, in resurrectione tamẽ auferet. pœnã propriè theologi vocãt supplicium, quod iustè respondet culpæ, quã pœnam, siue temporalem, siue æternam baptismo auferri arti.1. & 2. ostendimus. pœnalitates autẽ vocant, infirmitates & debilitatem animę & corporis, ex peccato quidem primi parentis exortas, sed sine vlla ratione peccati in renatis permanentes. essent sanè huiusmodi pœnalitates, naturę hominum insitę & naturales, si primus homo sine dono supernaturali originalis iustitię à Deo conditus esset, nũc verò cũ propter peccatum, illud donum, idẽ homo sibi & omnibus posteris naturaliter propagatis amisserit, gratia infusa recõciliatur Deo per baptismũ, sed manent illę infirmitates, quæ essent in natura sine dono supernaturali producta: & idcircò cum dimissa culpa & pœna animę æterna & tẽporali, permaneant huiusmodi imbecillitates in renatis, dicuntur non omninò pœnæ, quæ cum ipsa culpa sint coniunctæ, sed pœnalitates, quæ ex antiqua culpa remissa in natura hominis permanent. vnde rectè D.Th. ad 3. pœnalitates, inquit, pręsentis vitæ, sicut mors, fames, sitis & aliæ huiusmodi, respiciunt naturã ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali iustitia.

Conclusio.

Explicatio.

2 Catholica ergo sententia à nobis proposita, hũc habet sensum: etiamsi gratia infusa per baptismum, & remissio omnis culpæ & pœnæ, hominẽ in Dei amicitiam restituant, & heredẽ vitæ ęternæ efficiãt, non tamen restituitur cõcordia illa interior corporis & animę, nec illa corporis firma constitutio, quæ fuit in primo parente, restituta est vnquã secundum legem ordinariam in naturaliter propagatis. eius sententię tres partes sunt, prima de vi & efficacitate baptismi ad auferendas huiusmodi pœnalitates, quę sic cõfirmari potest. baptismus vim habet instrumentariã, quia Christo renati incorporãtur, & ideò proprietatibus corporis illius, quatenus ad salutẽ expedit, participãt: corpus autẽ Christi prius passibile fuit & mortale, per resurrectionẽ autem impassibile & immortale: ergo similiter renatorũ corpora in hac vita passibilia erunt & immortalia, per resurrectionẽ impassibilia & immortalia: idq; baptismi virtute, quia eo Christo primũ incorporamur, & induẽtes spiritũ eius, & anima innouamur, & ad corpus impassibile per resurrectionẽ accipiendũ apti efficimur. deducitur hæc ratio ex illo Rom.8. qui suscitauit IESVM Christũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantẽ spiritum eius in vobis. Phil.3. qui reformabit corpus humilitatis nostrę, configuratũ corpori claritatis suę, secundũ operationẽ, qua possit subiicere sibi omnia. 1. Cor. 15. sicut in Adã omnes moriũtur, ita in Christo omnes viuificabuntur. hoc est, si primus homo omnes homines ad mortẽ damnauit, poterit sanè Christus omnes viuificare anima & corpore, viuificat autẽ baptismo. prætereà, quod baptismo agitur exterius, id reipsa spiritus Christi interius pręstat: sed baptismo, & aqua abluimur, & quasi immergimur, & ab eadẽ aqua educimur: immersione commorimur Christo, & ideò remissionẽ peccatorũ consequimur, quia traditus est Christus propter delicta nostra: emersione cõresuscitamur: & ideò statim iustitiam induimus, quia resurrexit propter iustificationẽ nostrã, & vim resurgẽdi ad immortalẽ vitã accipimus, quia vt in morte ipsius baptizati sumus, & consepulti cũ illo per baptismũ in mortẽ, sic etiã cum illo resurgemus, vel ad similitudinẽ illius. si enim cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus Rom.6. & infrà. si autẽ mortui sumus cũ Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.

Confirmatio.

3 Sed hîc statim existũt duę dubitationes, prior de similitudine corporis Christi & nostri ad patiendũ & resurgendũ: eadẽ enim similitudo videtur efficere, vt nostrum corpus esset sine vllo interiori dissidio carnis, rationis & spiritus, vt non fuit in corpore Christi. posterior, de efficacitate & virtute baptismi, ad communicandũ corpori vim resurgendi ad immortalem vitam, quia hoc ipsum, vt effectum proprium Eucharistiæ tribuimus. ad priorem responsio est, Christum assumpsisse cum natura humana eos defectus, qui cum incarnationis fine congruerent, vt corporis infirmitatẽ, & imbecillitatem, quæ passibilitas dicitur: non autem eos, qui repugnarẽt perfectioni naturę assumptę: repugnat autem perfectissimis Christi virtutibus, in appetitu inferiori

Duarum obiectionum responsiones.

1.2.q.85.ar.5 & 6.

Pœna peccati originalis cur baptismo non auferuntur.

Concupiscentia in renatis non est peccatum.

feriori collocatis, vt in eo sit fomes, vel motus ad peccandũ impellens. suprà q.15.ar.2. qui vero Christo inseruntur per baptismũ, passibilitate eidem similes sunt, nõ carnis fomite: vt sicut Christus pro nobis passus est, sic & nos compatiamur, vt cõglorificemur Rom.8. Ad posteriorẽ dubitationem ex natura baptismi respõsio deducitur: est enim via ad cætera sacramẽta legitimo tẽpore percipienda, præsertim Eucharistiæ, quã respicit, vt omnium sacramentorũ perfectissimum: & ideò in ipsa baptismi perceptione est votum implicitũ percipiẽdi Eucharistiam, & ex eo voto vim habet auferendi præsentis vitæ penalitates in resurrectione. de quã vi Eucharistiæ & baptismi ad resurrectionẽ, vberior erit disputatio infrà q.76. in q. de reali coniunctione Christi cum digne sumentibus Eucharistiam numero 13.

4 Ostendimus hactenus in baptismo esse virtutem auferendi corporis pœnalitates, & inordinatos motus carnis & concupiscentiæ: quod verò non expediat eas auferri in hac vita, præcipua ratio est exercitatio spiritualis, vt cum internis hostibus decertantes spiritus Christi virtute, vincere, & triumphare possimus. sic Trident. sess. 5. can. 5. manere autem in baptizatis concupiscentiam, seu fomitem hæc sancta synodus fatetur & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi IESV gratiam repugnãtibus non valet: quinimo, qui legitime certauerit, coronabitur. itaq; motus illi primi concupiscentiæ, veluti suaptè natura ad proprium obiectum propensæ, peccati rationem non habent, nisi accedat cõsensus: & ideò non exigit à nobis pręceptum non cõcupiscendi, ne insurgant huiusmodi motus, sed ne regnent contempta ratione & lege diuina. sic sanè exigit consensum Iacobus c.1. ad peccatũ. & Rom.6. scriptũ est, nõ ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentiis eius. peccatũ enim vocat ipsam concupiscentiã, vel primos eius motus, non quòd in renatis propriè peccatum sit, sed quod ex peccato exorta, ad peccatum inclinat, vt eodẽ can.5. definitum est. dixit autem in renatis, quia in nondum renatis, propter coniunctam cũ illa iustitiæ originalis priuationẽ, concupiscentia materialiter peccatũ est sine vlla propria voluntate, cũ ex illa adiuncta priuatione, hominẽ efficiat à Deo habitualiter saltẽ auersum, & dãnationis reũ. de hac tota ratione peccati in concupiscentia ante & post baptismum scribit D. Aug. copiosè ad defensionẽ sentẽtiæ catholicæ, quã ex cõcilio proposuimus lib.1. de nupt. & concup. c.23. & 25. lib.1. cõt. duas ep. Pelag. c.13. lib.1. retract. c. 15. lib.13. de Trinit. c.16. lib.1. de peccat. mer. c.39. & lib.2. c.28 33. & 34. lib.2. cont. Iulian. & lib.5. c.3. lib.1. de ciuit. c.5.

5 Ex quibus cõcludit lib.6. cõt. Iulian. c. 6. baptizatũ carere omni peccato, non tamẽ omni malo. vocat autẽ malum, vitium siue defectum naturę nondũ plenè sanatę, & obliquitatẽ propensam ad repugnandũ rectę rationi, & legi Dei. idem malũ vocat aliquando S. Amb. iniquitatẽ: sed D. Aug. lib.2. cõt. Iulian. versus mediũ libri, sic eum exponit. istam, inquit, legẽ peccati, propterea vocauit iniquitatẽ, quia iniquum est, vt caro cõcupiscat aduersus spiritũ, quamuis adsit in nostra regeneratione iustitia, qua iustum est, vt aduersus carnem spiritus cõcupiscat, vt spiritu ambulemus. hoc est, nõ est moralis iniquitas, nec veri nominis peccatum, sed malũ quoddam & defectus, deficiens à plena perfectaq; iustitia, est enim triplex iustitiæ perfectio, vna carere criminibus, vel peccatis mortalibus, quæ huius vitæ propria est, de qua Aug. lib.1. de natura & gratia c.12. Altera est, liberari ab omnibus omninò peccatis mortalibus & venialibus, quã tribuit baptismus, idem Aug. lib.6. cont. Iulian. c.5. tertia est, non solùm peccatis omnibus carere, sed etiam illecebris & desideriis peccandi, quę pertinet ad vitam beatã futuram. Itaq; concupiscentis potẽtiæ natura, quà propensa in suũ obiectum, repugnare potest rationi & legi Dei, quia iustitia originali amissa naturalis est, & naturaliter homini inesset, baptismo nõ minuitur nec ligatur: spiritu tamen regenerãte per baptismũ, motus eius & desideria reprimũtur, ligantur & minuuntur, vt spiritus dominetur, caro subiecta sit & appetitus inferior: quatenus per gratiã sanata voluntas, legẽ implet, & liberatur à seruitute peccati. vnde prauitas illa, qua repugnatur legi mentis, carnis tantùm est, non mentis: & ideò carnem tantùm captiuam tenet in renatis, non mentem, vt ostendit D. Aug. lib.1. de nupt. & concup. cap.30. non est autem peccatum, nisi carni allicienti mens consentiat,

Iustitiæ nostræ & sanctitatis triplex perfectio.

consentiat,sed infirmitas & languor sanandus gratia & spiritu Dei: per quam fit quotidiana renouatio & vetustatis cōsumptio, idest concupiscentiæ diminutio,quę est iustificationis primæ incrementum,non prima. hæc enim momentanea est, vt post Aug.lib.2. de pec.mer.c.5. & ep.29. docet D.Thom.1.2.q.113.ar.7. motus autem concupiscentiæ successiuè minuuntur : quia mens,vt inquit D.Aug.in sanctitate proficit,cùm magis magisq; minuit eas, quibus non consentit, carnales cupiditates. Vndę in decalogo concupiscentia hominis, aut mētis,non carnis ille primus motus,aut potentia prohibetur : caro enim concupiscit & repugnat legi, mens autem renati non consentientis condelectatur legi & cōsentit,& ita seruat legem non concupiscendi, ex D.August.de verb.Apost. serm.5.& de verb.Dom.ser.43.& lib.1.de nupt. & concup.c.27.& multis aliis locis.

Concupiscentia, qua ratione peccatum.

Concupiscentia, quæ in decalogo prohibetur.

6 Quare Protestantum sententia,quę renatorum concupiscentiam verum peccatū censet,& reum damnationis hominē reddat,sed non imputari propter Christū,plane hæretica est,vt ex conciliis & Patribus de effectu baptismi apertè deduximus.eorum autem argumenta accuratè proponit & refellit Stapletonus lib.3. de iustific.c.4. & sequentibus. Tertia pars sententię propositæ tribuit baptismo vim auferendi omnes pœnalitates in resurrectione : quia nos Christo per regenerationem insertos, ad perfectam corporis Christi similitudinem in resurrectione deducet,consumpta omni mortalitate & passibilitate. sic D. August.lib.15.de ciuit.c.23. explicans illud Pauli 1. Corin.15,sicut portauimus imaginē terreni,portemus & imaginem cælestis, inquit,hoc Apostolus ita posuit, vt nunc quidem in nobis secundum sacramentum regenerationis fiat,sicut alibi dicit,quotquot baptizati estis,Christum induistis, re autē ipsa tunc perficietur,cùm & in nobis quod est animale nascendo, spiritale factum fuerit resurgendo.vt enim eiusdē verbis vtar, spe salui facti sumus.præterea, Rom.8. inquit, qui suscitauit IESVM Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis, hunc autem ad regenerandum baptismus largitur.

Baptismi vi in resurrectione auferetur omnis infirmitas corporis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm per baptismum conferantur hohomini gratia & virtutes.

AD quartum sic proceditur. Videtur,quod per baptismū non conferantur homini gratia & virtutes.Quia sicut suprà dictū est, †sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant. Sed per ablutionem baptismi significatur emūdatio animæ à culpa,non autem informatio animæ per gratiam & virtutes.Videtur igitur quod per baptismum non conferantur homini gratia & virtutes.

Inf.q.71.ar.3 corp.et d.3.ar. 1.q.3.c. & q. 3.ar.1.q.2.ad 2.& d.4.q.2. artı.2. q.2.& d.9.ar.1.q.2. cor.& d.18.q. 1.artic.3.q.1. cor.

† q.60.art.2. & 62.ar.3.et q præce.art.2.

¶ 2.Præterea,Illud,quod iā aliquis adeptus est,nō indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ad baptismum,iam habentes gratiam & virtutes,sicut Actor.10.legitur: Vir quidam erat in Cæsarea,nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus & timens Deum:qui tamē postea à Petro baptizatus est. Non ergo per baptismum conferuntur gratia & virtutes.

¶ 3.Præterea, Virtus est habitus,ad cuius rationē pertinet, quod sit qualitas difficilè mouilis , per quam aliquis faciliter & delectabiliter operetur.Sed post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malum,per quod tollitur virtus, & consequitur difficultatem quis ad bonum,quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam & virtutes.

SED CONTRA est, quod ad Titum 3.dicit Apostolus, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,(idest per baptismum) & renouationis Spiritus sancti,quem effudit in nos abundè,idest,ad remissio

nem

nem peccatorum & copiam virtutum, vt glos.* ibi exponit. Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus sancti & copia virtutum.

Glos. inter lib. ibidem.

RESPONDEO dicēdum, quod (sicut Aug. dicit in lib.† de Baptismo paruulorū) ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius. A capite autem Christo, in omnia membra eius, gratię & virtutis plenitudo deriuatur, secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Vnde manifestum est, quod per baptismum aliquis cōsequitur gratiam & virtutes.

Lib. 1. c. 26. à med. tom. 7.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpæ, & per suum refrigeriū significat liberationem à pœna, ita per naturalem claritatē significat splendorem gratiæ & virtutum.

AD SECVNDVM dicendū, quod sicut dictum est,* quod remissionē peccatorum aliquis cōsequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto, vel explicitè, vel implicitè: & tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quātum ad liberationem à tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius & alij similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi & desiderium baptismi implicitè, vel explicitè, postmodum tamē in baptismo maiorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur. Vnde super illud Psalm. 22. Super aquas refectionis educauit me, dicit glos.* Per augmentum virtutis & bonæ operationis educauit in baptismo.

Q. 68. ar. 2.

Ex glos. interlin. colligitur ibid.

AD TERTIVM dicendum, quod difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, inueniuntur in baptizatis, nō propter defectum habitus virtutum, sed propter cōcupiscentiam, quę non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur concupiscētia, vt non dominetur, ita etiā diminuitur vtrunque dictorum,* ne homo ab his superetur.

In ista soli

ARTICVLVS V.

Vtrùm conuenietèr attribuantur baptismo quidam actus.

AD quintū sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter attribuantur baptismo pro effectibus quidam actus virtutū, scilicet, incorporatio ad Christum, illuminatio, & fœcundatio. Nō enim baptismus datur adulto, nisi fideli, secundum illud Mar. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed per fidem aliquis incorporatur Christo secundum illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidē in cordibus vestris. Ergo nullus baptizatur, nisi iam Christo incorporatus. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

4. d. 4. q. 2. ar. 2. q. 3. 4. & 5. & dist. 5. q. 2. ar. 3. q. 2. cor. arti. 3. ad 1. & art. 5. q. 1. cor. & d. 18. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 1. & quo. 6. art. 4. cor.

¶ 2. Præterea, Illuminatio fit per doctrinā: secundū illud Eph. 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes, &c. Sed doctrina præcedit baptismum in catechismo. Non ergo est effectus baptismi.

¶ 3. Præterea, Fœcunditas pertinet ad generationem actiuam, sed per baptismum aliquis regeneratur spiritualiter: ergo fœcunditas non est effectus baptismi.

SED CONTRA est, quod Aug. †dicit in libro de Baptismo paruulorū, quod ad hoc valet baptismus, vt baptizati

baptiſzati, Chriſto incorporentur. Dion.* etiam 2. c. eccl. hier. illuminationem attribuit baptiſmo. Et ſuper illud Pſal. 22. ſuper aquam refectionis, dicit gloſ. † quod anima, peccatorum ariditate ſterilis, fœcundatur per baptiſmum.

c. 2. eccle hier. part. 1. & 2.

Eſt glo. Caſſio. ſuper hũc locũ. Pſal. 22.

RESPONDEO dicendum, quod per baptiſmum aliquis regeneratur in ſpirituale vitam, quæ eſt propria fidelium Chriſti: ſicut Apoſtolus dicit Gal. 2. Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei. Vita autem non eſt, niſi membrorum capiti vnitorum, à quo ſenſum & motum ſuſcipiũt, & ideo neceſſe eſt, quod per baptiſmum aliquis incorporetur Chriſto quaſi membrum ipſius. Sicut autem à capite naturali deribatur ad membra ſenſus & motus: ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, deriuatur ad mẽbra eius, ſenſus ſpiritualis, qui conſiſtit in cognitione veritatis, & motus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctum. Vnde Ioan. 1. dicitur: Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ideo conſequens eſt, quod baptizati illuminentur à Chriſto circa cognitionem veritatis, & fœcundentur ab eo fœcunditate bonorum operum per gratiæ infuſionem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod adulti prius credẽtes in Chriſtum, ſunt ei incorporati mentaliter: ſed poſtmodum cùm baptizantur, incorporãtur ei quodammodo corporaliter, ſcilicet per viſibile ſacramentum, ſine cuius propoſito nec mentaliter incorporari potuiſſent.

AD SECVNDVM dicendũ, quod doctor illuminat exterius per miniſterium, catechizando: ſed Deus illuminat interius baptizatos, præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, ſecundũ illud Ioan. 6. Eſt ſcriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.

AD TERTIVM dicendũ, quòd effectus baptiſmi ponitur fœcũditas, qua aliquis producit bona opera: non autem fœcunditas, qua aliquis generat alios in Chriſto, ſicut Apoſtolus dicit 1. ad Corint. 4. In Chriſto IESV per Euangeliũ ego vos genui.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm pueri in baptiſmo conſequantur gratiam & virtutes.

AD ſextũ ſic proceditur. Videtur, ꝙ pueri in baptiſmo non conſequantur gratiam & virtutes. Gratia enim & virtutes non habentur ſine fide & charitate. Sed fides, vt Auguſt.* dicit, conſiſtit in credẽtium voluntate, ſimiliter etiam charitas conſiſtit in diligentium voluntate, cuius vſum pueri non habent, & ſic non habent fidem & charitatem. Ergo pueri in baptiſmo non recipiunt gratiam & virtutes.

22. q. 47. art. 14. ad 3. & 4. d. 4. q. 2. ar. 2. q. 1. & d. 17. q. 1. art. 3. q. 2. cor. ad 3. & d. 18. q. 1. art. 3. q. 1. cor.

Ep. 23. nõ remotè à fi. tom. 2.

¶ 2. Præterea, Super illud Ioã. 14. Maiora horũ faciet, dicit Aug.* quod ex impio iuſtus fiat in illo, ſed non ſine illo Chriſtus operatur. Sed puer cùm nõ habeat vſum liberi arbitrij, non cooperatur Chriſto ad ſuam iuſtificationẽ, imò quandoq; pro poſſe renititur. Ergo non iuſtificatur per gratiam & virtutes.

Tract. 72. in Ioannẽ, à med. tom. 9.

¶ 3. Præterea, Rom. 4. dicitur, Ei qui non operatur, credenti autẽ in eum, qui iuſtificat impiũ, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecũdum propoſitum gratiæ Dei. Sed puer

non

non est credens in eum, qui iustificat impium. Ergo non consequitur gratiam iustificãtem neq; virtutes.

¶4. Præterea, Quod ex carnali intẽtione agitur, non videtur habere spiritualem effectum. Sed quandoque pueri ad baptismum deferũtur carnali intentione, vt scilicet corporaliter sanentur. Non ergo consequuntur spiritualem effectũ gratiæ & virtutum.

Enchirid.c.52 ante med.to.3. SED CONTRA est, quod Augu. * dicit in Enchirid. Paruuli renascendo moriũtur illi peccato, quod nascendo cõtraxerunt. Ac per hoc ad illos etiam pertinet, quod dicitur, consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem (subditur autem) vt quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sed nouitas vitæ est per gratiã & virtutes. Ergo pueri in batismo gratiam & virtutes consequuntur.

RESPONDEO dicendum, quod quidam antiqui posuerunt, quod pueris in baptismo nõ dãtur gratia & virtutes, sed imprimitur eis character Christi, cuius virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, cõsequuntur gratiam & virtutes.

Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primò quidem quia pueri sicut & adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi, vnde necesse est, quod à capite recipiant influxũ gratiæ & virtutis. Secundo, quia secundum hoc pueri decedẽtes post baptismum, non peruenirent ad vitam æternam, quia vt dicitur Roman.6. Gratia Dei est vita æterna. Et ita non profuisset eis ad salutẽ, baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum & actum. Et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutũ, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operãdi, non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quãuis habeant habitus virtutum, impediuntur tamẽ ab actibus propter somnum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod fides & charitas consistunt in voluntate hominũ, ita tamen, quod habitus harum & aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quæ est in pueris, sed actus virtutum requirũt actum voluntatis, qui nõ est in pueris. Et hoc modo August. * dicit in lib. de Baptismo paruulorum, quod paruulum, etsi nondum illa fides, quæ in credẽtium voluntate consistit, iam tamẽ ipsius fidei sacramentũ (quod scilicet causat habitũ fidei) fidelẽ facit. Epi.23. ad Bonif. non procul à fi. to.2.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd (sicut Aug. dicit in lib. de Charitate) nemo ex aqua & Spiritu sancto renascitur nisi volens. Quod non de paruulis, sed de adultis intelligendũ est, Et similiter de adultis intelligendũ est, quod homo à Christo sine ipso nõ iustificatur. Quod autẽ paruuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctãtur, non eis imputatur, qui in tantum nesciunt quod faciunt, vt nec facere videantur, vt August. * dicit in lib. de Pręsentia Dei ad Dardanum. Ep.57. post med. to.2.

AD TERTIVM dicendũ, quod (sicut August. dicit) paruulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat, vt veniant: aliorum cor vt credant, aliorum linguam vt fateãtur. Et ita pueri credũt, nõ per actũ proprium, sed per fidem Ecclesię,

quæ eis communicatur. Et huius fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes.

Ad quartum dicendum, quod carnalis intentio deferentium pueros ad baptiſmum, nihil eis nocet, ſicut nec culpa vnius nocet alteri, niſi conſentiat. Vnde Auguſt. *dicit in Epiſtola ad Bonifacium. Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptiſmum percipiendũ paruulos ferunt, vt gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed hoc eos putant remedio corporalem retinere vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.

De conſe. d 4. c. Mater Eccl. Ep. 23. parum ante med to. 2 & li. 1. de pecca. meri. c. 25. in fin. to. 7.

ARTICVLVS VII.

Vtrũ effectus baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cæleſtis.

4 d. 3. ar 1 q. 3. & 4. di. 4. q 2. ar. 2 q 6 & 4. co. c. 59. et 7. co. 3 & Ioan. 3 lec. 1.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod effectus baptiſmi non ſit apertio ianuæ regni cæleſtis. Illud enim quod eſt apertum, non indiget apertione. Sed ianua regni cæleſtis eſt aperta per paſſionem Chriſti, vnde Apocalyp. 4. dicitur. Poſt hæc vidi oſtium magnum apertum in cælo. Non eſt ergo effectus baptiſmi apertio ianuę regni cæleſtis.

¶2. Præterea, Baptiſmus omni tempore ex quo inſtitutus fuit, habet ſuum effectũ. Sed quidã baptizati ſunt baptiſmo Chriſti ante eius paſſionem (vt habetur Ioa. 3.) quibus ſi tunc deceſiſſent, introitus regni cæleſtis nondum patebat, in quod nullus ante Chriſtum introiuit, ſecundum illud Mich. 2. Aſcendit pandens iter ante eos. Non eſt ergo effectus baptiſmi apertio ianuæ regni cęleſtis.

¶3. Præterea, Baptizati adhuc ſunt obnoxij morti & aliis penalitatib. vitæ præſentis, vt ſupra dictũ eſt. Sed nulli eſt apertus aditus regni cæleſtis, quandiu obnoxius eſt pœnæ, ſicut patet de his, qui ſunt in purgatorio. Non ergo effectus baptiſmi eſt apertio ianuæ regni cæleſtis.

Ar. 3. huius q.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Luc. 3. Apertum eſt cælum, dicit glo. * Bedæ. Virtus hic baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, regni cęleſtis ei ianua aperitur.

Beda Lu. 3. in c. 10. ſecundũ ſuũ ordin. to. 2.

Respondeo dicẽdum, quod aperire ianuam regni cæleſtis, eſt amouere impedimentũ, quo quis impeditur regnum cæleſte introire. Hoc autem impedimentum eſt culpa & reatus pœnæ. Oſtenſum eſt autem ſupra, *quod per baptiſmum omnis culpa & omnis reatus pœnæ tollitur. Vnde conſequens eſt, quod effectus baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cæleſtis.

Ar. 1. et 2. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod baptiſmus in tantum aperit baptizato ianuam regni cæleſtis, in quantum incorporat eum paſſioni Chriſti, virtutem eius homini applicando.

Ad secundum dicendum, quod quando paſſio Chriſti nondũ erat realiter perfecta, ſed ſolũ in fide credentiũ, baptiſmus proportionaliter cauſabat ianuę apertionem non quidem in re, ſed in ſpe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa ſpe introitum regni cæleſtis expectabant.

Ad tertium dicendum, quod baptizatus non eſt obnoxius morti, & pœnalitatibus vitę prę ſentis, propter reatum perſonæ, ſed propter

propter statum naturæ. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni cælestis, quando anima separatur à corpore per mortẽ, quasi iã persoluto eo, quod naturæ debebatur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrũ baptimus habeat in omnibus æqualem effectum.

4.d.4.q.2.ar 3.q.1.& 2. & d.18.q.1.ar. 3.q.1.cor.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod baptismus nõ habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpæ. Sed in quibusdam plura peccata tollit, quam in aliis. nam in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam verò pauciora. Non ergo æqualem effectũ habet baptismus in omnibus.

¶2. Præterea, Per baptismum conferuntur homini gratia & virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam & perfectionem virtutum, quàm alii baptizati. Nõ ergo baptismus habet ęqualem effectũ in omnibus.

¶3. Præterea, Natura perficitur per gratiam, sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis etiam pueris, sit maior capacitas naturalium, quàm in aliis, videtur, quòd quidam maiorem gratiã consequantur, quàm alij.

¶4. Præterea, Quidam in baptismo consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est à lepra. Nõ autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismo. Baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.

SED CONTRA est, quod dicitur Ephe. 4. Vna fides, vnum baptisma. Vniformis autem causæ est vniformis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectũ in omnibus.

RESPONDEO dicẽdum, quod duplex est effectus baptismi, vnus per se, & alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi, est id, ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Vnde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum, quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptismum accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed diuina virtus hoc in baptismo miraculosè operatur. Sicut super illud, Roman. 6. Vt vltra non seruiamus peccato, dicit glossa.* Non hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati, quæ est in membris, prorsus extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cũ

Est glo. Aug. lib. 1. de pecca. mer. & remis. c. 39. to. 7.

æquali deuotione accedant, sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem prouidentię diuinæ.

Ad primum ergo dicendum, quod minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Vnde hoc non est propter maiorem efficaciā baptismi, quod in quibusdam plura, in quibusdam autem pauciora peccata soluit, sed propter conditionem subiecti, quia in quolibet soluit quotcunque inuenerit.

Ad secundum dicendū, quod hoc, quod in baptizatis maior vel minor gratia apparet, potest dupliciter contingere. Vno modo quia vnus in baptismo percipit maiorē gratiam, quàm alius propter deuotionem maiorem, vt dictum est. *Alio modo, quia etiam si æqualē gratiam percipiant, non æqualiter ea vtuntur, sed vnus studiosius in in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.

In cor. ar.

Ad tertium dicēdum, quòd diuersa capacitas naturalium in hominibus, non est ex diuersitate mētis, quæ per baptismum renouatur, cum omnes homines eiusdem speciei existentes, in forma conueniunt, sed est ex diuersa dispositione corporum. Secus autem est in angelis, qui differunt specie. Et ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diuersam capacitatem naturalium, nō autem hominibus.

Ad quartum dicendū, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus prouidētiæ diuinæ.

COMMENTARIVS.

1 Cvm iustificationis, quā baptismo effici diximus, due sint partes, remissio peccatorū, & diuinæ gratiæ infusio, per quā formaliter fit interior innouatio, Trident. sess. 6. cap. 7. & de remissione peccatorum dictum sit, de infusione gratiæ ex propositis articulis hæc sententia colligitur. baptismus confert suscipientibus digne, atque etiam paruulis gratiam & virtutes: vnde procedūt illuminatio interior, & bonorum operum fœcunditas: & tandem regni cælestis apertio. est vero hic effectus, gratiæ & virtutum infusio, per se quidem æqualis in omnibus, qui equalem habent ad suscipiendum præparationem, ex accidenti verò cōtingit effectus aliquis, qui in paucis, & non in omnibus suscipientibus reperitur.

2 Primum autem de infusione gratię & virtutum, tam in adultos, quam paruulos, eadē ratio est collecta ex sancta Scriptura. omnes enim renati Christo incorporati, fiūt eius viua membra, & heredes vitę eternæ: habent igitur ex vi baptismi gratiam & virtutes, quibus euadant filij Dei. gratiam quidem, quia de plenitudine eius, cui inseruntur, omnes accipiunt, Ioan. 1. virtutes autem Theologicas & dona Spiritus sancti, quia gratiam primam semper consequuntur, vt sit homo filius Dei perfectus secundum spiritum, & ad omne opus bonum instructus: quod in adultis statim exercetur, in paruulis verò cū ad vsum rationis peruenerint, interim vero sunt secūdum habitum perfecti. ex his habitibus infusis, in intellectu est illuminatio ad cognitionem diuinæ & supernaturalis veritatis per fidē, & fœcūditas bonorū operū in voluntate per charitatē, ipsa vero gratia nos Christo efficit concorporeos, idest mēbra corporis eius mystici. atq; ita, cū remissa sit per baptismū omnis culpa & pœna, ex prioribus articulis, & ex his posterioribus infusa gratia, adoptio filiorū, & ius ad obtinendū regnū cælorum, constat baptismo aperiri ianuā regni cælorū. tunc enim aperitur, cū impedimēta ad eum consequendū, remouentur, nempe culpa & reatus pœnę, quę proculdubio remouet baptismus Christi, presertim post passionē, qua persolutū est pretiū nostrę redēptionis. Nā ante passionē remouebat quidē, sed in spe pretij illius persoluēdi, cuius virtute baptismus remouendi

De infusione gratiæ virtutū & donorum per baptismū.

uēdi omnē reatum pœnę vim habet, quatenus id efficit regenerādo & incorporādo cū Christo, ac si suscipientis baptismū propria esset illa passio, art 2. huius q. circuncisio autem etiamsi in spe remoueret impedimenta adeundi regnū cælorū, non tamē remittebat omnem reatū pœnę infra, q.70. ar.4. ad 5. & ideo multo maior est vis baptismi.

3 In his probationibus ex D. Thoma collectis, exactius expēdere oportet hanc gratiæ & virtutum infusionem per baptismū, in adultis & paruulis, an sit omnino certum dogma fidei. Et quidem in omni iustificatione siue baptismo in re aut voto fiat, siue pœnitentię sacramento similiter, infundi iustificatis inherentem iustitiam, idest, gratiam iustificantē formaliter, virtutes Theologicas, dona Spiritus sancti, certū fidei dogma est, definitum in Conc. Tridēt. sess.6. c.7. primo enim definit, iustificationē esse non solam peccatorum remissionem, sed etiā sanctificationem & innouationem interioris hominis, per volūtariam susceptionē gratię & donorum. deinde vero addit, simul hęc infusa accipit homo per IESVM Christum cui inseritur, fidē, spem & charitatem. nam fides, nisi ad eam accedat spes & charitas, neque vnit perfecte cū Christo, neq; corporis eius viuum membrum efficit. Illa autē voluntaria susceptio in paruulis renatis, ad voluntatem offerentium, quę paruulo tribuitur ex institutione Christi & Ecclesię paruulos baptizantis, referēda est. Colligitur autē idem dogma planè ex sancta Scriptura, & Patribus consentientibus. Apostolus inquit, nos induere Christum, Galat.3. consepultos cum Christo in mortem, peccatorum scilicet Colos.2. cōplantatos Rom.6. vt sicut in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & sicut in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio, vt colligit D. August. in Enchir. c.57. deniq; renati sunt templū Spiritus sancti, & ipsorū corpora, membra Christi. Similia sunt Patrum testimonia iis locis, quos supra adnotauimus ad confirmandū baptismo remitti omnem culpā & pœnam. Sed contra Protestantes accuratè consideranda est D. Aug. disputatio cōtra Pelagianos: ij enim negantes originale peccatum, cōcupiscentiam naturalem esse asserebant omnino, & non ex peccato inductam, aut si ex peccato esset, laudabilem tamen, vt materiam exercēdę virtutis. asserebant pretereà ex D. Augustini sentētia, baptismū non auferre crimina, sed radere. ipse tamen lib. 1. contra duas ep. Pelag. sic respondet, constituens in renatis verā peccatorum remissionem, & penitus insitā iustitiam & sanctitatem: dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere. quæ est hodie Protestantium opinio. & lib. 6. cont. Iulian. cap.5. sic cū eodem Iuliano loquitur, dixisse me affirmas, quod gratia nō perfectè hominē nouum facit, nō hoc dico, attēde quod dico. gratia perfectè hominē nouū facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatē, plenamq; fœlicitatē ipsa perducit. nunc etiam perfectè innouat hominem, quantū attinet ad liberationē ab omnibus omnino peccatis, non quantum attinet ad liberationē ab omnibus malis, & ab omni corruptione. Hinc est quòd Patres variis appellationibus exornant baptismi gratiā, vt ostendant & remittere omne peccatū, & interius sanando inhęrere. Diony. Areop. Eccl. hier. c.2. vocat adoptionis matrem. Basil. hom.13. adoptionis gratiā. Clemen. Alex. lib.1. Pędagogi, c.6 medicamentum pæonium, Ambr. lib.1. de sacram. c.4. Pascha Christianorū, Chrys. in hom. ad baptizandos, purgatoriū huius vitæ. infundit ergo baptismus gratiam, dona, & virtutes Theologicas renatis, & ipsis verè inhęrent.

Gratiam & virtutes iustificantes per baptismum, nobis inhærere recta fides docet.

Concil.

Patres & Scriptura.

4 An verò sic inhęreāt, vt qualitates productę per baptismū, atq; menti & voluntati infixæ, à quibus dicātur & sint renati formaliter & verè fideles & Deo dilecti, non videtur ab eodē Trident. Conc. ex proposito definitū. Proposuit enim sibi refutandū Lutheranorū dogma, de imputata extrinsecus iustitia Christi, à qua dicātur iusti renati, reuera tamen non sint, quia iustitia illa Christi sit externa, & nullā renatis insitā concedat, imo verò permanere in ipsis peccatū, quod tamen non imputetur, propter iustitiam Christi, quā sibi extrinsecus applicant, per fidē illam specialem, qua credunt sibi ad salutē prodesse, licet nō insit. at Cōcil. Trid. renatos verè iustos definit per inherentē iustitiā, & non extrinsecus imputatā. an verò ea iustitia, id est gratia & virtutes infusę, sint habitus & qualitates productę, vel sola animę ad Deū cōuersio, ablata auersione, quę prius ex peccato inerat, non expresse videtur definire. Sed quia qualitatū illa productio, magis consentit cū verbis

An sint illæ virtutes inhærentes, qualitates productæ.

inherēdi formaliter, infundendi, conferēdi dona, & pignus vitæ ęternę & similibus frequenter vsurpatis à sancta scriptura, Patribus & Conciliis, censerem sanè, illas qualitates esse productas ad efficiendam iustificationem, & reipsa nobis inhęrere, cum iustificamur: & contrariam sententiam errorem esse, non heresim, quòd non videatur hactenus expresse ab Ecclesia definita qualitatum illa productio. an verò tot sint qualitates productæ, quot numerantur dona & virtutes, ad controuersiam scholasticam, salua fide catholica, pertinet, qualis est de distinctione gratiæ & charitatis, virtutum & donorum, de quibus dispu tare non est huius loci: sed illud tantum, esse illas virtutes baptismo infusas qualitates quasdam, in anima à Deo productas, per quas homo iustificetur. Primùm autē ostendamus, qua via & ratione, ad hanc sententiam definiendam de formali iustitia inhęrente, per gratiam & virtutes in baptismo infusas, Ecclesia sit progressa, deinde propositam sententiam confirmemus.

De habitibus infusis Ecclesia stica decreta.

5 Primùm igitur Innocentius III. cap. maiores de baptis. meminit controuersiæ Theologorum an paruulis infundantur gratia & virtutes, quibusdam asserentibus remitti peccata, sed gratiam non infundi: aliis contrà & dimitti peccatum, & virtutum habitus infundi. & certè tantum erat controuersia de paruulis, quòd deesset illis & consensus ad recipiendas virtutes, & vsus & exercitatio, quòd nondum essent mētis compotes. De adultis verò nulla videtur tunc exorta dubitatio, nec rationes dubitandi in paruulis, vim vllam habent in adultis. Deinde in Concil. Viennē. quod refertur in Clement. de summ. Trinitat. & fide cathol. non solum referuntur illę diuersæ sententiæ, quod tantum fecerat Innocent. sed etiam lata de eisdem sententia, posterior priori præfertur. inquit enim: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tamquā probabiliorem, & dictis sanctorum, ac doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. tandem in Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. formalem causam, à qua simus & denominemur iusti, inquit esse iustitiam, quam recipimus à Deo, idest gratiam diffusam in cordibus, & nobis inhęrentem. & Can. 11. anathema indicitur contrarium asserentibus, aut etiā gratiam, qua iustificamur, tātum esse fauorem Dei.

Rationes ex eisdē decretis collecta.

6 His positis, concludamus nostram sententiam, primo quidem de eo quod reipsa fit in paruulis & adultis, deinde de eo quod fieri potest. esse igitur gratiam & virtutes Theologicas, atque etiam dona Spiritus sancti, qualitates infusas & productas à Deo, dogma Tridentinum de iustificationis causa formali omnino euincit. Si enim paruuli renati, sunt formaliter iusti à iustitia sibi inhærente, non ab extrinsecus imputata Christi iustitia, vt Protestantes impie asserunt, & ea paruulorum iustitia nō est actus, quo Deo placere possint, cū per ætatem hunc actum producere non possint, certè erit habitus & qualitas producta, quæ suo tempore in actum exire poterit. Si enim dicat aliquis rem illam, quæ sit huiusmodi actus, à Deo produci in anima paruulorum, profecto is non erit actus vitalis, quòd non sit à viuentis insito principio productus: & cum suauius & aptius intelligatur habitus, & ita loquātur omnes Theologi, certè habitus erit iustitia paruuli renati. idem efficies de iustis adultis, & dormientibus aut non operantibus secundum inherentem iustitiam. Constat enim hos esse formaliter iustos per iustitiam sibi inhærentem, quæ cum non sit actus, erit sanè habitus & qualitas producta. Prætereà, hæc sententia omnino consentit cum sancta scriptura, Patribus & Concilio Trident. quę iustitiam nobis inhærere, infundique affirmant, esse etiā donum Dei, & pignus ęternę hęreditatis, in his vero aliqua res intelligitur, diuina liberalitate nobis cōcessa. dicitur etiam semen, 1. Ioann. 3. & cap. 4. de suo, inquit, spiritu dedit nobis, 2. Petr. 1. maxima & pretiosa vobis promissa donauit, 2. Corinth. 1. vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Ephe. 1. credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. eadem ratio dicendi de gratia, est etiam de fide & aliis virtutibus Theologicis, & donis Spiritus sancti. de fide constat Eph. 2. 1. Corinth. 13. dicitur etiam charitas diffusa

Scripturae

fusa in cordibus nostris. denique Roma. 8. Spiritus Dei dicitur habitare in nobis, & facta carnis mortificare: hic autem spiritus non tantum gratiam, sed etiam adiunctas virtutes Theologicas & dona Spiritus sancti comprehendit, vt facta carnis mortificentur. Sic etiam Patres ex imitatione sanctæ Scripturæ dicunt exornari à Deo animam iusti maximis & pretiosis donis, D. Cyril. Esai. 44. vocat diuinam formam. Cyprianus, lib. 3. episto. 8. dona. D. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 15. & lib. 2. cap. 3. Hieron. in Prologo Threnorum.

Patres

Theologi.

7 Consentiunt omnes Theologi contra Magistrum, 1. distin. 17. asserentem, quod charitas nō est, in anima, producta à Deo, sed ipsemet Spiritus sanctus mentem inhabitans, hoc est motus dilectionis in nobis, vt exponit D. Thom. 2. 2. q. 23, artic. 2. est ab Spiritu sancto immediatè, & non mediante aliquo habitu. sed ea sententia ab omnibus scholasticis refutata est: & sancta Scriptura asserit Spiritum sanctum in nos diffundi, idest dona & virtutes Theologicas ex liberalitate Spiritus sancti. apud D. Thomam hæc disputatio magis est distincta: gratiam enim esse qualitatem animæ infusam, & à virtutibus distinctam, ostendit. 1. 2. q. 110. esse præterea habitus infusos siue virtutes siue dona Spiritus sancti. q. 51. ejus. p. de fide specialiter, 2. 2. q. 6. de spe. q. 18. de charitate, q. 23. art. 2. huius autē diuinæ & suauis dispositionis in producēdis in anima nostra his donis & virtutibus, rationes collegit, 3. lib. contra Gent. cap. 150. Albertus Magnus, 2. part. summæ, tractat. 18. q. 98. quare rectè & ad huius sententiæ maximam confirmationem Catechismus Rom. de effectibus baptismi, sic habet. exponēdum erit huius sacramenti virtute, nos non solū à malis, quæ verè maxima dicenda sunt, liberari, verum etiam eximiis muneribus & bonis augeri. animus enim noster diuina gratia repletur, qua iusti & filij Dei effecti, hæredes æternæ salutis instituimur. Nam, vt scriptum est, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: mundatamque Ecclesiam lauacro aquæ in verbo Apostolus testatur. est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita decreuit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit. atque id ex sacris literis apertè colligitur, cùm gratiam infundi dicant, eáque Spiritus sancti pignus soleant appellare. Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia diuinitus infunduntur. quare cum Apostolus ad Titum ait, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per IESVM Christum Saluatorem nostrum. D. August. verba illa abunde effudit explanans, nimirum inquit ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum. Hæc docēda populis Catechismus Romanus proponit.

Consentit etiam gratiæ definitio, & virtutis à Theologis recepta: illa quidem ex Præpositiuo, hæc autem ex D. Augu. Gratia est habitus infusus diuinæ bonitati & charitati persimilis, gratum faciens habentem, & opus ipsius gratum reddens. Similiter de virtute Arist. lib. 2. Ethico. cap. 6. virtus bonum facit habentem & opus eius. Sed D. Augustini definitio colligitur, ex lib. 2. de liber. arbr. cap. 18. & 19. virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. explicatur à D. Th. 1. 2. quęst. 55. art. 4.

Gratiæ & virtutis definitio.

8 Sed cum hactenus ostenderimus virtutes Theologicas, dona Spiritus sancti & gratiam infundi, non video cur idem necessarium sit de virtutibus moralibus, quāuis ea sententia probetur D. Thomę eadem 1. 2. quæst. 63. artic. 3. & valde probabilis sit: id tamen affirmo, ex Concil. & Patribus non concludi, quod de aliis conclusum est. De his enim tantum concilia loquūtur, quæ ad iustificationem pertinent, in quorum numero non censentur morales. & Caiet. decretum Vienen. suprà propositum, inuitum conatur trahere in sententiam D. Thomæ, de moralibus infusis, cùm loquatur de renatorum iustificatione. Sed de his disserendi pluribus, non est nunc locus, plura qui volet legere poterit apud Sot. lib. 2. de natura & gratia, c. 18. Vegam, lib. 7. in Trident. cap. 24. Ruard. ad art. 8. Louanien. Sed quid de eo, quod fieri posit, quod secundo loco in hac dubitatione proposuimus, dicendum est. Res-

An virtutes morales baptismo infundantur.

pondeo, omnino fieri posse à Deo, vt homo iustificetur sine his habitibus infusis, & à Deo productis, & sint amici Dei: cùm similiter homines inter se amicitia copulentur sine qualitatis alicuius noua productione, quatenus rationem boni induentes, obiecta sunt dilectionis vicissim: similiter est auxilium Dei in nobis, sine qualitatis infusione. 1.2.q.110.art.2. negat quidem id fieri posse D.Bonau.2.dist.26.q. & art.1. sed non videtur firma ratione niti, vt explicat idem Vega, eod.cap.24.

An baptismi effectus in omnibus sit aequalis.

9 Restat differendum de vltima parte conclusionis propositæ principio huius comment. ea pars asseruit effectũ baptismi per se, nempe gratiam & virtutes infusas, in omnibus æqualiter præparatis, æqualem esse: cum autem paruulorum æqualis sit præparatio & eadem, adultorum verò plerumque & magna ex parte inęqualis, quia non similiter gratię excitati & auxilio Dei cooperantur, fit sane vt effectus per se baptismi in paruulis ęqualis sit, in adultis verò ratione inęqualis dispositionis, sit inęqualis (nisi in adultis minima dispositio accipiatur, quæ semper est ęqualis, & ideo gratia quæ illi respõdet.) Generaliter enim definitum est in Concil. Trident. sess. 6. ca.7. pro ratione dispositionis & cooperationis iustitiam & gratiam infundi. verè inquit, iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationẽ. hæc Concilium. cum vero dicit dispositionem & cooperationem, intelligit plane eam, quę exordium habet à gratia pręueniente & excitante, cuius ratione & vi est nostra cooperatio ad recipiendam gratiam, vt ead. sess. 6. cap.5. decretum fuerat. Sic etiam ex Patribus colligitur, Cypr. ep.2. lib.2. Hieron. lib.2. cont. Iouin. August. lib. de gratia & lib. arb. cap.9. & epist. 57. q.1. & hanc inęqualem in adultis inęqualiter dispositis gratiam, intelligo virtute sacramenti: quia conferet sacramentum his gratiam regenerantem proportionalem dispositioni. de gratię verò ęqualitate in aliis, vt paruulis per baptismum, idem Cypria. lib.4. epist.7. sic scribit, planè eadem gratia spiritualis, quę ęqualiter in baptismo accedentibus sumitur, in conuersatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel

Effectus per se.

augetur: vt in Euangelio Dominicum semen ęqualiter seminatur, sed pro varietate terrę aliud absumitur, aliud in multiformẽ copiam, vel tricesimi vel sexagesimi vel cẽtesimi numeri fructu exuberante, cumulatur. hæc de effectibus per se baptismi. effectus autem ex accidenti sunt, ad quos baptismus non est institutus, sed diuina liberalitate renatis in baptismo conferuntur, adiuuantibus etiam aliquando ministri orationibus, supra. q.64. art.1. ad 2. huiusmodi effectus sunt, fomitis imminutio aut extinctio, lepræ curatio vt in Constant. Imper. bonus gratię vsus, cum ad vsum rationis peruenerit, aliquod donum & gratia gratis data, vt in D. Nicolao puero. hęc omnia in paruulis & adultis omnino certa sunt, sicut etiam remissionem peccatorum in omnibus eisdem plenè conferri, siue sint originalia tantùm, siue mortalibus & venialibus coniuncta: quia minima gratia satis est ad delenda omnia peccata, & pœnas peccatorum, per baptismũ collata, quatenus cõstituit regni hęredem, & aditum ad beatitudinem statim aperit, vt suprà ostendimus. Sic D. Damasc. lib.4. de fid. orthod. cap.10. peccatorũ, inquit, remissio, omnibus ęquè per baptismum donata est, gratia verò Spiritus sancti secundum proportionem fidei, & puritatis.

Effectus ex accidenti.

10 Sed quamuis virtute sacramenti, pueris ęqualem gratiam conferri Theologi affirment. 4.d.4. quòd sacramenti cuiusquè vt instrumenti, definita sit vis, & ea diuersa esse non possit nisi ex diuersa subiecti dispositione, quæ in pueris semper est ęqualis: sunt tamen qui affirment, ex diuina beneuolentia, licet non virtute sacramenti, inęqualem gratiam conferri paruulis per baptismum, idque ex predestinatione diuina, & orationibus ministri & assistentium deducunt. vtrumque placet Scoto q.7. eiusdem dist. & Gabr. q.2. atque eorum sectatoribus: secundum verò placet Caietano, non tantum in paruulis, sed etiam adultis, sup. q.64, art.1. ad 2. itaque ex sentẽtia Scoti, paruulis in baptismo confertur inęqualis gratia ratione predestinationis, & meriti assistentium: & adultis preterea ratione inęqualis dispositionis. ex prędestinatione colligitur ratio, quia vt sunt ad inęqualem gloriam prędestinati, sic oportet inęqualẽ gratiam recipere, vt glorię, sicut oportet, proportione gratia respondeat. ex merito assi-

An paruulis aequalis gratia in baptismo.

aſſiſtentium ratio eſt, quia poteſt quis alteri mereri augmentum gratiæ oratione & aliis piis operibus. Addit tertiam rationem Palud.q.1.eiuſdem diſt.ex reparatione ruinæ angelorum: quia oportet ęquales numero homines, fore ad gloriam aſſumendos, angelis qui ab ea deciderunt: & ideo etiam paruulos renatos decedentes ante vſum rationis, inęqualem gratiam in baptiſmo accipere, vt ad inęqualem gloriam aſſumantur, ſicut ab inęquali angeli deciderunt.

11 Sed certè hęc leuia ſunt, & à recepta omnibus aliis Theologis ſententia non poſſunt nos dimouere, illa enim ratio prędeſtinationis efficit quidem maiori glorię, ad quam aliquis prędeſtinatus ſit, maiorem gratiam reſpondere, ſed per media accommodata ſecundum legē ordinariam: quare non oportet confugere ad baptiſmum, quaſi non ſit alia via ad conſequendā maiorem gratiam: aut quaſi Deus deſtinatum ad maiorem gloriam nō poſſit alia via ſuauiter deducere. Secūda autem ratio ex meritis aſſiſtentium collecta, in adultis admitti poteſt, in paruulis nō poteſt: nullus enim pręter Chriſtum, poteſt alteri mereri de condigno gratiam, aut gratię augmentum, ſed tantùm de congruo, quod nulli iuſtitię nititur, ſed liberalitati & miſericordię Dei, 1.2.q.114.art.6.id vero fit, cum quis alteri meretur bonum animi affectum, quo vel ad Deum conuerſus recipiat primam gratiam, vel in gratia, quam habet, augeatur, quod paruulis accommodari non poteſt, cum ſine rationis vſu hunc bonum animi affectum habere non poſſint: nullus ergo poteſt illis mereri primam gratiā vel illius incrementum. & inauditum eſt, quod poſt primam gratiā baptiſmi, aliquis augeatur in gratia, & ex conſequenti in gloria ſine propriis operibus: efficeretur enim vt ſicuti paruulis, ſic & dormientibus poſſet aliquis gratiam primam, vel augmentum gratię aliquo modo mereri. Illa verò tertia ratio, quę ex ruina angelorum deducta eſt, nullam omnino vim habet. quamuis enim homines aſſumantur ad ſedes angelorum, qui ceciderunt de dignitate, in qua conditi ſunt, non tamen neceſſe eſt in vtriſq; ęqualem numerum conſtituere: neque eſt aliquod firmum principiū vnde deduci poſſit hęc ęqualitas. Cæterum de illa aſſumptione hominum ad ſedes angelorum, 1.p.q.108. art. 8. in qua plerique homines ad ęqualem gloriam, vt omnes paruuli renati: plerique verò ad inęqualem, & diuerſas manſiones, quę diuerſis meritis reſpondēt.

ARTICVLVS IX.

Vtrum fictio impediat effectum baptiſmi.

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod fictio non impediat effectū baptiſmi. Dicit enim Apoſt.Gal.3. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Sed omnes qui baptiſmū Chriſti ſuſcipiunt, baptizantur in Chriſto. Ergo omnes induunt Chriſtū, quod eſt percipere baptiſmi effectum. Et ita fictio non impedit baptiſmi effectum. *4.di.4.q. 2. ar.1.q.1 ad 3 & q.3. ar. 2. q. 2. per to. & d.12.q. 2.ar. 1.q.3.ad.3.*

¶2. Præterea, In baptiſmo operatur virtus diuina, quæ poteſt voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus cauſę agentis nō poteſt impediri per id quod ab illa cauſa poteſt auferri. Ergo fictio nō impedit baptiſmi effectum.

¶3. Prętereà, Effectus baptiſmi eſt gratia, cui peccatū opponitur. Sed multa ſunt alia peccata grauiora, quam fictio, de quibus non dicitur, quòd effectum baptiſmi impediant. Ergo neque fictio impedit effectum baptiſmi.

SED CONTRA eſt, quod dicitur Sap.1. Spiritus ſanctus, diſciplinæ effugiet fictum. Sed effectus baptiſmi eſt à Spiritu ſancto. Ergo fictio impedit effectum baptiſmi.

RESPONDEO dicēdum, quod (ſicut Damaſc.* dicit) Deus non cogit hominem ad iuſtitiā. Et ideo ad hoc quod aliquis iuſtificetur per baptiſmum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptiſmum, & baptiſmi effectum. Dicitur *lib.2.orth.fi. cap.30.*

tur autem aliquis fictus, per hoc quod voluntas eius contradicit vel baptismo, vel eius effectui. Nam secundum August. quatuor modis dicitur aliquis fictus. Vno modo ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramẽtum. Alio modo per hoc quod contemnit ipsum sacramẽtum. Tertio modo per hoc quòd aliter celebrat sacramẽtum, non seruans ritum Ecclesiæ. Quarto modo per hoc quod aliquis indeuotè accedit. Vnde manifestũ est. quòd fictio impedit effectum baptismi.

Ad primum ergo dicendum, quod baptizari in Christo, potest intelligi dupliciter. Vno modo in Christo, idest in Christi conformitate. Et sic quicunque baptizantur in Christo, conformãt ei per fidẽ & charitatem, induunt Christum per gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo, in quãtum accipiunt sacramentum Christi. Et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ.

Ad secundum dicendũ, quod quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus, sed non semper hoc De' facit. Nec ad hoc sacramentum ordinatur, vt de ficto fiat aliquis non fictus, sed vt non fictus aliquis accedens iustificetur.

Ad tertium dicendũ, quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicunque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, & sacramentũ venerari, & velle se Christo conformari, & velle à peccato recedere. Vnde cuicunque peccato vult homo inhærere, si ad baptismem accedit, fictus accedit, quod est indeuotè accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, nõ autẽ de peccato veniali. Vnde fictio hic quodammodo includit omne peccatum.

ARTICVLVS X.

Vtrum fictione recedente, baptismus suũ effectum consequetur.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod fictione recedente, baptismus suum effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine charitate, no potest vnquam viuificari. Sed ille, qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest viuificari hoc modo, vt gratiam conferat. *4.d.4.q.3.ar.2.q.3. & d.17.q.3.ar.4.q.1.*

¶2. Præterea, Fictio videtur esse fortior quam baptismus, cum impediat eius effectum. Sed fortius non tollitur à debiliori. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequetur suũ effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

¶3. Præterea, Contingit quod aliquis fictè accedat ad baptismũ, & post baptismum multa peccata cummittat, quæ tamen per baptismum non tollũtur, quia baptismus tollit peccata præterita, nõ futura. Ergo baptismus talis nunquam cõsequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de Baptismo, Tunc valere incipit ad salutem baptismus. *Lib.1. de baptis. contra Dona. c. 12. ante med to. 7. & habetur de Cõsec. d. 4. c. 41.*

cum

cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorũ *ablutionem non ſinebat fieri.

Alias ab obolitionem.

RESPONDEO dicẽdum, quod (ſicut ſupra dictũ* eſt) baptiſmus eſt quædã ſpiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, ſimul cum forma recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit ſuum effectum, ſicut ſimul cum corpus graue generatur, mouetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto ſtatim incipit moueri deorſum. Et ſimiliter quãdo aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem, vnde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.

Q. 66. ar. 9.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſacramentum baptiſmi eſt opus Dei & non hominis. Et ideo non eſt mortuum in ficto, qui ſine charitate baptizatur.

AD SECVNDVM dicendum, quod fictio non remouetur per baptiſmum, ſed per pœnitẽtiam ſubſequentem, qua remota, baptiſmus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum baptiſmo. Vnde Auguſt. dicit in lib. de baptiſmo paruulorũ, Soluitur heſternus dies, & quicquid supereſt ſoluitur, etiam ipſa hora momẽtumque ante baptiſmum & in baptiſmo deinceps autem continuò reus eſſe incipit. Et ſic ad baptiſmi effectum conſequendũ concurrit baptiſmus & pœnitentia, ſed baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens: pœnitẽtia ſicut cauſa per accidẽs, ideſt, remouens, prohibens.

Lib. 1. de bapt. paruul. c. 12. in fi. to. 7. habetur de conſe. di. 4. c. 40. in fine.

AD TERTIVM dicendum, quod effectus baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per pœnitentiam, non per baptiſmum. Vnde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia baptiſmum.

COMMENTARIVS.

1 CVm baptiſmi effectibus coniuncta eſt neceſſariò doctrina de impedimentis, vt his remotis baptiſmi efficatia non impediatur. impedimẽta vero omnia vno fictionis nomine continentur. Fictus autẽ hîc dicitur, qui vel ex animo repugnat interius baptiſmo, quẽ exterius ſimulat ſe velle recipere, vel repugnat effectui, ideſt regenerationi, quòd in peccato mortali vellit perſeuerare, etiam cum baptiſmum recipit: quare hoc tantum pertinet ad adultos, cùm paruuli nullum habere poſſint peccatum niſi originale. Sententia D. Thomæ eſt, fictio impedit effectum baptiſmi: ſed ea recedente per pœnitentiã, baptiſmus ſtatim conſequitur ſuum effectum. Prior pars huius ſententiæ, dogma catholicum eſt. docet enim recta fides, ad baptiſmum adulti, neceſſariam eſſe diſpoſitionem pœnitẽtiæ, ſaltem attritionis etiã cognitæ, vt nullo modo maneat in baptizando affectus peccati mortalis, ſup. q. 65. art. 4. tunc autem recipiet effectum baptiſmi. quod ſi ſimulet ſe velle baptiſmũ, quẽ tamẽ interius nolit omnino, nihil ſuſcipit, & iterũ baptizari debet ſup. q. 64. ar. 10. & 68. art. 7. & cap. maiores de baptiſmo. Si denique ex animo baptiſmum velit, ſed adhuc in peccato mortali perſeuerare, per baptiſmum recipit characterem, & fit Chriſtianus, non tamen regeneratur: imo verò ſuſcipiendo baptiſmum, ſacrilegium committit, quatenus indigne ad ſacramentum accedit. hæc omnia Theologis catholicis recepta ſunt, & nullam dubitationem admittere poſſunt.

Fictio quæ impedit effectum baptiſmi.

2 Poſte

D. Augustini sententia de effectu baptismi recedente fictione.

2 Posterior pars conclusionis non est à Conciliis definita, neque ab omnibus Patribus tradita, sed ex Augustino desumpta, omnium Theologorum deinceps consensum meruit. Videtur autẽ Augu. ex D. Cypriano desumpsisse vt alia multa: is enim in sermone de passione non longè à fine, si is sermo D. Cypriani est, vt certe videtur esse, vel autoris Synchroni Cypriano, sic igitur scribit: licet indigni sint, qui accipiunt, sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs queri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum. Hec Cyprianus. consentit D. Aug. lib. 1. de baptism. contra Donatistas, cap. 12. & refertur summatim de consecr. d. 4. c. tunc valere, vt est in argumento sed contrà articuli 10. ea vero sententia planè significat, sacrilegium commissum in illa fictione suscipientis indignè baptismum, delendum esse, per pœnitentiæ sacramentum: eo vero ablato, redire statim omnem effectum baptismi, hoc est gratiam regenerantem, remissionem omnis culpæ & reatus ad pœnam. firmamentum huius sententiæ, videtur esse illud fidei decretum de nõ iterando baptismo, in quo nihil essentiale omissum est. cum enim sine baptismo & eius effectu nemo salutem consequi possit, & susceptus cum fictione iterari non possit: videtur necessario asserendum esse, recedente fictione, effectum baptismi redire, vt ille salutem assequatur: effectus enim baptismi, nempe regeneratio, remissa omni culpa & omnis pœnæ reatu, nullo alio sacramento confertur per se: remouet tamen pœnitentia fictionis illud impedimentum, vt redeat per se effectus baptismi. Itaque cum disputaret D. August. de vnico baptismo contra Donatistas, hanc etiam viam iterandi baptismum ratione fictionis omnino præclusit, quòd rediret effectus baptismi remota per pœnitentiam fictione.

Explicatio illius.

3 De illius intelligentia & explicatione tres sunt Theologorum inter ipsos, salua fide catholica controuersiæ. prima de causa redeuntis effectus baptismi proxima & immediata. Secunda, an illa pœnitẽtia, quæ tollit fictionem, exigat attritionem vel cõtritionem. Tertia, an idem sit de aliis sacramentis fictè susceptis, atque de baptismo. In priori controuersia habemus dissidẽtes sententias, quidam causam redeuntis effectus dicunt esse diuinam pactionem, de efficienda regeneratione per baptismum, siue baptismo digne suscepto, siue remota fictione, siue baptismo, vt Scotus & Durand. Alij non tribuunt effectum baptismo, sed pœnitentiæ, vt Ioan. And. & alij apud Scotum, & post eum Gabr. exigens ad delendam fictionem, perfectam contritionem. sed quia hîc inuestigamus proximam & coniunctam causam, reiiciẽda est prima sententia. & quia ea causa, vt retineatur propriè D. Augustini sententia proposita, debet esse baptismus vel aliquid ipsius, ideo secunda sententia omnino est aliena à proposito D. Augustini, tantum abest vt possit esse illius vera explicatio.

4 Tertia ergo sententia D. Thomæ duobus principiis nititur, vt accurate Caiet. expendit. vnum est, character baptismi & habet rationem dispositionis & formæ: vt forma est principalis effectus, non autem vt dispositio. baptismus enim & generat filios regni per adoptionem, & Christianos constituit, cum constituat fideles & membra Ecclesiæ. Primo modo, gratia regenerans est principalis effectus, & character est veluti dispositio quædam & signum. Altero modo, character habet vim principalis effectus, cũ solo charactere efficiamur Christiani, & in Ecclesię mẽbris numeremur, vt constat de fidelibus permanẽtibus in peccato mortali: gratia vero ex diuina misericordia, adiungitur characteri, nisi quid impediat, vt characteris vsus perfectus sit, sicuti oportet. itaque character non est dispositio necessario ducens ad gratiam, & ei coniuncta, quod frustra plerique in D. Tho. reprehendunt, cum tamen is docuerit supra q. 64. art. 1. ad 1. non esse huiusmodi dispositionem ad gratiam, sed ex diuina misericordia eidem coniungi: cum plerũque imprimatur character sine gratia, vt in fictè baptizatis, plerumque gratia sine charactere, vt in adulto pœnitẽte & nõ baptizato. Alterum principium ex ratione naturali desumptum: non potest aliquid efficere vt instrumentum, nisi ipsum reuera sit, vel aliquid ipsius: sic generans graue mouet, sed impressa grauitate, cùm abest: sic animata vi seminis, sic proiecta impulso a aere. sic & baptismo efficit Deus, & charactere baptismi non existentis, cum recedente fictione,

D. Th. sententia

ctione, baptiſmi effectus redire dicitur. Hæc eſt explicatio D.Thomæ de cauſa redeuntis effectus baptiſmi remota fictione. Ad alteram controuerſiam reſpondendũ eſt, fictionis illud peccatũ materiã eſſe neceſſariã ſacramenti pœnitẽtiæ, & ideo quæ requiritur contritio ad pœnitentiã, ſatis eſt ad delendã illam fictionem, ſatis autem eſt imperfecta, quæ dicitur attritio cum ſacramento, & extra ſacramentum perfecta cõtritio, vt in Concil. Trident. ſeſſ.14. ſubiecta verò ſacramento pœnitẽtię ſunt in hoc fictè baptizato, & ipſa fictio, & peccatũ vel peccata, quæ fictionem effecerunt, in quibus ſcilicet permanere voluit cũ baptizaretur, vt furtum, adulterium &c. & quę pręterea ſecuta ſunt baptiſmum ſuſceptũ: quę vero anteceſſerunt nullo modo, cum ad baptiſmum neque requiratur in adultis cõfeſſio aut ſatiſfactio. in his pręterea remittitur culpa & pœna, quia virtute baptiſmi, in illis ſemper culpa & pœna æterna, pœna vero temporalis proportione contritionis. Ad tertiam controuerſiam, certam aliquam ſententiã non habemus: probabile tamẽ eſt quod de baptiſmo diximus, in cæteris ſacramentis valere, ſaltem imprimentibus characterem, cum his ratio & explicatio D.Thomę accommodari poſſit, & ea iterari non poſſint, cætera verò poſsint.

Pœnitẽtia quæ fictionem tollit

An eadem ſententia in aliis ſacramentis.

QVÆSTIO LXX.

De Circuncisione, quæ præceſſit baptiſmum, in quatuor articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de præparatoriis ad baptiſmum. Et primò de præparatorio, quod præceſſit baptiſmum, ideſt, de Circunciſione. Secundò, de præparatoriis, quæ concurrunt ſimul cũ baptiſmo, ſcilicet de catechiſmo & exorciſmo.

¶ Circa primum quæruntur quatuor.

Primò, vtrum Circunciſio fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

Secundò, de inſtitutione ipſius.

Tertiò, de ritu eius.

Quartò, de effectu ipſius.

ARTICVLVS I.

Vtrum Circunciſio fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

Ad primum ſic proceditur. Videtur, quod circũciſio nõ fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi. Omnis enim figura habet aliquam ſimilitudinem cũ ſuo figurato. Sed circũciſio nullam habet ſimilitudinem cum baptiſmo. Ergo videtur, quod non fuerit pręparatoria & figuratiua baptiſmi.

Sup.q.68.ar.1.ad 1. & 1.2.q.102.art.5. cor.ad 1. & 3. & 4.di 1.q.2 ar.1.q.1.co. & di.2.q.1.ar.2 ad 5. & Ro.2. le.2.co. & le.4.co.4.

¶ 2. Prætereà, Apoſtolus dicit, 1.Corint.10. de Antiquis Patribus loquens, quod omnes in nube & in mari baptizati ſunt. Non autem dicit, quod in circunciſione baptizati ſint. Ergo protectio columne nubis, & tranſitus maris rubri, magis fuerunt præparatoria ad baptiſmũ & figuratiua ipſius, quàm circunciſio.

¶ 3. Præterea, Suprà dictum eſt, *quod baptiſmus Ioannis fuit præparatorius ad Baptiſmum Chriſti. Si ergo etiam circuncíſio fuit pręparatoria & figuratiua baptiſmi Chriſti, videtur quod baptiſmus Ioannis fuerit ſuperfluus, quod eſt inconueniens. Non ergo circunciſio fuit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

Q.38. art. 2. & 3.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit Col.2. Circunciſi eſtis circunciſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo.

Respondeo dicendum, quod baptiſmus dicitur ſacramẽtum fidei, in quantum ſcilicet in baptiſmo fit quædam fidei profeſſio, & per baptiſmum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem

rem est fides nostra & antiquorum Patrum, secundum illud Aposto. 2. Corinth.4. Habētes eundem Spiritum fidei, credimus: Circuncisio autem erat quædam protestatio fidei. Vnde dicitur Roman.4. quod Abraham accepit circuncisionem tanquam signaculum fidei: Vnde & per circuncisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Vnde manifestum est, quod circuncisio fuit præparatoria ad baptismũ & pręfiguratiua ipsius, secundum quod antiquis Patribus omnia in figuram futuri contingebant (vt dicitur 1. Corinth. 10.) sicut & fides eorum erat de futuro.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod circuncisio habebat similitudinem cum baptismo, quantum ad spirituale effectum baptismi. Nã sicut per circuncisionem auferebatur quędam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur à carnali conuersatione.

AD SECVNDVM dicendũ, quod protectio columnæ nubis, & transitus mari Rubri, fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua figurata per mare Rubrum, & Spiritu sancto significato per columnam nubis. Non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circuncisionẽ. Et ideo prædicta* duo erant tantum figurę, & non sacramenta. Circuncisio autem erat etiam sacramentum præparatoriũ ad baptismũ, minꝰ tamẽ expresse figurãs baptismũ quantũ ad exteriora, quã prædicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quã de circuncisione.

In ista soluti. & in arg.

AD TERTIVM dicendum, quod baptismus Ioannis fuit præparatorius ad baptismum Christi, quantũ ad exercitium actus. Sed circuncisio quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est. *In cor. ar.*

ARTICVLVS II.

Vtrum circuncisio fuerit conuenienter instituta.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod circũcisio fuerit inconuenienter instituta. Sicut enim dictum est,* in circuncisione fiebat quædam fidei professio. Sed à peccato primi hominis nullus vnquam saluari potuit nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Roma.3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Ergo statim post peccatũ primi hominis, circuncisio institui debuit, & non tempore Abrahæ.

1.2. q. 102. ar.5. ad1. & q. 103. ar.1. ad 3. & 4. d. 1. ar. 2. q. 4. co. & q.2. ar. 1. q.3. per totum.

Art. præc.

¶2. Præterea, In circuncisione homo profitebatur obseruantiam veteris legis, sicut in baptismo profitetur obseruantiam nouæ legis. Vnde Apost. dicit, Gal. 5. Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersę legis faciendæ: Sed legalis obseruantia non est tradita tempore Abrahæ, sed magis tempore Moysi. Ergo inconuenienter instituta est circuncisio tempore Abrahæ.

¶3. Præterea, Circuncisio fuit figuratiua & pręparatiua baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis secundum illud Matth. vlt. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos: Ergo circuncisio nõ debuit institui, vt obseruanda tantum ab vno populo Iudæorum, sed ab omnibus populis.

¶4. Præterea, Carnalis circuncisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato. Sed spiritualis circuncisio, quæ fit per Christũ, indiffe-

indifferenter cõuenit vtriq; sexui, quia in Christo IESV non est masculus neque fœmina, vt dicitur Coloss.3. Ergo inconuenienter est circuncisio instituta, quæ competit solis maribus.

SED CONTRA est, quod sicut legitur, Gen.17. circũcisio est instituta à Deo, cuius perfecta sunt opera.

RESPONDEO dicẽdum, quòd (sicut dictum est*) circũcisio erat præparatoria ad baptismum, inquãtum erat quædam professio fidei Christi, quam etiam nos in baptismo profitemur. Inter antiquos autem Patres primus Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, cum dictum est ei, Gen.22. In semine tuo benedicẽtur omnes gentes terræ. Ipse etiam primus se à societate infidelium segregauit, secundum mandatum Dei dicentis sibi: Egredere de terra tua & de cognatione tua. Et ideo conuenienter circuncisio fuit instituta in Abraham.

Ar.prae.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod immediatè post peccatũ primi parẽtis, propter doctrinã ipsius Adę (qui plenè instructus fuerat de diuinis) adhuc fides & ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei & salutis, sed vnusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahę, diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus, obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ vsque ad peccatum contra naturam. Et ideo conuenienter tunc & non ante, fuit instituta circuncisio ad profitendum fidem, & ad minuẽdum carnalem concupiscentiam.

AD SECVNDVM dicendũ, quod legalis obseruãtia tradi nõ debuit nisi populo iam congregato, quia lex ordinatur ad bonum publicum, vt in secunda parte dictum est.* Populus autẽ fidelium cõgregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc, quod homines in quacunque religione adunẽtur, sicut Aug.* dicit cõtra Faustum. Et ideo oportuit prius institui circuncisionem, quàm lex daretur. Illi autem Patres, qui fuerunt ante legẽ, familias suas instruxerunt de rebus diuinis, per modum paternæ admonitionis. Vnde & Dominus dicit de Abraham, Scio quòd præcepturus sit filiis suis & domui suę post se, vt custodiant viam Domini.

1.2.q.90.ar.2.

Lib.19.c.11.in fine to.6.

AD TERTIVM dicẽdum, quod baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secundum illud, 1.Timoth.2. Qui vult omnes homines saluos fieri. Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circũcisio autem non cõtinebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam vt fiendam per Christum, qui erat ex Iudęorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circuncisio.

AD QVARTVM dicendũ, quod circuncisio instituta est vt signũ fidei Abrahę, qui credidit se patrẽ futurũ Christi sibi repromissi, & ideo cõueniẽter solis maribus cõpetebat. Peccatũ etiã originale, contra quod specialiter circũcisio ordinabatur, à patre trahitur, nõ à matre, vt in secunda parte dictũ est.* Sed baptismus cõtinet virtutẽ Christi, qui est vniuersalis causa salutis omniũ, & remissionis omniũ peccatorũ

1.2.q.81 ar.5 ad 2. et art.1 ad 2.

ARTICVLVS. III.

Vtrum ritus circuncisionis fuerit conueniens.

4. di. 1. q. 2. artic. 3. q. 1. & ar. 3. q. 2. & 3 & Io. 7. le. 2. col. 5 & Ro. 4. le. 2. co. 3. Art. 1. & 2. huius q.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod ritus circuncisionis non fuerit conueniens. Circuncisio enim (sicut dictum est*) fidei quędā professio est. Sed fides in vi apprehensiua existit, cuius operationes maximè apparent in capite. Ergo magis debuit signum circuncisionis dari in capite, quam in mēbro generationis.

¶ 2. Prætereà, Ad vsum sacramētorum assumimus ea, quorum est communior vsus, sicut aquam ad abluendum, & panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communius vtimur cultello ferreo quàm petrino. Ergo circuncisio non debuit fieri cultello petrino.

¶ 3. Præterea, Sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circuncisio, sicut Beda dicit, *Sed baptismus non differtur vsque ad octauum diē (ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatū, si nondum baptizati decedant) quādoque etiam traditur baptismus post octauum diem. Ergo circuncisioni non debuit determinari octauus dies, sed debebat quandoq; pręueniri, sicut etiam quandoque tardabatur.

In ho. circuncisionis inter princip. & me. in hom. totius anni reperias.

SED CONTRA est, quod Rom. 4 super illud: Et signum accepit circuncisionis, determinatur in glos. *prædictus circuncisionis ritus.

In glo. ord. super illud. Signū accepit circuncisionis. Ar. præc. huius quæst.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictū est*) circuncisio quoddam signum fidei est, institutum à Deo, cuius sapientiæ non est numerus. Determinare autem conueniētia signa, est sapiētiæ opus. Et ideo concedendū est, quod ritus circuncisionis fuit conueniens.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod circūcisio cōuenienter fiebat in mēbro generationis. Primò quidē quia signū erat fidei, qua Abrahā credidit Christū ex suo semine nasciturū. Secundò, quia erat in remediū peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertiò, quia ordinabatur ad diminutionē carnalis concupiscētię, quę pręcipuè in mēbris illis viget, propter abūdantiā delectationis venereorū

AD SECVNDVM dicendū, quod cultellus lapideus non erat de necessitate circuncisionis, vnde non inuenitur tale instrumentū præcepto diuino determinatum. Neque etiā communiter tali instrumento Iudæi vtebantur ad circuncidendū, sicut neque modò vtūtur. Legūtur tamen aliquę circuncisiones famosę cultello lapideo factę, sicut legitur Exo. 4. quod tulit Sephora acutissimā petram, & circuncidit præputium filij sui. & Iosue 5. dicitur: Fac tibi cultellos lapideos, & circūcide secundò filios Israël. Per quod figurabatur circuncisionē spiritualem esse fiendam per Christum, de quo dicitur, 1. Corint. 10. Petra autem erat Christus.

AD TERTIVM dicendū, quod octauus dies determinabatur circūcisioni, tū propter mysterium, quia in octaua ętate (quę erit ętas resurgentiū) quasi in octauo die perficietur per Christū spiritualis circūcisio, quando auferet ab electis non solùm culpam, sed etiā omnem pœnalitatem: tum etiam propter teneritudinē infantis ante octauū diē. Vnde etiam de aliis animalibus Leuit. 22. pręcipitur, Bos, ouis & capra,

pra, cùm genitá fuerint, septẽ diebus erunt sub vbere matris suæ, die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. Erat autẽ octauus dies de necessitate præcepti, ita scilicet, quod octauum diem prætermittentes, peccabāt etiamsi esset sabbathum, secundũ illud Ioan. 7. Circuncisionem accipit homo in sabbatho, vt nõ soluatur lex Moysi. Non tamen erat de necessitate sacramenti, quia si aliqui omittebant octauum diem, postea poterāt circuncidi. Quidam etiam dicunt, quod propter periculum imminentis mortis, poterat octauus dies prę ueniri. Sed hoc nec ex autoritate Scripturæ, nec ex consuetudine Iudæorum haberi potest. Vnde melius dicẽdum est, sicut etiam Hug. † de san Victor. dicit, quod octauus dies nulla necessitate præueniebatur. Vnde super illud Prouerb. 4. Vnigenitus eram corā matre mea. dicit gl.* quod alius Bersabee paruulus non cõputatur, quia ante octauum diem mortuus, nominatus nõ fuit, & per cõsequẽs nec circũcisus.

Pot. colligi ex lib. 1. de sacra. part. 12. c. 2.

Glos. ord. ibid.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm circuncisio conferebat gratiam iustificantem.

Sup. q. 62. art. 6. ad 3. & 4. d. 1. q. 1. ar. 4. & veri. q. 28. ar. 2. ad 12. & co. 4. le. 2. col. 3 & ca. 9. le. 5. co. 1 fin.

AD quartũ sic proceditur. Videtur, quod circuncisio non conferebat gratiam iustificantem, dicit enim Apostolus Gal. 2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est, idest sine causa. Sed circuncisio erat quidam obligatio legis implendæ: secundum illud Galat. 5. Testificor omni homini circũcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Ergo si ex circuncisione est iustitia, Christus gratis, idest, sine causa, mortuus est. Sed hoc est inconueniens. non ergo ex circuncisione erat gratia iustificans à peccato.

¶ 2. Prætereà, Ante institutionem circuncisionis sola fides ad iustificationẽ sufficiebat, dicit enim Gregor.* in Mora. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides. Sed virtus fidei non est imminuta per mandatum circũcisionis: ergo sola fides paruulos iustificabat, & non circuncisio.

Lib. 4. c. 2. circa med.

¶ 3. Præterea, Iosue 5. legitur, quod populus, qui natus est in deserto, per quadraginta annos incircuncisus fuit. Si ergo per circuncisionem auferebatur peccatum originale, videtur quod omnes qui in deserto mortui sunt, tam paruuli, quā adulti, fuerint damnati. Et eadẽ obiectio est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem circũcisionis, qui præueniri nõ debebat, vt dictum est.*

Ar. prae. ad 3. argum.

¶ 4. Præterea, Nihil impedit introitum regni cęlestis, nisi peccatum. Sed circũcisi ante passionem Christi impediebantur ab introitu regni cælestis. Non ergo per circũsionem homines iustificabantur à peccato.

¶ 5. Præterea, Peccatum originale nõ dimittitur sine actuali, quia impium est à Deo dimidiam sperare veniam, vt Aug.* dicit. Sed nusquam legitur quod per circuncisionem remitteretur actuale peccatũ. Ergo etiam neq; originale per eā dimittebatur.

In lib. de veri & fals. poeni. c. 9. non longè à princ. to. 4.

SED CONTRA est, quod August. † dicit ad Valerium contra Iulianum: Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei iustitiæ Dei, ad sanctifica-

Li. 2. de nuptiis & concu. c. 11. in fin. tom. 7.

ctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisq; peccati, sicut & baptismus ex illo cœpit valere tempore ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

Respondeo dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circuncisione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt, quòd non conferebatur gratia, sed solùm auferebatur peccatum, quòd Magister ponit in prima dist. † 4. sentent. & Rom. 4. in glos.* Sed hoc non potest esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam secundum illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam, &c. Et ideo alij dixerunt, quòd per circuncisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remissionis culpæ, sed non quãtum ad effectus positiuos, ne cogerentur dicere, quod gratia in circuncisione collata sufficiebat ad implẽdum mãdata legis, & ita superfluus fuerit aduentus Christi. Sec hæc etiam positio stare non potest. primò quidem, quia per circuncisionem dabatur pueris facultas suo tempore perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ. secundò, quia priores sunt naturaliter secundum ordinem causę formalis, effectus positiui, quàm priuatiui, licet secundum ordinem causæ materialis sit è conuerso, forma enim non excludit priuationem, nisi informando subiectum. Et ideo alij dixerunt, quod in circuncisione cõferebatur gratia etiã quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis. Quod etiam aliquando mihi visum est. Sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mãdatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti. Et ideo dicendum est, quòd in circuncisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamẽ, quàm in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet inquantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ. † In circuncisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circuncisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circuncisio, ita scilicet, quod homo qui accipiebat circuncisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit Roman. 4. quòd Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circuncisione significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circũcisio: ideo baptismus imprimit characterem: incorporat enim hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert, quàm circũcisio, maior enim est effectus rei iam præsentis, quàm spei.

A. 1. in § penu.

Glos. ord super illud. Signum accepit circuncisionis.

Aliàs circuncisio autem conferebat gratiam inquantũ erat signũ fidei passionis Christi futuræ.

Ad primvm ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si ex circuncisione esset iustitia aliter, quã per fidem passionis Christi.

Ad secvndvm dicendū, quod sicut ante institutionem circuncisionis, sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quàm adultos, ita etiam & circūcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus cœperāt adunari ad cultum vnius Dei. Probabile tamen est, quòd parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existētibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia offerebant.

Ad tertivm dicendū, quod populus in deserto prætermittens mandatum circuncisionis, excusabatur: tum quia nesciebant quando castra mouenda erant, tum quia (vt Damasc. † dicit) non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen, vt Aug. † dicit, inobedientiam incurrebāt, qui ex contemptu prætermittebāt. Videtur tamen quod nulli incircūcisi mortui fuerint in deserto, quia, vt in Psalm. 104. dicitur, non erat in tribubus eorum infirmus: sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Ægypto circuncisi. Si tamen aliqui incircuncisi mortui sunt, eadem ratio est de his, & de his qui moriebantur ante circūcisionis institutionem: Quod etiā intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis.

Damasc.li.4.c.26.circa princ.

In l b.q su Iosue,c.5.a med. tom.4.

Ad qvartvm dicendū, quod in circuncisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ, remanebat tamen impedimentum intrandi in regnū cælorum ex parte totius naturæ, quod fuit sublatū per passionem Christi. Et ideo etiā baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed & circuncisio, si haberet locū post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad qvintvm dicendū, quod adulti, quando circuncidebantur, consequebantur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamē ita quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

COMMENTARIVS.

1 EX præparationibus baptismi, quędam antecesserunt ipsius institutionem, vt circuncisio in veteri lege, & ante legem, & in nouæ exordio, Ioannis baptismus: quædam verò sunt cum ipsa baptismi administratione coniunctæ, vt catechismus, exorcismus. de baptismo Ioannis, quòd eo tinctus sit Dominus, dictum est suprà q.38. de circuncisione & aliis præparationibus nunc dicendum est. in circuncisio enim est fidei professio, & vmbra baptismi, cùm fides nostra & veterum fuerit eadem, vt scriptum est 2. Corinth. 4. habentes eundem spiritum fidei, & Rom. 4. de Abraham, signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. tota autem circuncisionis doctrina hac conclusione continetur. Circuncisionis sacramentum à Deo institutū: præceptū est primò Abrahæ & posteris eius: deinde in veteri lege populo Israëlitico, & externis in eundem adscitis: cōferebat gratiam iustificantē ad remissionem omnium peccatorum: & ritu accōmodato ad effectū, & vmbrā baptismi administratū est. Cōtinet quatuor partes, quarū prima, quæ est de institutione, significat à Deo immediatè institutam, aut per angelum, loquente Deo, non autem per hominem, vt scriptum est Genes. 17. vbi pactum inter Deum & Abraham,

Ordinis ratio.

Circūcisionis institutio.

atq; illius posteros, data in signum circuncisione, his verbis sancitur. circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. & infrà, masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. hoc vero Apostolus Rom. 4. & 8. exponit pertinere non ad filios carnis, sed promissionis: & hanc esse de consequenda benedictione per Christum Galat. 3. ostenditur.

2 Quare impia est & impudens Manichæorum hæresis, qui non à bono, sed à malo Deo, veteris testamenti autore, circuncisionem institutam affirmant: cùm omninò constet ex nouo testamento, eundem autorem baptismo impleuisse, quod circūcisione prius adumbrauerat. sic enim Apostolus Rom. 4. de Abrahamo, cui data est circuncisio, vt sit inquit, pater circuncisionis, non iis tantùm, qui sunt ex circuncisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Colos. 2. de Christo, in quo & circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi consepulti ei in baptismo. manifesta est etiam illa deductio Pauli Galat. 3. prius autem, quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. at vbi venit fides, iam nō sumus sub pedagogo. omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo IESV, quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. si enim ad legem pertinet circuncisio, fides Christi per baptismum circuncisionem perficit: & pertinere constat, quia cap. 5. eiusdem epist. testificor, inquit, rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. vt enim circuncisio, erat legis vet. professio, sic est baptismus fidei & religionis Christianæ. disputat contra eandem hæresim D. August. lib. 6. contra Faust. c. 3.

Figura baptismi circuncisio.

3 Cur autē circuncisio non fuerit à Deo ante Abrahamum instituta explicauit D. Thom. suprà q. 60. ar. 5. ad 3. & q. 61. arti. 3. ad 2. & apertius ar. 2. huius q. in responsionibus ad argumenta, & nos supra explicauimus quædam de his ad quæstionis 61. art. 1. & sequentes num. 2. sed plenè & perfectè D. Th. 1. 2. q. 98. ar. 6. & q. 103. ar. 5. ad 1. D. Aug. de spir. & lit. c. 15. & lib. 16. cōtra Faustū c. 19. & ex Patribus Græcis collegit sententias de eadem circūcisione Damasc. lib. 4. de fid. orthod. c. 26. de quibus etiam Chrysost. homil. 39. in Genes. Theodoret. q. 67. D. August. lib. 16. de ciuit. c. 26. est ergo circuncisio data Abrahæ, quo tempore expediebat segregari populum ad verum Dei cultū, ex quo deinceps Christus nasceretur secundum carnem. Non enim circūcisio est propriè legis veteris sacramentū, cum Abrahæ sit ante legem præcepta: sic Dominus Ioan. 7. Moyses, inquit dedit vobis circuncisionem, nō quia ex Moyse est, sed ex Patribus.

4 Sed quæstio est, an teneretur Paterfamilias Iudæus, omnes qui in eadem domo essent etiam seruos, circuncidere? sic enim Abrahæ præceptum est Gene. 17. infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quàm emptitius circuncidetur, & quicunq; non fuerit de stirpe vestra. sic videmus circuncisum Ismaële, exclusum tamen à domo paterna Gen. 21. & Esau, separatum à familia Isaac: & Hierem. 9. circuncisi dicuntur Ammonitæ, Moabitæ, Ægyptij: at contrà seruum circūcidi parentibus inuitis, idem videtur, atque baptizari, quod ostendimus q. 68. omninò non licere. vt enim ad fidem nemo cogendus est, sic neque ad sacramentum, in quo est fidei professio. Respondeo in circuncisione duo esse, & remedium quo remitteretur originale peccatum, quatenus erat fidei de Christo venturo externa professio: & obligatio primùm pacti & fœderis sanciti cum Abraham & eius posteritate: deinde legis veteris adimplendæ, cū per Moysen lata est: primo modo, vt constat, omnes gentes potuerunt vti circūcisione, vt alio externo signo, aut sacramento ad protestandam fidem Christi venturi: altero modo non obligauit circuncisio, nisi posteritatem Abrahæ, aut eos, qui ex gentibus eidem coniungerentur. sicut Exod. 12. scriptum est, si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circuncidetur prius omne masculinum eius. vnde, qui cum circuncisione veri Dei cultum non retinebant, reprehenduntur Hierem. 9. & in his

Quos obligaret circuncisio in eadem familia.

Gentes quomodo vti possent circuncisione.

Iudæi,

Iudæi, quòd interius non essent circuncisi, vt plerique ex gentibus. Circuncidere autem tenebatur pater familias omnes de sua familia etiã seruos emptos: & sic Abraham circuncidit Ismahelem & seruos. an vero teneretur circuncidere filiũ alienigenæ Caiet. ad c. 17. Gen. affirmat, Abulen. ibidem, & quæst. 56. ad Exodi c. 12. negat, quia eodem c. de alienigena & peregrino scriptum est, si voluerit. qui vero domi nati essent ex seruis, ideò circuncidi poterant, quia parentes erant ex eadem familia, & ideò circuncisi. in eadem sententia est Alexand. Alen. 4. p. quæst. 7. memb. 3. artic. 2. hactenus dictum de circuncisionis institutione, præcepto & obligatione.

Circuncisio an conferat gratiam.

5 De effectu circuncisionis varias sententias recenset D. Thom. artic. 4. & post eum adhuc plures exortæ sunt. Scotus enim quæst. 6. primæ dist. quarti sentent. secundum potentiam Dei absolutam remitti posse culpam affirmat, sine infusione gratiæ, non tamen sine infusione alicuius positiui: secundum tamen potentiam ordinariam & legem, nunquam remittitur, vel originale tantùm, vt in paruulis, vel originale cum actualibus sine gratiæ infusione, vt in adultis: & ideò circuncisione remissum fuisse peccatum, & infusam gratiam. sed ne terminis velle videamur comprehendere absolutam Dei potentiam, quæ infinita est, ex principiis legis diuinæ sit nobis hæc certa sententia: Circuncisio remittebat peccatũ, & infundebatur gratia ratione perfectę fidei, cuius professio erat circũcisio, non autem ex vi circuncisionis, & ex opere operato. sic deducitur ex illo Genes. 17. anima, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populo meo. hoc est, non erit numeranda in ea familia & Ecclesia, quæ per semen Abrahæ benedicenda est, idest per Christum, vt exponit Apostolus Galat. 3. quod si salus tantùm est per Christum Act. 4. huiusmodi animam perituram, est non fore saluam. præterea si paruuli octauo die circuncidendi erant, & non circuncisi non poterant salui esse, efficitur necessariò, in eis fuisse aliquod peccatum originale, cùm actuale per ætatem nullum esse posset: nemo enim à salute Christi repellitur, nisi propter peccatum, vel originale, vel actuale & mortale. sic deducitur ex illo testimonio, circuncisione remitti peccatum originale in paruulis, & adultis: cum autem non fiat hæc remissio, nisi iustificatis, & iustificationis forma sit gratia, Tridentin. sess. 6. capit. 7. profecto circuncisione & remittebantur peccata, & gratia iustificans infundebatur. Sic deducit ex illo testimonio D. August. lib. 6. contra Iulian. capit. 6. Chrysost. hom. 39. in Genes. dicitur autem paruulus eodem capit. 17. irritum fecisse pactum Dei, si non circuncidatur, quia in illo, licet non ab illo dissipatum est. sic D. August. lib. 16. de ciuit. ad finem capitis 27. remitti autem omnia peccata in circuncisione, & gratiam collatam, apertius scribit lib. 4. de baptis. cap. 24. & epist. 203. aliis locis remissa fuisse peccata plane fatetur, & certè intelligens à remissione huiusmodi nunquam gratiæ infusionem separari, vt lib. 2. de nupt. & concup. cap. 11. & refertur de consecratione dist. 4. cap. ex quo. In aliis Patribus legimus quidem circuncisionem datam in signum, nõ in salutem, sed certè intelligunt salutem, quam propria vi conferat: cum ea ratione à nostro baptismo distinguatur, & in signum tantùm iustitiæ fidei, vt loquitur Apostolus Rom. 4. hæc autem fides Christi venturi, cuius professio erat circuncisio, satis erat ad remissionem peccatorum in paruulis & adultis, vt diximus ostensum esse suprà quæst. 61. sic loquitur Tertullianus lib. aduersus Iud. Chrysost. hom. 27. in Genes. Theodor. quæst. 67. Damas. lib. 4. de fid. orthod. cap. 26. Cuius rei inconsideratio effecit, vt Magister. 1. dist. 4. sentent. & alij pleriq; asseruerint, circuncisione peccata fuisse remissa, non tamen gratiam collatam. sed ea sententia exactè refutatur à D. Thom. artic. 4. explicata distinctione circuncisionis & baptismi, in gratia, & vi conferendi gratiam. De ritu circuncisionis, quod extrema p. conclusionis proposuimus, rectè D. Tho. art. 3. & 1. 2. q. 102. art. 5. Patres ad c. 17. Gen. & Exod. 12.

QVÆSTIO LXXI.

De præparatoriis, quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de præparatoriis, quæ simul concurrunt cum baptismo.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, vtrum catechismus debeat præcedere baptismum.

Secundò, vtrum baptismum debeat præcedere exorcismus.

Tertiò, vtrum ea quæ aguntur in catechismo & exorcismo, aliquid efficiāt, vel solum significent.

Quartò, vtrum baptizandi debeant catechizari vel exorcizari per sacerdotes.

ARTICVLVS I.

Vtrùm catechismus debeat præcedere baptismum.

4.d.6.2.q.ar. 2.q.1. AD primum sic proceditur. Videtur, quod catechismus nō debeat præcedere baptismum. per baptismū enim regenerātur homines in vitā spiritualē. Sed prius homo accipit vitā, quàm doctrinā. Non ergo prius debet homo catechizari, idest, doceri, quam baptizari.

¶ 2. Præterea, Baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinæ perceptibiles, eo quod non habent vsum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizare.

¶ 3. Preterea, In catechismo cōfitetur catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt suam fidem confiteri, neque per seipsos, neque etiam aliquis alius pro eis, tū quia nullus potest alium ad aliquid obligare: tum etiam quia non potest aliquis scire, vtrùm pueri cùm ad legitimam ætatem peruenerint, assentiāt fidei. Nō ergo debet catechismus præcedere baptismum.

SED CONTRA est, quod Rabanus de institutione clericali dicit:† Ante baptismum, catechizandi debet hominem præuenire officium, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. Lib.1.ca.25.à med. illius.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut suprà dictum est†) baptismus est fidei Christianæ sacramentum, cùm sit quædā professio fidei Christianę. Ad hoc autē, quod aliquis fidē accipiat, requiritur, quod de fide instruatur, secundū illud Rom. 10. Quomodo credent ei, quē non audierunt? quomodo autem audiēt sine prædicante? Et ideo ante baptismum cōuenienter præcedit catechismus. Vnde & Dominus præceptū baptizādi discipulis tradēs, præmittit doctrinam baptismo dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. q.præced ar.1.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod vita gratiæ, in qua regeneratur aliquis per baptismū, præsuponit vitam naturæ rationalis, in qua homo potest esse particeps doctrinæ.

AD SECVNDVM dicendū, quod sicut mater Ecclesia (vt suprà dictū est*) accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, vt veniāt: & aliorum cor, vt credant: ita etiā accommodat eis aliorum aures, vt audiāt, & intellectum, vt per alios instruātur. Et ideo eadem ratione sunt catechizandi, qua sunt baptizandi. q.69.ar.6.ad 3.arg. & 68. art.9.

AD TERTIVM dicēdum, quòd ille qui pro puero baptizato respōdet, Credo, non prædicit puerum crediturum

crediturum, cùm ad legitimos annos peruenerit, alioquin diceret: Credet. Sed profitetur fidē Ecclesiæ in persona pueri, cui communicatur, cuius sacramentum ei attribuitur, & ad quam obligatur per alium. Non est enim incōueniens, quod aliquis obligetur per alium in his, quæ sunt de necessitate salutis. Similiter etiam patrinus pro puero respōdens promittit se operam daturum ad hoc, quod puer credat. Quod tamen non sufficeret in adultis, vsum rationis habentibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm exorcismus debeat præcedere baptismum.

Inf. ar. 3. ad 3. & 4. d. 6. q. 2. arti. 3. q. 1. per tot. & q. 3. ad 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod exorcismus non debeat præcedere baptismum. Exorcismus enim contra energumenos, idest, arreptitios ordinatur. Sed non omnes baptizandi sunt tales. Ergo exorcismus non debet præcedere baptismum.

¶ 2. Præterea, Quandiu homo subiacet peccato, diabolus in eum habet potestatem, quia vt dicitur Ioann. 8. qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed peccatum tollitur per baptismum. Non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

¶ 3. Præterea, Ad arcendum dæmonum potestatem introducta est aqua benedicta. Non ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorcismos.

Cæl. 1. in 1. epi. ad Epis. Galliæ ca. 12. in princ. to. 1. Concil. & de Eccl. dogm. c. 31. tom. 3. inter opera Aug.

SED CONTRA est, quod Cælestinus Papa dicit: † Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniant sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abiiciatur.

RESPONDEO dicendū, quod quicunque sapienter aliquod opus facere proponit, prius remouet impedimenta sui operis, vnde dicitur Hieron. 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur, & habet potestatem aliquam in hominē, ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiā actuali. Vnde conuenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediant, quam quidem expulsionem significat exufflatio. Benedictio autem cum manus impositione, præcludit expulso viam, ne redire possit. Sal autem in os missum, & narium & aurium sputo linitio, significat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares & confessionem quantum ad os. Olei verò inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandū cōtra dæmones.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod energumeni dicuntur, quasi interius laborantes extrinseca operatione diaboli. Et quamuis non omnes accedentes ad baptismū corporaliter ab eo vexentur, omnes tamen non baptizati potestati dæmonum subiiciuntur, saltem propter originalis peccati reatum.

AD SECVNDVM dicendū, quod in baptismo per ablutionem peccati excluditur potestas dæmonū ab homine, quantum ad hoc quod impedit eum à perceptione gloriæ. Sed exorcismi excludunt potesta-

tem dæmonis, inquantum impedit hominem à perceptione sacramenti.

Ad tertium dicendũ, quod aqua benedicta datur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab exteriori, sed exorcismus ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ sunt ab interiori. vnde & energumeni dicũtur, quasi interius laborantes, illi qui exorcizantur. Vel dicendum, quod sicut in remedium cõtra peccatum, secundò datur pœnitentia, quia baptismus non iteratur, ita in remedium cõtra impugnationes dæmonum, secundò datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant.

4. dist. 6. q. 2. ar. 3. q. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod eaq; aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid, sed solùm significent. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismũ, salutẽ non cõsequetur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorum, quæ in sacramentis aguntur, vt homo consequatur salutem. vnde & Marc. vlt. dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ergo ea quæ aguntur in exorcismo, nihil efficiunt, sed solùm significãt.

¶ 2. Prætereà, Hoc solùm requiritur ad sacramentum nouæ legis, vt sit signum & causa, vt suprà dictum est*. Si ergo ea quæ agũtur in exorcismo, aliquid efficiant, videtur, quod singula sint quædam sacramenta.

q. 62. artic. 1. & 2.

¶ 3. Præterea, Sicut exorcismus ordinatur ad baptismum, ita etiam si aliquid in exorcismo efficitur, ordinatur ad effectũ baptismi. Sed dispositio ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma non recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo, quod nullus posset consequi effectum baptismi, nisi prius exorcizetur, quod patet esse falsum. Non ergo, ea quę aguntur in exorcismis, aliquem effectum habent.

¶ 4. Præterea, Sicut quædam agũtur exorcismo ante baptismũ, ita etiam quædam aguntur post baptismũ, sicut quod sacerdos baptizatum chrismate vngit in vertice. Sed ea quæ post baptismum aguntur, non videntur aliquid efficere, quia secundum hoc effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea quæ ante baptismũ aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.

Sed contra est, quòd Aug. †dicit in lib. de Symbolo, Paruuli exufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem. Nihil autem agitur frustrà per Ecclesiã. Ergo per huiusmodi exufflationes hoc agitur, vt dæmonum potestas expellatur.

Lib. 1. de sym. ca. 1. circa fi. tomo 9. & li. 5. Hypog. circa fin. to. 7. & de Nup. & cõcup. li. 2. ca. 17. & 18. tom. 7.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, ea quę in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solũ significare. Sed hoc patet esse falsum, per hoc quod Ecclesia in exorcismis, imperatiuis verbis vtitur ad expellendã dæmonis potestatẽ, puta, cùm dicit: Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c. Et ideo dicẽdum est, quod aliquem effectũ habent, differenter tamen ab ipso baptismo. Nam per baptismũ datur homini gratia, ad plenam remissionem culparum. Per ea verò, quæ in

exorcismo

exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ percipiendæ. Quorum vnum est impedimētum extrinsecum, prout dæmones hominis salutem impedire conatur. Et hoc impedimentū excluditur per exufflationes, quibus potestas dæmonis pellitur (vt patet ex inducta autoritate Aug.*) quantum scilicet ad hoc, quod non præstet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas dæmonis in homine, quantum ad maculam peccati & reatum pœnæ, quousq; peccatum per baptismum tollatur. Et secūdum hoc Cyprianus dicit:* Scias diaboli nequitiam posse remanere vsque ad aquā salutarem: in baptismo autem omnem nequitiam amittere. Aliud impedimētum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipiēda salutis mysteria. Vnde Rabanus de institutione clericorum dicit*, quod per saliuam typicam & sacerdotis tactum, sapientia & virtus diuina salutem catechumeni operatur, vt aperiantur ei nares, ad percipiendum odorem notitiæ Dei, vt apperiātur ei aures, ad audiendum mandata Dei: vt aperiantur illi sensus in intimo corde, ad respondendum.

In arg. sed cōt.

In lib. 4. epi. 7. post med.

Lib. 1. ca. 27. post medium.

Ad primum ergo dicendum, quod per ea quæ agūtur in exorcismo, non tollitur culpa, propter quā homo punitur post mortem, sed solum tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpæ per sacramentum, vnde post mortē exorcismus non valet sine baptismo. Præpositiuus tamē dicit, quod pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patiuntur. Sed hoc non videtur verū, quia tenebræ illæ sunt carentia diuinæ visionis, quæ non recipit magis & minus.

Ad secundum dicendū, quod de ratione sacramenti est, quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpā, vel supplēs aliquem hominis defectum. Quod quidem non fit per ea quæ aguntur in exorcismo, sed solùm huiusmodi impedimenta tolluntur. Et ideo non sunt sacramenta, sed sacramētalia quædam.

Ad tertium dicendū, quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalē, est fides & intentio, vel propria eius, qui baptizatur, si sit adultus, vel ipsius Ecclesiæ, si sit paruulus. Ea verò quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad remouendum impedimenta, & ideo sine eo potest aliquis cōsequi effectum baptismi. Non tamē sunt huiusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo. Et tunc cessante periculo, debent suppleri, vt seruetur vniformitas in baptismo. Nec frustrà supplētur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus.

Ad quartum dicendū, quod eorum quæ aguntur post baptismū circa baptizatum, aliquid est, quod non solum significat, sed efficit, puta, iniunctio, quæ fit in vertice, quæ operatur conseruationem gratiæ baptismalis. Aliquid autē est quod nihil efficit, sed solùm significat, sicut quod datur ei vestis candida, ad significandum nouitatem vitæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sit officium sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum.

4. d. 6. q. 2. ar. 3. q. 3. c. 5. in ti. de sacerdotum perfectionibus: & in contemp.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd non sit sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum. Ad officium enim ministrorum pertinet habere operationem super immundos, vt Dionys.* dicit 5. ca. Eccles. hier. Sed cathechumeni, qui instruuntur in catechismo, & energumeni, qui purgãtur in exorcismo, cõputantur inter immũdos, vt ibidẽ Dion.† dicit. Ergo catechizare & exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

Loco citato.

¶ 2. Pręterea, Catechumeni instruũtur de fide per sacram scripturam, quæ in Ecclesia per ministros recitatur, sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum: ita etiam per diaconos & subdiaconos legitur nouum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam & exorcizare, vt videtur, ad ministros pertinet, dicit enim Isidor. † in quadam epistola, Ad exorcistã pertinet exorcismos memoriter retinere, manusq; super energumenos & catechumenos in exorcismo imponere. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis, catechizare & exorcizare.

Refertur in di. 25. c. Perlectis. & dicitur esse in ep. ad Ludifredum.

¶ 3. Pręterea, Catechizare idẽ est quod docere, & hoc idem est quod perficere. Quod ad* officium Episcoporum pertinet, vt dicit Dion.* 5. c. Eccles. hierar. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

Loco citato in arg. 1.

SED CONTRA est, quod Nicol.* Papa dicit: Catechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusque Ecclesię fieri possunt. Vnde Gregor.† etiam super Ezech. dicit: Sacerdotes, cũ per exorcismi gratiam manus credentibus imponũt, quid aliud faciunt, nisi quòd dæmonia eiiciunt?

Refertur de cõsec. d. 4. c. Catechismi.

Greg. hom. 29. in Euang. ante medium.

RESPONDEO dicẽdum, quod minister comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium & instrumentale agens ad principale, vt indicat ipsum nomen Ministri. Agẽs autem secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Quãtò autem potior est operatio, tantò principale agẽs potioribus indiget instrumentis, seu ministris. Potior autem est operatio sacerdotis, inquantum confert ipsum sacramentũ, quàm in præparatoriis ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicũtur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramẽtorum. dicit enim Isidor.* quòd ad diaconẽ pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo, scilicet in chrisma te, patena, & calice. Inferiores autẽ ministri cooperantur sacerdotibus in his, quæ sunt præparatoria ad sacramentum, sicut lectores in catechismo, & exorcistæ in exorcismo.

Decõs. d. 25. c. Perlectis. dicitur esse in epis. ad Ludif. edũ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod super immundos ministri habent operationem ministerialem, & quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

AD SECVNDVM dicendũ, quod lectores & exorcistę habẽt officiũ catechizandi & exorcizandi, non quidẽ principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

AD TERTIVM dicendũ, quòd multiplex est instructio, vna cõuersiua ad fidem, quàm Dyon.† tribuit Episcopo

ca. 2. eccl. hier. ar. 2.

Epiſcopo in 2.Eccl.hier. & poteſt cõpetere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli. Secunda eſt inſtructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter ſe debeat habere in ſuſceptione ſacramentorum, & hæc pertinet ſecundario quidem ad miniſtros, principaliter autem ad ſacerdotes. Tertia eſt inſtructio de conuerſatione Chriſtianæ vitæ, & hæc pertinet ad patrinos. Quarta eſt inſtructio de profundis myſteriis fidei, & perfectione Chriſtianæ vitæ, & hæc ex officio pertinet ad Epiſcopos.

COMMENTARIVS.

1 DE cæremoniis & ritibus baptiſmi diximus quædam ſuprà q.66. artic.10, nũc verò de iis diſſeritur tantùm, quæ cum ſolemni baptiſmi adminiſtratione coniunctæ ſunt. de quibus hæc ſententia, omnibus Theologis, Patribus recepta & probata, vſu etiam & praxi Eccleſiæ catholicæ confirmata eſt. Pie & accommodatè in Eccleſia catholica inſtitutum eſt, vt catechiſmus & exorciſmus, baptiſmi adminiſtrationem præcedant, miniſterio ſacerdotis, cui in Catechiſmo lectores miniſtrant, in exorciſmo exorciſtæ. in ſacramentorum adminiſtratione, ritus quoſdam ac cæremonias religioſè, atque decenter inſtituit Eccleſia catholica, vt teſtimonia & exercitationes interioris cultus, quibus excitatur mens noſtra ad ſacramẽta & excipienda & veneranda; quæ à primis Eccleſiæ Patribus commendata, ad nos vſque peruenerunt. ſic in Trident. ſeſſ. 21.capit.2.declarat ſynodus hác poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, que ſuſcipientium vtilitati, aut ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicaret. has cæremonias in baptiſmi ſolemni adminiſtratione piè & decenter inſtitutas earum ſignificatio & origo demonſtrabit: in baptiſmo vero minus ſolemni, in caſu neceſſitatis vrgentis, eas omittit Eccleſia, vt obſeruat D. Tho. artic. 3. ad 3. ſed repetit poſt baptiſmum in Eccleſia ſolemniter, ſi renatus euaſerit mortis periculum. de quibuſdam ex his diximus ſuprà quæſt.66.artic.10.nunc autem apertius diſtinguendæ ſunt. quædam enim præcedunt fontem baptiſmi, quædam ad ipſum pertinent; quædam denique baptiſmum ſequuntur. præcedunt fontem multa; ſed præſertim catechiſmus, & exorciſmus; catechiſmus quidem ex præcepto Domini in adultis, & in paruulis ex Eccleſiæ Traditione, ſic enim Dominus Matth. vltimo. Ite in mundum vniuerſum, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. doctrina hæc præcedens baptiſmum, eſt catechiſmus. Philippus Act. 8. non prius baptizauit Eunuchum Candacis reginæ, quã Euangelizaret illi IESVM, & ab eo exigeret fidem. cùm enim perueniſſent ad quãdam aquam, ait Eunuchus, ecce aqua, quis prohibet me baptizari? dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. hæc ſanè ad catechiſmum pertinent: deinde baptizatus eſt Eunuchus. eiuſdem cæremoniæ frequens mentio & vſus in tota antiquitate eſt. Dyoniſ. cap.2. Eccleſiaſ. hierar. Clemens Papa epiſt.3. Tertullianus de corona militis, & alij pleriq; , quos ad verbum referunt omnes catechiſtæ huius temporis.

Cæremoniarum vtilitas.

Diſtinctio in baptiſmo.

Catechiſmus.

2 Sequitur exorciſmus & exufflationis repetitio, in quibus vis eſt etiam ex opere operato, tum ad pellendos dæmones, ne ſaluti baptizandi aliqua via impedimento ſint: tum etiam ad aperiendos ſenſus, quibus myſteria ſalutis percipiantur. quãuis enim hæc ſacramentalia ſint, & ab Eccleſia inſtituta, hanc tamen vim habere, Eccleſiaſtica conſuetudo & antiqua traditio docet, & Eccleſiaſticę orationes ſignificant: quare ſententia, quæ hanc vim minuit, nullo modo admittenda eſt. fatemur quidẽ exorciſmos & adiurationes in energumenos, & à dæmonibus oppreſſos, non ſemper extra ſacramentũ eſſe efficaces: at in paruulos baptizandos ſemper efficiunt, quod ſignificant, cùm baptiſmus illis ex diuino & Eccleſiaſtico præcepto adminiſtretur,

Exorciſmi vis.

nistretur, ex quo etiam illum administratum solemniter, adiurationes præcedunt, de quibus D. Thom. 2. 2. quæst. 90. est enim data Apostolis potestas calcandi supra serpentes, scorpiones, & supra omnem virtutem inimici: ita vt nihil illis noceat Luc. 10. & eiiciendi dæmones Marc. vltimo, ex qua potestate dimanauit proculdubio exorcismorum virtus, quia eos retinet Ecclesia catholica ex institutione & traditione Apostolica.

3. Deinceps in fonte baptismi aquæ benedictio & consecratio fit, olei etiam catechumenorũ, & chrismatis commistio, qua vnctionem spiritualẽ à Christo in renatos diffusam, Ecclesia significat, eisdem autoribus & toti antiquitati receptissimam, vt ex catechistis constat, ex quibus facile est reliquarum significationes colligere. quare concludamus hanc tractationem Tridentino decreto sess. 7. capit. 13. vbi inquit: si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. quare impia est Protestantium sententia, quæ non tantùm cæremonias catholicas respuit, sed alias etiam suis dogmatis congruentes fingit sine verbo Dei, & sine vlla legitima potestate. contra quos de baptismi cæremoniis differit Feuardentius in appendice Alphonsi Castrensis contra hæreses, septima & octaua hæresi de baptismo, & Croquetius catechesi 113. & sequentibus.

Aqua consecratio.

QVÆSTIO LXXII.
De sacramento Confirmationis, in duodecim articulos diuisa.

Consequenter cõsiderandum est de sacramento confirmationis.

Et circa hoc quæruntur duodecim.

Primò, vtrum confirmatio sit sacramentum.

Secundò, de materia eius.

Tertiò, vtrum sit de necessitate sacramenti, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.

Quartò, de forma ipsius.

Quintò, vtrum imprimat characterem.

Sextò, vtrum character confirmationis præsupponat characterem baptismalem.

Septimò, vtrum conferat gratiam.

Octauò, cui competat recipere hoc sacramentum.

Nonò in qua parte.

Decimò, vtrum requiratur aliquis, qui teneat confirmandum.

Vndecimò, vtrùm hoc sacramentum per solos Episcopos detur.

Duodecimo, de ritu eius.

ARTICVLVS I.
Vtrùm confirmatio sit sacramentum.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta enim ex diuina institutione efficaciam habent, sicut suprà dictum est.* Sed confirmatio non legitur à Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

Sup. q. 65. art. 1. & 4. d. 2. q. 1. arti 2. co. & d. 7. q. 1. art. 1. q. 1. per to. & 4. cont. cap. 58.

q. 64. ar. 2.

¶ 2. Præterea, Sacramenta nouæ legis in veteri lege præfigurata fuerunt. vnde Apostolus dicit 1. Corinth. 10. quòd omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Sed confirmatio non fuit præfigurata in veteri testamento. Non ergo est sacramentum.

¶ 3. Præterea, Sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine confirmatione potest esse salus, nam pueri baptizati, sine confirmatione decedentes, saluantur.

Ergo

Ergo confirmatio non est sacramentum.

¶ 4. Præterea, Per omnia sacramenta Ecclesię, homo Christo conformatur, qui est sacramentorum autor. Sed per confirmationem non videtur, homo Christo conformari, qui non legitur esse cõfirmatus. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Sed contra est, quòd Melchiades Papa scribit * Hispaniarũ Episcopis. De his, super quibus rogastis vos informari, vtrum maius sit sacramentum, manus impositio Episcoporum, an baptismus, scitote vtrunque magnum esse sacramentum.

Habetur de cõsec. d. 5. c. 3. De his & est parũ ante med. illius ep. to. 1. Concil. Aug. lib. 2. cõ. lit. Petil. capit. 104. to. 7.

Respondeo dicendum, quod sacramenta nouæ legis, ordinantur ad speciales gratię effectus, & ideo vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia verò sensibilia & corporalia gerunt spiritualium & intelligibilium similitudinem, ex his, quę in vita corporali agũtur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratiæ speciale existat. Manifestum autem est, quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectã ætatẽ perueniat, & perfectas actiones hominis agere possit. Vnde & Apost. dicit 1. Corinth. 13. Cùm autem factus sum vir, euacuaui quę erant paruuli. Et inde est etiã, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit, quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Vnde Melchiades Papa dicit: * Spiritus sanctus, qui super aqua baptismi salutifero descẽdit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et ideo manifestum est, quod confirmatio est speciale sacramẽtum.

In ep. ad Hispaniarum Episc. à med. illius to. 1. Concil.

Ad primum ergo dicendum, quod circa institutionem huius sacramenti est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc sacramẽtum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea, processu temporis in quodam concilio. Alij verò dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse, quia instituere nouum sacramentum, pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.

Et ideo dicẽdum est, quod Christus instituit hoc sacramentum, nõ exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioan. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quę non erat danda ante Christi resurrectionem & ascensionem, secundũ illud Ioan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesvs nondũ erat glorificatus.

Ad secundum dicendũ, quod quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respõdens in veteri testamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex, vt dicitur Heb. 7.

q. 65. ar. 4. ad 3. arg. AD TERTIVM dicendum, quod (sicut suprà dictum est) omnia sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem, sed quædam sunt sine quibus non est salus, quædam verò sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamuis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti.

AD QVARTVM dicendũ, quod illi qui confirmationem accipiũt, quæ est sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, inquantum ipse à primo instanti suæ conceptionis fuit plenus gratiæ & veritatis, vt dicitur Ioan. 1. Quæ quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus sanctus descendit corporali specie super eum. Vnde & Luc. 4. dicitur, quod IESVS plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane. Non autem conueniebat dignitati Christi (qui est sacramentorum autor) vt à sacramento plenitudinem gratię acciperet.

COMMENTARIVS.

1 CONfirmationis sacramentum meritò secundum locum in sacramentis obtinuit, cùm eius effectus perficiat & confirmet gratiam baptismo susceptam, & ideò, si nihil obstet, vsu succedit baptismo. hinc nomen confirmationis deductum esse, catechismus Romanus admonuit. Sed apud vereres Patres ex imitatione sanctæ Scripturæ alia etiam nomina eidem tribuuntur, ex ritu, effectu, & materia. sic dicitur in Actis Apostolorũ manus impositio, cùm eo ritu administraretur ab Apostolis. quamuis autem ea appellatio pateat, ad ordinis sacramenti administrationem, vt 1. Timot. 4. noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, & cap. 5. manus cito nemini imposueris: aliquando vero ad reconciliationem & pœnitentiam, vt cùm legimus apud veteres, renatos apud hæreticos, & redeuntes ad Ecclesiam catholicam, rebaptizandos non esse, sed recipiendos cum manuum impositione: plerumq; tamen eadem appellatio huius sacramenti propria est, idq; significat adiunctus effectus recepti Spiritus sancti, hoc est abundanter infusi: sicut & illud à Patribus intelligitur, nondum erat spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. sic intelligitur manus impositio, & adiunctus effectus Act. 8. cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens, date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. cap. 19. & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant. Dyonis. de Ecclesiastica hierarchia cap. 4. vnguentum ex materia, chrisma, vnctionem, perfectiuam vnctionem, perfectionem, operationis perfectionem, & aduentum Spiritus sancti vocat. D. Ambros. de iis, qui myst. init. cap. 7. signaculum spiritale. D. August. vt postea constabit, vnctionem & manus impositionem. alij prætereà traditionem Spiritus sancti, inuocationem. Cyprianus vnctionem. nominum ratio ex sequenti doctrina de materia, forma & effectu constabit. nunc verò ostendendum est, sacramentum esse, à Christo Domino institutum, vt articulus propositus confirmat. Sacramentum quidem esse, illa ratio efficit, quod sit sensibile signum, ex verbis & propria materia constans, ad perficiendam gratiam renatorum: sed quia hæc vim habent ex Christi institutione, ea primùm stabilienda & confirmanda est. *Nomina confirmationis.*

2 In sancta scriptura per manus impositionem dari Spiritum sanctum, idest gratiam & dona illius, paulò ante ostendimus: & hanc impositionem fuisse huius sacramenti administrationem, Patres omnes affirmant: nusquam tamen expressum est, hac manuum impositione materiam & for-

& formam huius sacramenti contineri, quod certè omnium sacramentorum commune est, vt eorum materiæ & formæ, Traditione & consuetudine iam inde ab Apostolis recepta potius constent, quàm Scriptura sacra. cuius rei causas explicauimus suprà in commentar.quæst.60. num. 25. & 26. cùm igitur sacramenta septem nouæ legis à Christo Domino sint instituta, & sacramentum instituere sit materiã, formam & ministrum præscribere,& hæc sint omninò secundum rectam fidem certa,vt eodem commentario ex Patribus & conciliis deduximus,restat,vt idem de cõfirmatione ostendamus ex diuina & Apostolica traditione, cuius testis firmissimus est,Patrum consensus,& consuetudo Ecclesiæ catholicæ. Confirmationem igitur, siue manuum impositionem sacramẽtum vocant Dyonis. c. citato, Cyril. Hierosol. catech.tertia mystagog. D.August. lib.2. cont.lit.Petil.cap.104. tractatu 3. in epist. Ioan.lib.15.de Trinit. cap.26. Cyprianus epist.70. & serm. de vnctione chrismatis. D. Hieron. aduersus Luciferianos,hanc esse, inquit Ecclesiarum consuetudinem, vt baptizatis manus imponantur ab Episcopo,idq; ex Traditione descendisse,Clemens Papa epist. 4. ad Iulium & Iulianũ, Ambros.lib.3.de sacramentis cap.2.& lib. de his,qui mysteriis initiantur c.7. Fabianus epist.2. ad Orientales Episcopos, Melchiades epist. ad Hispan. Episcopos. reliqui patres eisdem consentiunt,quoties de hoc sacramento loquuntur. concilia similiter,Elibert. can.38. Aurelian. cap.3. teste Gratiano de consecratione d.5. c. vt ieiuni,Laodicen. can. 48. Melden. cap. 6. eadem dist.vt Episcopi, Florent.sess. vltima de sacramentis,Constantien.sess.15. in condemnatione 8. artic. Ioannis Hus numerat confirmationem inter septem sacramẽta,Trident. sess.7. can. 1. de confirmat. ad idem pertinent omnia quæ confirmant eũdem numerum sacramentorum suprà q. 61.num.9.& sequentibus.

Institutio, & essentia sacramenti.

Contra Protestantes.

3 Quare Protestantes, qui sacramentum confirmationis reiiciunt, institutionẽ Christi,Traditione Apostolica retentam,praxi & vsu Ecclesiæ catholicæ receptam, consensionem Patrum in colligenda ex sancta scriptura confirmatione,& posteris cõmendanda,planè reiiciunt.affirmant ociosam esse ceremoniã:olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim, qua adolescentiæ proximi,fidei suę rationem coram Ecclesia exponebant,vt refellit eodem can.sess.7.concil. Trident.fuisse etiam temporariam, nõ habuisse vllum mysterium:ideoq; sine verbo & præcepto Dei in Ecclesia non esse retinendam.& fortasse Protestantibus occasionem dedit inconsultum Erasmi consilium, qui scripsit examinandos adolescentes in pueritia baptizatos, vellent ne stare pactis baptismi. sed Erasmus huius rei autor haberi non voluit, nisi id Ecclesiæ visum fuisset, quam isti impudenter omninò contemnunt. sed refellamus eorum impudentiam antiquitatis testimoniis. in ea enim præsente Episcopo, coniuncta erat baptismi & confirmationis administratio ex Clemente Papa epist. 4. ad Iulium & Iulian.& Melchiade cap. 6.ep. ad Episcopos Hispan. Cyril.Hierosol.catech.mystag.3. quin etiam ipsi Protestantes affirmant baptismum & confirmationem non fuisse distincta in primitiua Ecclesia. quod si hæc vera sunt, quo modo hæc manuum impositio catechesis tantùm fuit. nunquid paruuli egressi fontem baptismi ad catechesim accõmodati sunt? certum est etiam olim baptizandos adultos à Catechistis ante baptismum fuisse instructos, nec aliter ad baptismum admissos. prætereà in Concil. Vormatien.can. 2.admonentur nutritij & præceptores, vt infantes confirmandos ad Episcopum deferant, qua ætate catechesis capaces non sunt. Denique receptum in tota antiquitate est, in confirmatione adhiberi solitos susceptores, quos patrinos vocamus, quibus catechesis confirmatorum committeretur: non est igitur ipsa catechesis confirmatio.Sed addit Caluinus,nostram confirmationem iterari non posse, manuum tamen illam veterum impositionem frequenter repetitam fuisse, & ideò dissimilem & non eandem. profert pro hac sententia D. August. lib. 3. contra Donatist. cap.16.dicentem,manuum impositionem repeti posse, non baptismum. sed noluit hæresiarches animaduertere ambiguitatem nominis, & D. Augustini propositum. is enim contendit eo loco, baptizatos ab hæreticis,iterum in Ecclesia catholica baptizandos non esse, vt suo loco disseruimus & explicauimus: & ideò baptismũ legitime administratum à quocunq;, repeti,

repeti non posse, sed pœnitentiam, quam ibi vocat manuum impositionem, vt sæpè vocarunt veteres Patres, repeti posse.

4 Quod si firmissimis testimoniis euicimus confirmationem esse sacramentum, planè constare statim debet, à Christo Domino immediatè, vt cætera, institutum fuisse, vt ostendimus suprà quæst. 61. numero 9. & sequentibus. non quidem hæc institutio ex sancta scriptura constat, sed ex diuina & Apostolica Traditione, cuius testes sunt veteres Patres suprà notati, præsertim Fabianus Papa, qui in vltima cœna confirmationem institutam à Domino affirmat, cum olei & balsami permistione, & cum præscripta verborum forma, atque id accepisse ab Apostolis Romanam, Antiochænam & alias ecclesias. cum qua institutione consentit illa Domini promissio Ioan. 16. qua missurum se pollicetur paracletum Spiritum veritatis, quod idem est, atque indui virtute diuina, & baptizari Spiritu sancto: qui enim aqua tinguntur, accipiunt quidem Spiritum sanctum, sed non dicuntur baptizari Spiritu sancto, idest cumulata & abundanti copia illius perfundi, quasi immergantur omninò ipsi Spiritui sancto. hanc vero abundantem gratiam Spiritus sancti acceperunt Apostoli in die Pentecostes, & alij deinceps ministerio Apostolorum, descendente visibiliter Spiritu sancto: sed alij præterea vnctione olei & balsami cum præscripta verborum forma, deficientibus illis signis sensibilibus, ex speciali Dei dispensatione, ait Vvalden. de sacramentis c. 113. vt nunc plenè fide & religione nostra, miraculis confirmata, eadem signa deficiunt. quod sanè de Apostolis obseruauit, & ex Dyonisio Areopagita deducit D. Thom. artic. 2. ad 1. quare quod idem affirmat artic. 1. hoc sacramentum à Domino institutum, non exhibendo, sed promittendo, id de sancta scriptura est intelligendú, hoc est, eius institutio non est in ea descripta expresè, est tamen promissus eius sacramenti effectus. hoc enim erat in argumento, cuius est illa ad primum responsio: cum qua tamen sententia optimè consentit, Traditione constare institutum esse à à Domino, & non tantùm promissum, vt in scriptura. similiter ratio articuli ex effectu efficiens, confirmationem esse sacramentum, supponit numerum septenarium sacramentorum conclusum suprà quæst. 61. & concludit ex effectu proprio distinctú esse ab aliis. in sciētifica enim doctrina, nisi posteriores rationes ad priores reuocentur, vis demonstrationis non constabit.

5 Quod verò D. Thom. inquit eodem artic. 1. ad 2. sacramento confirmationis nihil in veteri testamento respondere, quòd sit sacramentum plenitudinis gratiæ, & nihil ad perfectum adduxit lex, sic est accipiendum, non fuisse in veteri testamento, quod responderet confirmationi, in conferenda plenitudine gratiæ, hoc enim noui proprium esse: vt quamuis plura sacramenta in veteri testamento conferrent gratiam eo sensu, quem de circuncisione explicauimus quæst. 70. nullum tamen cōferret plenitudinem gratiæ, quæ propria est Christi & sacramentorum eius. cū hoc tamen rectè consentit, fuisse vmbras & typos confirmationis in veteri testamento, cuiusmodi fuisse prophetarum, regum & Aaronis sacerdotis vnctiones ex veteribus Patribus colligitur. etenim D. August. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 104. & lib. 15. de Trinit. c. 26. vnguentum, quod descendit in barbam Aaron, designasse nostræ vnctionis in confirmatione effectum significat: quod videtur desumpsisse ex Ambros. lib. de initiandis c. 6. & Cyrillo Hierosol. Catechesi 3. mystagogica. Aaron enim sacerdos Exod. 29. cùm sacerdotio initiaretur, prius lotus, deinde vnctus est. Salomon 3. Reg. c. 1. regiam vnctionē in Gihom non prius excepit, quàm mystica ablutione baptismi nostri specimen edidisset. sic etiam sacerdotium spirituale, & regia dignitas, quę affectibus imperat, omnium Christianorum communis, ad offerendum spirituales hostias, vt inquit Petrus 1. epist. cap. 1. & ad distinctionem sacerdotis publici, Christum substantialiter in missa offerentis, illud inquam sacerdotium spirituale, & regia dignitas, plenitudine gratiæ, quæ confertur confirmatione, perficitur & consummatur.

Figura confirmationis in vet. test.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum chriſma ſit conueniens materia huius ſacramenti.

Inf.q.84.ar.1 ad 1.& 4. di. 7.q.1.ar. 2.q. 1.& 2. Et 4. cõt. c. 60.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod chriſma non ſit conueniens materia huius ſacramenti. Hoc enim ſacramentum (vt dictum eſt*) inſtitutum eſt à Chriſto promittente diſcipulis Spiritum ſanctum. Sed ipſe miſit eis Spiritum ſanctum abſque omni chriſmatis inunctione. Ipſi etiam Apoſtoli hoc ſacramentum conferebant per ſolam manus impoſitionē abſque chriſmate, dicitur enim Actor. 8. quod Apoſtoli imponebant manus ſuper baptizatos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Ergo chriſma non eſt materia huius ſacramenti, quia materia eſt de neceſſitate ſacramenti.

Ar.præ. ad 1. arg.

¶2. Præterea, Cõfirmatio quodammodo perficit ſacramentum baptiſmi (ſicut ſupra dictum eſt*) & ita debet ei cõformari, ſicut perfectio perfectibili. Sed in baptiſmo eſt materia, ſimplex elementum, ſcilicet aqua. Ergo huius ſacramenti non eſt conueniens materia chriſma, quod cõficitur ex oleo & balſamo.

Q.65.ar.4.

¶3. Præterea, Oleum aſſumitur in materia huius ſacramēti ad inũgendum. Sed quolibet oleo poteſt fieri inunctio, puta oleo, quod fit ex nucibus, vel ex quibuſcunque aliis rebus. Non ergo ſolum oleum oliuarum debet aſſumi ad huiuſmodi ſacramentum.

¶4. Præterea, Supra dictum eſt, *quòd aqua aſſumitur vt materia ad baptizandum, quia vbique de facili inuenitur. Sed oleum oliuarum non vbique inuenitur, & multo minus balſamũ. Non ergo chriſma, quod ex his conficitur, eſt cõueniens materia huius ſacramenti.

Q.66.ar.3.

SED CONTRA eſt, quod Greg. †dicit in Regiſtro, Presbyteri baptizatos infantes ſignare in frontibus ſacro chriſmate, non præſumant. Ergo chriſma eſt materia huius ſacramenti.

Lib.3.ca.9.à medio illius.

RESPONDEO dicendũ, quòd chriſma eſt conueniens materia huius ſacramenti. Sicut enim dictũ eſt, † in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus ſancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones ſuas ad alios, antea verò quaſi ſingulariter ſibiipſi viuit. Gratia verò Spiritus ſancti in oleo deſignatur vnde Chriſtus dicitur eſſe vnctus oleo lætitię, propter plenitudinem Spiritus ſancti, quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ huius ſacramenti. Admiſcetur autē balſamũ propter fragrantiā odoris, quæ redundat ad alios, vnde Apoſto. dicit, 2. Corinth. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo, &c. Et licet multa alia ſint odorifera, tamē præcipuè accipitur balſamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem, & quia etiam in corruptionem præſtat. Vnde Eccleſ. 24. dicitur, quaſi balſamum non mixtum odor meus.

Ar.præ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Chriſtus ex poteſtate excellentiæ, quam habet in ſacramentis contulit Apoſtolis rem huius ſacramenti, ideſt plenitudinem Spiritus ſancti ſine ſacramento, eo quod ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt, ſicut dicitur Roma. 8.

Nihilominus tamen aliquod conforme materiæ huius sacramenti, exhibitum fuit Apostolis sensibiliter in collatione Spiritus sancti. Quod enim sensibiliter Spiritus sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur, ad quam refertur oleum, nisi quod ignis habet vim actiuam, oleum autem habet vim passiuam, inquantum est materia & fomentum ignis. Et hoc satis competebat: nam per Apostolos gratia Spiritus sancti erat ad alios deriuanda. Super Apostolos etiam Spiritus sanctus descendit in figura linguæ, quod ad idem significandum refertur, quod significat balsamũ, nisi quod lingua per locutionem est communicatiua ad alterum: balsamum vero per odorem, quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu sancto, vt fidei doctores: alij autem fideles, vt operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem, descēdebat plenitudo Spiritus sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & à principio descenderat super Apostolos, vnde Petrus dicit Actor. 11. Cum cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, vbi sensibilia signa miraculosè exhibebantur diuinitus. Vtebātur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur. dicit enim Dionys. 4. cap. Ecclesiast. hierarch. Est quædam perfectiua operatio, quam duces nostri (idest Apostoli) chrismatis hostiam nominant.

Ca. 4. in prin.

Ad secundum dicendũ, quod baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam, & ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus sancti, cuius est multiformis operatio, secundum illud Sap. 7. est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, & 1. ad Corinth. 12. Diuisiones gratiarũ sunt, idem autem Spiritus. Et ideo conuenienter huius sacramenti est materia composita.

Ad tertium dicēdum, quòd proprietates olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inueniũtur in oleo oliuarum, quàm in quocunque alio oleo. Vnde & ipsa oliua super frondibus virens, virorem & misericordiam Spiritus sancti significat. Hoc etiam oleũ propriè dicitur oleum, & maximè habetur in vsu, vbi haberi potest. Quilibet autem alius liquor, ex similitudine huius, oleum nominatur, nec est in vsu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum. Et ideo hoc oleum solũ assumitur in vsu huius, & quorundam aliorum sacramentorum.

Ad quartum dicendũ, quod baptismus est sacramentum absolutæ necessitatis, & ideo eius materia debet inueniri vbique. Sufficit autē, quod materia huius sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de neceſſitate huius ſacramenti, quòd chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum.

4.d.7.q.1.ar1 2.q.3. AD tertiũ ſic proceditur. Videtur, quod non ſit de neceſſitate huius ſacramenti, quod chriſma quod eſt materia huius ſacramẽti, fuerit prius per Epiſcopũ cõſecratum. Baptiſmus enim, in quo fit plena remiſſio peccatorum, nõ eſt minoris efficaciæ, quàm hoc ſacramentum. Sed licet quædam ſanctificatio adhibeatur aquæ baptiſmali ante baptiſmum, non tamen eſt de neceſſitate ſacramenti, quia in articulo neceſſitatis præteriri poteſt. Ergo non eſt de neceſſitate huius ſacramenti, quod chriſma fuerit prius per Epiſcopum cõſecratum.

¶2. Præterea, Idem non debet bis conſecrari. Sed materia ſacramenti ſanctificatur in ipſa collatione ſacramenti, per formam verborum, qua confertur ſacramentum. vnde & Auguſt.* dicit ſuper Ioann. Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum. Non ergo debet priùs chriſma cõſecrari quàm hoc ſacramentum tradatur. Tracta. 80. in Ioann. à med. to.2.

¶3. Præterea, Omnis conſecratio, quæ fit in ſacramentis, ad conſecutionem gratiæ ordinatur. Sed materia ſenſibilis cõfecta ex oleo & balſamo, non eſt capax gratiæ. Ergo non debet ei aliqua conſecratio adhiberi.

Sed contra eſt, quod Innocent. Papa* dicit, Presbyteris, cum baptizant, criſmate baptizatos vngere liceat, quod ab Epiſcopo fuerat conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolum debetur Epiſcopis, cum tradunt Paracletum. Quod quidem fit in hoc ſacramento. Ergo ad hoc ſacramentum requiritur chriſma per Epiſcopum conſecratum. Habetur de cõſecr. di. 4. cap. Presbyteris.

Respondeo dicẽdum, quòd tota ſacramentorum ſanctificatio à Chriſto deriuatur, vt ſupra dictum eſt.* Eſt autem conſiderandum, quod quibuſdam ſacramentis habentibus materiam corpoream, Chriſtus eſt vſus, ſcilicet baptiſmo & etiam Euchariſtia. Et ideo ex ipſo vſu Chriſti, materiæ horum ſacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem ſacramenti. Vnde Chryſoſto.* dicit, quòd nunquam aquæ baptiſmi purgare peccata credentium, poſſent, niſi tactu Dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent. Et ſimiliter ipſe Dominus accipiens panem, benedixit, ſimiliter autem & calicem, vt habetur, Matth. 26. & Luc. 22. Et propter hoc non eſt de neceſſitate horum ſacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia ſufficit benedictio Chriſti. Si qua verò benedictio adhibeatur, pertinet ad ſolennitatem ſacramenti non autem ad neceſſitatem. Vnctionibus autem viſibilibus Chriſtus non eſt vſus, ne fieret iniuria inuiſibili vnctioni, qua eſt vnctus præ conſortibus ſuis. Et ideo tã chriſma, quã oleum ſanctum infirmorum, prius benedicuntur, quàm adhibeãtur ad vſum ſacramenti. Q.64.ar.3. Refertur de cõſec.d.4. c. 101 nunquã aquæ.

Ad primum ergo patet reſpõſio ex dictis.* In cor.ar.

Ad secundum dicendũ, quod vtraque conſecratio chriſmatis nõ refertur ad idem. Sicut enim inſtrumentum virtutem inſtrumentalem acquirit dupliciter, ſcilicet

quando accipit formam instrumenti, & quando mouetur à principali agente ad effectum, ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per quarum vnam fit propria materia sacramenti, per aliam verò applicatur ad effectum.

Ad tertium dicendũ, quod materia corporalis non est capax gratiæ quasi gratiæ subiectum, sed solum sicut gratiæ instrumentum, vt suprà dictum est.* Et ad hoc materia sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi.

Q. 62. ar. 1. 2. & 3.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum hæc sit conueniens forma huius sacramenti, Consigno, te signo crucis, &c.

Inf. q. 84. ar. 3. ar. & 4. di. 7. q. 1. ar. 3. q. 3. & op. 22. co. 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma huius sacramenti, Consigno te signo Crucis, & cõfirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, Amen. Vsus enim sacramentorum à Christo & ab Apostolis deriuatur. Sed neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea vsi leguntur. Ergo hæc non est conueniens forma huius sacramenti.

¶ 2. Prætereà, Sicut sacramentum est idem apud omnes, ita & forma debet esse eadem, quia quęlibet res habet vnitatem, sicut & esse à sua forma. Sed hac forma non omnes vtuntur, quidam enim dicunt, confirmo te chrismate sanctificationis. Ergo hæc non est conueniens forma huius sacramenti.

¶ 3. Prætereà, Sacramentum hoc debet conformari baptismo, sicut perfectio perfectibili, vt suprà dictum est.* Sed in forma babaptismi non fit mentio de consignatione characteris, nec etiam de cruce Christi (cùm tamen per baptismum homo Christo commoriatur, vt Apostolus dicit, Romano. 6. nec etiam fit mentio de effectu salutis, cùm tamen baptismus sit de necessitate salutis. In forma etiam baptismi ponitur vnus actus tantum, & exprimitur persona baptizantis, cùm dicitur: Ego te baptizo. Cuius contrariũ apparet in forma prædicta,* Non ergo est conueniens forma huius sacramenti.

Q. 65. ar. 4. & ar. 2. huius q. ar. g. 2.

In initio art. posita.

Sed contra est auctoritas Ecclesiæ, quæ hac forma communiter vtitur.

Respondeo dicendum, quod prædicta * forma est conueniens huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciẽ, ita forma sacramenti continere debet quicquid pertinet ad speciem sacramẽti. Sicut autem ex suprà dictis patet.* In hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnæ.

Posita in initio art.

Ar. 1. huius q.

Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quę continentur in forma prædicta.* Quorum primum est causa conferẽs plenitudinem roboris spiritualis, quę est sancta Trinitas, quæ exprimitur, cùm dicitur, In nomine Patris, &c. Secundũ est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramẽtum materię visibilis, ad salutẽ Quod quidem tangitur, cũ dicitur. Cõfirmo te chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur,

Posita in 1. argum.

datur; ſicut & in pugna corporali milites inſigniis ducum inſigniuntur. Et quãtum ad hoc dicitur: Cõſigno te ſigno crucis, in quo ſcilicet Rex noſter triumphauit, vt dicitur Coloſſ. 2.

Ar. 2. huius q. ad 1. arg.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod (ſicut ſuprà dictum eſt) per miniſterium Apoſtolorum quandoque dabatur effectus huius ſacramenti, ſcilicet plenitudo Spiritus ſancti, quibuſdam viſibilibus ſignis miraculosè à Deo effectis, qui poteſt effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre. Et tunc non erat neceſſaria nec materia nec forma huius ſacramenti. Quãdoque autem tanquam miniſtri ſacramentorum hoc ſacramentum præbebant, & tunc ſicut materia, ita & forma ex mandato Chriſti vtebantur. Multa enim ſeruabant Apoſtoli in ſacramentorum collatione, quæ in ſcripturis communiter propoſitis non ſunt tradita. Vnde Dionyſ.* dicit in fine Eccleſ. hierarc. Cõſummatiuas inuocationes, ideſt, verba quibus perficiũtur ſacramenta, non eſt iuſtum Scripturas interpretantibus neque myſticum earum, aut in ipſis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad cõmune adducere, ſed noſtra ſacra traditio, ſine pompa, id eſt, occultè eas edocet. Vnde & Apoſtolus dicit, loquens de celebratione Euchariſtiæ, 1. Corint. 11. Cętera, cũ venero, diſponam.

Cap. 7. Eccleſ. hier. par. 3. inter med. & fi.

AD SECVNDVM dicendũ, quod ſanctitas eſt ſalutis cauſa. Et ideo in idem redit, quod dicitur chriſmate ſalutis & ſanctificationis.

AD TERTIVM dicẽdum, quod baptiſmus eſt regeneratio in ſpiritualem vitam, qua homo viuit in ſeipſo, & ideo nõ ponitur in forma baptiſmi, niſi vnus actus ad ipſum hominem ſanctificandũ pertinens. Sed hoc ſacramentum non ſolum ordinatur ad hoc quòd homo ſanctificetur in ſeipſo, ſed exponitur cuidã pugnæ exteriori. Et ideo nõ ſolùm fit mentio de interiori ſanctificatione cùm dicitur, cõfirmo te chriſmate ſalutis, ſed etiam conſignatur homo exterius quaſi vexillo crucis ad pugnam ſpiritualem, quod ſignificatur, cùm dicitur, Cõſigno te ſigno crucis. In ipſo autem verbo baptizandi, quod ablutionẽ ſignificat, poteſt intelligi & materia, quæ eſt aqua abluens, & effectus ſalutis, quæ non intelliguntur in verbo cõfirmandi, & ideo oportuit hæc ponere. Dictum eſt autẽ ſupra* quod hoc quod dicitur, ego, non eſt de neceſſitate formæ baptiſmalis, quia intelligitur in verbo primæ perſonæ: apponitur tamen ad exprimendam intentionẽ. Quod non eſt ita neceſſarium in cõfirmatione, quę non exhibetur, niſi ab excellẽti miniſtro, vt infra *dicetur.

Q. 66. ar. 5. ad 1.

Ar. 11. huius quæſt.

COMMENTARIVS.

Confirmationis materia.

1 INſtitutionem confirmationis diuinam, ſequũtur eſſentiales partes materia & forma: illa eſt chriſma conſeccratũ ab Epiſcopo: hæc eſt illa oratio conſueta, cum expreſſa diuinę Trinitatis inuocatione, & ſi quid prætereà additur, ex præcepto Eccleſię, nõ vt eſſentiale, additur. chriſma eſt vngũetum ex oleo & balſamo permiſtum, & obtinuit vſus, vt Græcis commune nomen illud vnguenti, huius materię in Eccleſia Catholica propriũ factum ſit, oleum etiam de oliuis expreſſum propriè à Philoſophis & vulgo, non tantum à Theologis accipitur. Eam materiam & formã planè habemus ex diuina & Apoſtolica traditione, vt & ipſum ſacramentũ, vt con-

confirmauimus ex Patribus & Conciliis, art. 1. itaque qua necessitate & firmitate sacramentum hoc ex illa traditione habemus, eadem omnino retinemus materiam eandem, idque Epistola illa Fabiani Papæ ad Orientales Episcopos planè decernit. quare non licet dubitare, quod quidam Theologi fecerunt, an balsamum sit de necessitate sacramenti: quia quod habemus de oleo, id etiam de balsamo, & ex eisdem planè autoribus, & eadem diuina & Apostolica traditione: balsamo etiam Orientali aut Occidentali semper est vsa & vtitur Ecclesia Catholica. atque Occidentale vere balsamum esse, naturales Philosophi de natura eius scribentes, planè euincunt. vt itaque aquam naturalem & oleũ, ex naturali & physica ratione accipimus, cum ad vsum sacramẽti adhibemus, sic omnino efficere oportet in balsamo.

An balsamum sit necessario cõsecrandum ab Episcopo.

2 An vero balsami ab Episcopo consecratio sit de necessitate sacramenti, ideo dubitari potest, quia Concilium Florent. sessione vltima, definit ordinarium confirmationis ministrum, Episcopum esse, sed ex dispensatione summi Pontif. simplici sacerdoti committi posse eius administrationem. Vt enim mutari hac ratione minister potest, sic etiam consecratio chrismatis poterit, & non aliter: quia consecratio est ministri actio. Tutior tamen & securior sentẽtia est, cõsecrandũ esse chrisma ab Episcopo de necessitate sacramenti, quia idem concilium sacerdotem illum ex dispensatione confirmationis ministrũ, vti debere definit chrismate consecrato ab Episcopo: vt vtuntur sacerdotes oleo catechumenorum, & vnctionis extremę in administratione sacramentorum, quorũ sunt ordinarij ministri, sed consecrato ab Episcopo. Vnde Concil. Carthag. 3. cap. 36 cui D. August. subscripsit, & refertur, 16. quæst. 6. cap. presbyter, inconsulto Episcopo, virgines nõ consecret, chrysma vero nunquam conficiat, & in Toletan. 8. cap. 8. id dicitur esse eminentiæ Episcopalis diuina autoritate, quia videtur esse ius diuinum, quod mutare non licet, in essentialibus sacramentorum. de præceptis Ecclesiasticis, idem & alia similia prohibentibus sacerdoti, res est manifesta explurimis Conciliorum decretis, quæ collecta sunt fere eisdem verbis, ex Leonis I. Epistola 88. quod verò in cap. Pastoralis, de sacramentis non iter. respondet Innocent. in eo, qui oleo non balsamo fuerat in confirmatione vnctus, nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod fuerat omissum, quo videtur significari balsamum non esse de necessitate sacramenti, alioquin iterandum esset sacramentum, deficiente scilicet parte aliqua essentiali: id nunquam non potest antiquis decretis & traditioni præiudicare. cum enim respondeat Innocentius de solenni administratione confirmationis, vult planè suppleri omissum balsamum, non tamen solennia, ad vitandum scandalum, sed suppleri balsamum cũ præscripta forma, vt fieri oportuit, id sanè est sacramentum integrum præstari, non tamen iterari, cum ante nullum fuerit sacramentum deficiente essentiali parte materiæ. Sic videtur Innocentius explicãdus, vt cum veteribus Patribus & Apostolica traditione consentiat. Reliqua de significatione & congruentia eiusdem materiæ ex D. Thoma & Catechismo Romano petenda sunt.

Forma huius sacramenti.

3 De forma verò nihil est amplius quod obseruemus, quàm ex diuina & Apostolica traditione sensum illius legitimum dimanasse, licet verba sint aliquo modo immutata. Legimus enim Siluestrum Papam his verbis vsum in Constantini Imperat. confirmatione. Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, &c. in consignatione fidei, amen. Nam signum fidei Crux est, & fidei consignatio, chrismatis vnctio, vnde & ipsa confirmatio, signaculum à veteribus aliquando dicitur. forma autem nostra in Concilio Florentino, sess. vlt. de sacramentis sic expressa est. Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorẽ significat bonę famæ, per Episcopum benedicto: forma autem est, signo te signo Crucis & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. cætera ex D. Thoma & Catechismo Romano facile deduci possunt.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum sacramentum confirmationis imprimat characterem.

4.d.7.q.2.art.1 q.1.& q.3. art.3.q.3.

AD quintū sic proceditur. Videtur, quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctiuum. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, hoc enim fit per baptismum, neque etiā ab aliis fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnā spiritualē, quæ omnibus fidelibus indicitur. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.

Q.63.ar.2.

¶2.Prętereà, Suprà dictum est, quod character est quædam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi actiua vel passiua. Potentia autem actiua in sacramentis, confertur per sacramentum ordinis: potētia autem passiua siue receptiua per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum confirmationis nullus character imprimitur.

¶3.Prętereà, In circuncisione, quę est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento imprimitur quidam character corporalis: dum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

SED CONTRA, In omni sacramento, quod non iteratur imprimitur character. Sed hoc sacramentū non iteratur, dicit enim Greg.* de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit denuo, talis iteratio prohibēda est. Ergo in confirmatione imprimitur character.

Refertur de cōsec.d.5.c.9.De homine.

RESPONDEO dicendū, quòd (sicut suprà dictum est*) character est quędā spiritualis potētiis ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictū est autem supra,* quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitā Christianam: ita etiam cōfirmatio est quoddam spirituale augmentum, promouēs hominem in spiritualem ætatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati: & alia actio, quæ competit ei cùm ad perfectam ætatem peruenerit. Et ideo per sacramentū confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdā alias actiones sacras, pręter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nā in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinēt salutē, prout scilicet secundū seipsum viuit. Sed in cōfirmatione accipit homo potestatē ad agendū ea, quæ pertinent ad pugnā spiritualē contra hostes fidei. Sicut patet ex exemplo Apostolorū, qui antequā plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cœnaculo perseuerantes in oratione, postmodum verò egressi, non verebantur publicè fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianę. Et ideo manifestū est, quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

Q.63.ar.2.

Ar.1.huius q.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod pugna spiritualis contra hostes inuisibiles, omnibus cōpetit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publicè confitēdo, est confirmatorum, qui iā sunt perducti spiritualiter ad virilē ętatē, secuncum quod dicitur, 1.Io.2. Scribo vobis iuuenes quoniam for-

tes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Et ideo character confirmationis est signum distinctiuum, non infideliũ à fidelibus, sed spiritualiter prouectorum ab his quibus dicitur, Sicut modo geniti infantes.

Ad secvndvm dicendũ, quòd omnia sacramenta sunt quædam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatẽ spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publicè fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio.

Ad tertivm dicendũ, quod sacramenta veteris legis dicuntur iustitiæ carnis (vt patet Hebr. 9.) quia scilicet interius nihil efficiebant. Et ideo in circũcisione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum charactere corporali imprimitur simul character spiritualis, eò quòd est sacramentum nouæ legis.

ARTICVLVS VI.

Vtrũ character confirmationis præsupponat characterem baptismi.

4.di.7.q.2.artic.1.q 3. & di.24.q.1.ar.2.q.3.& 4.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quod character confirmationis non præsupponat ex necessitate characterem baptismalẽ. Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad confitendum publicè fidem Christi. Sed multi etiã ante baptismum sunt fidem Christi publicè confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character cõfirmationis non præsupponit characterem baptismalem.

¶2. Præterea, De Apostolis nõ legitur quod fuerint baptizati (præsertim cùm dicatur Ioan. 4. quod ipse Christus nõ baptizabat, sed discipuli eius) & tamen postea fuerũt confirmati per aduentum Spiritus sancti. Ergo similiter alij possunt confirmari antequam baptizentur.

¶3. Prætereà, Acto. 10. dicitur, quod adhuc loquẽte Petro, cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum, & audiebant eos loquẽtes linguis. Et postea Petrus iussit eos baptizari. Ergo pari ratione possunt alij prius confirmari, quàm baptizentur.

Sed contra est, quod Rabanus dicit in lib. * de instit. cleri. Nouissime à summo Sacerdote, per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritũ sanctum ad prædicandum. Lib.1.c.31. in princ. & habetur de cons. di. 5. c. 5.

Respondeo dicendum, quod character confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus cõfirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iteratò ipsum confirmari post baptismum. Cuius ratio est, quia sicut se habet confirmatio ad baptismum, ita augmentum ad generationem, vt ex suprà dictis patet. *Manifestũ est autem, quod nullus potest promoueri in ętatem perfectã, nisi primò fuerit natus. Et similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus, nõ potest sacramentum confirmationis accipere. Ar.1. huius q.

Ad primvm ergo dicendum, quod virtus diuina non est alligata sacramentis. Vnde potest conferre homini spirituale robur ad confitẽdum publicè fidem Christi absque sacramẽto cõfirmationis, sicut etiã potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum

baptismi

baptiſmi ſine baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum confirmationis ſine voto ipſius, quod poteſt haberi etiam ante ſuſceptionẽ baptiſmi.

Ep.108. à me. ro.2. AD SECVNDVM dicendum, quod ſicut Auguſt.* dicit ad Seleucianum ex hoc quod Dominus dicit Ioann. 13. Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, intelligimus, Petrum & alios Chriſti diſcipulos fuiſſe baptizatos ſiue baptiſmo Ioannis (ſicut nonnulli arbitrantur) ſiue, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti, neq; enim renuit miniſterium baptizandi, vt haberet & baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret.

AD TERTIVM dicendum, quod audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum confirmationis miraculosè, non tamen confirmationis ſacramenti. Dictum Ar.4.& 2. ad 1.arg. eſt autem,* quod effectus confirmationis poteſt alicui conferri ante baptiſmum, non autem ſacramẽtum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui eſt robur ſpirituale, præſupponit effectum baptiſmi, qui eſt iuſtificatio, ita ſacramentum confirmationis pręſupponit ſacramentũ baptiſmi.

ARTICVLVS VII.

Vtrum per ſacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

4.di.7.q.2. ar.2. AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens, ordinatur contra culpam. Sed hoc ſacramentum (ſicut Ar. præc. dictum eſt*) non exhibetur niſi baptizatis, qui ſunt à culpa mundati. Ergo per hoc ſacramentum gratia gratum faciens non confertur.

¶ 2. Præterea, Peccatores maximè indigent gratia gratum faciente, per quam ſolam iuſtificari poſſunt. Si ergo per hoc ſacramentum gratia gratum faciens confertur, videtur quod deberet dari hominibus in peccato exiſtentibus. Quod tamen non eſt verum.

¶ 3. Præterea, Gratia gratum faciens, ſpecie non differt, cùm ad vnum effectum ordinetur. Sed duæ formæ eiuſdem ſpeciei nõ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Cum ergo gratia gratum faciens conferatur homini per baptiſmum, videtur, quod per ſacramentum confirmationis, quod non exhibetur niſi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur.

SED CONTRA eſt, quod Melchiades Papa dicit,* Spiritus ſanctus in fonte baptiſmi, plenitudinẽ tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. In Ep. ad Hiſpaniarũ Epiſc. à me. illius, to. 1. Concil.

RESPONDEO dicẽdum, quod in hoc ſacramento (ſicut dictum eſt*) datur baptizato Spiritus ſanctus ad robur. ſicut Apoſtolis datus eſt in die Pentecoſtes (vt legitur Actor. 2.) & ſicut dabatur baptizatis per impoſitionem manus Apoſtolorum, vt dicitur Actuũ 8. Oſtẽſum eſt autẽ in prima parte, † quod miſſio ſeu datio Spiritus ſancti non eſt niſi cum gratia gratũ faciente. Vnde manifeſtum eſt, quod gratia gratum faciens confertur in hoc ſacramento. Ar.1.2.& 3. huius q. 1.p.q.43.ar.3

AD PRIMVM ergo dicendum, quod gratiæ gratum facientis primus effectus eſt remiſſio culpę. Habet tamen & alios effectus, quia ſufficit ad hoc quod promoueat hominem per omnes gradus vſque in

vitam æternam, secundum illud Roman.6. Gratia Dei vita æterna. Vnde & Paulo dictum est 2. Corinth.12. Sufficit tibi gratia mea. Et ipse de se dicit 1. Corinth.15. Gratia Dei sum id quod sum. Et ideo gratia gratum faciens, non solùm datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum & firmitatem iustitiæ. Et sic confertur in hoc sacramento.

AD SECVNDVM dicendū, quod sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius inuenerit: & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis. Vnde dicitur in Aurelianensi Concilio, *Vt ieiuni ad confirmationem veniant, vt moneantur confessionem facere prius, vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Et tunc per sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, sicut & baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacramento, consequitur pœnitens pleniorē remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramēto consequetur remissionem peccatorum.

Habetur de cō sec. dist.5.c. vt ieiuni.

AD TERTIVM dicendum, quod (sicut dictum est*) gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectiuum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo considere tur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune: sic per hoc sacramentum nō confertur aliqua alia gratia, quam per baptismum: sed quæ prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa.

Q.62.ar.2.

COMMENTARIVS.

1 ESsentiam confirmationis sequuntur effecta, character, & gratia perficiens & augens per se receptam in baptismo. de charactere dictum est suprà pro catholica sententia, & contra hæreticos, quæst.63.num.1.& sequent. de gratia vero quæ sacramentis omnibus nouæ legis confertur ex opere operato, q.62. nu. 7.& sequent. sed de charactere confirmationis illud addedum est, non suscipi nisi ab eo, qui characterē baptismi prius receperit: quia vt gratia huius sacramenti priorem baptismi perficit, sic character characterem baptismi præexistentem necessario requirit. de gratia verò an sit prima & iustificans, an augmentum prioris tantùm, respondendum est quod de Eucharistia: perse quidem Confirmatione augeri gratiam præcedentem, sed ex accidenti primam aliquando conferri: quod supra explicatum est, & explicabitur infrà quæstio.79.art.3.& in comment.quæst.80.nu. 47. quare qui adulti ad confirmationem accedunt, hortandi sunt, vt prius confiteātur sacerdoti peccata sua: quia licet dignè accedat verè contritus, tamen difficile est veram contritionē habere sine pœnitētiæ sacramento: & hoc cōfirmationis sacramentū perse viuentium est in gratia, ex accidenti mortuorum in peccato mortali: & ideo licet probabile sit, eo infundi primā gratiam, vt eadem quæst. 80. de Eucharistia explicabitur: tutius tamen est cum vera contritione ad sacramentum hoc accedere, vt fructum illius consequaris.

Effecta.

2 In responsione ad secundum art.5. probabilius existimat D. Thom. Apostolos, viuente adhuc Christo Domino, baptismo eius tinctos fuisse, non baptismo Ioannis, supra quæst.38. artic.6.ad 2. idem etiā confirmat, quod supra obseruauimus, quæst.

Apostoli baptismo Christi baptizati.

quæst.66.ad artic.2. Apostolos, Christi baptismo baptizasse, quare verisimile est seipsos eodem baptizasse.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.

4.d.7.q.3.ar.2.q.2.&3.& di.15.q.2.ar.1.q.2.cor.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramẽtum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quandam excellentiam datur: vt dictũ est.* Sed id quod ad excellentiam pertinet, non cõpetit omnibus. Ergo hoc sacramentũ non debet omnibus dari.

Art.2.huius q.ad 2.& ar.4.

¶2. Prætereà, Per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam ætatem. Sed perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.

¶3. Prætereà, Sicut Melchiades Papa dicit,* post baptismum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum dari debet.

In ep.ad Hisp. Episc.à me. illatus.to.1.Conci.

¶4. Præterea, Melchiades Papa dicit,* quod quamuis continuò trãsituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt: quia confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos. Qui autem post baptismũ cum acquisita innocentia immaculatus peruenerit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem. Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri: & sic non debet omnibus dari.

Loco nunc proximè citato & habetur de consec. di.5.c. Spiritus sanctus.

SED CONTRA est, quod dicitur Act.2. quòd Spiritus sanctus adueniens repleuit totam domum (per quam significatur Ecclesia) & posteà subditur, quod repleti sunt omnes Spiritu sancto: Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia exhibendum.

RESPONDEO dicẽdum, quòd (sicut dictum est*) per hoc sacramentum promouetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, vt omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perueniat, sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte præuenitur. Multò autem magis de intentione Dei est, omnia ad perfectionem producere, ex cuius imitatione hoc natura participat, vnde & Deute. 32. dicitur, Dei perfecta sunt opera. Anima autem, ad quam pertinet & spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest, sicut tempore senectutis spiritualem natiuitatem consequi, ita tempore iuuentutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia huiusmodi corporales ætates animæ non prẹiudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi.

Art.1.huius q.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod hoc sacramentum datur ad quandam excellentiam, non quidem vnius hominis ad alium (sicut sacramentum ordinis) sed hominis ad seipsum, sicut idem perfectus vir existens, habet excellentiam ad se puerum.

AD SECVNDVM dicendũ, quod (sicut dictum est*) ætas corpora-

In cor.ar.

 lis

lis non præiudicat animæ. Vnde etiam in puerili ætate nemo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Et inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus sancti perceptum, vsque ad sanguinē fortiter certauerunt pro Christo.

Ad tertium dicēdum, quod sicut Chrysosto. * dicit in homilia de Machabæis, In mundanis agonibus, ætatis ac formæ, generisque dignitas requiritur, & ideo seruis ac mulieribus, & senibus ac pueris ad eos aditus denegatur: In cælestibus autem, omni personæ & ætati ac sexui, in discreta facultate stadium patet. Et in homilia de Militia spirituali dicit. * Apud Deum fœmineus etiam militat sexus. Multæ namque fœminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt, quædam enim interioris hominis virtute, viros æquauerunt in agonibus martyrum: quædam etiam fortiores viris extiterunt. Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

Inter princ. & med. illius, & habetur hac homi to 1. in fine illius.

Homi. 6. in numero sexdecim homil. a med. to. 5.

Ad quartum dicendum, quod (sicut dictum est*) anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est, vt in resurrectione perfecti appareāt, secundum illud Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et ideo Hug. de sancto Vict. dicit, * Omnino periculum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Vnde etiam pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam consequuntur, sicut & hîc maiorem obtinent gratiam. Autoritas autem illa *intelligitur, quantum ad hoc, quod morituris non est necessariū hoc sacramentum propter periculum pugnæ præsentis.

In cor. ar.

Lib. 2. de sacr. par. 7. c. 3. circa princ.

Citata in arg. 4.

ARTICVLVS IX.

Vtrum hoc sacramentum sit conferendū homini in fronte.

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quòd hoc sacramentū non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacramentum est perfectiuum baptismi, vt suprà dictum est.* Sed sacramētum baptismi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacramentum non debet conferri solùm in fronte.

Inf. ar. 11. ad 3. & 4. d. 7. q. 3. ar. 3. q. 2. et 4. cōt. c. 60. Et quol. 11. ar. 7. cor. Et Rom. 1 lec. 5. fi. & c. 10 lec. 2. cor. 1 Q. 65. ar. 4.

¶ 2. Prætereà, Hoc sacramentū datur ad robur spirituale, vt supra dictum est. * Sed spirituale robur maximè consistit in corde. Ergo hoc sacramentum magis debet cōferri supra cor, quam in fronte.

Ar. 1. & 2. huius q.

¶ 3. Prætereà, Hoc sacramentum datur homini ad hoc, quod liberè fidem Christi cōfiteatur. Sed ore fit confessio ad salutem, vt dicitur Romano. 10. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri circa os, quàm in fronte.

Sed contra est, quod Rabanus dicit* in lib. de institutione clericorum, Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem verò in fronte.

Lib. 1. c. 30. circa princ.

Respondeo dicendum, quod (sicut suprà dictum est*) in hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum

Ar. 1. 2. et 4. huius q.

ſanctũ ad robur ſpiritualis pugnę, vt fortiter etiam inter aduerſarios fidei, Chriſti fidem confiteatur. Vnde conuenienter ſignatur chriſmate ſigno crucis in fronte propter duo: primo quidem, quia inſignitur ſigno crucis, ſicut miles ſigno ducis. Quod quidem debet eſſe euidens & manifeſtum: Inter omnia autem loca corporis humani, maximè frons manifeſta eſt, quæ quaſi nunquam obtegitur. Et ideo linitur confirmatus chriſmate in fronte, vt in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum, ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ſe manifeſtauerunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundò, quia aliquis impeditur à libera cõfeſſione nominis Chriſti, propter duo, ſcilicet, propter timorem & propter verecundiam. Vtriuſque autem horum ſignum, maximè manifeſtatur in fronte propter duo, ſcilicet, propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc quod ſpiritus à corde directè ad frontẽ aſcendunt. Vnde verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt, vt dicitur in 4. Ethico. * Et ideo in fronte ſignatur chriſmate, vt neque propter timorem, neque ptopter erubeſcentiam, nomen Chriſti confiteri prætermittat.

Li.4.c. vlt circa prin. to.5.

Ad primvm ergo dicendum, quod per baptiſmũ regeneramur ad vitam ſpiritualem: quæ ad totum hominem pertinet. Sed in cõfirmatione roboramur ad pugnã, cuius ſignum ferendum eſt in fronte, quaſi in euidenti loco.

Ad secvndvm dicendũ, quod principium fortitudinis eſt in corde: ſed ſignum apparet in fronte. Vnde dicitur Ezechie. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Et ideo ſacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſeipſo confirmatur, pertinet ad cor: ſecũdum illud Pſalm. 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad ſacramentum confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios, & ideo exhibetur in fronte.

Ad tertivm dicendũ, quod hoc ſacramentum datur ad liberè confitendum, non autem ad confitendum ſimpliciter, quia hoc fit etiam in baptiſmo. Et ideo non debet dari in ore, ſed in fronte, vbi apparẽt ſigna paſſionum, quibus libera confeſſio impeditur.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

4.d.7.q.3.artic.3.q.1.

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quòd ille qui confirmatur, non debeat ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim ſacramentum non ſolum pueris, ſed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per ſeipſos ſtare poſſunt. Ergo ridiculum eſt, quòd ab alio teneantur.

¶2. Prætereà, Ille qui iam eſt de Eccleſia, liberum habet acceſſum ad Eccleſiæ principem, qui eſt Epiſcopus. Sed hoc ſacramentum (ſicut dictum eſt*) non exhibetur niſi baptizato, qui iam eſt mẽbrũ Eccleſiæ. Videtur ergo, quòd non debeat per aliũ exhiberi Epiſcopo, ad hoc ſacramentum recipiendum.

Ar.6.huius q.

¶3. Præterea, Hoc ſacramentũ datur ad robur ſpirituale, quod magis viget in viris, quam in mulieribus, ſecundum illud Prouerb. vlt.

Mulie-

Mulierem fortem quis inueniet? Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem.

SED CONTRA est, quod Innoc. Papa* dicit, & habetur in Decret. 30. quæst. 4. Si quis ex coniugio filium aut filiam alterius, de sacro fonte susceperit, aut ad chrisma tenuerit, &c. Ergo sicut requiritur quòd aliquis baptizatum de sacro fonte leuet, ita debet aliquis teneri ad sacramentum confirmationis accipiendum.

Innoc. Exuperio Toletano Episc. Habetur 30. q. 4. c. Si quis ex vno.

RESPONDEO dicẽdum, quòd (sicut dictum est*) hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autẽ aliquis de nouo natus, indiget instructore in his quæ pertinent ad conseruationem vitæ (secundum illud Heb. 12. Patres quidem carnis nostrę habuimus eruditores, & reuerebamur eos) ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus instruantur, de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces & centuriones, per quos alij gubernentur. Et propter hoc etiã ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ętatis (sicut dictum est*) ideo ille, qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis & puer.

Ar. præ.

Ar. 2. 4. & 5. huius q.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod licet ille qui confirmatur, sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

AD SECVNDVM dicendũ, quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est ascriptus militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiæ Christianæ scriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus.

AD TERTIVM dicẽdum, quòd (sicut dicitur Colos. 3.) in Christo IESV non est masculus & fœmina. Et ideo non differt vtrum masculũ vel fœmina teneat aliquem in confirmatione.

ARTICVLVS XI.

Vtrum solus Episcopus hoc sacramentũ conferre possit.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quod non solũ Episcopus hoc sacramentum conferre possit. Gregor.* enim scribẽs Ianuario Episcopo dicit, Peruenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd presbyteros chrysmate tangere eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, & nos quidem secundũ veterem vsum nostræ Ecclesiæ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeãt, cõcedimus. Sed illud quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur, quod non sit de necessitate huius sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

4. d. 7. q. 3. ar ti. 1. q. 2. & d. 13. q. 1. ar. 1. q 2 & d. 25. q. 1. ar. 1. cor. & 4. cont. c. 60. & quol. 10. ar. 7.

Lib. 3. Epist. ep. 26. in fine.

¶ 2. Præterea, Sacramẽtum baptismi videtur maioris efficaciæ, quam sacramentum confirmationis, quia per baptismũ fit plena remissio peccatorum, & quantum ad

culpam

culpam & quantum ad pœnã, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi, & in necessitate quilibet etiã non ordinatus potest baptizare. Ergo nõ est de necessitate huius sacramenti, quòd ab Episcopo conferatur.

¶ 3. Præterea, Summitas capitis, vbi secundum medicos est locus rationis, scilicet particularis (quæ dicitur virtus cogitatiua) est nobilior fronte, vbi est locus imaginatiuæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos vngere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

Sed contra est, quod Euseb. Papa dicit, * Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum locũ tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet, nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta. Est igitur de necessitate huius sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quòd ab Episcopo tradatur.

Epist. 3. ad Episco. Tusciæ, & Cãpaniæ: & habetur de conse. dist. 5. cap. 4. Manus quoque. & Inno. to. 1. Conc. Episto. ad Euzubium Episc. c. 3

Respondeo dicẽdum, quod in quolibet opere vltima consummatio supremæ arti aut virtuti reseruatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices superior autem dat formam, supremus autem est, ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorum, & epistola, quæ à notario scribitur, à domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam diuinũ opus (secundum illud, 1. ad Corin. 3. Dei ædificatio estis) sunt etiam quasi quædã Epistola, Spiritu Dei scripta, sicut dicitur 2. Corinth. 3. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi vltima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet, quod per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quędam spiritualis epistola, sed per sacramentũ confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio hui⁹ sacramẽti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatẽ in Ecclesia, sicut & in primitiua Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicẽ gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, vt habetur Acto. 8. Vnde Vrbanus Papa * dicit: Omnes fideles, per manus impositionem Episcoporum Spiritũ sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.

Aug. lib. 4. super nouũ Test. q. 42. & de Tri. lib. 15. cap. 26. tomo. 3.

Vrbanus I. in epist. ad omnes Christianos: habetur de cõsec. dist. 5. cap. Omnes fideles.

Ad primum ergo dicendũ, ꝙ Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinũ, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Gregor. * Papa, quòd simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.

Li. 3. Epistolæ epist. 26. in fi.

Ad

AD SECVNDVM dicendum, quòd sacramentum baptismi est efficacius, quàm hoc sacramentum; quantum ad remotionem mali, eo quòd est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de nō esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddā spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum, & ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

AD TERTIVM dicendum, quod sicut * Rabanus dicit in lib. de institutione clericorum, signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificē verò in fronte, vt in priori vnctione significetur super ipsum. Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis, venire in hominem declaretur. Nō ergo propter digniorem partem, sed propter potiorē effectum, hæc vnctio Episcopis reseruatur.

Lib. 1. c. 31. circa princ. refertur de cōs. d. 5. cap. 5.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ritus huius sacramenti sit conueniens.

AD duodecim sic proceditur. Videtur, quòd ritus huius sacramenti non sit conueniens. Sacramentum enim baptismi est maioris necessitatis quam hoc sacramentum, vt supra dictum est. * Sed baptismo deputantur certa tempora, scilicet Pascha & Pentecostes. Ergo etiam huic sacramēto aliquod certum tempus debet præfigi.

4. d. 7. q. 3. ar. 3. q. 2. ad 3. & in expositione literæ.

Ar. 1. huius q. ad 3 & q. 65. ar. 4.

¶2. Preterea, sicut hoc sacramentum requirit deuotionem & dantis & recipientis, ita etiam & sacramentum baptismi. Sed in sacramēto baptismi non requiritur quod à ieiunis sumatur vel conferatur. Ergo videtur, inconuenienter statutū in Concilio Aurelianensi, * vt ieiuni ad confirmationem veniant, & in Concilio Meldensi, vt Episcopi non nisi ieiuni, per impositionem manuum, Spiritū sanctum tradāt.

Cap. 3. & Conc. Mel. c. 6. referuntur hæc de cons. d. 5 ca. Vt ieiuni. Et, vt Episc.

¶3. Preterea, Chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus sancti, vt suprà dictum est. * Sed plenitudo Spiritus sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, vt habetur Acto. 2. Magis ergo debet chrisma confici & benedici in festo Pentecostes, quam in cœna Domini.

Ar. 2. huius q.

SED CONTRA est vsus Ecclesiæ, quę à Spiritu sancto gubernatur.

RESPONDEO dicēdum, quod Dominus Matth. 18. fidelibus suis promisit, dicens, Vbi fuerint duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et ideo firmiter tenendum est, quòd ordinationes Ecclesię dirigantur secūdum sapientiam Christi. Et propter hoc, certum esse debet, ritus quos Ecclesia obseruat in hoc, & in aliis sacramētis, esse conueniētes.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut Melchiades Papa * dicit, ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta (scilicet baptismi & cōfirmationis) vt ab inuicē (nisi morte præueniente) nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit. Et ideo eadem tempora sunt prefixa baptismo solenniter celebrando, & huic sacramento. Sed quia hoc sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, vbi presbyteri

In Epist. ad Hispa. Episc. ante med. to. 1 Conc. & habetur de consec. di. 5. c. de his.

teri baptizant ; oportuit quantum ad communem vsum, sacramentū confirmationis etiam in alia tempora differri.

Ad secvndvm dicendū, quòd ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis * Concilij legitur. Et ideo propter multitudinē fideliū, & propter pericula imminētia, sustinetur vt hoc sacramētū (quod non nisi ab Episcopis dari potest) etiam à non ieiunis detur vel accipiatur, quia vnus Episcopus præcipuè in magna diœcesi, nō sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Vbi tamen congruè obseruari potest, conuenientius est vt à ieiuniis detur & accipiatur.

Vt patet de consec. di. 5. c. Vt Episc.

Ad tertivm dicendū, quod sicut ex Cōcilio Martini Papę* habetur, omni tempore licebat chrisma conficere. Sed quia solennis baptismus, ad quem requiritur vsus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, cōgruè ordinatum est, vt per biduū antè ab Episcopo chrisma benedicatur, vt possit per diœcesim destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut suprà dictum est.*

Habetur de cōsec. d. 4. c. Omni tempore.

Q. 65. ar. 3.

COMMENTARIVS.

Suscipientes.

1 De suscipientibus sacramentū hoc, susceptore eorum ministro, atque sacramenti ministro, & ritu administrationis, his articulis postremò differitur. Suscipientes de necessitate sacramenti, sunt omnes baptizati, quacunque ætate & tempore, atque etiam amentes; sed quia in more iam est Ecclesiæ, hoc sacramentū non cōferre nisi ratione vtentibus aliquo modo, ideo non expedit illud conferre, nisi ætate qua ratione vti possint: idcoque negandū amentibus, nisi aliquo tempore & per interualla ratione vtantur: cōcedendum verò surdis & mutis, si mente valent & ratione: pueris etiam ęgrotis, & de quorum salute incerta est spes, licet nō ad salutem, quā ex baptismo consequuntur, ad vberiorem tamen gratiam & respondentem illi gloriam, rectè & prudenter administrabitur hoc sacramentum. qua vero ætate magis expediat, Catechismus Romanus rectè definit.

2 De præcepto autem suscipiendi, cum commoditas se offert, dubium non est, intelligēdum esse illud Vrbani Papę in Epist. ad omnes Christianos, & refertur de consecr. d. 5. c. omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur: quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiā & constantiam dilatatur. itaque, qui vel hoc præceptum, vel sacramentum contemnit formaliter, vel interpretatiue, quod similiter se habet, ac si contemneret formaliter, is proculdubio peccat mortaliter: quia contemnit perfectionem Christianismi, & constantiam ad perseuerandum in religione Christiana, quæ cōstantia specialis effectus est huius sacramenti. hoc etiam consentaneum est testimoniis veterum Patrum, & dignitati huius sacramenti. Dicūt enim suprà notati Patres, sine hoc sacramēto neminem esse perfectum Christianum, nec inter perfectos numerari posse, si volūtas, & non necessitas excludat: voluntaria autem omissio eius, quod necessarium est ad perfectionem gratiæ & Christiani, non video, inquit Petrus Sot. de institu. sacerd. lect. 2. de cōfirmat. quomodo non sit mortalis. quarę & de nimia dilatione huius sacramenti, & de omissione, exhortandi sunt fideles omnes ad pœnitentiam. Tempus autem, quo suscipiētes hoc præcepto obligantur, est ætas rationis compos cum suscipiendi commoditate, nō enim debet expendi obligationis tempus ex imminentibus contra fidem persecutionibus tantùm, sed primum ex obligatione suscipiēdi gratiæ & Christianismi perfectionē. Scio de hac re varias esse Theologorum sentētias

De præcepto cōfirmationis.

D. THOM. AQVINAT.

Quæstio LXXIII. De Eucharistiæ sacramento secundum se.

Commentariis & disputationibus analyticis Sebastiani Episcopi Oxomensis illustrata.

¶ Præfatio de ratione ordinis.

1. VO, quæ in omnibus sacramentis præcipuè spectantur, alterum ex Deo, beneficium sanctificationis, alterum ex nobis, Dei cultus, hæc sunt in hoc sacramento eximia: non solùm enim nos sanctificat per gratiam, sed ipsum gratiæ autorem Christum in admirabilem escam & refectionem spiritualem largitur: & quia in sacrificium nobis datur, offerimus Deo eximium illud sacrificium, in quo est omnium beneficiorum & donorum fœcundissimum compendium, recapitulatio & summa: & proinde nõ habemus aliud sacrificium, quod Domino tribuamus, pro omnibus, quæ nobis retribuit. Huic autẽ sacramento, quamuis dignitate omniũ præstantissimo, tertium locũ semper tribuit Ecclesia catholica, cõcilia et Theologi: quia oportet prius hominem baptismo regenerari, perfici confirmatione ad militiam Christianam, deinde cibo refici, ali & augeri, quod præstat cumulatissimè hoc sacramentum. Olim etiam in vsu & praxi, & nunc, si legitimus ordo seruetur, tertium locum obtinuit: quia Ecclesia multis locis consueuit, vt etiam constat ex libris Ambrosij de sacramentis, adultos saltem, primùm baptismo abluere, deinde confirmatione vngere, tertiò sacra Eucharistia, simul cũ aliis sacramentis duobus collata, pascere. sic D. Hieron. ait contra Lucifer. baptismum sine Eucharistia non conferri: D. Tho. infra q. 80. art. 9. tertium. & Trident. sess. 21. capit. 4. fuisse, inquit, olim morem quibusdam locis conferendi paruulis sacram Eucharistiam, & paruulis etiam conferebatur confirmatio supra q. 72. ar. 8. ad 2. non tamen est necesse confirmationem prius suscipi, quàm Eucharistiam, vt constat, sicuti necesse est priorem esse baptismum confirmatione.

Eucharistiæ præstantia. *Ordo.* 1. 2.

2. Vnus Vvicleffus voluit hũc ordinẽ inuertere, vt refert Vvaldeñ. de sacramẽtis c. 96. vt Eucharistia esset doctrina prior baptismo, quod esset prius instituta, nempè ante passionem, baptismus autem post resurrectionem, illis verbis, Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. sed certè sententia falsa est, & ratio fallax: constat enim baptismum institutum, vel cum Dominus baptizatus est, vel Ioan. 3. cum dixit Nicod. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, supra q. 66. art. 2. & alius est ordo conditoris, alius rei conditæ, quod Vvaldeñ. obseruauit. Ordinem verò suscipiendi sacramenta à baptismo esse, Dominus ostendit Matt. vlt. cum ait primum docendum esse mysterium redemptionis, deinde baptizandos, qui essent iam instituti: quod etiam in actis obseruauerunt Apostoli, & Philippus in baptismo Eunuchi. Constet igitur tertio loco de Eucharistia differendum esse, sicut differuit Ecclesia cathol. in concil. Florent. sess. vltima, & Trident. sess. 7. tertio loco Eucharistiam constituit, vt omnes Theolog. 4. d. 8.

Cõtra Vuicleffum de ordine.

QVÆSTIO LXXIII.
De sacramento Eucharistię secundum se, in sex articulos diuisa.

Consequẽter considerandum est de sacramento Eucharistiæ. Et primò, de ipso sacramento: Secundò, de materia. Tertiò, de forma. Quartò, de effectibus. Quintò, de recipientibus hoc sacramentum. Sextò, de ministro. Septimò, de ritu.

¶ *Circa primum quæruntur sex.*
Primò, vtrùm Eucharistia sit sacramentum.
Secundò, vtrùm sit vnum vel plura.
Tertiò, vtrùm sit de necessitate salutis.
Quartò, de nominibus eius.
Quintò, de institutione ipsius.
Sextò, de figuris eius.

ARTICVLVS I.
Vtrùm Eucharistia sit sacramentum.

Infr. art. 4. q. 79. ar. 5. et 7. Et 4. d. 8. q. 1. ar. 1. q. 1.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod Eucharistia nõ sit sacramentũ. Ad idẽ enim nõ debent ordinari duo sacramẽta, quia vnũquodq; sacramentũ efficax est ad suũ effectum producendũ. Cùm ergo ad perfectionem ordinetur & cõfirmatio & Eucharistia (vt dicit Diony.* 4. Eccle. hier.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cũ confirmatio sit sacramentum, vt prius habitum est.*

* c. 2. eccl. hierar. ante med. & c. 4. in prin.
* q. 65. art. 4. & q. præ. ar. 1.

¶ 2. Præterea, In quolibet sacramento nouæ legis id quod visibiliter subiicitur sensui, efficit indiuisibilẽ effectum sacramẽti, sicut ablutio aquæ causat & characterem baptismalem, & ablutionem spiritualem, sicut suprà dictum est. * Sed species panis & vini, quę subiiciuntur sensui in hoc sacramento, nõ efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res & sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum nouæ legis.

* q. 62. et 65. ar. 1.

¶ 3. Pręterea. Sacramenta nouæ legis habentia materiam, in vsu materiæ perficiuntur, sicut baptismus in ablutione, & cõfirmatio in chrismatis cõsignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramẽtum, perficeretur in vsu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ. Quod patet esse falsum, quia forma huius sacramenti sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicuntur, vt infrà patebit. * Ergo Eucharistia non est sacramentum. q 78. ar. 1.

SED CONTRA est, quod in collecta dicitur. Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

RESPONDEO dicẽdum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinãtur ad subueniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerũt. Manifestum est autem, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ, ita etiam requiritur alimentum, quo homo cõseruatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem, oportuit esse baptismũ, qui est spiritualis generatio: & confirmationem, quæ est spirituale augmẽtum: ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod duplex est perfectio. Vna, quę est in ipso homine, ad quam perducitur

citur per augmentum: & talis perfectio cōpetit confirmationi. Alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adiunctione alicuius extrinseci, hominem conseruātis, puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiusmodi, & talis perfectio cōpetit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio.

AD SECVNDVM dicendū, quod aqua baptismi nō causat aliquē spiritualē effectū propter ipsam aquā, sed propter virtutē Spiritus sancti in aqua existentē. Vnde Chrys.* dicit super illud Io. 5. Angelus Dñi secundū tempus, &c. In baptizatis nō simpliciter aqua operatur: sed cùm spiritus sancti susceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. Sicut autē se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi: ita se habet corpus Christi verū ad species panis & vini. Vnde species panis & vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri.

Homil. 35. in Ioan. inter princ. & mediū tom.3.

AD TERTIVM dicendū, quod sacramentū dicitur ex eo quod continet aliquid sacrū. Potest autē aliquid esse sacrū dupliciter, scilicet, absolutè, & in ordine ad aliud.

Hæc autē est differētia inter Eucharistiā & alia sacramenta habentia materiā sensibilē, quod Eucharistia continet aliquid sacrū absolutè, scilicet, ipsum Christū: aqua verò baptismi continet aliquid sacrū in ordine ad aliud, scilicet, virtutē ad sanctificandū, & eadem ratio est de chrismate & similibus. Et ideo sacramentū Eucharistię perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia verò sacramēta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominē sanctificandum.

Et ex hoc etiā cōsequitur alia differentia, nā in sacramēto Eucharistiæ id quod est res & sacramentū, est in ipsa materia: id autē quod est res tantū, est in suscipiēte, scilicet, gratia, quæ confertur: in baptismo autē vtrunq; est in suscipiēte, scilicet & character, qui est res & sacramentū, & gratia remissionis peccatorū, quę est res tantùm, & eadē ratio est de aliis sacramentis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc sacramentū sit vnū, vel plura.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod Eucharistia nō sit vnum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta, Purificent nos Dñe sacramenta, quæ sumpsimus. Quod quidē dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo Eucharistia non est vnum sacramentum, sed plura.

Inf.q.78.ar. 6.ad 2. Et 4. d.8.q.1.ar.1. q.2.

¶ 2. Præterea, Impossibile est multiplicato genere, non multiplicari speciē, sicut quod vnus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, vt supra dictum est.* Cū igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet, panis & vinum, videtur consequens esse, quòd sint plura sacramenta.

q.60.ar.1.

¶ 3. Prętereà, Hoc sacramentū conficitur in consecratione materiæ: sicut dictum est.* Sed in hoc sacramento est duplex materiæ cōsecratio. ergo est duplex sacramētū.

ar. præce.

SED CONTRA est, quod Apost. dicit 1.Cor.10. Vnus panis & vnū corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus, ex quo patet, quod Eucharistia est sacramētum Ecclesiasticæ vnitatis. Sed sacramentū similitudinē gerit rei, cuius est sacramētū. Ergo

go Eucharistia est vnũ sacramentũ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicitur 5. Met.* vnum dicitur non solùm quod est indiuisibile, vel quod est cõtinuum, sed etiam quod est perfectum: sicut dicitur vna domus, & vnus homo. Est autem vnũ in perfectione, ad cuius integritatẽ concurrunt omnia, quę requirũtur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus mẽbris necessariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quę sunt necessariæ ad inhabitandum: & sic hoc sacramentũ dicitur vnũ ordinatur enim ad spiritualẽ refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalẽ autẽ refectionẽ duo requiruntur, scilicet, cibus, qui est alimẽtũ siccũ, & potus, qui est alimentũ humidum. Et ideo etiã ad integritatẽ huius sacramenti duo concurrunt, scilicet, spiritualis cibus & spiritualis potus, secundũ illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed vnum formaliter & perfectiuè.

Lib. 5. Met. à tex. 9. vsque ad 12. tomo 3.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in eadẽ collecta & pluraliter dicitur primò. Purificẽt nos sacramenta, quę sumpsimus: & postea singulariter subditur. Hoc tuum sacramentũ non sit nobis reatus ad pœnam, ad ostendendum, quòd hoc sacramentum quodammodo est multa: simpliciter autem vnum.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd panis & vinum materialiter quidẽ sunt plura signa: formaliter verò & perfectiuè vnum, inquantum ex eis perficitur vna refectio.

AD TERTIVM dicendũ, quòd ex hoc, quod est duplex cõsecratio materię huius sacramẽti, nõ potest plus haberi, nisi quòd hoc sacramẽtum materialiter est multa, vt dictum est.*

In cor. ar.

¶*Sententiæ & conclusiones quæst.*

PRima cõclusio: *Eucharistia est sacramẽtum: vnũ, et distinctũ ab aliis.*

Ratio primi: *quia sacramenta vitæ spiritualis subsidia sunt, et adiumenta: in qua, vt in corporali, non solũ generationẽ & incrementũ oportet esse, sed etiam alimentum: generationem baptismus, incrementum confirmatio efficit: alimentũ est Eucharistia, quæ hominẽ fouet & reficit secundũ spiritũ, & ideo refectio dicitur.* Ratio secundi: *quia refectio ex cibo & potu perficitur: & Eucharistia cibo & potu constat: est enim vnum sacramentum forma et perfectione, licet materia videatur duplex, panis, scilicet, & vinum: & ideo aliquando dicitur vnũ sacramentũ, aliquando plura, quia in duplici materia panis & vini, vel in duplici signo post cõsecrationem.*

Secunda conclusio: *Eucharistia perficitur consecratione materiæ, reliqua sacramenta vsu suscipientis: quia Eucharistia cõsecratione, non tantum vim sanctificandi, sed Christum in se cõtinet ad sanctificandum, cætera tantũ vim illam: vnde in Eucharistia, sacramentum tantùm sunt species & accidentia panis & vini, gratia est res tantum, Christus est res & sacramentum.*

COMMENTARIVS.

1 DE Eucharistia autem primò explicetur, quę sunt de ratione sacramẽti, materia, forma, institutio, vnde colligetur necessitas: sed ne verbi ignoratione decipiamur de ipso primũ dicẽdum est. Hoc igitur sacramentum, quod in pane & vino conficitur cũ sit etiam sacrificium ratione vtriusq; varias habet appellationes: vt enim est sacramentum dicitur, Eucharistia, cuius notatio licet bonã gratiã exprimat, Clemẽt. li. 2. pędag. c. 2. Orig. li. 8. cõt. Cel. quia continet

Nomina huius sacramenti.

Guilel. Alan. c. 1. de sacramẽtis in genere.

continet hoc sacramentũ Christum gratię autorem, vel quia ad vitã ęternam speciali quadã ratione nos perducit, & gratia Dei vita ęterna Rom. 6. vel quia hoc sacramentũ in sancta scriptura per antonomasiã dicitur gratia, vt quidã volunt Heb. 12. Regnũ immobile suscipientes habemus gratiam. 1. Pet. 1. Sperate in eã, quę vobis offertur gratiã: quamuis, inquã, nominis huius notatio, quandã bonam gratiã exprimat: à Græcis tamẽ Patribus à verbo Eucharestéo deducitur, vt sit idem, quòd gratiarum actio, aut grata beneficiorũ recordatio. Huius autẽ appellationis triplex ratio colligi potest, vna ex ratione sacramẽti, altera ex ratione sacrificij, tertia ex vtraq; coniunctè. Prima sit, quia in hoc sacramento accipimus omniũ beneficiorum maximum, & eo modo, quo eximiã Dei erga nos dilectionẽ exprimat, in cibũ, scilicet, & animæ spiritualẽ refectionem, & ideò debet nos excitare ad ingentes gratiarũ actiones, & eximiã gratitudinem. Secunda est, quia huiusmodi donũ oblatum à Deo, est perfectissimũ sacrificium propitiatoriũ & eucharisticum, quo Deum peccatis offensum, nobis reddimus propitiũ, & gratias agentes offerimus Deo pro omnibus beneficiis susceptis. sic D. August. significauit lib. 1. contr. aduers. leg. & proph. c. 8. & lib. de spiritu & lit. c. 11. & ep. ad Honoratum. Tertia causa est, quia Christus instituens in vltima cœna hoc sacramẽtum & sacrificium, à gratiarum actione & benedictione incœpit, & sic panem & vinum consecrauit, vt non sit aliud Eucharistia, quàm id quod gratiarum actione & benedictione speciali Christus instituit, & perfecit: vt narrant, excepto Ioanne, reliqui Euangelistæ, & Paulus 1. ad Corinth. c. 11. & ea re Iustinus in fine secundæ apolog. pro Christianis, vocat hostiam sacram, panem eucharistizatum, aut benedictum, idest, super quo gratiæ actæ sunt. similiter vocat Irenæus lib. 4. cap. 34. Eucharistia quidem Polluci, Phauorino, Hesychio, non habet gratiæ significationem, sed vt aliæ similes voces, magnificentię potius & liberalitatis: sed illud prius ecclesiasticum est, & antiquum: vt sit Eucharistia, quasi consecratio & benedictio gratiarum actionem & recordationem acceptissimã Deo exhibens, cùm Christus eius institutor dixerit, hoc facite in meam commemorationem.

Turr. lib. 3. de dogmat. char.

Chrysost ho. 26 in Matth.

2 Dicitur etiam ex materia, sacramentũ panis, vel calicis, ex re contenta sacramentum corporis & sanguinis: ex ritu externo in eius administratione, fractio panis Act. 2. & 20. Ex vsu viaticum, quia tribuitur in subsidium his, qui hanc vitam viuunt, & in aliam transeunt: dicitur ex loco & sacrificio, cui dicatum est altare, sacramentum altaris. Græci per antomasiam vocant hoc sacramentum, mysterium, vel mysteria absolutè, vel sancta, immaculata & tremẽda mysteria: quòd sit perfectio & cõsumatio aliorum, & ideò cætera in se quodammodo cõtinens. vnde Dionysius vocat mysteria perficientissima, & diuina, & c. 2. ecclesi. hier. in sacris maximè perficiẽtem. quo autem sensu dicatur hoc sacramentum antitypõ, vel anti typa, explicabitur in respõs. ad obiect. contra realem præsentiam. de viatico præterea, & sacrificio, infrà suis locis. Dicitur ex effectu eximio arctissimæ vnionis fidelium cũ Christo & inter se, synaxis, cõmunio, vel cõmunicatio, iuxta illud 1. Cor. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Ioan. 6. Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, &, qui manducat me, ipse viuet propter me. Gręcis etiam dicitur hoc sacramẽtum participatio, vel transumptio, quia diuinitatis IESV nos reddit participes, & ad eam nos euehit. Damas. lib. 4. de fide. c. 14. vnde ab effectu sanctificationis Græci vocãt sanctitatem. Dicitur etiam ex imitatione D. Pauli eod. c. 11. cœna dominica, ex tẽpore institutionis, conuenientibus, inquit, vobis in vnum, iam nõ est dominicam cœnam manducare: reprehendit enim quędã Corinthiorũ cõuiuia, ad quę in domo Dei, & ecclesia cõueniebant, ad repræsentandũ cœnam Domini, in qua omnibus ex æquo distribuebatur cibus Eucharistiæ: illi autẽ minimè in his cõuiuiis repręsentabãt id, cuius gratia fuerãt instituta: quia, vt subiũgit apostolus, vnusquisq; suã cœnam pręsumit ad manducandũ, & alius quidẽ esurit, alius ebrius est: in cuius confirmationẽ subiũgit veram historiam & rationem cœnæ Dñi, ne ex ignoratione illius, Corinthij errarẽt. Huiusmodi cœnę videntur fuisse, quas postea

Sacramentũ panis & vini, vel corporis & sanguinis Domini.

Fractio panis, viaticum.

σύναξις communio.

Sacramentum altaris.

Damas. lib. 4. c. 41. & Dion. c. 3. de eccles. hierar.

Cœna dominica

steà agapas & charitates vocauerunt, & ster nebantur in porticibus Ecclesię adiunctis, aut locis vicinioribus, vt colligitur ex Tertu. Apologetico, ex Clemẽtis pędagogo, & in natali Fœlicis martyris idem refert Paulinus. vtitur aliquando hoc nomine cœnæ Dominicæ Ignatius, & Cypriani sermo extat de cœna Domini.

3 Hoc tamẽ nomine hac tẽpestate parce vtendũ esse videtur, quia hæretici pręsertim sacramentarij, hoc nomine libentissime vtũtur, vt inde aliquã occasionem captẽt suorum errorum: vt Lutherani, quòd cœna multorum decubitũ exigere videatur, dãnant missas priuatas, in quibus vnus tantũ communicat sacerdos, nolũt deferri ad ægrotos, volunt omnes sub vtraque specie cõmunicare, quia cœna nõ sit perfecta nisi ex cibo & potu: nolunt Christũ esse in Eucharistia, nisi cum sumitur, quia cœna sit huiusmodi actio. Sacramentarij autem nolũt Eucharistiã esse sacramentũ corporis & sanguinis Dñi, sed cœnã distingũt, vt alia sit terrena & corporea actio in sumptione panis & vini, alia sit cęlestis, qua mẽs in cęlũ rapta, Christum fide contingit. tot igitur errores cœnę nomine occultãt, cõtra quos suo loco disserendum est, interim satis fuerit admonuisse, sub hoc nomine, quo olim piè & catholicè vti licebat, latere multos errores, & ideo parcè illo vtendũ esse, ne videamur cum illis consentire. sic enim censet Ecclesia catholica, eas voces, ex quibus hæretici errandi occasiones captant, quãdiu vigent illorum hæreses omnino vitare. Sic vigente hæresi Arriana, catholici vnicum aut singularem Deũ, quasi pater tantum esset Deus, ne viderẽtur filio cum Arrianis detrahere diuinitatem, non dicebãt, vt ex patribus obseruauit D. Tho. 1. p. q. 31. art. 2. aut cũ Sabellio negare cõmunicationem naturę in pluribus personis, & earum cõfusionem inducere, quasi vnicus & singularis Deus esset non solum secundum essentiam, sed etiam secundum personã: quæ tamen locutiones, nisi esset erroris latens occasio, pium & catholicũ sensum habẽt. Hęc de nominibus huius sacramẽti.

Eucharistia est sacramentum,
4 Deinde ostẽdendũ est esse propriũ n. l. sacramentũ, ab aliis distinctũ & vnũ. sacramentũ esse sic apertè concludes: est signũ sensibile, efficax gratię sanctificantis: (cũ materia panis & vinũ, & verba formæ, sensibilia sint, & de hoc sacramento dictũ sit illud Ioan. 6. Qui mãducat me, viuet propter me, & illud 1. Cor. 10. Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?) quæ omnia fieri non possunt, nisi suscipiẽs hoc sacramentũ, sanctificetur, vt Christo vniatur:) est igitur Eucharistia sacramentũ n. l. Idẽ definitũ est in Conc. Florent. & Tridẽ. Sess. 7. de sacramentis in genere, in quibus Eucharistia vnum ex septem sacramentis n. l. numeratur, & ab omnibus etiam Patribus confirmatur, sed præsertim Dionys. c. 3. de Eccles. hier. D. Aug. epist. 23. & 118. & lib. 3. de doct. Christiana, c. 19. Greg. 1. q. 1. c. multi, consentientibus omnibus Theologis & Christianis: imo verò non habemus in hoc dissentientes hæreticos, licet in explicanda ratione sacramenti, natura, vsu & effectibus, repugnantes maximè & aduersarios habeamus.

q. 73. ar. 1.

Gui. Alan. c. 2.

Distinctũ ab aliis.
5 Sed distinctum esse sacramẽtum à reliquis, eadẽ cõcilia patres, Theologi, praxis & vsus Ecclesię catholicę apertè & studiose confirmant, quia habet specialem finẽ & effectũ, à reliquis sacramentis distinctũ, nempè gratiam reficientẽ nos, ad sustentãdam, nutriendã & conseruandam diuinã illam vitã, quam ex baptismo accepimus. Habet etiã ex materiæ & formæ legitima applicatione, corpus & sanguinem Christi substantialiter, vnde profluit gratia illa refectionis spiritualis. Vnde conuenienter Theologi hanc definitionem Eucharistiæ constituunt: Eucharistia est sacramentum corporis & sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur: & quia definitionem breuẽ & omnibus receptam esse oportet, cum sit principiũ doctrinę, non oportet alia addere, quę cum illis necessariò coniũcta sunt, vel in controuersia Theologorum posita sunt. Indicantur autẽ tria potissimũ in hoc sacramento, mors Christi pręterita. s. s. e. 1. Cor. 11. Quotiescunq; manducabitis, mortẽ Domini annuntiabitis: pręsens gratia, qua pascitur & reficitur anima, & totus homo Christo & cum mẽbris eius in vnũ corpus coagmentatur: cælestis vita, quam speramus, quatenus hęc sancta mensa pręnuntiat cœnam illam æternam, in qua apertè fruemur Deo, cui nunc occultè per hoc sacramentũ coniungimur. quãuis autẽ hęc tria hoc sacramẽto repręsentẽtur, non tamen ex omnibus vendicat sibi propriam

priam rationem sacramenti, sed ex secundo tantum: quia de ratione sacramenti est, significare gratiam vt sanctificantem suscipientes, & sacramenti nouę legis est eandē efficere: quare vt gratiā illam refectionis spiritualis Eucharistia significat & efficit, propriè & per se rationē sacramenti habet.

Eucharistia est vnum sacramētum. 3.p.q.73.ar.2

6 Vnum autem esse, licet constet ex duplici materia, duplici etiam forma & benedictione, apertè colligitur ex sancta scriptura & patribus. Dicitur enim vnum sacramētum, ex vna significatione & vno effectu, licet ad eam significationem & effectū multa conueniant, vt in omnibus sacramentis nouę legis materia, quę dicitur, & forma, & in hoc sacramento omnia quæ pertinēt ad perfectam rationem conuiuij: vt sicut conuiuiū corporale, cibus & potus, etiā in plura genera distinctus perficit, sic vnū sacramentum refectionis spiritualis, cibus & potus, sicut scriptū est Ioan.6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & 1.Cor.10. vnum effectū ex vtroq; sic exprimitur, vnus panis, vnū corpus multi sumus, omnes qui de vno calice, & de vno pane participamus. & c.11. cōiunctio vtriusq; significatur cum ait, similiter & calicē. quin etiā mortis dñicæ cōmemoratio ad vtrūq; refertur, & ideò ait, quotiescunq; māducabitis panem hūc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis. Dicitur quidem aliquando hoc sacramentū, sacramenta plurali numero, quasi plura sint, sed pluralitas nō est in ratione sacramenti, sed in materia & consecratione. sic in oratione ecclesiæ, [sacramenta, quæ sumpsimus,] & in tremenda actione [hæc sancta sacrificia.] & à Cypriano in serm. de cœna Domini [dominica sacramēta,] & ab Ambros. lib.5. de sacramentis c.1. [altaris sancta sacramenta.]

7 Sed quia in his omnibus vnitas nō sumitur ex indiuisibilitate, vt in puncto, neq; ex continuatione vt in linea, neque essentia, vt in simplicibus & compositis naturis, neque ex supposito, vt in subiecto & accidēti, sed ex perfectione & coniunctione multorum ad vnam formam, effectum & finem, vt in domo, ideò illa plura vnum constituunt sacramentū, cum vna refectio spiritualis perfectè repręsentetur cibu & potu panis & vini. Quòd si obiicias, priuātur igitur laici, sub altera tantū specie communicantes, perfecta refectione spiritualis vitæ, si refectio in vtraq; specie perfectè à Domino instituta est, cùm non sumant perfectum sacramentū? Respondeo, de hac re futuram esse propriam disputationē, interim satis est admonere, altera tantum specie huius sacramēti totum Christū contineri, & ideò perfectā refectionem spiritualē suscipienti cōferre: sed non esse in vna tantùm specie perfectā repræsentationem & significationem sacramenti: vt in altera tantū specie, sit effectus totius sacramenti, sed non perfectum & integrum sacramentum, quantum ad significationē. Itaq; laici nullo effectu sacramenti priuantur, quia efficientia perfecta ést in quauis specie separatim, licet non sit perfecta significatio sacramenti, nisi in vtraq;, & constat in sacramētis nouæ legis esse significationem & efficientiam, qua suscipiētes sanctificantur.

Cur duplex signum Eucharistia.

8 Sed quæris statim, cur hæc sacramenti significatio in duplici materia, & signo vel specie posita est à Christo Dño? Respondeo triplicem esse causam, primam ratione sacrificij, vt repræsentetur Christus quasi moriens pro nobis, cùm ex vi consecrationis, seorsum existat sanguis, & seorsum corpus Christi: alteram ex parte sacramenti, vt integra refectio indicaretur, quàm sensibiliter non perciperemus, vt oportet percipi signo sensibili sacramēti, nisi duplici signo cibi & potus: vt intelligatur prouenire non tantùm ex corpore Christi per incarnationem, sed etiam ex sanguinis effusione per mortem. Tertiam causam, ex eadem refectione per sacramentum hoc effecta, colligimus, & vnione Christi & membrorum eius. cibi enim species, corpus nostrum, vini species, animā indicat: & plena refectio est vtriusq;, quatenus nostrum corpus per hoc sacramētum reformatur ad ęternę vitæ participationem conuenienter, & similiter anima nostra. Vnde D. Tho. in officio Eucharistiæ, [quibus sub bina specie carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substātiæ, totū cibaret hominem.] præterea vinū exprimit vnionē Christi cū membris, panis membrorū inter se cū Christo. vt enim vinū expressione perficitur, sic Christus passionis torculari expressus, nobis se cōmunicat: & vt panis ex multis granis constat, sic nos vt vnū per charitatē cùm Christo colligamur, iuxta illud 1.Cor.10. Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.

Vt corporalis refectio ex cibo & potu, sic repræsentatio perfecta refectionis, in cibi & potus signo.

¶ Quæstio prima. An ratio sacramenti Eucharistiæ sit in accidentibus panis & vini post consecrationem?

In quo sit ratio sacramenti Eucharistiæ.

ORitur ex his difficilior quęstio, in quonã ex multis, quæ sunt de integritate huius sacramẽti, posita sit ratio sacramenti: cũ enim in hoc sacramento sint species panis & vini, sit cõsecratio vtriusq; materię, sit corpus & sanguis Dñi, sit sumptio & mãducatiò, & omnia hęc significent aliquid, meritò dubitatur, in quo nam ex his sit ratio sacramẽti posita, cùm illud sit sacramentum, quod significat, & vbi multa sunt, quę eandem rationem participãt, oporteat aliquid esse, cui primò cõueniat, ne sit cõfusio. Ad huius autẽ rei explicationẽ, sumenda est distinctio huius sacramẽti ab omnibus aliis, vt ratio sacramẽti illius propria inueniatur. prima autẽ & potissima distinctio est, quòd cętera sacramenta ipso vsu & applicatione suscipiẽtis perficiuntur, hoc autẽ ipsa consecratione perficitur, quã deinceps vsus & applicatio suscipiẽtis consequitur. hoc est, forma huius sacramenti ad materiã applicata, conficitur sacramentũ, non autẽ simul ad personã suscipientẽ applicata, vt in cæteris sacramentis. v. g. applicando materiã sacramenti ad personã, dicimus ad eandẽ, ego te abluo, te vngo, te signo, te absoluo, te accipio, & ideò forma in his nõ consecrat materiã, sed simul cũ materia suscipientẽ sanctificat: in hoc autẽ sacramento, forma consecrat & transmutat materiã panis & vini, & ita cõficitur Eucharistia, quę postea recipitur, & ipsa receptione suscipientẽ sanctificat.

Eucharistia distinguitur ab aliis sacramentis.

1.

2. Ex his sequitur alterũ discrimen, in aliis sacramẽtis virtute formę materia nõ immutatur, sed suscipiẽs per vtrãq; sanctificatur: in hoc autẽ sacramẽto, materia virtute formę mutatur, & trãsit in aliam substantiam, vt panis in corpus, vinũ in sanguinem Christi: deinde facta Eucharistia immutat sanctificãdo suscipientẽ.

3. Tertiũ discrimen est: in hoc sacramento materia & forma sunt causę & principia, vt fiat sacramentũ, nõ autem partes permanẽtes, in cęteris sacramẽtis, materia & forma sunt partes ex quibus fit & cõstat sacramentũ: quia in rebus fluẽtibus, quę in motu cõsistunt, eędẽ sunt causę effectionis & cõstitutionis, cũ in illis fieri & existere nõ differant: in permanentibus autẽ alia sunt effectionis principia, alia constitutionis: & quia Eucharistia fit ex materia & forma, illę nõ manent effecta Eucharistia, sed manẽt accidentia panis & vini, cõtinentia corpus & sanguinẽ Christi, & idcirco in materia & forma non manentibus, ratio sacramenti esse non potest, sed in accidentibus permanentibus, & in contentis corpore & sanguine Christi.

Alia est in Eucharistia materia, vt fiat sacramentũ, alia vt factũ sit & perfectum.

2 Sic docent omnes veteres theologi Eucharistiã constare ex permanẽtibus rebus, nõ ex materia & forma trãseuntibus. D. Ireneus lib. 4. c. 34. expressit, ex quibus principiis facta sit, & ex quibus Eucharistia constet, his verbis, qui est à terra panis percipiens vocationẽ Dei, non iam est cõmunis panis, sed Eucharistia ex duabus rebus cõstans, terrena scilicet & cælesti. Ambr. li. 4. de sacramẽtis c. 4. hoc sacramentũ esse effectũ formę, idest, ipsa cõsecratione materiæ perfici, sic explicauit, sermo Christi hoc cõficit sacramentũ. D. Aug. in lib. sent. prosperi allegatus de cõs. d. 2. sic inquit, sacrificiũ, seu sacramentũ Ecclesiæ duobus constare dicimus, visibili elementorũ specie & inuisibili Dñi nostri IESV Christi carne & sanguine. idẽ Aug. lib. 20. cont. Faustũ. c. 13. noster panis, inquit, & calix, certa consecratione fit nobis mysticus, & quod ita nõ fit, nõ est sacramentũ religionis nostrę. idẽ scribit lib. de Catech. rud. c. 26. Quartũ discrimen est, cętera sacramẽta habent vim sanctificãdi in motu positã, quia ipsa & applicatione sanctificãt & vsu tantùm, Eucharistia vero vim sanctificandi permanentẽ habet, nempè Christum ipsum, licet ipsa sumptione & vsu suscipientes sanctificet, quia est corpus & sanguis filij, iuxta illud Ioã. 6. Spiritus est, qui viuificat, caro nõ prodest quicquã. Cyprianus de cœna Dñi, hîc cibus, inquit, verus & sincerus per speciẽ & sacramentum, nos tactu sanctificat. Itaq; cętera sacramenta habent vim sanctificãdi, instrumẽtaliter permanentẽ tantũ, & existẽte ipso vsu: Eucharistia etiã extra vsum, habet eãdẽ vim & ipso vsu exercet: vt dicitur salubre medicamentũ, antequam sumptũ sanet: & æneus serpẽs in deserto Num. 21. habuit vim sanãdi, antequã aspiceretur. Aliorũ enim sacramentorũ esse, est in actu significãdi & sanctificandi, cũ suscipienti applicãtur: sed Euristia est sacramentũ, quia significat & cõtinet actu Christũ ipsum, non solũ vt habet virtutem in se sanctificãdi, sed ea de causa presentẽ, vt cõferat suscipienti gratiã. Symbola namq; nõ significant & cõtinent Christum, 4.

ſtum, ſimpliciter vt eſt in cęlo, vel vt ſit in terra, ſed vt eſt cibus & potus, ad refectionem ſpiritualem & ſanctificationẽ, ſicut expreſſit Dñs illis verbis Ioá.6. Caro mea verè eſt cibus, ſanguis meus verè eſt potus, & illis, in cœna vltima, mãducate & bibite. neque certè poteſt eſſe illuſtrior analogia inter viſibilem formã, & inuiſibilem gratiã, (in quo ratio ſacramenti cõſiſtit,) quã, quæ eſt inter ſpecies iſtas, & carnẽ Chriſti, vt cibum, & ſanguinem vt potum.

Cur Eucharistia vis ad sanctificandum est permanens.

3 Meritò autẽ diuino cõſilio factum eſt, vt hoc ſolũ ex omnibus ſacramentis haberet vim permanentẽ ſanctificandi, quia nõ tantũ eſt ſacramẽtum, ſed etiã ſacrificium: hoſtia autẽ & ſacrificium nõ poteſt eſſe niſi in rebus mutatis, ſanctificatis, oblatis, & permanentibus, vt cũ de ſacrificij ratione egerimus, conſtabit. Hinc eſt, quòd ad cętera ſacramenta populus concurrat cũ exercentur, vt ad ſigna efficacia diuinæ operationis tranſeuntis: ad hoc autem ſacramentum non ſolùm cum fit, ſed cũ factum eſt, præcipuè, vt ei debitus cultus & obſeruantia exhibeatur, quatenus reipſa Chriſtum cõtinet ad ſalutem & ſanctificationem noſtram. Eſt autem, nõ tantùm in aliis ſacramentis recepta illa diſtinctio, ſacramenti tantùm, rei tantùm, rei & ſacramenti, ſed in hoc etiam ſacramẽto valde probata, & præcedenti doctrinæ omnino congruẽs. ſacramentum tantum eſt, quòd tantum ſignificat, vt ſpecies panis & vini in hoc ſacramento. res tantũ, eſt ipſa gratia ſanctificans ſuſcipientes, quæ eſt effectus dignæ ſumptionis. res & ſacramentum eſt Chriſtus contẽtus ſub accidentibus panis & vini. vt enim eiſdem ſpeciebus ſignificatur, eſt res: vt autem ſignificat vnionem & refectionem animę ſpiritualem, eſt ſacramentum, licet non propriè, quia nõ eſt ſignum ſenſibile, quòd oſtendimus propriè eſſe ſacramentũ in generali definitione ſacramenti, ſed intelligibile per fidem, vt oſtẽdemus differẽtes de reali & ſubſtãtiali Chriſti præſentia in hoc ſacramẽto. Chriſtus igitur exiſtens in hoc ſacramento ſub accidentibus panis & vini, cõtinetur, vt cibus & potus noſter, & ideò eſt res contenta: & præterea, quia vt cibus continetur ſignificat vnionem noſtram & refectionem, quàm vt efficiat, in hoc ſacramento ſub illis accidentibus exiſtit.

In Eucharistia, sacramentum, res, sacramentũ et res, ex Vgho. de S.Vict.li.2. de sacram p.8. c.7.& Innocẽ. III.c.cũ martha de celebra. miß.& omnibus Theol.

Consecratio, aut sumptio nõ pertinent ad rationẽ sacramenti.

4 His poſitis, primò oſtendendum eſt, rationẽ ſacramenti in Euchariſtia, non conſiſtere, vel in ipſa cõfectione & cõſecratione materiæ, vel in ipſa ſumptione & mãducatione. Primò quidẽ, quia nulla actio producens rẽ permanentem, vel ipſam conſequẽs, poteſt eſſentialiter eſſe ipſa res, vt cõſtat: ſed cõſecratio producit & efficit Euchariſtiã, ſumptio vero conſequitur, multo etiam tempore interiecto, vt ex propoſita differẽtia cõſtat, & ex doctrina tranſubſtãtiationis apertius conſtabit: conſecratio igitur, aut ſumptio, non eſt Euchariſtię ſacramentũ. Secũdò, illud propriè habet rationẽ ſacramenti, cui propriè nomẽ Euchariſtiæ tribuitur: ſed nõ tribuitur cõſecrationi aut ſumptioni, ſed rei cõſecratę & ſumptę: non eſt igitur Euchariſtia conſecratio, aut ſumptio, cũ tamen Euchariſtia ſit nomẽ huius ſacramẽti propriũ. hinc Iuſtinus in fine 2.apolog. hic cibus, inquit, à nobis Euchariſtia appellatur: actio verò conſecrationis, aut ſumptionis cibus eſſe nõ poteſt. hinc illę loquẽdi formulę vſitatę à D.Hier. in cõment.3.c.ſophoniæ, & D.Ambr. in vita ſatyri, facere Euchariſtiam, portare Euchariſtiã. offerre Euchariſtiã, manducare Euchariſtiã: quãuis autẽ conſecratio efficiat Chriſtũ contineri ſub accidẽtibus panis & vini, & ideò vt cibũ ſacramentalem ſanctificantẽ, non poteſt habere rationem ſacramẽti, quia conſtaret hoc ſacramentũ ſola verborũ forma, per quã tantum ſacramentũ efficitur & cõſecratio, & nullũ haberet effectũ gratię ſanctificãtis, quia nõ applicatur ſuſcipiẽti, quòd tamen eſt de ratione ſacramẽti. in ſacramẽto verò, quòd nõ in vſu & ſumtione, ſed ipſa conſecratione perficitur, materiã & formam in ſacramenti cõfectione & cõſecratione diſtinguere oportet, nõ autẽ in re cõfecta, quia ipſa cõſecratione mutatur & non manet materia, forma vero in prolatione conſiſtens, amplius permanere non poteſt. idẽ eſt de miniſtro, qui cõſecrationis miniſter eſt primo & per ſe; deinde vſus & applicationis: & fieri poteſt, vt diſpẽſationis ſit diaconus, qui cõſecrationis nullo modo eſſe poteſt, ſed tantum ſacerdos.

5 Oſtẽdimus ſacramẽti huius rationẽ nõ eſſe, vel in conſecratione, vel in ſumptione poſitã, reliqua ſunt duo, in quorũ altero debet eſſe neceſſariò ratio ſacramẽti, cum nõ ſint plura in hoc ſacramento, quã quatuor, nẽpè in accidẽtibus, panis & vini cõtinentibus corpus & ſanguinẽ Chriſti, vel in ipſis rebus cõtentis. Sit igitur hęc certa ſentẽtia,

species siue figura panis & vini, quæ sunt accidentia, quę permanent facta consecratione, primo & per se habent rationem sacraméti in Eucharistia, hoc est, species illæ vt significant & continēt realiter Christi corpus & sanguinem, vt cibum & potū ad nutriendam & fouendam, atque etiam amplificandam vitam spiritualem, sunt sacramentum Eucharistiæ. Prima ratio ex precedentibus sic deducitur: sacramentū est signum sensibile: (quia hæc est generalis sacramenti ratio, vt de sacramentis in genere principio ostensum est:) sed species tantū panis & vini in Eucharistia sunt signa sensibilia: species igitur tantùm habent rationem sacramenti. sic videtur censere Concilium Trident. Sess. 13. cap. 3. cū ait, hoc esse commune Eucharistiæ cū cęteris sacramentis, vt sit visibilis forma inuisibilis gratię, non autem contrà inuisibilis gratia sub visibili forma. Constat autem sensibus, non esse in Eucharistia aliā formam & figuram visibilem, preter accidentia panis & vini. Quare vt est firma & cōstans argumentatio, qua ex superiori negato inferioris negatio concluditur: sic erit hæc argumentatio necessaria, corpus & sanguis Christi contenta sub accidentibus panis & vini, non sunt signa sensibilia: non sunt igitur sacramentum: & quia ostēsum est, de illis quatuor rebus quę ad Eucharistiam concurrunt, consecrationem & sumptionem, sacramenti rationem habere non posse, & de reliquis duobus, nempè accidentibus, & Christo sub illis contēto, Christum non posse habere rationem sacramenti, efficitur necessariò, solas species, & accidentia panis & vini habere rationem sacramenti. Idem concluditur ex differentia sacramentorum noue legis, à veteribus, quæ est efficacia gratiæ instrumētalis deriuata ab humanitate Christi vt diuinitatis instrumento coniuncto, vt explicauimus in doctrina de sacramentis in genere, distinguētes noua sacramenta à veteribus. Ratio est hęc, species panis & vini sunt sacramentum Eucharistiæ propriè, vt modò conclusimus, ergo sunt instrumenta gratiæ sanctificātis: alioquin non esset propriè sacramentum nouę legis, quod suscipientem instrumentaliter sanctificat. Fatemur quidem Christum his speciebus contentum, esse gratię sanctificātis principalem causam vt Deus est, & instrumentum cōiunctum esse humanitatē, sed quia in neutro est ratio sacraměti, quia neutrum est signum sensibile, ideò efficiētia instrumētalis necessariò tribuenda est speciebus, vt illis tribuitur ratio sacraměti.

6 Est hoc pretereà scripturę & veteri Ecclesię valde consentaneum, species huiusmodi operari per corpus & sanguinē Christi, sub illis contenta, eo modo, quo dixit D. August. de baptismo, aquā habere vim per verbū, idest, formam vt est altera pars sacramenti: sic enim species sacramētales, ex Christo contento, vim accipiunt sanctificandi. Sic D. Cyrillus hanc externam & sacramentalem operationem lib. 4. in Ioānem his verbis significauit, oportet terrestre hoc corpus nostrum, cognato sibi gustu & tactu, & cibo corporis Christi ad immortalitatem reduci: & Tertul. lib. de carnis resurrectione, caro, inquit, aqua abluitur vt anima emaculetur, caro vngitur vt anima cōsecretur, caro signatur, vt anima muniatur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur. Itaque vt species panis & vini significāt Christum contentum, vt habet vim reficiendi & alendi animam nostram spiritu viuifico, & ipsam gratiam qua alimur ab eo dimanantem, sic sumptæ à nobis eandem efficiunt instrumentaliter. Sed quamuis species solæ habeant rationem sacramenti, quia tamen Christum verè & substantialiter continent vt cibum nostrum, non debet ratio huiusmodi sacramentalis sic speciebus attribui, vt Christi contenti non habeatur ratio in hac consideratione. quamuis enim species tantum significent sensibiliter, significant tamen Christum ipsis contentum substantialiter.

7 Et idcircò veteres patres aliquādo vocant Eucharistię sacramentum, corpus & sanguinem Domini, aliquando dicunt constare ex terrena natura & cælesti, idest ex accidentibus panis & vini, & corpore & sanguine Christi, quæ cælestia dicuntur: quia virtute Spiritu sancti conformata in vtero virginis, & habent sibi hypostatice vnitam ipsam diuinitatem, & ideo Christus contentus speciebus dicitur cælestis. Sic Ignatius citatus à Theodoreto Dialogo 3. Eucharistias, inquit, & oblationes nō admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris: sic D. Aug. annotat. in Iob, sacramentum hoc, inquit, esse

esse panem, qui de cælo descendit, idem etiam D.August.lib.1.de pec.merit. & remiss.cap.24.hoc sacramentum rectè à punicis vocari vitam, scribit, quia est panis viuus, qui de cælo descẽdit, & dat vitam mũdo, & D.Greg.c. multi sæcularium 1.q.1. vocat etiam ex re contenta nostrum sacramẽtum, corpus & sanguinem Domini, cui consentit vsus scripturarum & patrum penè omnium, appellantium hoc mysterium carnem, corpus, sanguinem, & communiter sacramẽtum corporis & sanguinis. Vnde sunt illa sæpè repetita ab Augustino corpus existere, vel sumi sacramentaliter, & epist.23.ad Bonifacium inquit, sacramẽtum corporis Christi secundum quendam modum corpus Christi esse, nempè quia non est sub forma panis & vini Christus in propria specie, sed sacramentali. Sed ipsas species panis & vini, vt re vera sunt, ita appellauit sacramentum Cyprianus de cœna Domini his verbis, illud visibile quod est in Eucharistia, est sacramentum latentis substantiæ diuinæ. & Aug. de Catech. rud.cap.26.distinguit inter sacramentum, quod vocat signaculum visibile, & latentem diuinam substantiam in mysteriis contentam. hinc sunt illa, corpus Christi esse in sacramento, vel contineri sub sacramento.

Summa præcedentis disputationis.

8 Concludamus igitur, sacramẽti rationem speciebus panis & vini propriè competere, sed quatenus significant & continent corpus & sanguinem Christi, & ideo sacramentum vocari ipsum corpus & sanguinem, vt contentum: propriè autem signa externa significantia & continentia. & certè hoc sacramentum perficitur consecratione materiæ, vt supra ostendimus, cõsecratione autem fit, vt corpus & sanguis Christi sit, non absolutè, sed sub speciebus panis & vini, vt in doctrina de transubstantiatione explicabitur. Cui sentẽtiæ magnam lucẽ affert celebris & recepta Theologorũm distinctio, in sacramentum tantum, rem tantum, sacramentum & rem: de qua distinctione paulo ante diximus, ex qua constirit, ipsum corpus Christi appellari sacramentum impropriè, nempè vt significat fidelibus effectum huius sacramenti: & à quibusdam dicitur signũ Christi in propria specie, vt est in cælo, vel fuit in terra, vt eleganter deducit Lanfrancus ex Aug.epist.ad Bonifacium, & D.Gregorio lib.4. Dialog. asserẽs carnem carnis, & sanguinem sanguinis dici sacramentum, cõtra Berengarium.

Quæstio secunda contra Protestantes, an Eucharistia sit sacramentum?

Obiectiones hæreticorum, negantium rationem sacramenti speciebꝰ Christum continentibus, refelluntur.

1 Leuia sunt hæreticorum argumẽta, quibus hanc rationem sacramenti tollere connantur, cùm enim ostenderimus, species, corpus & sanguinem Christi continentes, habere propriè rationẽ sacramẽti, illi speciebus permanẽtibus sine substantia panis & vini, etsi contineãt verè & substantialiter corpus & sanguinem Christi, vt recta fides docet, rationem sacramẽti conuenire non posse, his argumentis cõcludunt. Primò, sacramentum Eucharistiæ repræsentat vnionem corporis mystici cũ Christo capite, vt apertè requirit D. Paulus 1.Cor.10.in hoc sacramento, cũ inquit, vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus: sed species sine substantia panis & vini hanc vnionem repræsentare nõ possunt: (quia illam repræsentat coagmentatio multorum granorũ & vuarum in vnum corpus, quę solùm reperitur in vero pane & vino, non item in speciebus:) species igitur rationem sacramenti Eucharistię habere non possunt. 1.

Secundò, in hoc sacramẽto debet esse analogia nutritionis corporalis ad spiritualem animi pastum: sed in accidentibus panis & vini, non potest esse hęc analogia ad rationem huius sacramenti necessaria, quia nõ nutriunt: accidentia igitur non habent rationem sacramenti. 2.

Tertio, sacramentum debet esse signum significans: sed species continentes Christum non significãt, cùm significatio sit rei absentis, presentẽ autem Christum contineant: ergo species non sunt sacramentum, si presentem continent Christum. confirmãt hoc modo, quia opposita simul esse non possunt: res autem significans & significata sunt opposita: non possunt ergo simul esse species significans Christum, & Christus ipse presens. 3.

Species significant vnionem corporis mystici.

2 Ad primum, neganda est assumptio, quia species panis & vini significant, & repręsentant illam vnionem, quatenus panẽ repręsentant, licet eius subsistentia non subsistat in sacramento: neque enim oportet grana aut vuas existere, vt neque in pane & vino existunt, vt repręsentetur illa

vnio

vnio & coagmentatio multorum in vnũ, presertim cum substantia per se sensibilis non sit, & ideo neque signum sacramentale, quod oportet esse sensibile: eandem igitur vim habent repræsentandi accidentia panis & vini, non existente substantia, atque existente. Ad secundum similiter neganda est assumptio: primò quidem, quia species panis & vini in hoc sacramento, etiam absente substãtia vtriusque, id prestant ad agendum & patiẽdum, quod ipsa substantia, si permaneret, vt ostenditur ex sensu & ratione, in doctrina de huiusmodi accidentibus permanentibus sine subiecto: itaque verè nutriunt & afficiunt nostrum corpus vt ipsa substantia. Secundò, non oportet sumpto hoc sacramento, veram fieri nutritionem, vt si sumatur in minima quadã particula, vt vera sit illa analogia: cum satis sit permanere accidentia panis & vini, quæ pertinent ad nutritionẽ naturaliter, vt excitata mens huiusmodi signis, colligat huiusmodi analogiam. quẽadmodũ non erat necesse, vt serpẽs æneus, ignis in rubo ardens, columna nubis, linguæ igneæ & similia mysteria haberent in se vim naturalem respondentem virtuti, quam significabant rebus illis inesse, quarum gratia instituta sunt. Vnde D. Augu st. epist. ad Ianuarium, nihil amplius requirit in sacramentis, quam similitudinem, quia vt inquit epist. 23. si sacramenta non haberent similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, propriè sacramenta non dicerentur: similitudo autem & significatio propriè est in accidentibus, quæ sensibus obiecta, non possunt nõ deducere mẽtem in cogitationem substantiæ, cuius accidentia sunt, & in effecta eiusdem substãtiæ: quare satis est, in hoc sacramento existere accidentia panis & vini, vt manere possit & comprehendi vera analogia effectuum panis & vini, cum effectibus huius sacramenti.

In speciebus retinetur analogia mutationis corporalis.

Num. 21. Exod. 3. Exod. 13. Acto. 2.

3 Ad tertium, cõstat assumptionem omnino falsam esse, non enim requirit ratio signi, vt rem absentem repræsentet, sed potius vt occultam & latentem, siue presentẽ siue absentem, vt ad rubrum ardentẽ presens erat Deus, ad columbam & linguas Spiritus sanctus, ad arcam vete. test. maiestas Domini. Denique ad confir. respondetur, opposita non esse idem & secundũ idem, in eodem tamen subiecto, non tamẽ secundum idem esse posse: presertim cum signum & res significata relatiue tantum opponãtur, ex quibus alterum, absentiam alterius non requirit.

Ratio signi nõ requirit rem, quam repræsentat, absentẽ esse

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

AD tertiũ sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentũ sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis. Sed in hoc sacramento mãducatur caro Christi, & bibitur sanguis eius. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutẽ spiritualis vitæ.

Infr. q. 80. ar. 11. & 4. dist. 9. ar. 1 q. 2. & di. 12. q. 3. ar. 2. q. 1. et Io. 6. le. 7. co. 1.

¶2. Præterea, Hoc sacramentũ est quoddam spirituale alimẽtum. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.

¶3. Præterea, Sicut baptismus est sacramentum Dominicæ passionis, sine qua non est salus: ita & Eucharistia: dicit enim Apostolus, 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo sicut baptismus est de necessitate salutis, ita etiam hoc sacramentum.

SED CONTRA est, quod August. scribit Bonifacio contra Pelagianos, Nec illud cogitetis, paruulos vitam habere nõ posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi.

Lib. 4. contra duas epis. Pela. c. 22. in med. to. 7.

RESPONDEO dicẽdum, quod in hoc sacramento duo est considerare, scilicet ipsum sacramentum & rem sacramenti. dictum est autẽ, quod res huius sacramenti est vnitas

tas

tas corporis mystici, sine qua non potest esse salus: nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiã, sicut nec in diluuio absq; arca Noë, quæ significat Ecclesiam, vt habetur 1. Pet.3. dictũ est* autem supra, quòd res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramẽti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionẽ huius sacramẽti, potest homo habere salutẽ ex voto percipiẽdi hoc sacramẽtum: sicut & ante baptismũ ex voto baptismi, vt supra dictũ est.* Est tamen differentia quantũ ad duo. Primò quidẽ, quia baptismus est principiũ spiritualis vitæ, & ianua sacramentorũ: Eucharistia verò est quasi consumatio spiritualis vitæ, & omniũ sacramentorũ finis (vt supradictũ est*) per sanctificationes enim omniũ sacramentorum, fit præparatio ad suscipiendã, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam perceptio autẽ Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam: nõ ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio & intentione. alia differentia est: quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, & sic sicut ex fide Ecclesiæ credũt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per cõsequens recipiũt rem ipsius. Sed ad baptismũ non ordinantur per aliud præcedẽs sacramentũ. Et ideo ante susceptionem baptismi, nõ habent pueri aliquo modo baptismũ in voto, sed soli adulti: vnde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.

q.68.ar.2.

q.68.ar.2.

q.65.ar.3.

Ad primvm ergo dicendum, quòd sicut Aug.* dicit, exponẽs illud verbũ Ioan. Hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ & sanguinis, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorũ, quòd est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius. Vnde sicut ipse dicit in Episto.* ad Bonifacium, Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisq; Dñi participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisq; cõsortio, etiam si antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi cõstitutus abscedat.

Trac. 26. in Ioan. to.9.

Refertur de cõsec. d.4.c. Nulli.

Ad secvndvm dicendum, quòd hæc est differẽtia inter alimẽtum corporale & spirituale, quod alimentum corporale conuertitur in substantiam eius, qui nutritur, & ideo non potest homini valere ad vitæ conseruationem alimentũ corporale, nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale conuertit hominem in seipsum, secundum illud quod Aug.* dicit in lib. Cõf. quod quasi audiuit vocem Christi dicentis sibi: Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius sacramẽti perceptione. Et ideo nõ est simile.

Li.7. confes.c. 10. à medio, to.1.

Ad tertivm dicendũ, quòd baptismus

baptiſmus eſt ſacramentum mortis & paſſionis Chriſti, prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſſionis eius, ſed Euchariſtia eſt ſacramentum paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in vnione ad Chriſtũ paſſum. Vnde ſicut baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ, ita Euchariſtia dicitur ſacramentum charitatis, quę eſt vinculum perfectionis, vt dicitur Col. 3.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur.

Infr. q. 79. ar. 2. ad. 1. Et 4. d. 8. q. 1. ar. 1. q. 3.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod inconueniẽter hoc ſacramentũ pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debẽt reſpõdere rebus. Sed hoc ſacramẽtum eſt vnum, vt dictum eſt. * Ergo non debet pluribus nominibus nominari. (ar. 2. huius q.)

¶ 2. Præterea, Species non notificatur cõuenienter per id, quod eſt cõmune toti generi. Sed Euchariſtia eſt ſacramentũ nouę legis. Omnibus autẽ ſacramẽtis cõmune eſt, quod in eis cõfertur gratia, quòd ſignificat nomen Euchariſtiæ, quod eſt idem quod bona gratia. omnia etiã ſacramenta remediũ nobis afferũt in via pręſentis vitę, quod pertinet ad rationẽ viatici. In omnibus etiã ſacramẽtis fit aliquid ſacrum, quod pertinet ad rationẽ ſacrificij. Et per omnia ſacramenta ſibi inuicẽ communicant fideles, quod ſignificat hoc nomen ſynaxis in Græco, vel communio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptantur huic ſacramento.

¶ 3. Pręterea, Hoſtia videtur eſſe idem quod ſacrificium. Sicut ergo non propriè dicitur ſacrificium, ita nec propriè dicitur hoſtia.

SED CONTRA eſt, quod vſus fidelium habet.

RESPONDEO dicendũ, quod hoc ſacramentum habet triplicem ſignificationem. Vnam quidẽ reſpectu præteriti, inquãtum, ſcilicet, eſt commemoratiuum Dominicæ paſſionis, quę fuit verum ſacrificiũ, vt ſupra dictum eſt, * & ſecundum hoc nominatur ſacrificium. (q. 48. ar. 3.) Aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet, eccleſiaſticę vnitatis, cui homines aggregantur per hoc ſacramentum. Et ſecũdum hoc nominatur communio vel ſynaxis. dicit enim Damaſ. * 4. lib. quod dicitur cõmunio, quia cõmunicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carne & deitate, & quia communicamus & vnimur ad inuicẽ per ipſam. (li. 4. ortho fid. c. 14. à medio.) Tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri, inquantum, ſcilicet, hoc ſacramentum eſt præfiguratiuũ fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et ſecundũ hoc dicitur viaticũ, quia hîc prębet nobis viã illuc perueniendi. Et ſecũdum hoc etiam dicitur Euchariſtia, ideſt, bona gratia, quia gratia Dei vita ęterna (vt dicitur Rom. 6.) vel quia realiter cõtinet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in Græco metalepſis, ideſt, aſſumptio, quia vt Damaſ. * dicit, per hoc filij deitatem aſſumimus. (li. 4. ortho. fid. c. 14.)

AD PRIMVM ergo dicendum, quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari, ſecundum diuerſas proprietates, vel effectus.

AD SECVNDVM dicendũ, quod id quod eſt cõmune omnibus ſacramentis, attribuitur antonomaſticè ei propter eius excellentiam.

AD TERTIVM dicendũ, quod hoc

hoc sacramētum dicitur sacrificiū, inquantum repræsentat ipsam passionem Christi. Dicitur autem hostia, inquantū continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, vt dicitur Ephes. 5.

ARTICVLVS V.

Vtrùm institutio huius sacramenti fuerit conueniens.

Inf. q. 74. ar. 4. co. & ad 1. & q. 80. ar. 8. ad 1. & 4. d. 8. q. 1. ar. 3. & 1. Corp. 11. le. 4. co. 4. & le. 5. col. 1. fin.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens institutio istius sacramenti. Vt enim Philosophus *dicit in 2. de generatione. Ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, vt Dionys.* dicit 2. c. eccles. hier. Ergo per baptismū etiam nutrimur. Nō ergo fuit necessarium instituere hoc sacramentum, quasi spirituale nutrimentum.

li. 2. text. 50. tom. 2.

** c. 2. eccl. hierar. par. 1. a medio.*

¶ 2. Preterea, Per hoc sacramētum homines Christo vniuntur, sicut mēbra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiā qui fuerunt ab initio mundi, vt suprà dictum est.* Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri vsque ad cœnam Domini.

** quæst. 8.*

¶ 3. Præterea, Hoc sacramentū dicitur esse memoriale Dominicę passionis secundum illud Luc. 22. Hoc facite in meā commemorationē, sed memoria est præteritorum. Ergo hoc sacramentum nō debuit institui ante Christi passionem.

¶ 4. Præterea, Per baptismū aliquis ordinatur ad Eucharistiā, quæ non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionē & resurrectionē, vt patet Matt. vlt. Ergo inconuenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

SED CONTRA est, quod hoc sacramentū est institutū à Christo, de quo dicit Mar. 7. Bene omnia fecit.

RESPONDEO dicendū, quod cōueniēter hoc sacrm institutum fuit in cœna, in qua, scilicet, Christus, vltimò, cū suis discipulis fuit cōuersatus. Primò quidē, ratione continentiæ huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramēto. Et ideo quādo ipse Christus in propria specie à discipulis discessurus erat, in sacramētali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia Imperatoris exhibetur venerāda eius imago. Vnde Euseb. Emiss. * dicit: Quia corpus assumptū ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus necesse erat, vt die cœnæ sacramentū corporis & sanguinis sui cōsecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysteriū, quod semel offerebatur in pretiū. Secūdò, quia sine fide passionis Christi nunquā potuit esse salus, secundū illud Rom. 3. Quē proposuit Deus propitiatorē per fidē in sanguine ipsius. Et ideo oportuit omni tēpore apud homines esse aliquid repręsentatiuū Dñicę passionis. Cuius in veteri quidē Testamēto pręcipuum sacramentū erat agnus Paschalis, vnde & Apstolus dicit 1. Cor. 5. Pascha nostrū immolatus est Christus. Successit autē & in nouo Testamento Eucharistiæ sacramentū, quod est rememoratiuū pręteritę passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuū futurę. Et ideo conueniens fuit, vt imminente passione, celebrato priori sacramēto, nouū sacramentū institueret. Vnde Leo* Papa dicit, quod vt vmbrę cederēt corpori, antiqua obseruantia nouo excluditur sacramento, hostia in hostiā trāsit, sanguine

Habetur de cōsec. d. 4. c. quia corpus assumptū hom. 4. in Pascha Domini, non longe à principio.

In ser. 7. de passione Dñi, inter principium & medium.

ex patribus colligemus. ad prophetiā pertinent vete. testa. testimonia, quę Eucharistiam instruendam in nouo testamento prædixerunt. huiusmodi est illud Genes. 49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum, sic Tertul. lib. 4. contra Marcionem, & Cyprian. lib. 2. epist. 3. sanguinem vuæ intelligunt, sanguinem calicis Dominici. Tertu. etiam in eandem sententiam adducit illud Hierem. 11. Mittamus lignum in panem eius. Cyprianus etiam eadem epist. de hoc sacramento prophetice dictum existimat illud Prouerb. 9. Sapientia mactauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, excelsa voce prædicans: Venite & edite de panibus meis, & bibite vinum, quod miscui vobis. D. August. illud Psal. 21. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, prędictum esse vult de mēsa Domini, vbi accipiunt corpus & sanguinem Domini. de eodem sacramento accipit illud Psal. 98. Adorate scabelum pedum eius, & D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. & ad Titulum Psalm. 33. illud, quod legitur iuxta septuaginta, ferebatur in manibus suis, D. Aug. ait de Christo tantū posse intelligi, quādo commendans corpus suum in Cœna dixit: Hoc est corpus meum.

Prophetiæ.

2 Hebrei qui Christum præcesserunt ex illo Iudicum 9. non possum deserere vinum, quod lætificat Deū & homines, colligebant sacramentum in vino futurum: & totum Psalm. 72. ad Messiam referentes, vbi nos legimus, Erit firmamentum in terra in summis mōtium, illi vel legentes ad Hieronymi interpretationem accommodatè, erit memorabile triticum in terra in capite montium, vel ad recentiorum interpretationem, placenta frumenti erit in cacumine montium, ad prædictionem huius sacramenti referebant: quibus consentit Chaldaica translatio referente Paulo Burgen. cum ait, erit placenta frumenti in capitibus sacerdotum. rectè igitur inquit D. Ambros. in Psalm. 38. eorum, quæ hoc sacramento celebrantur, vetustissimam prędictionem fuisse in sermonibus prophetarum. Dicitur etiam hoc sacramentū conuiuium pinguiū, Esai. 25. ex Guitmūdo lib. 1. dicitur Malach. 1. Oblatio munda, quæ omni loco offertur, & à patribus intelligitur de hoc sacramento, vt sacrificium est. Hier. Theo. Iren. lib. 4. c. 32. Iustinus cōtra Iud. Cypr. lib. 1. cōtra eosdem, c. 16. Euseb. lib. 1. de dem. c. 6. Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 35. & lib. 19. c. 23. lib. cōtra aduer. leg. & Proph. c. 20. & 22. Chryso. oratione 2. contra Iud. tom. 5. Damasc. lib. 4. cap. 14. D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. citantur etiam Rabbini in eandem sententiam, qui Christum pręcesserunt, Moyses Hadarsan. Psal. 136. Cahana, Gen. 49. Iudas num. 28. Simeon lib. de inuestig. sacramentorum. Bezachias in Ecclesiasten, Ionathas lib. collectionū, Abraham, Psalm. 130. hactenus de prophetiis.

3 De ceremoniis statis, solennibusque actionibus, adumbrātibus hoc sacramentum apertius dissereturs, si in Eucharistia rationem sacrificij & sacramenti distinxerimus: quędam enim sunt figurę & vmbrę vt sacrificij, quædam vt sacramenti. Nullū autem fuit ab orbe condito sacrificiū placens Deo, quod nostrum non pręfigurauerit, vt veritatem & complementum, vt inquit D. Aug. lib. 1. contra aduers. leg. & prophet. cap. 18. & D. Leo in serm. de passione Domini, & expressit Ecclesia in secreta oratione Dominicæ septimæ post Pentecostem his verbis: Deus qui legalium omnium hostiarum differentias, in vnius sacrificij perfectione sanxisti. Sic ante legem Abelis sacrificium & sanguis, nostrum sacrificium pręfigurauit, vnde elegantissime D. August. lib. 12. cōtra Faust. cap. 10. sicut inquit, vox sanguinis olim clamauit de terra, sic nunc habet magnam vocem Christi sanguis, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, amen. Quæ responsio fuit olim solennis accipientium sacrā Eucharistiam. idem docet D. Ambros. de incarnat. Dominicę sacramento, cap. 1. Idē vniuersaliter de aliis sacrificiis, quę Deo ante legem placuerunt, sentiendum est: cum enim omnia præfigurarent Christum, per quē solùm placere poterant Deo, & Christus hoc sacramento verè contineatur, pręfigurabant etiam hoc sacramentum, sed sub ratione sacrificij, quatenus Christum morientem pro peccatis nostris adumbrabāt. Christus autē licet verè in Cruce mortuus sit, tamē in cœna vltima hoc sacramētum instituens, seipsum in mortē obtulit, & cū in hoc sacramento offertur incruentè, tamē per modū morientis offertur, quatenus idem, qui cruce seipsum obtulit, repræsentato seorsum sanguine immolatur & sumitur. In lege autē omnis sacrificiorū ratio

Figuræ vt sacrificij.

Ex his fuit sacrificium expiationis solennissimū. 1. 2. q. 101 ar. 4. ad 10. & num. 29.

Vide 3. p. q. 47 art. 2. ad 1. & Aug. cōtra aduers. leg. & prophet. c. 20.

ratio diuisa est in holocaustũ, victimam & hostiam pacificã, quæ omnia in sacrificio Eucharistiæ præcipuè & perfectè reperiũtur, vt constabit, cum de hac tota ratione sacrificij exactius disseruerimus.

Figuræ vt sacramenti.

4 Eucharistiæ vt sacramenti, figuræ distinguendę sunt. quędam enim ad materiã & species, quædam ad corpus contentum, quędam ad gratiam, quam effecit in dignè sumentibus, pertinẽt. Primùm igitur, quoad materiã & species panis variè præfiguratũ fuit hoc sacramentũ in sex generibus panũ. panibus propositionis Exod. 40. Nõ solũ propter sacrã & perpetuã in altari custodiã, sed propter singularẽ sanctitatem, quam requirebant in comedentibus, sic Damasc.lib.4.de fide.c.14. Secundò, propter excellentiam, præfiguratum est hoc sacramentum panibus primitiarũ, Leuit. 23. quod intuens Irenæus, lib.4.c.32. appellat hæc alimenta sancta, primitias diuinorum munerum in nouo testamento. Tertiò, quantum ad efficaciam sustentationis, & vt est viaticum peregrinationis, qua in cælum tendimus, significatur idem sacramentum in pane Heliæ.3.Reg.19. in cuius fortitudine ambulauit propheta quadraginta dies in montem Dei Oreb. Quartò, propter summam vim, quam habet ad arcendos hostes nostri spiritus, significatur Iud.7. pane, quem vidit Gedeon impetu euertentem castra Madian. Idem etiam volunt pręsignificatum in subcineritiis panibus ex tribus purissimæ similæ satis confectis, & angelis ab Abrahamo propositis. Vltimò, quia hoc nostrum sacramentum paratur ad gratiarum actionem, oblationem, manducationem & in omne officiũ religionis, exactissimè significatur in pane & vino Melchisedec. Genes.14. Vnde D. Ambro.lib.4.de sacram.c.3. Melchisedec, inquit, primus autor horum sacramentorum. Nec ab aliquo Patrum hæc sententia ferè prætermissa est, vt cõstat ex Arnobio. in Psal.109. ex Cyprian.lib.2.epist.3.ad Cæcilium, D.Hieron.ep.ad Euagrium, Chrysost.hom.35 in Genes. Damas.lib. 4. c. 14.

Gen.18.

5 Fuerunt alia, quæ Christum in hoc sacramento latẽtem, immolatum & ad escã paratum pręfigurarũt, quod omnium amplissimè præstitit agnus ille masculus, anniculus, tenerrimus, immaculatus, è reliquo grege ad Pascha selectus, in vna domo, quartadecima luna, coniunctus cum pane azimo, sine ossiũ comminutione integer comedendus. præcipua enim illius agni religio fuit in modo, non tantùm immolandi, sed multo magis comedẽdi, s.s.e. de illo, Mar.14. Vbi est refectio mea? vbi Pascha cum discipulis meis manducem. & Luc.22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Hinc est quod Christus à Cœna veteris agni, in cœnam noui testamenti transiuit, admonens se postremũ comedere & bibere de veteri paschate & poculo, & statuere de illo implendo, & nouo modo comedendo in regno Dei. Hinc etiam D. Paulus 1.Cor.5. appellat Christum Pascha nostrũ, non tam ad occisionem alludẽs, quã significabatur immolatus in Cruce, quã ad epulum in azimis veritatis, quomodo significabatur veteri Paschate; vt in sacramento omnes etiam Patres consentiunt, & Euangelistæ testantur, typicum agnum prius fuisse manducatũ, deinde instituto hoc sacramẽto, fuisse impletum. Sic Chrysosto. hom.de proditione Iudæ, Tertul.lib.4.cõtra Marcionem, Isychius in 23. Leuit. Paschasius lib.de corpore & sanguine Domini, D.Leo.ser. 7.de Pass. D. August. lib.2. contra Petil.cap.37. & Epist. 86. ad Casulanum, Origenes ad illud, proximum erat Pascha Iudæorum. D.Cregor.homil.22.in Euangel.

6 Aliæ fuerunt figuræ, quæ vel mirabiles huius sacramenti effectus, vel singularẽ rationem existentiæ, vel varia circa ipsam miracula præfigurarunt. Ex his est manna de cælo, panis angelorum dictũ Psal.77. representabat autem nostrum sacramentum in præparatione seu cõfectione, quatenus de cælo venit, & verbo Dei formatũ est, cum de eo scriptũ sit Deu.8. Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei. Erat etiam simile nostrę Eucharistiæ in colligẽdo & sumẽdo, quatenus neque, qui pluscollegerat amplius habebat, neque, qui minus parauerat, minus reperiebat, Exod. 16. Habebat etiam gustum similæ & mellis dulcissimi, & tamen ita varium, vt cuiusque appetitui, & volũtati satisfaceret. Hinc est quod Christus Dominus Ioan.6 Confert hoc sacramẽtũ cum manna, cũ ait, Patres vestri manducauerunt mãna, & mortui sunt, qui manducat hunc panẽ viuet in æternũ. Paulus etiã, 1.Cor.10. Non tantũ manna Patrũ,

sed etiam aquã ex petra fluentẽ, Exod. 17. ad Christi manducationẽ & potũ in hoc sacramẽto pertinuisse, apertè docet: cum ait, omnes hanc escã spiritualem manducauerunt, & omnes eundẽ potum spiritualẽ biberunt. de qua re multa D. Ambr. in Psal. 38. lib. 5. de sacr. c. 1. lib. de iis, qui mysteriis initiantur c. 8. & 9. Aug. tract. 11. in Ioan. explicat, quòd sit mãna Christianorũ. Rectè autẽ obseruauit Ruper. lib. 9. de gloria & honore filij hominis, in manna & aqua de petra fluente, etiã prefiguratas fuisse dubitationes & hereses futuras de hoc sacramẽto, quatenus etiam cõtigerunt circa illa irrisiones, & persimiles dubitationes. Mirati Iudæi cũ quodã fastidio dicebant. Quid est hoc? alij excitabant sibi nauseam de cibo leuissimo. Alij tentauerunt Deũ in cordibus suis dicentes, Psal. 77. Nunquid panẽ poterit dare, aut parare mensam populo suo? tanta deniq; fuit omnium præuaricatio ferè, vt memorabili appellatione dicta sit aqua contradictionis. Ex hac perfidia, magna hominũ strages facta est à Deo, quę omnia si conferantur cũ seditionibus, quas Sacramentarij excitauerunt, valde consentire intelligemus.

Exod. 16. Num. 11. & 21.

7 Alię sunt figurę, quãuis non vt priores celebres & illustres, à grauissimis tamẽ scriptoribus adductæ. Rabanus, c. 16. de Euchar. vasculũ farinę nõ deficiens. 3. Reg. 17 vult esse figurã nostri sacramẽti incõsumtibilis, quod, licet omniũ sit esca, nunquã tamen imminuitur, vt inquit Cypr. de cœna Dñi. Paschasius etiã ante 800. annos asseruit lib. de corpore & sang. Dñi, lignũ vitæ in paradyso constitutũ, fuisse sacramẽtũ & figurã nostrę Eucharistię, idest, Christi prębentis vim vitalem, ex carne sua mãducata, qua animę & corpora nostra à morte & tabe peccati reuiuiscant. Aug. autem lib. 13. de Ciuit. c. 20. asseruit, idẽ lignũ esse sacramentũ Christi, & in lib. Prouerb. c. 3. idẽ scriptũ est. Addit Rupertus comestioni vetiti pomi, notatũ fuisse iam tum à Deo consentaneum remedium in hoc cibo cœlesti. hæc sunt vetera & magna: sed hoc multò maius est, ipsum sanguinem de latere Christi dormiẽtis in Cruce fluentẽ, fuisse typũ & testimoniũ sanctissimæ Eucharistiæ, sicut aqua inde etiã fluens, vel permistionem calicis vel baptismũ designat. quod enim D. Aug. tracta. 5. in Ioan. & in cõment. Psal. 138. inquit sacramenta fluxisse de latere Christi dormiẽtis in Cruce, illud imprimis significat, duo illa pręcipua religionis nostrę mysteria, ad mortẽ Dñi magis pertinentia, indicata esse, tanquam quæ æternam vim habitura essent à passione seruatoris; & vt intelligamus inquit Cypria. ep. ad Cæcilium: nos non bibere sanguinẽ nisi calcatum & expressum de latere Christi. Hactenus de figuris.

8 Pręcessit postremò Eucharistiæ institutionẽ promissio, non quidẽ in vet. testamẽto tantũ, in quo omnia Christi mysteria promissa sunt, sed in nouo etiã facta à Christo, cũ exhortatione ac pręparatione ad tantũ sacramentum suscipiẽdum. solebat autẽ Dñs, maiora & creditu difficiliora mysteria pręd icere & promittere. sic toties pręd icit mortẽ & resurrectionẽ, promittit Spiritũ sanctũ; idẽ igitur in hoc sacramento contigit, cũ Ioa. 6. inquit, Panis, quẽ ego dabo, caro mea est, quã ego dabo pro mũdi vita. & multis verbis discipulorũ animos pręparauit, vt in vltima cœna crederent, hoc esse corpus suũ, quod panis esse videbatur. Quãuis autẽ ad illũ sermonẽ de carnis suæ manducatione, Ioan. 6. infirmi & increduli retrorsum abierint: Petrus tamen & collegæ hac diuina doctrina confirmati sincere confitẽtur, Christũ habere verba vitę, & permanent, vsque ad institutionem & participationẽ eiusdẽ sacramenti. Hęc dicta sint de pręparationibus institutionẽ Eucharistiæ antecedentibus.

9 Causę eiusdẽ institutionis deinceps explicandę sunt, vt summa Dei sapientia, qua instituit, quę magis ad nostrã salutem cõducerent, illustretur & manifestetur. Prima causa est, vt esset nobis cõtra peccatũ excellens quoddã & singulare remedium, vt sicut pręuaricante gustu primi parentis commissum est, sic salutari manducatione corporis Dñi, resarciri posset, & vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & sicut dictũ est Genes. 2. Quacunq; die cõmederis morte morieris, sic de Eucharistia dicitur Ioan 6. Qui mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Altera causa est, vt esset fideliũ inter ipsos & cũ Christo summa & arctissima quędã vnio, qua anima & corpus nostrũ ad immortalẽ vitam viuificarẽtur; vt constabit exactius, cũ de reali & substãtiali Christi pręsentia in hoc sacramẽto egerimus, cõfirmantes eam ex huiusmodi vnione: modò satis sit ad hãc rẽ insinuandam ad-

Causę institutionis Eucharistiæ.

Innocent. III. lib. 4. de mysterio altaris, ca. 44.

Tres illæ causæ præcipuè considerentur: passionis & beneficiorum Christi repræsentatio, præsertim vt est sacrificium: vnio fidelium arctissima cũ Christo: refectio spiritualis ad vitæ huius ærũnas alacriter perferendas.

dam adnotare cũ D.Cyrillo lib. 11.in Ioã. hac sola via inuentũ esse modum, quo qui mãducat Christũ, viuat propter eum, quomodo ipse Christus viuit propter Patrem: cuius vnionis signũ est, quod Eucharistia ex omnibus sacramentis sola intra viscera reconditur, cætera sacramenta exterius ad ministrãtur. Tertia causa, est cõmendatio diuinę charitatis, quæ dicitur nimia, hoc est, excellens, qua sic dilexit mũdum, vt filium suum vnigenitũ daret, non solum in mortẽ, sed etiã, quod est Chrisostomo mirabilius, in cibum. Sic enim inquit, homil. 24.1.Cor. Iob vt seruorum amorem in se ostẽderet, dicebat, eos nimia in se dilectione dixisse, quis det de carnibus eius, vt saturemur? quod Christus fecit, non se tantũ videri permittens, sed & tangi, sed & dentes carni suæ infigi, & desi derio sui omnes impleri. De eadem incredibili dilectione, qua Christus suos pascẽs carne & sanguine suo, omnibus parentibus & pastoribus antecellit, suauissime disserit Chrys. hom. 55.& 60.ad popul. Antioch. & hom.45. in Ioan. ob eandẽ causam vocatur ab Augu. Eucharistia sacramentũ pacis & charitatis, tract. 26.in Ioan.

10 Quarta causa est, vt sit pignus permanens, & memoriale omnis amoris diuini, & omnium mysteriorũ, quę Christus in carne perfecit, vt verè dicatur, quòd fecit Dñs hanc escã, memoriã mirabiliũ suorum, vt dũ abest in propria specie, eo frui possim⁹: quod innuit Chrysost. cũ eam comparat pallio Heliæ, hom.2.ad popul. Antioch. & Euseb. Emis. hom.5.in Pascha. Quinta causa est, vt habeat Ecclesia catholica Dei permanens aliquod miraculũ & quotidianũ, in quo omnia nostrę religionis dogmata perspiciamus, & cõtra hæreticos defendamus. Sic Chryso. hom.83.in Matth. euincendã esse, inquit, hæresim Manichæorũ, Valentinianorũ, & Marcionitarũ, qui omnes siue verã mortẽ, siue verã carnem, siue reliquã vitę dispẽsationẽ negent, hoc sacramento refutantur. Negantes etiã carnis resurrectionẽ, Irenę⁹ lib.4.c.35. ex hoc sacramento redarguit, dicens, aut sententiã mutent, aut abstineãt ab Eucharistia. Et Ignatius citatus à Theodoreto ep. ad Smyrnenses Dialog.3. quoniã cõmunicat nobis vim resurgendi ad vitam immortalem Cyrillus etiã ex veritate Eucharistię & reali etiã coniunctione Christi per eã sumptã à nobis, refellit Arrianos lib. 11. in Ioan. Sexta causa est, vt sit in hoc sacramẽto mysteriũ ad probationem fidei nostrę, non infidelibus, qui ex visibilibus miraculis ad inuisibiliũ fidem perducuntur, sed fidelibus, qui per hoc sacramentũ continuò in merito fidei de sua religione exerceantur; cũ habeant sibi quotidie propositã in altari Eucharistiã, circa quam sensus & ratio certãt contra obedientiã, quã fidei & verbo Dei debemus, cum non sit aliud miraculũ huic simile nisi in ipso Christo per incarnationẽ: hæc enim sensu nunquã percipi potuit, sicuti neque Christus in sacra Eucharistia, vt eleganter prosequitur Algerus, lib.2. cõtra Berẽgar. c.3. vt quod dictum est à Dño de seipso propter incarnationẽ: beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, idẽ verè dici possit de hoc sacramento. Septima causa, est humilitatis cõmendatio, quę maximè fuit accõmodata ad medendum nostræ superbiæ. Hęc enim humilitas ipsa incarnatione & crucifixione commendatur: sed illa fuit profundissima, quando creaturarum speciebus inseparabiliter se coniunxit, nõ dedignatus se comedi & deglutiri: de cuius rei consideratione eleganter disserit D. Aug. Conc.1.in Psal. 33. nos autem ex hoc discamus humilitatẽ, dum ad has infimas panis & vini species latentem diuinitatem adorare tenemur. qua enim ratione superbia sanari potuit, si hac filij Dei humilitate sanari non potest? Hæc de causis institutionis.

11 Nunc de ipsa Eucharistiæ institutione dicẽdum est. est autẽ institutio nihil aliud, quã materię certæ designatę, & conceptæ verborum formæ, vim tribuere sanctificãdi per signum sensibile & vsum eiusdem. omnia verò sacramenta à Christo immediate fuisse instituta, in doctrina de sacramẽtis in genere ostendimus, & definitum est in Conc. Trid. sess.7.can.1. de sacramentis in genere: sed Eucharistiam à Dño institutã, cum euangelia apertissimè testẽtur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. & Paulus, 1. Cor.10. admonens se ita accepisse à Dño, nullus est, qui dissentiat: presertim cũ abrogatio veteris testamenti, & noui constitutio, quæ in hoc sacramento facta est, propria sit Christi autoris noui testamenti & sanguine suo conditoris, quia lex per Moysen, gratia & veritas per IESVM Christum facta est. Ex pręcedenti etiã institutionis sacramen-

Institutio Eucharistiæ. 3. p. q.73.ar.5.

De tempore huius institutionis infra in disputatione de pane azimo.

cramentorũ definitione, apertè confirmatur, quia materiã Christus præscripsit panẽ & vinũ, formam designauit, cũ eadẽ consecrauit subiectã materiã: vis sanctificãdi expressa est Ioan. 6. illis verbis: Qui mãducat hunc panẽ, viuet in æternũ: autoritas autẽ & potestas data est Ecclesię ad cõficiendũ hoc sacramentũ, illis verbis, [hoc facite.] nullo igitur modo dubitari potest Christũ fuisse autorẽ & institutorẽ huius sacramenti. Res autã gesta colligitur ex eisdẽ Euãg. Paulo & sacro canone: ab his omnibus narratur, Christũ Dñm accepisse gratias agẽs panẽ, benedixisse, fregisse, dedisse, illis verbis prolatis, [hoc est corpus meũ:] & ita dedisse similiter vinum, pręcedẽte illa benedictione, & prolatis illis verbis similiter: hic est calix sanguinis mei, hoc factũ pręcepto Apostolis pręsentibus cõmendasse, etiã scriptũ est ab eisdem, cũ dixit: [Hoc facite in meam cõmemorationẽ], atq; panẽ hoc modo & pręcepto, similiter & vinum, ad perpetuã huius sacramẽti confectionẽ dedicauisse, vt ab omnib⁹ Patribus deinceps in Ecclesia catholica semper explicatum est, & repetitum à Conc. Tridẽt. Sess. 13. c. 2. legendus est Irænęus lib. 4. c. 32. & Cypria. lib. 2. epist. 3.

Institutionem huius sacramẽti circunstãtia:

12 Circunstantię etiã huius institutionis, quia valdè exprimunt huius sacramenti dignitatẽ, cõsiderãdę à nobis sunt. Primo igitur cõsiderabis animum & intimũ affectũ Christi, quo parturiẽs illud, quod prophetarũ & figurarũ antecedentiũ oraculis pręnuntiabatur, tantopere gestiret ad veteris testamẽti impletionẽ, & noui designationẽ, hoc sacramentũ & sacrificium instituere. Hunc affectũ illa verba exprimũt Luc. 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ, antequã patiar. Neq; enim tã vehementer cõcupiuit carnem agni legalis, vt obseruauit Tertu. lib. 2. cõtra Marcionem, quã suũ Pascha, expleto priori, cõsummare. Propterea agni Paschalis tã accuratè fit mentio ab Euãgelistis, quoniã illius impletionẽ secuta est noui sacrificij & fœderis institutio. Magnũ igitur & excellens beneficiũ esse oportuit in hoc sacramẽto, cuius institutionem Christus tãtopere expetiuerat. Secundò, cõsiderabis etiã quem affectum gesserit Christus erga suos in eadem institutione: hunc enim significauit Ioãnes, c. 13. dicens: Sciens IESVS, quia venit hora eius, vt trãseat de hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erãt in mũdo, in finem dilexit eos, &c. Significãs proculdubio, vt inquit Conc. Trid. Sess. 13. c. 2. in hoc sacramento effudisse Dñm diuitias diuini sui erga homines amoris, memoriã faciens mirabilium suorum. Tertiò, ad magnitudinem rei efficiẽdę exprimendã, suã autoritatem & potestatem demõstrat. Sic enim scriptum est eod. c. 13. Sciens quod omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Similiter declarauit suã potestatẽ instituturus, vel promulgaturus baptismum, Matth. vlt. his verbis: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. & in institutione sacramenti pœnitentiæ, docet se à Patre missum esse, & eius rei facultatẽ accepisse, Ioã. 20. his verbis: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: & cum hoc dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Quartò ad pręstantiã sacramenti instituti, pertinẽt cęremoniæ plures & insolitæ adhibitæ in ipso opere, suspexit in cælum, singulares Patri gratias egit, lauit pedes discipulorũ, quibus docuit humilitatem, charitatem, mundiciem futuro sacramento, quod meditabatur, accommodatam.

13 Quintò, vim & dignitatem sacramẽti declarat diuina illa oratio, quã habuit Dñs Ioan. 13. & sequẽtibus capitibus, aut in ipsa cœna, aut certè perfecta cœna, ex occasione inchoati noui testamenti in sacramenti huius institutione. ad hoc pertinent illa: Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt: & nunc clarificatus est filius hominis: &, Pater venit hora, clarifica filium tuum: &, ego pro ipsis sanctifico meipsum. Sãctificari enim dicuntur ea, quę offeruntur, & ideo hæc sanctificatio ad oblationẽ cœnæ pertinet. Ex quibus cõstat, quã sit hoc intimũ Christianę religionis mysterium, cũ, eo cœpto, totus iã erat Christus in ipsa mortis meditatione, licet ante mortem, & in ipso prius dedicauit nouũ testamentum in sanguine suo, quàm sanguis ipse funderetur: & idcircò iam cõmemorat de regno, iam dicit se non esse de hoc mũdo, & iam ferè omnia cõsummari. Sextò, ipsum tempus reddit sacramentum institutum illustrius. Tempus enim erat vltimum vitæ Christi, vt esset instar testamẽti, vltimum ferè ex suis operibus, quo tenacius mentibus fidelium infi-

geretur,& vehementius commendaretur mysterij altitudo,inquit D. August. epist. ad Ianuarium.Si vero tempus anni & festiuitatis expectes, erat prima dies azymorum feria quinta, decimaquarta luna, ad vesperam,vt actio sacra & noua omnino immolationi & mãducationi agni Paschalis responderet. quod si spectes opportunitatem rei gerendæ, videbis hoc insigne opus peregisse Dominum, post inchoatã passionem, quasi in tertio ordine eorum, quæ facta notantur circa mortem Christi. passio enim Christi quibusdam veluti gradibus peracta est,in primo fuit traditio,in secundo venditio,in tertio sacramenti institutio & dispensatio,vt inquit D. Tho.3. p.q.85.art.5.ad 3.hanc opportunitatem tẽporis significauit Dominus, Matth. 26.illis verbis,tempus meum propè est, apud te facio pascha.

14 Septimò,ad locum sacramenti instituti pertinet electa ciuitas Hierosolymorum; vnde Dominus ite in ciuitatẽ, Matt. 26.domus & hospes, hunc enim fidelem esse oportuit,& taciturnum,&fortassis nõ ignarum diuini consilij, vt videntur illa verba innuere,quibus per discipulos eum Dominus admonet,tempus suum propè esse.Nisi fortè dicamus,in hunc hominem & domum eius vsum Dominũ sua potestate, vt inclinaret eius animum ad facienda,quæ Dominus vellet;quemadmodum paulò ante fuerat vsus in abducendo asino ad Dominicum vsum,Matt.21.ciuitas princeps,in qua templum, & sacrificia, nouo sacrificio instituendo fuit valdè accõmodata:in domo etiam fuit cœnaculum grande,stratum Luc.22.ad secretam illam institutionem,mysteria,&sermonem habitum valde congruentia, vt latissimè explicat Origen.hom.35.in Matth. Octauo & vltimo,mysterij magnitudinem declarãt adhibiti testes,Apostoli tãtum,neque mater ipsa aut alij fideles admissi, quia suprema noui cultus instituendi administratio & dispensatio,ad eos tantum deinceps pertinere debebat.an verò Iudas mysteriorum institutioni presens fuerit,in doctrina de vsu sacramenti per Christum,commodiùs disseremus.

QVÆSTIO LXXIIII.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de materia huius sacramenti.Et primò, de specie materiæ:secundò,de conuersione panis & vini in corpus Christi: tertiò de modo existendi corpus Christi in hoc sacramento:quartò,de accidẽtibus panis & vini, quæ in hoc sacramẽto remanẽt.

¶Circa primum quæruntur octo.

Primò,vtrum panis & vinum sint materia huius sacramenti.

Secundò,vtrum ad materiã huius sacramẽti,requiratur determinata quãtitas.

Tertiò,vtrum materia huius sacramenti sit panis triticeus.

Quartò,vtrum sit panis azymus,vel fermentatus.

Quintò,vtrum materia huius sacramenti sit vinum de vite.

Sextò,vtrum sit admiscenda aqua.

Septimò,vtrum aqua sit de necessitate huius sacramenti.

Octauò,de quantitate aquæ,quæ apponitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia huius sacramenti sit panis & vinum.

AD primũ sic proceditur. Videtur,quòd materia huius sacramenti non sit panis& vinũ.Hoc enim sacramentũ perfectius debet repræsentare passionem Christi, quàm sacramẽta veteris legis. Sed carnes animalium,quæ erant materiæ sacramentorum veteris legis, expressius repræsentant passionẽ Christi,quàm panis & vinum. Ergo materia huius sacramenti magis debet esse carnes animalium, quàm panis & vinum. *4.dist.11.q.2. ar.1.q.1.& 2. & 4.contrà.c. 61. & 68. 1. cor,11.le.5.co. 2.& 3.*

¶2.Preterea,Hoc Sacramentũ est vbique celebrãdum. Sed in mul

tis terris non inuenitur panis triticeus, & in aliquibus non inuenitur vinum: ergo panis & vinum nō sunt cōueniēs materia huius sacramēti.

¶3. Prætereà, Hoc sacramentū competit sanis & infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum nō debeat esse materia huius sacramenti.

Sed contra est, quod Alex. † Papa dicit, In sacramentorū oblationibus panis tantum & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

Alex.I. in ep. ad omnes orth. à med. Illius, to.1.Conc.

Respondeo dicēdum, quòd circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter errauerunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (vt August. dicit in lib. de hęresibus) offerunt panem & caseū in hoc sacramento, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terrę & ouium fuisse celebratas. Alij verò, scilicet Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suā conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Quidā verò, qui dicūtur, Aquarij, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt. Omnes autem hi errores, & similes excludūtur, per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis & vini instituit, vt patet Matt. 26. Vnde panis & vinum sunt materia conueniēs huiusmodi sacramēti. Et hoc rationabiliter. Primò quidem, quantum ad vsum huius sacramenti, qui est mādúcatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis & vinum, quibus cōmunius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad vsum spiritualis manducationis. Secundò, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est à corpore separatus. Et ideo in hoc sacramēto, quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur panis vt sacramentum corporis, & vinum vt sacramentū sanguinis. Tertiò, quantum ad effectū consideratum in vnoquoque sumentium, quia vt Ambr. † dicit super Epist. ad Cor. hoc sacramentū valet ad tuitionem animæ & corporis, Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur Leui. 17. quod anima carnis in sanguine est. Quartò, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex diuersis granis, & vinum fluit ex diuersis vuis, vt dicit † glo. super illud 1. Cor. 10. Multi vnum corpus sumus, &c.

Lib. de hæres. c.28. tom. 6.

1. ad Cor. 11 super illud hoc poculum nouum testamentū est tom.5.

Id habet Beda in hunc locum ex Aug. ex serm. 2. Paschs. tom.3.

Ad primvm ergo dicendum, quod licet carnes animalium occisorū expressius representent Christi passionem: tamen minus competunt ad communem vsum huius sacramenti, & ad Ecclesiasticam vnitatem significandam.

Ad secvndvm dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum: tamē de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius sacramenti. Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum sacramentum.

Ad tertivm dicendum, quod vi-

vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum ægrotanti nocere. Et tamen si nocumentũ timeatur, non est necesse quod omnes accipiẽtes corpus Christi etiã accipiant sanguinem, vt infrà dicetur.†

Q.80.art.12.

ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti.

4.di.1.q.2.ar.1.q.3.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quãtitas panis & vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quã effectus naturæ. Sed sicut dicitur* in secundo de anima, omnium natura constantium, positus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Ergo multò magis in hoc sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est, bona gratia) requiritur determinata quantitas panis & vini.

Lib.2. de anima.tex.41.to.2.

¶ 2. Præterea, Ministris Ecclesiæ non est à Christo data potestas ad ea, quæ pertinent ad irrisionem fidei & sacramentorum eius, secundum illud 2.Corint.10. Secundum potestatem quã dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionẽ sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, & totũ vinũ, quod est in cellario. Ergo hoc facere nõ potest.

¶ 3. Pręterea, Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formã baptismi: sed solum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramento superflua quãtitas panis, & vini consecrari potest.

SED CONTRA est, quod multum opponitur pauco, & magnum paruo. Sed nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit cõsecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

RESPONDEO dicẽdum, quod quidam dixerũt quod sacerdos nõ posset consecrare immensam quãtitatem panis aut vini, puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serrę est ferrũ, vt sit apta sectioni. Finis autẽ huius sacramenti est vsus fidelium. Vnde oportet quòd quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per cõparationẽ ad vsum fidelium. Non autẽ potest esse quòd determinetur per cõparationẽ ad vsum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens, nõ posset cõsecrare multas hostias. Vnde relinquitur, quod materia huius sacramenti determinetur per cõparationem ad vsum fidelium absolutè. Numerus autem fideliũ est indeterminatus. Vnde non potest dici, quod quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fideliũ, ad quorũ vsum ordinatur hoc sacramentum non est determinatus. Vnde non est simile.

AD SECVNDVM dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesię ad duo ordinatur. Primò quidẽ ad effectũ propriũ. Secũdò, ad

 finem

finem effectus. secundũ autem non tollit primum. Vnde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malũ finem (puta vt irrideat, vel veneficia faciat) propter intẽtionem mali finis peccat, nihilominus tamẽ propter potestatem sibi datã perficit sacramentũ.

Ad tertium dicẽdum, quòd baptismi sacramentum perficitur in vsu materiæ, & ideo per formã baptismi non plus de aqua sanctificatur, quam quantũ venit in vsum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur ad materiam huius sacramenti, quod sit panis triticeus.

4. di. 11. q. 2. arti. 2. q. 1. & di. 19. q. 1. ar. 2. q. 3. ad 1. & 4. contra c. 68 & 1. Co. 11. le. 7. in princ.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad materiã huius sacramenti quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememoratiuum Dominicæ Passionis; sed magis videtur esse consonum Dominicæ Passioni panis ordeaceus, qui est asperior, & de quo etiam Christus pauit turbas in monte (vt dicitur Ioa. 6) quã panis triticeus. Ergo panis triticeus nõ est propria materia huius sacramenti.

¶2. Præterea, Figura est signum speciei naturalibus rebus. Sed quędam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut, far, & spelta, de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad vsum huius sacramenti: ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

¶3. Præterea, Permixtio speciẽ soluit: sed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumẽti permixtionem non habeat, nisi fortè de electis granis, studiosè fiat. Non ergo videtur, quod panis triticeus sit propria materia huius sacramenti.

¶4. Præterea, Illud quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non sit propria materia huius sacramenti.

Sed contra est, quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat Ioan. 12. dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ergo panis frumenti, siue triticeus est materia huius sacramenti.

Respondeo dicẽdum, quòd sicut dictum est † ad vsum sacramẽtorum assumitur talis materia, quę communius apud homines in talẽ vsum venit. inter alios autem panes communiùs homines vtuntur pane triticeo: nam alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentũ instituisse. qui etiam panis magis confortat hominem, & ita conuenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti, est panis triticeus. *Art. 1 huius q. & q. 66. ar. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quod panis ordeaceus cõpetit ad significandã, tũ duritiẽ veteris legis propter duritiẽ panis, tum etiã quia vt Aug. † dicit in lib. 83. Quęstionũ, ordei medulla, quę tenacissima palea tegitur, vel ipsam legẽ significat, quę ita data erat, vt in ea vitale animę alimentũ corporalibus sacramẽtis obtegeretur, vel ipsum populum *Q. 61. circa principiũ. to. 4.*

populum nondum expoliatũ carnali desiderio, quod tanquam palea cordi eius inhęrebat. Hoc autẽ sacramentum pertinet ad suaue iugũ Christi, & ad veritatẽ iam manifestãtam, & ad populũ spiritualẽ. Vnde non esset materia conueniẽs huius sacramẽti, panis ordeaceus.

Ad secundum dicendũ, quod generans generat sibi simile in specie: fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quãtum ad accidentia, vel propter materiam vel propter debilitatẽ virtutis generatiuę. Et ideo si qua frumenta sunt, quę ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris, nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia huius sacramẽti. Quod tamen nõ videtur habere locũ neque in ordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius. Similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem, quàm identitatem speciei; sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis & lupus sunt propinquæ speciei, non autem eiusdem. Vnde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine grani generari, non potest cõfici panis, qui sit debita materia huius sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio nõ soluit speciem, quia id, quod est modicũ, quodam modo absumitur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumẽti ad multò maiorẽ quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti. Si verò sit magna permixtio (puta ex æquo vel quasi) talis permixtio speciem mutat. Vnde panis exinde confectus, non erit debita materia hui⁹ sacramẽti.

Ad quartum dicendũ, quod aliquãdo est tanta corruptio panis, quod soluitur species panis, sicut cum continuitas soluitur, & sapor, & color, & alia accidentia mutantur: vnde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando verò non est tanta corruptio, quæ speciẽ soluat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreuerentiam sacramenti.

Et quia amidum est ex tritico corrupto, non videtur quod panis ex eo confectus, posit fieri corpus Christi; quamuis quidam contrarium dicant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum nõ debeat cõfici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus viditur hoc sacramẽtum instituisse in pane fermentato, quia sicut legitur Exod. 12. Iudæi secundum legem incipiebãt vti azymis in die Paschæ (quod celebratur decima quarta luna) Christus autem instituit hoc sacramentum in cœna, quam celebrauit ante diem festum Paschæ, vt habetur Ioan. 13. Ergo & nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato. *4.dis.11.q.2. ar.2.q.3. & 4.cõ.c.68. & opus.1.ca.61. & Ioan.6.col.2.*

¶ 2. Præterea, Legalia non sunt obser-

obseruāda tēpore gratię. Sed vti azymis, fuit quędā legalis cæremonia, vt patet Exod.12. Ergo in hoc sacramento gratię, non debemus azymis vti.

¶3. Pręterea, Sicut supradictū est †Eucharistia est sacramentū charitatis, sicut baptismus fidei: vt supra dictū est. Sed feruor charitatis, significatᷓ per fermētū vt patet in glo. †super illud Matt.13. Simile est regnū cęlorum fermento, &c. Ergo hoc sacramentum debet cōfici de pane fermentato.

Quæst.73.ar.3 ad 3.

Glo. interlinea res ibi.

¶4. Præterea, Azymū & fermētatum sunt accidentia panis, nō variātia eiᵘ speciē. Sed in materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiā accidentiū aquæ, puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramēto aliqua discretio adhiberi non debet, vtrū panis sit azymᵘ vel fermētatus

Sed contra est, quod extra de celebratione † missarū, c. literas punitur sacerdos, qui in pane fermentato & scypho ligneo missarū solennia celebrare præsumpsit.

In decret. lib.3 tit.41. c. literas & est vltimū illius tituli.

Respondeo dicēdum, quod circa materiā huius sacramēti duo possunt cōsiderari, scilicet quid sit necessariū, & quid conueniens. Necessariū quidē est, vt sit panis triticeus (sicut dictū est*) sine quo non perficitur sacramentū. Nō est autē de necessitate sacramenti, quod sit azymus vel fermentatus, quia in vnoquoq; cōfici potest. Conueniēs autē est vt vnusquisq; seruet ritum suę Ecclesię in sacramēti celebratione. Super hoc autē sunt diuersæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim beatus Greg. in registro: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dn̄s sine vlla cōmixtione suscepit carnē, sed Gręcę Ecclesię offerūt fermētatū, pro eo quod verbum Patris indutū est carne, sicut fermentū miscetur farinę. Vnde sicut peccat presbyter in Ecclesia Latinorū, celebrās de pane fermētato, ita peccaret presbyter Gręcus in Ecclesia Gręcorū celebrans de pane azymo, quasi peruertēs Ecclesię suę ritū. Et tamen cōsuetudo de pane azymo celebrādi, rationabilior est. Primò quidē propter institutionem Christi, qui hoc sacramētū instituit prima die azymorū (vt habetur Matth.26. & Mar.14. & Luc.22.) qua die nihil fermentatū in domibus Iudęorum esse debebat, vt habetur Exo.12. Secundò, quia panis est propriè sacramentū corporis Christi (quod sine corruptione conceptū est) magis quā diuinitatis ipsius, vt infrà patebit.* Tertiò, quia hoc magis cōperit synceritati fideliū, quę requiritur ad vsum huius sacramēti, secūdū illud, 1.Cor.5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaq; epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Habet tamen hęc consuetudo Gręcorū aliquā rationē, & propter significationē quā tāgit Greg. †& in detestationē hęresis Nazareorū, qui legalia Euāgelio miscebāt.

Art. præce.

Q.76.ar.1

Loco citato in istomet ar.

Ad primvm ergo dicendum, qđ sicut legitur Exo.12. solēnitas Paschalis incipiebat in vesperis quartædecimæ lunæ, & tunc Christus post immolationē agni Paschalis hoc sacramentū instituit. Vnde hæc dies à Ioanne dicitur præcedere diē Paschę, & à tribus aliis Euāgelistis dicitur prima dies azymorū, quando fermentatū in domibus Iudęorum non inueniebatur, vt dictū est.* Et de hoc suprà notatum est ple-

In eo. ar.

q.46.ar.9.ad 2.arg. est plenius in tractatu Dominicæ Passionis.

Ad secundum dicendũ, quod cõficientes ex azymo, non intẽdũt cæremonias legis seruare, se cõformare se institutiõi Christi. Et ideo non iudaizant alioquin & celebrãtes in pane fermentato, iudaizarẽt, quia Iudęi panes primitiarũ, fermẽtatos offerebant.

Ad tertium dicẽdum, quòd fermentum significat charitatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorẽ & maiorem. sed corruptionẽ significat ex ipsa ratione speciei.

Ad quartum dicendũ, quod quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentũ (vt Ar.3.huius q. ad 4.arg. dictum est†) ideo magis attẽditur circa panem differentia azymi & fermentati, quã circa aquã baptismi, differentia calidi & frigidi. Posset enim tanta esset corruptio fermenti, quod ex eo non posset confici sacramentum.

Sententiæ & conclusiones quæst.

Prima conclusio: *Panis & vinũ est accommodata materia huius sacramenti. Primò, quia cũ in his sit præcipua corporis refectio, significant animæ spiritualem refectionem. Secundò, quia cum ex multis granis coniunctis efficiãtur, aptè significant vnionẽ fidelium inter se & cum Christo, quæ est huius sacramenti effectus.*

Secunda conclusio: *Panis ad necessitatem sacramenti sit triticeus, & quacũque quãtitate, modò retineat naturam panis, azimũ autem aut fermentatũ esse, ad candẽ necessitatem nihil refert, cũ vterque sit panis. Seruet tamen sacerdos ritũ suæ Ecclesiæ, Græcus cõsecrandi in fermentato, Latinus in azimo.*

COMMENTARIVS.

1 Ex hac institutione colligitur materia, forma & minister huius sacramenti, de quibus deinceps dicendũ est. Primũ autẽ de materia, deinde de forma, effectibus illius & adiunctis, tandẽ de ministro. *Materia huius sacramenti est panis & vinũ.* materiã constat ex institutione Dñi, Cõciliorũ decretis, Patribus, vsu & praxi Ecclesię, esse panẽ & vinum: quia Dñs sumptũ panẽ, benedixit & consecrauit, dicens: hoc est corpus meũ: similiter & calicẽ vini. Cõciliorũ decreta plurima deinceps referemus contra hæreticos peruertentes materiã huius sacramẽti, in quibus conciliis sancitũ est, in altari tantũ esse offerẽda Dño panẽ & vinũ, vt ex his mutatis in corpus & sanguinẽ Dñi, fiat verũ & perfectũ nostrũ sacrificium & sacramentũ, ipse Christus sub specie panis & vini. vnde ex hac materia vocatũ diximus hoc sacramentũ principio huius doctrinę de Eucharistia, sacramentũ panis & vini aut calicis. in Actis etiã Apostolorum sæpè dicitur fractio panis, & ab aliis benedictio calicis. Est autẽ accommodata & conueniens materia huic sacramẽto: tum ratione significationis, quæ est prima in sacramẽtis, tum ratione vsus & effectus proprij, quem significat atq; efficit. Significat enim hoc sacramentum animę robur, recreationẽ & refectionẽ: panis autẽ cor hominis confirmat, vinum spiritum vitę recreat, Psal.103. Hec autẽ duo panis & vinũ, integrã per se refectionem continẽt, naturę humanę valdè accõmodatã, qua sola sine cæteris sufficiẽter & salubriter viuitur: sine ipsa autẽ reliqua omnia solidã refectionẽ non efficiunt, & ideo hęc panis & vini refectio, ad omnẽ partem vitæ latissimè patet. Vnde rectè inquit Ireneus lib.4. c.32. quod sunt primitię ex creaturis Dei. Sũt valde mũdę & tractabiles ad ritũ noui testamẽti, & cõmodiores rerũ species, quã carnes animaliũ occisorũ, quę sine summa sorditie tractari nõ possunt. Significãt etiã valde accõmodatè vnitatẽ ecclesiasticã, quã effecit hoc sacramentũ, quatenus fiũt panis & vinum ex granorum & vuarũ coniunctione: vnde D. Aug. tract. 26. in Ioan. inquit, Dñm cõmendasse corpus & sanguinẽ suum, in his rebus, quę ad vnũ rediguntur.Ettereà, congruenter passionẽ Dñi significant, cuius memoriale est hoc sacramentũ, quatenus sub specie vini cõtinetur in proprio signo sanguis, vt representetur effusus

effusus ex corpore, sicut in passione effusus est, & sub specie panis corpus seorsum: quamuis ratione cōcomitantiæ, vt posteà ostendetur, totus Christus sub quauis specie integer contineatur: quare in vtraque materia, & post consecrationem in specie vtriusq; imago Christi morientis in cruce nobis obiicitur. Representatur denique eisdē, effectus huius sacramēti, in corpore, repressa eius cōcupiscētia, & in anima infusa gratia, quia species panis salutē corporis, species vini salutē animę significat, quatenus anima carnis in sanguine est, vt dicitur Leuit. 17. & species vini post consecrationē sanguinē Christi continet, vt quāuis totius sumptionis huius sacramenti, vnus sit per se effectus, is tamen diuersis speciebus distinctè representetur.

2 Sed quoniā multa sunt genera panis & vini, & vinū purum aut aqua dilutū potest intelligi, distinguenda est eadē materia panis & vini, vt intelligatur, quæ sit requirenda ex necessitate sacramēti, & Christi institutione, & quæ ex necessitate pręcepti ecclesiastici; sine priori sacramentū non conficitur, sine posteriori sine peccato nō conficitur, sed conficitur tamen verū sacramētum. De priori est hęc sententia, panis triticeus & vinū vitis est materia Eucharistiæ. credidit enim semper Ecclesia in huiusmodi pane & vino Christum cōsecrasse, in huius sacramenti institutione nec in solēnitate Paschali aliū panē appositū fuisse credere quis prudenter potest: & vinū vitis expresiit Euangelista appellās genimē vitis, atq; etiā panis appellatio, in vulgari & populari sermone, vnde verborū vsus sumendus est, triticeo tantū attribuitur. Vnde veteres Theologi simpliciter & indistinctè affirmant materiā huius sacramenti panē & vinū, vt constat ex Cypriano lib. 2. ep. 3. Damasc. lib. 4. c. 14. & aliis. & vinū quodcūque, modò sit vitis, vt dixit Euangelista, & panē similiter ex quouis tritico, quāuis sint eius diuersę species, quia panis & vinū simpliciter dicūtur ex tritico & vite, cuiuscūq; speciei sint. Scholastici Theologi pro suo more & instituto, exactius de his disputantes, subtilius ista distingūt, nos ea in quibus consentiūt proponemus primū, deinde de eorū cōtrouersiis cōmodius diiudicabim⁹.

3 Omnes igitur primò consentiunt, in eo quod nō sit propriè panis, sacramentū non cōfici, vt in farina, simila, massa incocta, aut elixa, aut si farina, ex qua panis fit, fuerit, aliquo alio humore, quā elementali aqua tēperata, vt lacte, vino, aqua rosacea, alioue succo herbarū, vel saltem si in panis confectione, maior sit istorum, quàm aquæ, aut æqualis, vel prope ęqualis copia: idē dicendū est de permistione aliarum rerū cū tritici farina: sic enim vulgaris panis species mutatur, & ex cōsequenti ad consecrationē inepta redditur. idē asserere oportet, si id adhibeatur, quod mucore aut vetustate planè corruptū esse constet, aut vllo modo perspicuū sit, non esse aut nunquā fuisse panem. Neque est opus hic subtilius disputare, an massa farinæ sit eiusdē vel alterius speciei à pane, & an cōcoctio ab igne sit tantū accidens pani, non immutans aut conficiens naturā rei. Satis enim nobis esse debet, quod Christus vulgarem panem accepit humanę conditioni, arte & igne præparatū. Secundò, consentiūt omnes, panē ex leguminibus cōfectum, si is panis dicēdus est, nō esse materiā huius sacramenti, quia neq; propriè sit panis, vt ex fabis, pisis, cicere, lēte, siliquis, & similibus, nedū ex radicibus herbarū aut fructibus arborū, vt amigdalis, castaneis, nucibus & huiusmodi. Ac proinde neq; in amylo, quod à quibusdā corrupto & populari vocabulo, amydū dicitur, consecrari potest: quoniā ad illud conficiendū, non cōminuitur mola triticū, vnde nomē habet, sed arte & vehemēti in aqua maceratione, soluitur tritici substātia in lacteū quendam cremorem, vnde fiunt cibi delicatissimi. De amyli præparatione Diosc. lib. 2. c. 94. Gal. lib. 1. de alimē. facult. c. 8. vnde si ex farina amyli exiccati panis fiat, nō cēsebitur materia huius sacramēti, quia non est ex tritico, sed ex corrupto prius in amylum.

4 Tertiò cōsentiunt omnes à materia huius sacramēti prorsus excludi hordeū, auenā, milium, quia ex his, panis humanus, qui simpliciter & propriè panis dicatur, nō fit. Sed in eo dissentiunt Theologi scholastici, an ex genere, quo cōtinetur triticū, vel potius ex speciebus tantū tritici, panis materia huius sacramēti, diiudicari debeat. quidā satis esse putant panē ex frumento confectum, frumentū autem esse, quod ex se emittit aristas, vt speltam, siliginem: sed quia Concilium Florentinum, in doctrina de sacramentis, praxis & vsus Ecclesiæ, panem triticeum tantum assumit ad consecratio-

Marginalia: 3. p. q. 74. ar. 2. & 3. atque 5. — Panis triticeus — Consensio Theologorum. — Dissensio eorūdem. — Alb. 4. d. 12. ar. 7. Gab. q. 2 ex frumento, Durā. D. Tho. ex tritico.

crationem,hanc sententiam necessariò sequi oportet,& hic panis propriè & vulgari sermone dicitur,quo Euágelia de his reb⁹ loquuntur. Sed quæ sint species tritici ex ratione naturali, & proprio vsu hominũ, colligendum est. Quare obseruandum est fruges à physicis de natura stirpium disserentibus diuidi in legumina & frumenta.fruměti species sunt,far adoreũ,triticũ, siligo,quia frumentũ dictum Grecis sitos, est quicquid ex se emittit spicá & aristas, quibus carent legumina, siliginem veteres vocant delicias tritici, & ad eas species frumenti referunt,hordeum,Zeam , tipham, vt constat ex Plinio,lib.18. cap. 7. & 8.& ex Theoph.lib.8.de hist.plant.c.4.Ruelio lib.1.de plátis,c.20.& lib.2.c.13.refert autě idem autor eod.c.20.triticũ post tertiá sationem,in solo vliginoso, verti in siligině. quod solũ D.Tho.3.p.q.74.ar.3.ad 2. vocat malas terras.Vnde ad iudicandũ, quænam sit eadem species tritici,nõ est necessaria probatio,quòd generetur ex alio tritico,nisi cætera adsint ad generationě similis in eadě specie.vt enim cõstat, ex animalibus generari aliquádo specie dissimilia,& monstra:sic sæpè contingit in frugibus & seminibus carũ. tiphę semen si pistum seratur in triticũ vertitur,triticũ sæpè in lolium degenerat ex Theoph.lib. 4. de causis plantarũ c.6.Ruel.lib.1.de plant. c. 15.non mutatę vero speciei,argumenta necessaria sunt,effecta propria panis de quibus Gal.lib.1.de aliment.facult.c.8. Ruel. lib.2.de plant.cap.14.

De siligine,far re,spelta.

5 Vndè imperitè quidě dicũt,siligině esse quě Hispani à multiplicatione seminis cěteno vocare videntur, hic enim potius est corruptio tritici , vt effecta docět,quá delicię tritici,quod veteres omnes de siligine affirmant,& à nobis ex cãdore dicitur triticũ Candial.ex eo autem videntur decepti quod apud Galecos triticũ vitio soli, vertitur in centenum,quasi hęc esset generatio similis in eadě specie,& nõ potius corruptio,quæ in his seminibus plerũque accidit vt prius obseruauimus. Est etiá dubitatio de farre & spelta,an sint species tritici. certe far adoreũ idě videtur esse quod siligo, quá Astures scanda vocant, diuersam ab scádia, qua saginãtur equi in Bethica.Speltá nũc vocari ab Italis,quæ olim dicta sit Zea affirmat Ruelius lib.2.de plátis c. 19. & Plinius olim absolutè vocatá semen lib. 18.c.8.& Galen.lib.de atten.victus ratione c.6.eandě esse putat cum tipha cereali, quę videtur centeno quibusdá,cum alia sit tipha quę quibusdam videtur espadaña ex Theophr.lib.1.de hist.plant.c.13.& Diosc. lib.3.c.116.Quod si Zea,sit semen illud tátopere à veteribus laudatum, vnde etiá & terra laudatur,quòd Zeá ferat ab Homero,videtur sanè idě esse,quod siligo.Vnde de siligine,spelta & farre, quorũ meminit D.Hiero.ad c.4.Ezech.maior pars Theologorũ consentit,esse accommodatá huius sacramenti materiá,quod pertineát ad species tritici,& ex eis fiat optimus & delicatissimus panis,quáuis D. Th. responsione citata omnino neget, quod existimet non esse tritici species.

Far aliquãdo est semen, aliquãdo arte paratur vt halica Ptisana, Ruel. lib.2.c.17.Mathiol.lib.1,epist.5.

Diosc. tipham cerealem vocat farraginem & secalem.

Dubia existente materia sacramenti quid agendum sit.

6 Vbi autě de materia sacraměti necessaria , aliqua probabilis dubitatio inciderit, grauissimũ peccatũ est, materia dubia vti, & ab ea potius esset abstinendũ,quá committere vt ad rě diuinissimam,incertá materiá adferas.& idě de vino dicendum est, & de vtraq; materia,cũ prudenter dubitatur,an sit corrupta.in qua re examinãda, sicut moderata diligentia requiritur, & non minus studiũ,quam in res graues conferri solet:ita non expedit cuiquá sibi excitare scrupulos,cũ suspicionis aut dubitationis graues causæ non extiterint.ex ineuitabili enim ignotátia efficietur,vt ne tũ quidem peccemus,cũ nihil conficimus. In iudicanda autě materia huius sacraměti, plurimũ sinceris & integris sensibus tribuendũ est, & nunquá committendum est, vt materia visu aut alio sensu nõ explorata consecretur.quia opus quod in orbe geri potest optimũ & sanctissimũ, si negligentia nostra non ritè & ex dignitate transigatur, graue iudicium adferet.Hactenus de pane altera parte materiæ huius sacramenti.

ARTICVLVS V.

Vtrũ vinum vitis sit propria materia huius sacramenti.

AD quintũ sic proceditur. Videtur , quod non sit propria materia huius sacraměti vinũ vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi,ita vinũ est materia huius sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo inquolibet vino (puta malorum,granatorum, vel

4.di.11. q. 2. ar.3.q.1.& 1. Cor. 11. le.7. prin.

vel mororum, aut huiusmodi) potest confici hoc sacramentum, præsertim cum in quibusdam terris, vites non crescant.

Innuitur lib. 20. Etymol. c. 3. circa med.

¶2. Præterea, Acetum est quædam species vini, quod de vite sumitur, vt Isido.† dicit: sed de aceto non potest cõfici hoc sacramentũ: Ergo videtur quòd vinum vitis nõ sit propria materia hui° sacramẽti.

In 6. syno. can. 28. & habetur de cons. di. 2. c. Didicimus.

¶3. Præterea, Sicut de vite sumitur vinum deputatum, ita etiam agresta & mustum. sed de his non videtur posse confici hoc sacramentũ, secundũ illud† quod in sexta synodo legitur, Didicimus, quòd in quibusdam Ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungant vuas, & sic simul vtraque populo dispensant: præcipimus igitur, vt nullus sacerdos hoc vlterius faciat. Et Iulius Papa † repræhendit quosdam, qui expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerunt. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

Iulius I. in decret. 7. à medio illius, & est Decretũ. 7. inter eius decretal. 10. quæ sũt ab aliis separata.

Sed contra est, quod sicut Dominus se cõparauit grano frumenti, ita etiam se comparauit viti, dicẽs Io. 15. Ego sum vitis vera. Sed solus panis de frumento, est materia huius sacramenti, vt dictũ est.* Ergo solum vinum de vite, est propria materia huius sacramenti.

Art. 3. huius quæst.

Respondeo dicẽdum, quod de solo vino vitis potest cõfici hoc sacramentum. Primò quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, vt patet ex eo quod ipse dicit Matth. 26. circa institutionem huius sacramenti: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Secundò, quia sicut dictum est, † ad materiam sacramentorum assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem. Propriè autẽ vinum dicitur quod de vite sumitur, alij verò liquores, vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis.

Ar. 3. huius q.

Tertiò, quia vinum vitis magis competit ad effectũ huius sacramẽti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis.

Ad primum ergo dicendum, quod illi liquores non dicũtur propriè vinum, sed secundum quandã similitudinem. Potest autem verũ vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non crescunt quantũ sufficit ad hoc sacramentum.

Ad secundum dicendũ, quòd vinum fit acetum per corruptionẽ, vnde non fit reditus de aceto in vinum, vt dicitur 8. Meta. † Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen cõfici de vino acescenti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens, vt prius dictum est.*

Lib. 8. meta. tex. 14. to. 3.

Ar. 3. huius q. ad 4. arg.

Ad tertium dicendum, quod agresta est in via generationis, & ideo nondum habet speciem vini & propter hoc de ea nõ potest confici hoc sacramẽtum. Mustum autem iam habet speciem vini, nã eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio a naturali calore, vt dicitur in 4. Mete. † & ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent vuæ integræ huic sacramento misceri, quia iam esset ibi aliquid præter vinum.

Lib. 4. c. 3. parum à princ.

Prohibetur etiam ne mustũ statim

Eod.loco in argu.citat. & habetur de conse. d.2.c.cū omne crimen, in me. & in Conc. 3. Brac.ca.1.

tim expreſſum de vua, in calice offeratur, quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti. Poteſt tamen in neceſſitate fieri. dicitur * enim ab eodē Iulio Papa: ſi neceſſe fuerit, botrus in calice comprimatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aqua ſit vino permiſcenda.

4.diſt.11.q.2. ar.4.q.1.Et 1. Cor.11.le.6.c, 5.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quod aqua non ſit vino permiſcenda. Sacrificium enim Chriſti figuratum fuit per oblationem Melchiſedec, qui Gene.14. non legitur obtuliſſe niſi panem & vinum. Ergo videtur, quod in hoc ſacramento non debeat adiungi aqua.

¶ 2. Præterea, Diuerſorum ſacramentorum diuerſæ ſunt materiæ. Sed aqua eſt materia baptiſmi. Ergo non debet aſſumi ad materiā huius ſacramenti.

¶ 3. Præterea, Panis & vinum ſunt materia huius ſacramenti. Sed pani nihil adiungitur. Ergo nec vino debet aliquid adiungi.

SED CONTRA eſt, quod Alex.* Papa ſcribit. In ſacramentorū oblationibus, quæ inter miſſarum ſolennia Domino offeruntur, panis tantùm & vinum aqua permixtum, in ſacrificium offerantur.

Alex.1.in ep. ad omnes fideles à medio illius, to.1.Cōcil.

RESPONDEO dicēdum, quòd vino, quod offertur in hoc ſacramēto debet aqua miſceri. Primò quidem propter inſtitutionem: probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc ſacramentum inſtituerit in vino aqua permiſto, ſecundum morem illius terræ. Vnde & Prouerbiorū 9. dicitur: Bibite vinū, quod miſcui vobis. Secundò, quia hoc cōuenit repręſentationi Dñicæ paſſionis. Vnde dicit Alexand.* Papa: Non debet in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrunque permixtum: quia vtrūque ex latere eius paſſione ſua profluxiſſe legitur. Tertiò, quia hoc conuenit ad ſignificandum effectū huius ſacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum, quia vt Iulius Papa dicit,* videmus in aqua populū intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti: ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. Quartò, quia hoc competit ad vltimum effectum huius ſacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam. vnde Ambroſ.* dicit in lib. de ſacramentis: Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.

Alexand.1.in epiſt. ad omnes orth. à medio illius, to.1. Conc.

* Habetur de cōſ. d.2.c. Cum omne crimen circa medium.

li.5. de ſacra. c.1. à me. to.4.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſicut Ambroſ.* dicit ibidem, ſicut ſacrificium Chriſti ſignificatum eſt per oblationem Melchiſedec, ita etiam ſignificatū eſt per aquā, quæ in eremo fluxit de petra, ſecundum illud, 1. Corinth. 10. Bibebant autē de ſpirituali conſequēte eos petra.

Eod.li.5.c.1. to.4.

AD SECVNDVM dicendum, quod aqua aſſumitur in baptiſmo ad vſum ablutionis. In hoc autem ſacramento aſſumitur ad vſum refectionis, ſecundum illud Pſalm. 22. Super aquam refectionis educauit me.

AD TERTIVM dicendū, quòd panis ex aqua & farina cōficitur. Et ideo cum vino aqua miſcetur, neutrum ſine aqua exiſtit.

C ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm permixtio aquæ ſit de neceſsitate huius ſacramenti.

Inf. q. 83. art. 6. ad 4. & 6. & 4. d. 11. q. 2. art. 4. q. 2. & 3. & 1. cor. 11. le. 6. c. 5. AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quod permixtio aquæ ſit de neceſſitate huius ſacramenti. Dicit enim Cyprian.* ad Cæciliũ. Sic calix Domini non eſt aqua ſola & vinũ ſolũ, niſi vtrunq; miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, niſi vtrunq;, ſcilicet, farina & aqua, fuerit adunatum. Sed admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſſitate huius ſacramenti. Ergo pari ratione admixtio aquæ ad vinum. *Lib. 2. epiſt. 3. inter finem & med. Innuitur de cõſ. d. 2. c. 7*

¶ 2. Præterea, In paſſione Domini, cuius hoc ſacramentum eſt memoriale, ſicut de latere eius exiuit ſanguis, ita & aqua. Sed vinum, quod eſt ſacramẽtum ſanguinis, eſt de neceſſitate huius ſacramenti: ergo pari ratione & aqua.

¶ 3. Præterea, Si aqua non eſſet de neceſſitate huius ſacramenti, non referret quæcunq; aqua huic ſacramẽto apponeretur, & ita poſſet apponi aqua roſacea, vel quæcũque alia huiuſmodi aqua. Quod non habet vſus Eccleſiæ: Aqua ergo eſt de neceſſitate huius ſacramenti.

li. 2. epiſt. 3. inter finem & medium. SED CONTRA eſt, quod Cypria. dicit: Si aliquis de anteceſſoribus noſtris, vel ignorãter, vel ſimpliciter non obſeruauit, vt, ſcilicet, aquam vino miſceret in ſacramento, poteſt ſimplicitati eius venia concedi. Quod non eſſet, ſi aqua eſſet de neceſſitate ſacramenti, ſicut eſt vinum, vel panis. Non ergo aquæ admixtio eſt de neceſſitate ſacramenti.

RESPONDEO dicendum, quod iudicium de ſigno ſumẽdum eſt ex eo, quod ſignificatur. Appoſitio autem aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participationem huius ſacramenti à fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino, ſignificatur populus adunatus Chriſto, vt dictum eſt.*Sed & hoc ipſum, quod de latere Chriſti pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur, quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per paſſionem Chriſti. Dictum eſt *autem ſupra, quod hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, vſus autem fidelium non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed eſt aliquid conſequẽs ad ſacramentum. Et ideo conſequens eſt, quòd appoſitio aquæ, non ſit de neceſſitate ſacramenti. *ar. præce.* *q. 73. art. 1. ad 3.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quod verbum illud Cypriani eſt intelligendum, ſecundum quod dicitur illud eſſe non poſſe, quod conuenienter eſſe non poteſt. Et ſic ſimilitudo illa attenditur quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad neceſſitatem: nam aqua eſt de eſſentia panis, nõ autem de eſſentia vini.

AD SECVNDVM dicendũ, quòd effuſio ſanguinis directè pertinebat ad ipſam Chriſti paſſionem, eſt enim naturale corpori humano vulnerato, quòd ex eo profluat ſanguis. Sed effuſio aquæ non fuit de neceſſitate paſſionis, ſed ad demonſtrandum effectũ paſſionis, qui eſt ablutio à peccatis, & refrigerium cõtra ardorem concupiſcentiæ. Et ideo aqua non ſeorſum offertur à vino in ſacramento, ſicut vinum offertur ſeorſum à pane. Sed aqua offertur vino permixta, vt oſtendatur, quod vinum per ſe pertinet ad hoc ſacramentum,

mentum, tanquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quod adiungitur vino.

Ad tertium dicendũ, quòd quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert quantum ad sacramenti necessitatem, quæcunque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea. Quamuis quantum ad conuenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquã miscet, nisi naturalem & veram, quia de latere Christi pendẽtis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad ostendendum, quod corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, vt Innocent. III. dicit in quadam decretal.* Quia verò admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti, vt pote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis.

In decr. lib. 3. ti. 41. c. 8.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

4. d. 11. q. 2. à 4. q. 4. & 1. co. 11. le. 6. co. 5

Ad octavvm sic proceditur. Videtur, quod oporteat aquam in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita & aqua. vnde dicitur Ioan. 19. Qui vidit, testimonium perhibuit. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quãtitate poneretur ergo: videtur, quòd aqua debet apponi in magna quantitate.

¶ 2. Præterea, Parua aqua multo vino admixta corrũpitur. Quod autem corruptum est, iam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramento, & nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

¶ 3. Præterea, Si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens, quòd gutta aquæ in totum dolium proiiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit, quòd parua quantitas apponatur.

Sed contra est, quod extra de celebratione missarum dicitur. * Perniciosus in tuis partibus inolebit abusus, videlicet, quod in maiori quantitate de aqua in sacrificio ponitur, quàm de vino, cùm secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de qua ponendum.

In decre. lib. 3. ti. 41. c. Perniciosus.

Respondeo dicendũ, quod circa aquam adiunctam vino, sicut Innocent. III. * dicit in quadam Decreta. triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quòd aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus & sanguis Christi (sicut enim Ambros. * dicit in lib. de Officiis, Ante benedictionẽ alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur) alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. Et ideo alij dixerunt, quòd sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur

De celeb. miss. c. cum Marth. §. Quæsiuisti.

In li. de his, qui misteriis initiãtur, c. 9. à med. to. 4. & habetur, de cõs d. 2. c. 40.

uertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundũ hoc, aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane. Et ideò sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod cõuerteretur in vinum. Et ideò semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinũ sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini non posset perfici sacramentum. Vnde Iulius Papa * reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum, per totum annum seruant, & in tempore sacrificij, aqua partem eius lauant, & sic offerunt.

Iulius I. scribẽ do Episc. per Aegyptium. Et habetur de cons. d. 2. c. Cũ omne crimen.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sufficit ad sacramenti huius significationem, quod sentiatur aqua, cùm apponitur vino, non autẽ oportet, quòd sit sensibilis post mixtionem.

AD SECVNDVM dicendum, quòd si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio. Sed cum aqua in vinum conuertitur, significatur, quod populus Christo incorporatur.

AD TERTIVM dicendũ, quod si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

¶ Sententiæ & conclusiones quæst.

Conclusio est, vinum vitis est materiæ huius sacramenti altera pars: sed vino modicissima aqua permiscenda est, non quidem ad necessitatem sacramenti, sed ad imitationem Christi, qui sic creditur probabiliter permiscuisse: ad significationem coniunctionis populi fidelis cum Christo: & ad consentiendum præcepto Ecclesiæ.

COMMENTARIVS.

Vinum vitis altera materię pars est ad consecrationem aptissima: dico autẽ vinum vitis, vt ab his vinis distinguatur, quæ impropriè hanc appellationem retinent, vt dicitur vinum mali granati, aut mori, aut alterius succi. est autem dubitatio de musto, aceto, agresta, & vino conglaciato, quia à natura vini non multum abesse videntur, sed de his ita censent Theologi. Mustum ex vuis maturis, vel in dolia, vel in ipsum calicem recentissimè expressum, verè vinum est & consecrabile: quia concoctum est, cum dulcedo sit concoctionis signum, 4. lib. meteor. cap. 3. & ita definitur. de consecrat. dist. 2. capit. cùm omnes, et c. didicimus. rarò tamen sine peccato fit, vt in vino non defecato, quale est mustum, conficias, & vrgente quidem maxima necessitate tantùm licet, inquit Iulius I. epist. 7. in decreto septimo: quia feces, quæ in fundo calicis quã citissimè subsistũt, non sunt cõsecrationi subiectæ, nec Christi sanguinem vnquam continent. si verò diffusæ per totam vini substantiam, & non separatæ, consecrationem subierint, posteaq; subsiterint, iam per corruptionem desinit esse vini species, & corrupta vini forma desinit esse sanguis: quæ omnia non contingunt sine magna irreuerentia sacramenti.

De vino altera parte materia huius sacramenti.

Mustum.

2 Acetum si intelligatur vinum acescens consecrabile est, si verò intelligatur acetum propriè, consecrari non potest: quia illud non mutauit vini naturam, hoc autem mutauit: & consecratio illius, vt panis, qui iam incipit corrumpi, non fit sine peccato, propter irreuerentiam sacramenti. Agresta est succus vuarum planè immaturus & indigestus, quia nondum attigit vini speciem, & ideo in ea nulla consecratio fieri potest. Vltimum est gelu solidum ex vino, in quo est maior

Acetum.

Agresta.

Vinum congelatum.

ior difficultas, & ideò sæpius in eo errari potest, sed hæc firmiora & certiora videntur. vinum, quod vergit ad glaciem & concretionem, & adhuc humor est potabilis, consecrari potest, vt de vino acescenti dictum est: quia nondum soluta est vini species. quòd si solidum gelu sit, nec vllo modo potabile, quod est esse ineptum ad vsum sacramenti, summum sacrilegium esset pro vino consecrare. & idem dicendum est de vino, quòd ex gelu solido liquefactum est: quòd sit maxima dubitatio, an vinum ex duriore illa concretione, naturam vini amittat, vt plerunq; colorem & saporem.

3 Sed quid faciendum est de vino, quod post consecrationem in gelu solidum concreuerit, putandum ne est, ex ea immutatione fieri, vt desinat esse sanguis? ita sanè videtur, sicut desinit esse corpus, cùm panis species defecerint. Vnde liquefacto iam ad sumptionem vino, non redit sanguis, & ex cõsequenti, neque adorari potest: debet tamen in sacrario condi, aut à sacerdote reuerenter, pòst sumptum sacramentum, consumi. Cùm autem in regionibus Septentrionalibus, non rarò sint vina variis modis adulterata, & omnibus etiam locis, variis rebus iniectis, permisceantur, & sint impura, magnam in eligendo vino consecrabili curam & studium sacerdotum esse oportet. Illud verò vinum, quod ex vuis iterum, aut tertiò pressis, magna aquæ copia iniecta conficitur, omnino ad consecrationem adhiberi non debet: quia de quantitate admistæ aquæ constare non potest. si enim æqualis sit aquæ copia, aut ferè æqualis, aut maior, licet colorem, aut saporem vini retinere videatur, vinum tamen non est: & ideò ad consecrationem ineptum. illa verò, quæ vini accidentia esse videntur, sunt ex mutatione aliorum similia effecta: cùm hoc verè sit quoddam ex aqua & vino permistum, in quo, eorum, quæ permiscentur, similia quædam accidentia fiunt: sed natura mistorum & essentia non remanet, secundum probabiliorem physicorum sententiam. hæc dicta sint de materia panis & vini. deinceps hæreses de eadem exortas facilius refutabimus.

Vinũ ex vuis pressis sæpius aqua iniecta.

Hæreses de pane materia sacramenti.

4 Dæmon igitur, veri cultus Dei, hostis implacabilis, variis modis hoc studium religionis, in hoc sacramento ritè conficiendo omnibus sæculis insectatus est. primùm quidem excitauit alienos homines, qui Christianos accusarent, quasi Cereris & Bachi cultores, inquit Augu. lib. 20. cont. Faust. cap. 13. deinde, affectans honorem diuinum, panem & vinũ in sua sacramẽta transtulit, vt inquit Iustinus apolog. 2. pro Christianis, his verbis: in mythræ mysteriis dæmones nostrum sacramentum imitari connati sunt, & panem & poculum cum quibusdam incantationibus, initiandis apponere solebant. sed cùm hac ratione ille non assequeretur, quod erat in animo, nostrum sacrificium omninò abolere, in conspurcanda materia, & in deprauandis aliis partibus huius sacramenti, diligentissimè versatus est. Primùm hoc studuit per Cataphrygas, vt inquit August. hæresi 26. ad Quodvult, qui panem sacramentalem ex farina permista infantis anniculi sanguine, quem de toto corpore minutis punctionibus extorquebant: quòd si infans moreretur, colebatur vt martyr, si viueret, habebatur pro summo sacerdote. Deinde Peputiani, vel Quintiliani, farinam cum caseo permiscebant, vnde artotyritæ dicti sunt, quod ex caseo & farina panem conficiebant, vel vt inquit Epiphan. quia panem & caseum offerebant. Tertiò Manichæi panem sacramentalem in suis nefandis mysteriis horribiliter prophanarunt, miscentes ad mundationem farinæ, quam impuram esse volebant, semen humanum, vt ita execrabilis fieret materia Eucharistiæ. Ophytæ verò, à serpentum cultu, ita dicti, alebant colubrum, eumq; emittebant è spelunca altari propinqua, vt lambendo panem mundaret, & in vsum sacramenti formaret. sic August. hæresi 17. An verò hi materiam planè corruperint, incertum est, licet cæteris sceleratiores esse viderentur: priores tamen, quia apertè corrumpebant materiam à Christo præscriptam, nihil prorsus conficiebant. Omnes autem huiusmodi hæreses, & institutione Christi suprà proposita, & decretis Pontificum, & Conciliorum apertè refutantur: quæ referuntur de consecr. d. 2. c. non oportet, & c. in sacramento corporis, & deinceps plu-

Refutatio.

ra referemus, propositis erroribus de altera parte materiæ.

Hæreses de vino. 5 Vinum igitur ad confectionem huius sacramenti necessarium Manichæi & Priscillianistæ reiiciebant, quia vinum omne, vt fel principis tenebrarum abominabantur. de qua superstitione manauit, vt dimidiatum sacramentum & facerent, & sumerent. hoc sacrilegium sępè D. August. in lib. contra Faustum refellit, & Gelasius in epist. ad Maioricum & Ioannem, & D. Leo serm. 4. de Quadrages. Altera fuit hæresis Aquariorum, aquam tantùm offerentium in poculo sacramenti, & non illud, quod omnis Ecclesia, vt inquit D. August. hæresi 64. hos appellant Epiphanius hæresi 46. & Theodoret. lib. 1. hęret. Fab. Eucratistas & hydroparastatas, quasi temperatos & solam aquam offerentes. meminit etiam eorum D. Chrys. hom. 83. in Matth. Fuerunt præterea sectatores cuiusdam Marci, ab eo dicti Marcosiani, quorum meminit Iren. lib. 1. cap. 9. & Epiphan. hæresi 34. horum poculum Eucharisticum fuit aqueũ, vino albo permistum, quod murmure magico, & incantatione rubicundum redebant, vt ita proponeretur in sacrificium. Concilium etiam Braccareñ. 3. in præfatione meminit quorundam, offerentium lac vini loco, contra diuinam ordinationem: & aliorum, qui expressum, vel contusum botrum in calice pro vino apponerent, vt ita ipsa comminuta vuarum grana, populo sæpè sine succo tribuerent. itaq; hi grana musto expresso in calice permiscebant: sed alia est ratio musti ex vuis expressi, vt suprà ostendimus. Alius etiam error, ibidem commemoratur, eorum, qui pannum lineum musto intinctum, & toto anno reseruatum, tempore celebrationis aqua lauarent, vt ita aqua ex intincto panno saporem & colorem vini contrahens, in sacrificium offerretur.

Refutatio. 6 Hos omnes errores damnauit Concilium Cartagineñ. 3. c. 24. ex quo colligi potest vnde hi errores irrepserint. cùm enim populus in ea parte sacrificij, quæ offertorium dicitur, panem & vinum ad huius sacramenti materiam offerre soleret: & peculiari deuotione alia quędam cibaria ad benedictionem sacerdotalem proponeret, effectum esse videtur, impietate, aut negligentia quorundam, vt in ipsum sacrificium transirêt. sed non longè progressus est hic error, damnatus in eodem c. 24. citato Concil. Carth. & sexto generali can. 32. & tandem concilium Florent. in doctrina de sacramentis. & Trident. sess. 13. panem tantum & vinum pro materia huius sacramenti assumunt. de celebr. miss. c. cum Marthæ. & de sum. Trinit. & fid. c. firmiter.

7 Vnde in lectione conciliorum distinguere oportet, ea quæ in altari offerenda sunt in sacrificium, ab his, quæ fideles ad altare offerunt, vt benedicantur à sacerdote, vel cedant in illius & aliorum clericorũ vsum. sic distinguit Canon 3. & 4. Apost. illa sunt panis & vinum ex Domini instituto, modicissima aqua permistum, vt est in Vormacien. c. 1. Altisiodoren. can. 8. sexta Synod. generali cã. 28. & 57. Braccareñ. 3. can. 1. & Florêt. de Eucharistia sess. vltima: in his autem omnibus prohibetur, ne quis pręterea offerat lac, mel, mellitum, vel pro vino vitis siceram, aut confecta, aut alia quædã, vel animalia, vel legumina: & qui secus fecerit, deponitur. Canõ vero ille 28. pręcipit vuas oblatas à fidelibus priuatim benedici, vt primitias quasdã, & distribui pœnitentibus, ad laudem datoris fructuũ. similiter can. 4. Apost. pręter vuas, ait, offerri posse ad altare nouas spicas, oleum ad luminaria, & thimiama, id est incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio. aliarũ verò rerum primitias can. 5. Apostol. pręcipit mitti Episcopo & presbyteris domũ, & non offerri ad altare, vt inter eos, diaconos, & alios clericos diuidantur. Ostendimus panem triticeũ, & vinum vitis, necessariam esse huius sacramenti materiam ex necessitate sacramenti: deinceps quædam eiusdem materię adiuncta explicanda sunt. vnum est commune, nempè quantitas: duo verò sunt propria, panis quidem, an oporteat esse azimum, vel fermentatum, vini autem an debeat aqua permisceri. *Offerenda in altari ad sacrificium, & ad altare, vt benedicantur.*

8 De quantitate igitur panis & vini consecrandi, quamuis ex ratione sacramenti nihil sit definitum & constitutum, sed pro numero fidelium, qui sacris mysteriis debent communicare, sit definienda à sacerdote consecrante: determinatur tamẽ pręsentia & intentione consecrantis: quia forma *Quantitas panis & vini præsentia, & intẽtione sacerdotis tantum determinantur. 3. p. q. 74 ar. 2*

Consecratio nõ attingit, nisi præsentem materiam: quia fit per formam cõstantem ex pronomine demonstratiuo: & demonstratio tantum est rei præsentis ex necessitate sacramẽti: sed ex necessitate præcepti, & consuetudinis Ecclesiasticæ, illa tantum materia consecrabitur, quæ ad vsum fidelium necessaria est.

ma efficit, quod verè & propriè significat: demonstratiua autem pronomina formę panis & vini, verè non dicuntur, nisi de pręsentibus: non igitur cõsecratur, nisi ea materia, quę loco & situ sacerdoti consecrãti pręsens esse dicatur, secundum cõmunem intelligentiam: cum de re non pręsenti verè dicere nõn possis; hoc est corpus, aut hic est calix sanguinis. quare potest sacerdos, quantamcunq; materiã, modò pręsentem consecrare, quia virtus consecrandi nullà definitur quantitate, etiamsi ad vsum fidelium sit accõmodanda, cũ sit eorũ numerus incertus & indefinitus: & licet certus sit alicui cõsecranti, potest absolutè quantã velit materiã consecrare, quia pręsens potest esse, & nihil amplius veritas formę requirit, qua veritate formę existente cũ legitima intẽtione, perficietur sacramẽtũ. Sed quia potestas consecrãdi, sacerdotibus concessa est in ædificationem, & non in destructionem, peccaret grauiter sacerdos, qui ex negligentia, malitia, aut culpabili ignorantia plus materiæ consecraret, quàm esset ad vsum fidelium accommodatum & necessarium: itaq; vtrouis modo firma est & rata consecratio, sed posteriori modo caret peccato, non autem priori. Similiter si in malum finem sacerdos dirigat consecrationem, vt in veneficium, aut irrisionem, erit tamen vera consecratio: quia potestas ipsius, est ad effectum absolutè, non autem huius, aut alterius finis gratia.

9 Potestatẽ autẽ intelligo ordinis & characteris, non iurisdictionis, cum sit illa de necessitate sacramẽti, non autem hæc. illã autem nulla mali finis intẽtione, nulla suspensione, aut prohibitione superioris impediri posse, ostẽsum est in doctrina de ministro sacramentorum generali ex D. Th. 3.p.q.64.ar.5.& ar.9.ad 3. Altera verò potestas iurisdictionis in inferioribus ministris Ecclesiæ, si suspendatur, vel tollatur à superiori, nullum potest effectum habere. sic excommunicatio suspensi, aut interdicti iudicis non tenet: neque absolutio sacerdotis in reseruatis, pręterquam in discrimine vitę, Trident. sess.14.c.7.de pœnitentia. si verò hęc potestas consideretur in sum. Pontif. distinguendus est vsus illius. Nam circa ea, quæ sunt iuris positiui, naturalis & diuini, si non subsit legitima causa dispensandi, aut explicandi, peccat: sed in illis tenet & valet dispensatio, in his non tenet, vt in dispensatione voti, iuramenti residentię pastorum Ecclesiæ: neque ideò is, cui dispensatio concessa est, coram Domino excusari potest, vt colligitur ex Theologis 4.sent.d.18.& 19.& Ruard.ad art.3. Louanieñ. potestas igitur ordinis, quia in charactere indelebili sita est, nullo pacto aboleri potest, etiamsi male quis ea vtatur, vt in consecranda maxima aliqua panis, aut vini materia, modò sit præsens.

De præsentia materiæ consecrandæ, qua ratione & regulà æstimanda sit.

10 Hæc verò præsentia materiæ consecrandæ, vt aliarum rerum, quæ nobis secundum sensum & intelligẽtiam communem præsentes dicuntur, prudentia humana diiudicari debet, pro ratione circunstãtiarum. sæpè enim, quod alicui propter visus perspicacitatem præsens est, alteri est absens. sic duos, aut sex cophinos panis alicui dices esse præsentes, omnes qui sunt in magna platea non dices: similiter ad 50. passus aliquid verè dicetur præsens, non autem ad 100. ad 70. verò dubium est. ea verò, de quibus probabilis incidisset dubitatio, in sacrarium recondenda essent, vt paulatim post sumptionem Eucharistiæ à sacerdotibus, vel laicis consummerentur. Vnde constat, quod præsentia materiæ huius, tactu non iudicatur, vt quod quis tetigerit, illud præsens esse dicatur, cum manens possit consecrare: & parochi sępè plures materias, quas non tangunt, consecrent. & Christus in institutione huius sacramenti, accipiens panem & calicem vini, non instituit tactum esse de necessitatę sacramenti. Neque etiam visu iudicatur eadem præsentia, cum cæcus possit consecrare, licet consecrando peccet: nisi forte ex dispensatione, qualem Antistitẽ cæcũ doctiss. Sotus refert se vidisse Trid. qui sæpè consecraret ex dispensatione. nullo deniq; sensu externo, aut interno pręsentia huius materiæ debet iudicari: quia illa pronomina in vtraque forma panis & calicis, quæ requirunt ex vi demonstrationis pręsentiam, non demonstrant accidentia sensibilia, de quibus sensus certi iudices sunt: sed substantiam, quæ per se intelligibilis est, vt ostendit D.Thom.3.part.quęst. 78. art.5. ad 2. Quod igitur demonstrari potest, id prudenter alicui consecranti præsens dicetur, quia demonstratio illorum pronomi-

num, præsentiam requirit: quod est in postica hominis parte, nullo modo præsens est, quod est ad anticã partem, etiã si visu, aut alio sensu non percipiatur, modò demonstrari possit, præsens esse dicitur. sic sacerdos plures, vt vocant, hostias quarum aliæ aliis impositæ, visum impediant, plures calices vini in altari, vel coram se positos, si ad omnes dirigatur intentio proferentis formam, consecrabit: quamuis peccet cõsecrans amplius, quàm requirat vsus fidelium, vel sit in more & consuetudine Ecclesiæ.

Pars determinata consecrari potest, indeterminata non potest, quia illa præsens esse potest, hæc verò non potest.

11 Cùm autem præsentia hæc, rem præsentem determinatam efficiat, rectè asserunt Theologi, nihil efficere sacerdotem, qui medietatem materiæ oblatæ confusè, & indeterminatè consecrare intendat: quia neque totam, quam non intendit, neque partem, quòd ea non determinetur, consecrare potest. quòd si determinetur illa pars signo aliquo sensibili, situ, sensu, imaginatione, vel intellectu, omninò consecrabitur, quia nihil deest ad essentiam sacramenti. vnde duo sacerdotes eandem materiam partialiter consecrare possunt, si cuiusque intentio in vnam partem separatim feratur: vt ea non consecratur, in quam neque habitu dirigitur intentio, vt gutta vini extra calicem, vel fundum calicis, vel pars panis à toto abscissa & separatim existens. Dico autem consecrari posse partem materiæ determinatam, quia si feratur intentio indeterminatè, in partes tertias, vel quartas secundum diuisionem continui in infinitum, omissis, vel exclusis aliis partibus ab eadem intentione, nulla sanè pars consecrabitur, quia nulla est determinata: quoniam illæ partes pendent ex diuisione continui, quæ est secundum potentiam infinita, & ideò actu determinata constitui non potest. Similiter, qui minorem minima parte, in qua panis, aut vini natura conseruari potest, vellet consecrare, nihil omninò efficeret: quia neque esset panis, aut vinum, vt ex physica constat, & nulla alia materia consecrabilis est. & quamuis omnes partes panis, aut vini post consecrationem cõtinuatæ, Christum contineant, pars autem minor minima à toto diuisa, quia desineret esse panis ante consecrationem, desinet etiam post consecrationem Christum cõtinere, cùm neque accidentia panis conseruare posset. hæc subtilius, quàm par esset in re grauissima distinximus, propter scrupulosas, vel otiosas quorũdam Theologorum disputationes, qui physica quædam in doctrinam theologicam, importunè & alieno loco induxerunt.

¶ *Quæstio. An panis azimus sit commodior materia huius sacramenti?*

12 Hactenus dictum sit de quantitate materiæ consecrandæ, siue ea sit panis, siue vinum: nunc qualitas quædam panis propria examinanda est, nempè an oporteat esse azimum, vel fermentatum panem. in qua disputatione non tam, quid sit necessarium, quàm quid deceat inquirimus, hoc est, non tam quid requirat necessitas sacramenti, quàm quid necessitas præcepti Ecclesiastici. Cõstat enim vtrumuis panem, siue azimum, siue fermentatum aptam consecrationi materiam esse, cum vterque substantiam & naturam panis triticei retineat, & aduentitia tantum qualitate differant, manente eadem natura & specie: & Latinis panis, Græcis artos, de fermentato & azimo simpliciter dicitur, vt Exod. 12. & Num. 6. pro azimo vsurpatur: quare ex vtrouis verum conficitur sacramentum. probat etiam indifferentiã eandem Christi vsus: post suam enim resurrectionem frangebat panem communem, vt in castello Emaus, & hæc fractio plerisque dicitur sacramentalis panis distributio, idest, panis conuersi in suum corpus. Quare hæreticum esset, negare in alterutro pane verum esse sacramentum Eucharistiæ, cùm ita sit definitum in Concilio Florent. sess. vltima, consentientibus Græcis & Latinis: & impositum est præceptum Ecclesiasticum presbyteris & sacerdotibus, vt seruent suæ ecclesiæ ritum & consuetudinem: Græci ecclesiæ Græcæ in fermentato consecrantis, Latini autem Latinæ Ecclesiæ in azimo. vnde materia per se indifferens ad veritatem sacramenti, facta est necessaria ex necessitate huius præcepti Ecclesiastici, vt sacerdos latinus consecrans in fermentato pane, verum quidem sacramentum conficiat, ex

Cõclusio catholica fidei.

legitima

legitima, scilicet, materia panis tritici: sed conficiendo peccet contra præceptum Ecclesiasticum: & similiter Græcus sacerdos consecrans in azimo pane. Hæc omnia constant ex regula D. Augustini de Adiaphoris in epistola ad Ianuarium, vt fidelis quisq; suæ Ecclesiæ consuetudinem sequatur, & ex cap. literas de celebratione miss. & ex literis vnionis in sess. vltima concilij Florentini.

13 Itaque Ecclesia Latina amans pacis & concordiæ, Græcis suum morem permisit, & proprium retinuit, nullo damnato. veteres etiam Patres Græci, vel Latinorum vsum secuti sunt, vel ita vnusquisque morem suæ Ecclesiæ probauit, vt alienũ non damnauerit: cùm apud nullum ex veteribus mentio sit de hac controuersia azimi & fermentati. Græci autem recẽtiores contentionis magis cupidi, quàm veritatis, vsum & morem latinum consecrandi azimũ panem, in Florentino concilio probauerũt, vno, aut altero excepto: sed posteà, sicut & priusquam cogeretur concilium, adeo damnauerunt, vt sua altaria sacrificio Latini sacerdotis & pane azimo profanari assererent, asserente Guidone Carmelita & aliis: Græcos secuti sunt Armeni & Rutheni. Vnde ex hac contentione facta est hæresis illorum, asserentium necessitatem huius sacramenti requirere panem fermentatum, & in azimo nihil confici: quam tanta animorum contentione defenderunt, vt assererent errasse tres priores Euangelistas in narrando tempore cœnæ vltimæ, & à Ioanne fuisse correctos, vt autor est D. Anselmus in epistola de fermento & azimo. nec ante Gregorium, Bedam, & Anselmum, vlla est de hac controuersia mentio in Latinis Patribus. Est autem huius controuersiæ duplex pars, prior sit de decentia, altera de necessitate sacramenti. ad prioris explicationem ponimus: vtrumq; panem, vel azimum, vel fermentatum, consecrabilem esse: quærimus autem in quo decentior sit consecratio. Olim quidem vtraque ecclesia Græca & Latina, vt refert Leo IX. in epistola ad Imperator. Constantinop. & Innocent. III. lib. 4. de offic. missæ capit. 4. in azimo consecrauit: sed postea propter Ebionitas Iudaizantes, vtraque Ecclesia in fermentato confecit. cessante verò illa hæresi, Latina Ecclesia rediit ad azima, Græca fermẽtum retinuit, non sine contumelia Latinorum, quos azimitas appellabant.

14 Pro decentia igitur suæ materiæ vtraque Ecclesia suas rationes excogitauit, sed firmiores latina. Græca quidem duas habet rationes: vna est ad vitandum Iudaismum Ebionitarum & Nazoræorum, legalia cum Euangelio retinentium, vt referunt Irenæus lib. 1. capit. 26. Epiphan. hæresi 29. Eusebius lib. 3. ecclesiast. hist. cap. 27. Theodor. principio libri 2. hæret. Fab. Nicephor. lib. 3. ecclesiast. hist. cap. 13. & lib. 5. cap. 12. distinguit autem Epiphan. Nazaræos à Nazoræis & Naziræis, sed hæc distinctio nihil nostro proposito conducit, satis est hanc hæresim refutatam ab Apostolis in primo concilio, à D. Paulo in epistola ad Rom. Galat. & Hebr. Altera causa est commodioris significationis, quia fermentatus panis diuinam Christi naturam in humana delitescentem, apertius exprimit, quàm azimus, in quo non est fermentum, quod diuinæ naturæ signum esse possit.

Panis azimus commodior materia huius sacramenti.

15 Latina verò Ecclesia, extincta iam hæresi Ebionitarum, & damnata Iudæorum perfidia de lege vet. retinenda, & ideò non ex imitatione veteris cæremoniæ, sed certa ratione mysterij & commodioris significationis, & ex traditione Petri & Pauli, vt inquit idem Innocent. c. citato, azima retinet in hoc sacramento: vt habet etiam multa similia veteribus cæremoniis, sed non eadem ratione Ecclesia catholica: verbi gratia, vestes sacerdotales, decimas, consecrationem altaris, inunctiones regum & sacerdotum, & alia. Commodior autem significatio azimi panis colligitur ex D. Paulo 1. Cor. 5. vbi significare, inquit, azima, sinceritatem & vitæ puritatem, quæ vt est in agno immaculato, quem hoc sacramento contentum manducamus, sic requiritur in manducantibus. Præterea, vt est hic cibus sacramentalis, à prophanis cibis distinguendus, 1. Corinth. 11. sic etiam ipse panis azimus non vulgaris, accommodatè repræsentat hãc distinctionem à cæteris cibis, cùm sit purissimum quoddam in hoc genere panis. sic etiam in vet. lege Leuit. 24. Panes

propositionis, cùm essent figura huius sacramenti, fiebant ex simila, quæ est farinæ defecatæ generosissima pars. Et certè plurimum valet in omnem partem, vt quod pertinet ad religionis cultum, distinguatur à communi: cùm videamus hereticos, hoc solo dignitatem sacramenti incredibiliter minuisse, quod in communi pane & poculo, ea quæ dicunt mysteria, proponunt. multum enim facit locus celebrationis, vt Paulus innuit eodem cap.11. tempus, qualitas panis, forma distincta, & cetera huius generis minimè vulgaria.

1.Cor.11. An Ecclesiam Dei contemnitis?

An requiratur panis fermẽtatus ex necessitate sacramenti.

16 Sed quia vtraque Ecclesia, exemplo Christi instituentis hoc sacramentum, suum morem tueri vult: Greca, quia existimat Christum in fermentato confecisse: latina, quia in azimo, & Greca ex facto Christi colligit preceptum, & hereticum asserat in azimo consecrare, ad examinandum alteram dubitationem, an fermentatus panis, vel azimus sit de necessitate sacramenti, diligẽter disputandum est: vtrũ Christus in azimo, vel fermentato confecerit hoc sacramentum. Quamuis enim, vt suprà ostendimus, & vsus veteris Ecclesie, & Concilij Florentini decretum, confirment indifferentem esse vsum fermentati, vel azimi panis, ad necessitatem sacramenti, & sacerdotes precepto Ecclesiastico teneri ad obseruandum morem sue Ecclesie: tamen quum recentiores Greci ex facto Domini velint colligere, ad Eucharistie confectionem, azimum panem requiri ex necessitate sacramenti, de hoc facto Domini exactius differere oportet: vt si constiterit Dominum consecrasse azimum panem, nullum in facto Domini patrocinium Greci habere possint, vt ipsi volunt. Nobis tamen asserendum est, vtrumuis panem consecrationi aptum esse, etiãsi constaret, in altero tantum Christum Dominum confecisse hoc sacramẽtum: quia Ecclesia catholica ab Apostolis edocta, vtrunque panem consecrabilem esse definiuit, vt suprà ostendimus. Vt autem exactior sit disputatio, argumenta Græcorum primùm consideremus, vt nostra deinde sententia, his refutatis, illustrior sit. Cùm igitur constet ex lege vet. in agni typici manducatione panes azimos assumendos esse, & proximis diebus consequentibus, nunquam licuisse pane fermentato vesci, quia esset festum azimorum, eo dirigitur omnis Græcorum argumentatio, vt ostendant Christum non eodem die fecisse Pascha (quo licebat tantum vti pane azimo) sed eo die, quo licebat vti fermentato, & ideò in eo Eucharistiam instituisse. Latini autem contendunt eo die, quo lege præscriptum erat, fecisse Pascha, & idcircò in pane azimo primum confecisse hoc sacramentum.

Exod.12.

17 Argumenta Græcorum hæc sunt. Primum, quia Ioannes cap.13. scribit hanc rem gestam fuisse ante diem festum Paschæ. Vnde colligunt Christum anteuertisse diem vulgarem, in quo Iudæi lege, & more maiorum Pascha faciebant, vt quod alij facerent Luna decimaquarta primi mensis, à Christo factum dicant, quadam præoccupatione, Luna decimatertia. Secundum argumentum est, ex c.18. eiusdẽ, vbi inquit, ipsos Iudæos in ipso die mortis Dominicæ non ausos fuisse ingredi prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha: nondum igitur Iudæi fecerant suum Pascha. Tertium est, ex Luc.23. vbi mulieres parauerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM: oportuit igitur mortuum fuisse ante diem festum, quia in ipso die non licuisset illis parare aromata, neque aliis sepelire. His addunt illud Mar. 14. Erat autem Pascha & azima post biduum: hoc verò dictum affirmant pridie cœnæ Dominicæ, & idcircò Iudæorum Pascha adhuc biduum absuisse. Prætereà, itinera & opera facta sunt in die passionis Dominicæ, quæ non licebat peragere in ipso festo Paschæ: cùm alij flagellarent Christum, alij clauis affigerẽt, alij alia facerent: & Simon etiam de villa iter fecerit, & Domino in cruce portanda cooperatus fuerit. Tanden concludunt ex Ioan. 19. Diem passionis Dominicæ, Parasceuen Paschæ appellari, hoc est, profestum futuri Paschatis. Ex latinis plerique existimant, se causa cadere, & Græcos efficere quod volunt, si Christus Luna decima tertia Pascha fecisse statuatur: quasi verò non sit in lege præceptum, Pascha, quocunq; die celebretur, cum azimis panibus comedendum esse: & ideò quocunque die Christus fecerit Pascha, habere potuit

& debuit azimos panes: nisi dicamus legem violasse tum, cùm tam studiosè implere curauit: & si non fecit Pascha iuxta legis præceptum, neq; fecisse quidem Pascha dicendus est, vt omnes Euangelistæ testantur.

18 Sed ostendamus distinctè, quo die mensis primi Christus fecerit Pascha, positis quibusdam principiis, quæ ex præceptis veteris legis colliguntur. Primò igitur accipiendum est, Iudæis menses fuisse lunares, & ideò inæquales, quia Lunæ cursus viginti nouem diebus & semisse, hoc est duodecim horis, constat & perficitur. primùm autem mensem & caput anni duobus modis computabant præcipuè, vno ad festorum celebrationem, altero ad cõtractus ciuiles. initium vtriusque computationis ab æquinoctio, illius à vernali, huius ab autumnali: vt esset computatio anni exacta, redeunte sole, ad idem punctum. Computatio anni ad contractus ciuiles sumebatur ab æquinoctio autumnali, quòd in mẽsem Septembrem incidit, sic Leuit. 25. præcipit Dominus numerari annos Iubilei, sabbathi, & omnium contractuum à decima die mensis septimi, qui dicitur Hebr. Thisri. Vernale autem æquinoctium, eodem primo puncto arietis semper contingit, sed non eodem die, & ideò licet esset principium anni Iudæis firmum & certum, non tamen dies idem mensis primi. Initium autem mensis constituebant in proxima vernali æquinoctio Solis cum Lunę coniunctione, & ab ea deinceps reliquos dies mensis computabant, secundam, tertiam, & sic deinceps, Lunam vocantes. Tempore autem Iulij Cæsaris, quo digestum & correctum est calendarium Romanũ, contigit æquinoctium vernale vigessima quinta die Martij, & tempore natiuitatis Christi inter vigessimam quartam & vigessimam quintam diem Martij: quia experimento compertum est centessimo quoque anno præoccupari diem vnum, vel circiter: & ita nostra ætate contingit, inter decimam & vndecimam diem Martij.

Mensiũ & dierum Hebraica computatio.

19 Cùm autem in calendario Ecclesiastico, fixum permaneat hoc æquinoctium vigessima prima die Martij, & tempus celebrandi Pascha Iudaicum, ab ipso vero æquinoctio computari deberet, & nostrum consequenti proxima die dominica celebrandum sit, cùm eadem Christus resurrexerit, fit necessariò, vt erremus in tempore celebrandi nostrum Pascha, si exactè computandum est proxima die dominica post tempus Paschatis Iudaici, vt primum celebratum est nostrum Pascha, cum Christus resurrexit. Hic verò primus mensis anni in celebratione festorum, Chaldaico vocabulo dictus in sancta scriptura Nissan, si prima lunatio, vel coniunctio solis & Lunæ antecedat ęquinoctium vernale, incidit in Martium mensem: si autem consequatur, plerunque in Aprilem, secundum quod annus embolismicus propriùs, aut remotiùs contigerit. fuit autem olim Romanis Martius mensis anni principium, vt ostendit appellatio Septembris & consequentium mensium, quæ à Martio, vt primo mense desumitur. Sed quoniam primum festum Iudæorum, fuit Phase, vel Pascha, quod ab illo nomine Græci deflectentes vsurpauerunt, & illud celebrandum esset decima quarta Luna ad vesperam, velut quidam Hebræi legunt, inter duas vesperas, vt præceptum est Exod. 12. Leuit. 23. Num. 9. & 28. Deut. 16. & hæc Lunæ computatio esset à coniunctione illius, vernali æquinoctio proxima desumenda, illud nunc disputatur, vtrum Christus celebrauerit Pascha Iudaicum eadem Luna decima quarta, iuxta legis præscriptum, an potius celebrauerit Luna decima tertia, præoccupando diem à lege pręfixum.

20 Consensus quidem Ecclesiæ catholicæ pro certo habet ex diuina scriptura, post manducationem agni Paschalis, Christum instituisse suum Pascha, vt complementum veteris, hoc est Eucharistiam: idque cõtigisse feria quinta nocte, qua Christus tradebatur, deinde feria sexta, quæ fuit Parasceue sabbathi, (quia in eadem præparabantur necessaria ad diem sabbathi, in quo ab illis operibus cessandum esset,) passum fuisse Dominum: & ad vesperam feriæ sextæ, sepultum, & in sepulchro quieuisse, reliquam huius feriæ sextæ partem, totum sabbathum, & partem incipientis dominici, & valde diluculo resurrexisse. quota autẽ Luna fuerit

rit hæc feria quinta, non exprimit sancta scriptura, reliqua omnia vsus Ecclesiæ confirmat in celebrandis huiusmodi mysteriis eodem ordine, quo contigisse diximus. Cùm autem nox Lunæ decimæ quartæ, qua nocte Pascha immolandum esset, & manducandum, possit intelligi, vel principium Lunæ decimæ quartę, quę à vespera in vesperam computabatur, vel terminus eiusdem, in celebratione Iudaici Paschatis, non potest intelligi nisi ea nox, quæ esset terminus Lunæ decimæ quartæ, & principium decimæ quintæ: lex enim Exod. 12. præcipit, vt noctem, in qua manducaretur Pascha, proximè consequeretur festum azimorum septem diebus continuatis: quod si nox manducationi Paschatis dicata, esset principium Lunæ decimæ quartæ, necessariò efficeretur, Lunam eandem decimam quartam ad festum azimorum pertinere, & non ad festum Paschatis: quod sanè repugnat sanctæ scripturæ, cùm ait eodem c. 12. primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azima, vsq; ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam: hoc est, à vespera quartæ decimæ diei, quæ est initium decimæ quintę, vsque in vigesimumum primum diem, nempè, septem diebus integris à vespera in vesperam computatis, azima manducandum est. illa igitur vespera, quæ erat initium Lunæ decimæ quintæ, manducandum erat Pascha, & septem deinceps diebus azima comedendum: adeò vt nulla in domo remaneret fermentum, adiuncta illa comminatione, quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die, vsque ad diem septimum: sed prima tantum dies, & vltima erat festiuitas venerabilis, in quibus nihil operis faciendum esset: exceptis his, quæ ad vescendum pertinerent, sicut eod. c. 12. scriptum est. Vnde constat hanc vesperam Lunæ decimæ quartæ, & eidem, & Lunæ decimæ quintæ posse adnumerari, quòd esset illius finis, & huius principium.

Vespera Lunæ 14. immolationi agni typici dicata.

Leuit. 23. à vespera in vesperam celebrabitis sabbatha vestra.

De duabus vesperis.

21 Quòd autem diximus pro eo, quod nos legimus, agnum esse immolandũ [ad vesperam] quosdam Hebr. legere [inter duas vesperas] Rabbini quidam & Iosephus sic distingunt, vt prima vespera sit, à tertia hora pomeridiana ad vesperam, altera verò ad noctem intempestam: sed scripturæ intelligentia à nobis proposita, non patitur has argutias in diuidendo, cùm simpliciter dicat [ad vesperam.] quod si adhuc legamus duas vesperas, erit prima vespera cum totus orbis solis tenet Orizontem, & altera, cùm nihil superest de radiis solaribus supra Orizontem, vt quidam exponunt, vt sit altera vespera, quod nos crepusculum vocamus.

C. & Lipom.

22 Deinde lex immolandi agnum Paschalem & typicum, ex eodem c. 12. Exodi proponenda est. decima die mensis primi tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. seruabitis eum vsque ad quartam decimam mensis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. edent carnes nocte illas assas igni & azimos panes cum lactucis agrestibus. non comedetis ex eò crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. nec remanebit quicquam ex eo vsque mane: si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes: est enim Phase, id est, transitus Domini. hæc sunt, quæ sancta scriptura proponit de immolatione agni legalis, & manducatione: alia verò, quæ ad alterum ex his duobus non pertinent, cõsultò prætermisimus, quòd essent à nostro proposito aliena.

Caremonia immolationis agni legalis.

23 His positis ad explicandam hanc cõtrouersiam præter sententiam Grecorum, supra propositam, quæ asserit, non Luna decima quarta, vt lege præscriptum erat, sed decima tertia præoccupauisse Christum agni legalis immolationem: est alia sententia, cuius meminit D. Thom. 3. p. q. 46. ar. 9. & in Catena super Lucam eam tribuit Eusebio, Iudæos furore & odio percitos, distulisse contra legem Pascha suum in diem

Diuersæ sententiæ de tẽpore, quo Dominus agnum typicũ immolauit.

in diem ſequentem, vt liberius incumberent in condemnationem & necem Christi. Sed hæc coniectura ſua abſurditate iacet, nec quemquam hodie defenſorem habet: & Mar. 14. ſcriptum eſt, primo die azimorum, quando Paſcha immolabant, diſcipuli, &c. hîc enim & mos Iudæorum, ſecundum legis præceptum, & Chriſti immolatio Paſchatis, eodem die facta ſignificatur. Tertia ſententia eſt quorundam recentiorum, qui ad vitandam apparentem diſcrepantiam Euangeliſtarum, de tempore Paſchatis à Domino celebrati, non dubitant aſſerere, Chriſtum nunquam feciſſe Paſcha Iudaicum, atque ea omnia, quæ de Paſchate in Euangelio commemorantur, ad ſui ipſius, vel in cruce, vel in cœna, immolationem referri debere. Sed hæc omnia, quia apertam vim faciunt Euangeliſtis, tam ſtudioſè deſcribentibus celebratum à Domino Paſcha, quod cæteri immolabant, vt paulo ante ex Marco retulimus, nec aliud erat, quod tunc Paſcha vocaretur, nõdum Chriſti Paſchate inſtituto, ampliori refutatione ſunt indigna.

24 Quarta ſententia eſt Pauli Burgenſis in additionibus, quam plerique ex recentioribus ſequuntur, conſtituentis duos legitimos dies celebrandi Paſchatis, eo anno, in quem paſſio Chriſti incidit: vnum Exod. 12. præſcriptum, quem Dominus tenuerit: alterum traditione inductum, quem Iudæi obſeruauerunt, nempè poſtridie eius diei, in quo Chriſtus diuino mandato Paſcha ſuum fecerat. Exiſtimauit enim Burgen. feſta, quæ inciderent in Paraſceuen ſabbathi, in ipſum ſabbathum transferenda eſſe: quòd duo feſta, in quibus nihil operis ſimul fieri licebat, continuò non potuiſſent celebrari: neque licuiſſe cibos præparare in ſolemnitatibus azimorum. Hac ratione putat etiam facile componi omnem apparentem Euangeliſtarum repugnantiam: vt, quæ Ioannes facta eſſe dixit ante feſtum Paſchatis, omnia intelligantur de feſto à Iudæis ſeruato per translationem: & quæ à cæteris Euangeliſtis primo die azimorum facta narrantur, de eo die, quem ex legis præſcripto Chriſtus obſeruauit. Nos autem, his omnibus omiſſis, eam ſententiam ſequamur, quam omnes ferè Theologi, & ſenſus totius penè Eccleſiæ comprobauit: Chriſtum ſcilicet, eodem à lege præſcripto die, Paſcha cum reliquo fideli populo feciſſe. ea primùm ex narratione Euangeliſtarum confirmatur. Matthæus inquit cap. 26. prima die azimorum acceſſerunt diſcipuli ad IESVM, vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? hîc vides ex tempore præſcripto Paſchati Iudaico, ad eiuſdem celebrationem excitari Dominum. apertius Marcus cap. 14. primo die azimorum, inquit, quando Paſcha immolabant, dicunt diſcipuli, &c. conſtat enim hîc ſignificari tempus, in quo cæteri Paſcha immolarent. Lucas omnium maniſeſtiſsimè cap. 22. venit dies azimorum, in qua neceſſe eſt occidi Paſcha: hæc neceſſitas eſt præcepti, in quo iuxta legem oportebat Paſcha immolari. de hoc autem legitimo die paulò ante Dominus Apoſtolis dixerat, vos ſcitis, quia poſt biduum Paſcha fiet: neque enim aliud tempus nouerant celebrandi Paſchatis, niſi à lege præſcriptum.

Vera ſententia colligitur ex Euang. & Patribus.

25 Conſentiunt etiam Patres veteres, Chryſoſt. hom. 82. in Matth. apertè ſcribit, Chriſtum ea die, quam lex præſcripſit, ſeruaſſe cæremoniam, vt vſque ad vltimum diem oſtenderet, ſe non eſſe legi cõtrarium. Hieronym. etiam Matth. 26. hic dies, inquit, azimorum eſt decimus quartus primi menſis, quando agnus immolatur, & Luna pleniſſima eſt, & fermentum omne abiicitur. Auguſt. ep. 86. ad Caſulanum, Matthæus, inquit, Euangeliſta vocat quintam ſabbathi primum diem azimorum, quia in eius veſpera ſequente, futura erat cœna Paſchalis, in qua incipiebat azimum & ouis immolatio: idem omnes alij veteres Patres ſentiunt. quare hec anticipatio Paſchatis, quam Græci ad tuendum fermentum fingunt, & Chriſto Domino tribuunt, his teſtimoniis Euangel. & Patrum plane exploſa eſt. eiſdem etiam refutatur translatio eiuſdem feſti, ex Paulo Burgenſi ſupra commemorata.

Theodoret. q. 24. in Exodũ.

26 Reliquum eſt, vt obiectionibus & argumentis Græcorum & Burgenſis reſpondeamus: optimè inter ſe & cum noſtra ſententia Euangeliſtas conſentire. id vero fiet apertius, ſi ex veteribus Patribus, Innocentio III. lib. 4. de myſter. capit. 4. & D. Thom. 3. part. q. 46. art. 9. vocabulum Paſchæ diſtinxerimus. Primùm enim vſurpatur pro agno, quem immolabant

Refutatio obiectionum.

immolabant Iudæi, vt Luc.22. Occidi Pascha, & parare tibi Pascha. Deinde Pascha dicitur ipsa festiua immolatio & manducatio agni, vt Leuit.23. & Numer.28. mense primo quartadecima die mensis Phase Domini erit. Tertiò, pro præcipuo festo & solemnitate Paschali, quæ obseruabatur non eò die, quo agnus immolabatur, sed sequenti, nempe decima quinta Luna: sic enim expresse legitur eod. c.23. mense primo, decima quarta mẽsis, ad vesperum Phase Domini est: & decimo quinto die mensis solemnitas azimorum Dñi est. qua vna distinctione omnia, quę in speciẽ pugnare videtur, facilè cõciliari possunt: præser tim illud Ioan.13. antediem festum Paschę, quo testimonio Græcorum sententia pręcipuè nititur: non enim dixit, ante diem Paschæ, vel ante Pascha, Phase, aut agni im molationem, aut ante primùm diem azimorum, vt Græci exponunt recentiores: sed ante festum, idest, solemnitatem Paschæ, quæ sequenti post die obseruabatur, decima quinta Luna, qua Christus crucifixus est. Luna decima quarta ad vesperam, immolato agno typico, & instituta Eucharistia post habitum illum sermonem, quẽ solus Ioannes scribit, & post orationem in horto traditus est Dominus à Iuda Iudæis. & Luna decima quinta, idest, primo die azimorum crucifixus est in Parasceue sabbathi, contrà Onuphr. lib. 2. fast. p.306.

Paschatis distinctio ad concordiã Euãg.

27 Vnde dicebant Iudæi Matth.26. Nõ in die festo, ne forte tumultus fiat in populo: cum tamen vicerit furor, opportunitas rerum gerẽdarum, autore Iuda, & Dei pro uidentia, vt etiam in magna solemnitate, contradicentibus multis, necem Dñi operarentur. loquitur ergo Ioannes, non de quouis die præcedente festum Paschæ, sed de ipso profesto, quem proinde vocat diẽ ante festum: & idcirco est idem dies, quẽ cęteri Euangelistæ appellant primum azimorum, quia ad vesperam, idest, secundis vesperis eius diei, agnus occidebatur, & in troducebatur azima: nec amplius septem diebus continuis licebat Iudæis habere fer mentum. Quartò, dicitur Pascha ipsum festum azimorum, quod immediatè consequebatur agni immolationem. sic Ioan.18. cap. vsurpat, cum ait, Iudæos non ingressos prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, hoc est, azimos panes, quibus vesci oportebat septem diebus ab agni immolatione, sicut scriptum est Exod.12. Cauetur autem legalis contaminatio toto tempore Paschali ad manducationem azimorum, non minus, quàm ad agni immolationem: quod Burgensis immeritò negat, contra sententiam D. Augustini, tractat.114. in Ioannem, cum ait, dies iam agere cœperant azimorum, quibus diebus contaminatio erat illis, in alienigenæ habitaculum introire. Vnde constat Pascha dici totum festum azimorum, vt Act.12. dicitur de Petro, volens post Pascha eum producere populo, cùm tamen paulò ante scriptum sit, erant tum dies azimorum.

28 Sed id vrgent aduersarij plurimum, non potuisse mortem Domini incidere in ipsum festum azimorum, hoc est primum diem, in quo nihil operis fieri licebat: & Ioannes inquit, illum diem fuisse Parasceuen Paschalis festi: tum quia religio festi impediebat omnia iudicia, accusationes, & opera sepulturæ, quæ eo die & à bonis, & à malis, non solùm Domino, sed & furibus impensa sunt. Ad hæc respondemus Parasceuen Paschæ non esse profestum, aut vigiliam, cùm nullum festum Iudaicum habuerit Parasceuẽ præter sabbathum, pro pter mysterium summæ quietis in eo obseruatum. hanc vero Parasceuen fuisse sabbathi profestum, cæteri Euangelistæ apertè contestantur: sic enim Marcus de eodem die loquens, quia erat Parasceue, quod est ante sabbathum, & Luc.c.23. dies erat Parasceues, & sabbathum illuscebat: & Ioannes seipsum explicans ait, quia Parasceue erat, ne manerent in cruce corpora sabbatho. Vnde ad alterum respondetur, quod opera iustitiæ & iudicij, quibus se obsequium Deo præstare putabant, fieri potuerunt in festo quocunque, sabbatho solo, vel traditione, vel diuino præcepto excepto. concilium autem Iudæorum Matth.26. necem Christi volens differre, religionem festi non expectauit, sed tan tùm populi tumultum. affirmari etiam potest Gẽtiles pręsides non habuisse eã rationem dierum, cum videamus latrones in eodem festo publico iudicio condemnatos: reliquorum autem, illud fuit pręcipuũ studium, ne in sabbatho corpora in cruce remanerent, & vt sepelirentur ante sabbathum: neque de alio festo fuit vlla cura. Sic responsum

Obiectio prima.

Secunda.

Ad primã.

Parasceue in qua Christus passus est.

Ad secundã.

responsum sit Græcorum obiectionibus. Pauli verò Burgensis & aliorum fundamẽta perabsurda sunt, quibus volũt tueri trãslationẽ illã immolationis agni. primũ, quia falsum est non posse duo festa continuò celebrari, cum præceptum sit festum azimorum, consequens agni immolationem septem diebus continuis, nulla sabbathi exceptione proposita. illud deinde cõfictum est, non licuisse parare cibos in solemnitatibus azimorum, expiationis, tabernaculorum & similium, magis quàm in ipso sabbatho: cum Exod.12. apertè concedatur paratio ciborum in festo azimorũ. sed de responsionibus ad argumenta aduersariorum satis dictum est.

29 Ex his constat distinctè & partite tẽpus institutę Eucharistię, nempe 14. Luna, immolato legali agno ad vesperam, quod erat principium Lunę 15. vnde Concilium Tridẽt. sess.22. c.1. celebrato veteri Pascha, quod in memoriã exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriã transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitq; de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Itaq; tres Christus Luna 14. ad vesperam cœnas celebrauit, vnam legalem, in qua manducatus est agnus typicus: alterã communem, ex qua surgens lauit pedes Apostolorum: & tertiò sedẽs cum eisdem mysticam cœnam perfecit, instituens hoc sacramentum, & sacrificium. Illa sententia Domini, desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, si accipiatur post agni typici manducationem, de Christi tantum Paschate intelligitur. Eusebius Emise. citante catena D. Thomæ. Hieron. Matth. 26. Tertul. lib.4. in Marc. Chrysost. ho.83. Isichius lib.2. in Leu. c.22. si verò priusquã manducaretur agnus typicus, desiderium refertur ad Pascha Iudaicum, vt præparatorium Paschatis Christi, & non propter se. Quòd si ab immolatione agni, nẽmini licebat vesci fermentato pane, neque domi habere fermentum, certè non potuit Christus hoc sacramentum instituere, nisi in pane azimo: quod erat nobis propositum in hac disputatione, ad confirmandum vsum Ecclesiæ Latinæ, quę consecrat panem azimum, & refutandam hæresim recentium *Exod.12.* Græcorum, qui fermentatum panem tantum volunt esse materiam huius sacramenti, non azimum nos verò: vtrunque, modò triticeum, sed decentius azimum, vt ostendimus.

30 Constat etiam ex his, vnde orta fuerit olim tempore Victoris I. controuersia de tempore celebrationis nostri Paschatis, vt refert Eus. lib.5. eccl. hist. à c.33. ad finẽ libri, Niceph. li.4. c.36. & li.6. c.18. asserentibus Oriẽtalibus quibusdã 14. Luna mensis Martij celebrandum esse, quocunque die ea Luna incidisset, & quocunque die septimanæ, incidente Luna 14. ieiunium quadragesimæ soluendum esse, quòd eo die Christus Pascha celebrauerit. Contrà sentiebant alij Orientales & omnes Occidentales. tandem definitum est in Concilio Nicæno, vt eodem die celebraretur Pascha ab omnibus ecclesiis: & Iudaicum esse obseruare lunam 14. hoc decretum non habetur modò in Concilio Nicæno, sed extat epistola Constantini Imperat. referens huiusmodi decretum apud Nicephorum lib.8. cap.25. & lib.12. c.32. & sequentibus, apud Socratẽ lib.5. c.22. nõ videtur tamen hoc decretũ ab omnibus receptũ, quia eadem contentio de tempore celebrandi nostrum Pascha durauit ad tempora Leonis I. vt constat ex illius episto. 64. 65. & 95. imò verò & tempore Gregorij I. vt constat ex lib.7. ep.8. indict.2. extat autẽ decretũ Pij ep.1. de cõs. d.2. c. nosse vos volumus: & Victoris ad Theophilum Alexã. Episcopum ead. d. c. celebritatem, vt die tãtum Dominico celebretur Pascha & soluatur ieiunium Quadragesimę. de eodẽ sunt decreta Aurelianẽ.4. c.1. Carthaginen.4. cap.65. Toletani 4. can.4. quare asserere in Euangelio celebrãdum esse nostrum pascha Luna 14. hęreticum est dogma, eorum qui dicti sunt Tessarescedecaditæ, idest, quartadecimani, vt inquit Epiphan. hæresi 50. August. de hæres. c.29. quia constat ex epist. D. Pauli ad Rom. Galat. Hebr. abrogatam esse legem veterem, & ideo in Euangelio hæc tẽpora obseruare, Iudaicum est, vt inquit Paulus Galat.4. *Cõtrouersia antiqua de tempore celebrandi nostrũ pascha.*

Quæstio.

¶ *Quæstio. An vinum sit aqua in calice Domini permiscendum?*

1 Reliqua est dubitatio pertinens ad vinũ, alterũ partem materię huius sacramenti, sit ne aqua permiscendum? & quidem ad necessitatem sacramenti, aquæ permistionem non esse necessariam, hoc est, sine ea verum confici sacramentum: necessariam tamen esse ex præcepto, vt sine graui peccato administrãtis sacramentum omitti non possit, certa est & aperta Ecclesiæ catholicæ sententia: quæ vinum & panem triticeum necessaria assumit ad sacramenti confectionem, aquam nõ ad necessitatem sacramenti permiscet, sed quia ita creditur, Dominum, temperatum vinum, vt temperatis hominibus moris est, sumpsisse & consecrasse, & ad significandam populi fidelis cum Christo capite vnionẽ: quia aqua populum repræsentet, vt definitum est in Concil. Florent. in doctrina de sacramentis sess. vlt. & in Trident. sess. 22. cap. 7. & quia è latere Christi pendentis in Cruce aqua simul cum sanguine prodierit, hoc autem mysterium effusi sanguinis, cõsecratione vini separatim, repręsentatur. Sed quia recentiores Gręci vitantes hæresim aquariorum, occasione immeritò accepta ex Chrysost. hom. 83. in Matt. vt in Cõcilio generali sexto legimus, negãt in calice apponendam aquam, & post consecrationem aquam calidam iniiciunt, vt accepimus ex Nicolao Cabasila in comment. ad Gręca liturgica, quos Eugen. IIII. post Florentinum concilium ad ecclesiasticum morem reuocare conatus est: & quia Caluinistæ obseruationem Ecclesiæ contemnunt, non quia per se illicitam, sed quòd neq; necessariam iudicent, neque expresse cõmendatam in Euangelio, ideò obseruationem Ecclesiæ catholicæ, ex antiquæ & veteris Ecclesiæ decretis, Patribus, praxi & vsu cõfirmabimus. Decreta igitur conciliorũ plurima sunt, quæ præcipiunt, non offerri vinum, nisi aqua permistum, Carthaginen. 3. c. 24. Braccaren. 3. c. 1. sexta Synodus generalis can. 32. Triburień. concilium c. 19. Florentinum in doctrina de sacramentis, Trident. sess. 22. c. 7. Decreta Pontificum referuntur de cons. d. 2. in quibus primus habetur, qui hoc definierit, vt receptũ in Ecclesia Alexander V. à Petro in ep. ad omnes orthodoxos, Iulius in epist. ad Episc. Ægypti, Martinus Papa ead. dist. c. non oportet, Innocentius III. c. cum Marthæ de celebrat. miss.

Conciliorum et Patrum decreta de aqua vino in calice permiscenda.

2 Alij etiam Patres eisdem consentiunt, Iustinus martyr in apol. 2. Christianos, inquit, offerre panem & calicem aqua dilutum. Irenæus ob hanc aquæ permistionem calicem eucharisticum vocat temperamentum lib. 4. c. 57. & initio libri quinti appellat vinum mixtum. D. Cyprianus ep. 3. li. 2. de hac re scripsit, ostendens, quòd aduersetur Christi institutioni, aut aquã solam, aut vinum solum in sacrificium offerre. idem probat. D. Ambr. lib. 5. de sacramentis c. 1. D. Aug. lib. 20. de dogmat. eccles. c. 75. li. 4. de doct. christiana c. 21. Damas. lib. 4. c. 14. Beda super 14. Marci, Paschasius lib. de corp. & sanguine Domini, nec quisquã est, qui contrarium docuit, aut data occasione idem non docuit. Consentiunt ritus missarum Græcarum & Latinarum. in Liturgia enim D. Iacobi in sacra actione dicitur, Christus accepit calicem permiscens ex aqua & vino: in Liturgia Basilij sic, accipiẽs & miscens calicem: in missa Chrysostomi, mittens vinum & aquam in calicem. sic in Ambrosiano officio, quod nunc Mediolani obseruatur: sic in Gregoriano, quo Romana Ecclesia vtitur, & in omnibus aliis formulis ab Ecclesia catholica & Romana probatis.

3 Rationes eiusdem permistionis facile colliguntur ex eisdem Patribus & conciliis. Prima ex imitatione Domini, quòd sic calicem vini aqua temperauerit, & eius exẽplo ad Apostolos primùm, ab his ad vniuersam peruenisse Ecclesiam. sic aperte testatur Cyprianus ep. citata, & ritus Liturgici, quos citauimus, in ipsa consecrationis actione insinuant. Altera ratio est, vt ex apposita aqua fiat magis expressa repręsentatio sanguinis Dominici effusi, quòd ille cruor fuerit aqua permistus, vt Ioannis 19. scriptũ est, cõtinuò exiuit sanguis & aqua, quàm sententiam Euangelicam, Diaconus in Liturgia Chrysostomi, cum aquam vino infundit, solemni ritu pronuntiat. eandem rationem sequitur Ambr. lib. 5. de sacramẽtis c. 1. illud addens, per aquæ admixtionẽ grande mysterium peragi, & figurã fluentis aquæ de petra, & bibentis plebis impleri, dum aqua redundat fideli populo è calice in vitam æternam. Tertia causa est, ad repræsentandam cõiunctionem fidelis populi

Rationes eiusdem permistionis.

Flor. cõc. Trid.

Alexand. I.

puli cum Christo capite, quia aquę populũ designant Apoc.17. de qua multa Cypria. ead. ep. adeò vt asserat, si vinum tantũ quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quod non est de existentia reali intelligendum, sed de repræsentatione. Huiusmodi autem rationes nõ euincunt, aquam esse de necessitate sacramenti, sed iustis causis ex maiorum traditione ab Ecclesia præceptam esse. Prima enim ratio ex imitatione Christi nõ efficit, hoc similiter præcepisse nobis ad necessitatem sacramenti: quia multa fecit Christus in sacramẽtorum institutione, quę non sunt de necessitate sacramenti, vt multa verba adhibuit, sine quibus tamen sacramentũ perficitur: & vno genere panis & vini vsus, nõ exclusit cætera, etiamsi nõ essent de eadẽ specie. Similiter vt supra ostendimus, vinũ vitis præcepit vt materiam necessariam, secundum Patrum & Ecclesiæ catholicę interpretationem, aquam permisceri voluit, sed vt necessariam ad veritatem sacramẽti non præcepit. Aliæ verò duæ rationes ex maiori & expressiori significatione deductę, non possunt necessitatẽ sacramenti cõcludere, quia significatio expressior nihil ad eam facit: vt baptismus trina immersione celebratus expressius significat, sed nõ pertinet ad necessitatem sacramenti, cum satis sit vnica, vel saltem aquę aspersio.

Conc. Brac. Trident.

Vis earundem rationum.

Permistio aquæ in calice est præcepti Ecclesiastici.

3 Sic definitum est, permistionem aquę in calice, ex præcepto Ecclesiæ, non ex necessitate consecrationis inductam esse, in Concilio Florentino his verbis: calix Dominicus iuxta canonum pręceptum vino & aqua permixtus debet offerri. & apertius in Concil. Trident. c.7. Sess.22. præceptum est, inquit, ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant, &c. idem etiam olim apertè docuit Innocent. lib.4. de sacr, alt. myst. cap.33. & omnes Theologi cõsentiunt. quorum hęc ratio est: si aqua esset de necessitate sacramenti, ob id tantum esset, quod esset de essentia materiæ Eucharistię: constat autem secundum rectam fidem, tantum esse panem triticeum & vinum vitis: aquæ igitur permistio non est de necessitate sacramenti. Vnde de quantitate aquę in calicem infundẽdæ pręceptum est, vt ea, proportione vini infundatur, quę facilè in aquam cõuerti possit. Sic Honorius Pontifex c. perniciosus. de celeb. miss. tantam aquam vult adhiberi, vt lõgè plus vini in calice existat, vt semper possit, aut statim, aut ante consecrationem saltem in vinum commutari: & Concil. Florent. ne quid in hac permistione erroris contingere possit, modicissimá aquam iubet infundi. etenim si plus aquæ, aut æqualis vino aqua permisceatur, permistio & confusio vnde prodiret, tertium quoddam efficeretur, non autem conuersio in vinum, (quod tamẽ est de necessitate sacramenti,) vt docent omnes physici, de mistione differentes. illud ergo tutissimũ est, vt modicissima aqua calici infundatur ad repræsentationẽ mysterij, & ad facilem cõuersionem in vinum, quod necesse est suam veram naturam retinere, vt consecrari possit. Hoc significauit ex omni antiquitate vnus D. Cypria. epist.3. sæpe citata, cum ait, copulatio & coniunctio aquæ & vini sic fit in calice Domini, vt commisceantur, & coadunatione confusa sibi inuicem copulentur, vt non possit esse separatio. quamuis igitur aquæ admiscendæ adeò graues causæ sint, vt eam sine mortali peccato præterire non liceat, ea tamẽ si desit, & adsint cętera necessaria, verũ sacramentũ constabit. In hũc sensum accipienda sunt, quæ Cyprianus vehementius in Aquarios inuectus, eadem Epist. 3. scribit, etiam si necessitatem sacramenti continere videantur, vt cum ait, non posse solum vinum offerri, hoc est benè & legitimè sine peccato, & aliqua offensione expressionis significationis: & cum ait, sic non fieri sacrificium ex solo vino, sicut neque ex sola aqua, aut sola farina. Intelligendum est enim non esse absolutam comparationem per omnia, sed in eo tantum consistere, quod sicut vnum non committitur sine grandi scelere, ita neque alterum sine grauissimo peccato. Sunt autem, qui existiment D. Cypriano visam esse aquam de necessitate sacramenti: sed eum ab hac sententia D. Tho. & cæteri Theologi vindicare conantur.

Quãtitas aquæ permiscendæ.

Cypriani sententia explicatur.

4 Verũ in hac permistione aquę duo errores cauendi sunt, refutati in c. cum Marthæ de celebr. miss. vnus eorum, qui cõtendunt aquam calici infusam permanere in sua specie, tam in vino ante consecrationem, quàm in sanguine post consecrationem, & ita sit aliqua substantia in calice Domini, non subiecta conuersioni & trã-

ſubſtantiationi. Refutatur facilè ex forma calicis, quę de toto eo, quod continet, verè pronuntiat: hic eſt calix ſanguinis mei, quod non eſſet verum, ſi contineretur aqua in ſua natura, & populus conſuetudine recepta, totum quod eſt in calice, adorat. quod adeò verum eſt, vt ſi pro aqua naturali, alius ſuccus in ea, qua nunc aqua quantitate permiſceretur, vt roſacea, non minus conficeretur ſacramentũ, quàm ſi nihil admiſtum eſſet: quia modica illa aqua, vel ſuccus in vinum conuertitur, & vinum vi conſecrationis in ſanguinem. Alter error eſt eorum, qui volunt aquam ſeorſum verti in aquam, quæ manauit ex latere Domini, & vinum ſeorſum in ſanguinem. Sed facilimè refutatur, cum non habeat Eccleſia formam, qua poſſit aquam conuertere, ſed vinum in ſanguinem, neque forma efficere poteſt aliud, quàm quod ſignificat, & conſtat formam calicis tantùm ſignificare ſanguinem Chriſti, & nullo modo aquã, quæ de latere illius fluxit. Hęc dicta ſint de materia huius ſacramenti.

Quæſtio de forma huius ſacramenti cum catholicis.

1 DE forma huius ſacramenti, hic neceſſario nobis differendum fuit, quòd ea ſit conuerſionis cauſa & conſecrationis, & hæc pręſentiæ Chriſti ſubſtãtialis in Euchariſtia, & de cauſis vt natura prioribus prius dicẽdũ eſt. De forma autẽ multiplex eſt doctrina, quæ quatuor partibus cõtineri poſſe videtur, eſſe aliquam formã certis & conceptis verbis comprehenſam, quæ materię ſubiectę applicetur, non perſonæ recipienti ſacramentum: quæ ſint huiuſmodi formæ verborum, pani & vino accommodandæ: quis ſenſus verborum legitimus: quæ denique in materiam ſubiectam efficacia. In his autem omnibus habemus totam Eccleſiam catholicã circa eſſentialia ſacramenti cõſentientem, repugnantes autem Caluinianos in omnibus. & Proteſtantes in quibuſdam. De omnibus noſtro more ſententias breuiter cõprehenſas proponemus. Prima ſit, neceſſe eſt in hoc ſacramento eſſe formam definitam. Ratio prima eſt, quia hoc poſitum eſt omnium ſacramẽtorum nouę legis cõmune, vt materia & forma conſtent, & hanc definitis verbis contineri, vt accedente forma ad materiam fiat ſacramentum, quod D. Auguſt. tractat. 80. in Ioann. de baptiſmo ſic expreſſit, accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum. ea verò ſententia à Conciliis Florent. & Trident. atque tota deinceps poſteritate, ad reliqua ſacramenta traducta eſt. Quod ſi aduerſarij certam materiam in baptiſmo, & præſcriptam formam admittunt, cur ſimiliter in hoc ſacramento non admittent? aut ſi materiam eſſe definitam credunt, cur non formam. cum vtraque ex Chriſto inſtituente hoc ſacramentum plane deriuetur. *Eſſe huius ſacramenti definitã verborum formam.*

2 Conſentiunt Patres, D. Auguſt. lib. 20. contra Fauſt. cap. 23. noſter panis, inquit, & calix, certa conſecratione fit myſticus nobis, & non naſcitur, proinde, quod ita non fit, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis. Cyprian. de Cœna Domini, ante verba ille cibus nutriendis corporibus commodus erat, & vitę corporalis ſubſidium miniſtrabat, at poſtquam eſt ſolenni benedictione ſacratus, ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit. Iuſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis, eleganti ſimilitudine incarnationis, idem ſic explicat. non vt vulgarem panem, aut vulgare poculum hoc ſumimus, ſed quẽadmodum per verbum Dei caro factus Chriſtus, ſic per verbum precationis ſacrari ab ipſo alimoniam. Irenæus lib. 4. cap. 34. panis, qui eſt ex terra percipiens vocationem Dei, iam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia. ita D. Ambroſ. lib. 4. de ſacramentis, cap. 4. & lib. 5. cap. 4. ſermone & verbis Domini, hoc ſacramentum confici accuratè docet. Neque cuiquam patrum venit in mentem, fide ſola, perceptione, concione aut hiſtoria inſtitutionis huius ſacramenti recitata, Euchariſtiam fieri. quare Patrum veſtigiis inhærens Eccleſia Catholica, ſic ſemper adminiſtrauit, & confecit hoc ſacramentum, certa verborum forma ſubiectæ materiæ applicata, vt in Concilio Florentino definitũ eſt, & praxis Eccleſiæ catholicæ retinet. Quocirca hæreticum eſt quod olim aſſeruerũt Manichæi, vt eodem cap. 13 refert D. Auguſt. panem ſacramentalem non fieri, ſed naſci, & ideo reiiciebant benedictionem vel conſecrationem, quæ verbis fit.

3 Recentiores autem aduersarij, quia negant Christum adesse in sacramento realiter & substantialiter, verborum consecrationem tollunt: quia per eam verentur præsentiam induci & confirmari. qua verborum consecratione reiecta, quidam ex illis concione habita ad populum de vsu ac institutione cœnæ, alij prece quacunque libera & indifferente, alij historiæ tantum recitatione, præsertim ex diui Pauli, 1. Corinth. 11. quòd in ea hoc sacramentum, panis sæpè dicatur, quo verbo illi volunt transubstantiationem tollere, præsertim Protestantes. alij fide recipientis, & mentis designatione, qua separatur panis Eucharisticus à cæteris cibis non mysticis. alij denique manducatione, fractione & vsu, hoc sacramentum confici volunt. Quæ omnia illo fundamento falsò nituntur, sacramenta tantum pertinere ad instructionem & doctrinam fidei, & nihil effici ex vi sacramenti, quod dicunt ex opere operato: contra quam sententiam de sacramentis in genere suprà disseruimus. Eam verò formam materiæ sacramenti applicandam esse, non solùm illa ratione generali concludere volumus, quod in omni sacramento nouæ legis, materiam formæ coniungi oporteat, vt perfectum sit sacramẽtum, sed ex propriis, quæ Christus in institutione huius sacramenti effecit, & nos similiter facere præcepit. Christus igitur, vt referunt tres priores Euangelistæ, & D. Paulus 1. Corinth. 11. dicitur, gratias egisse, benedixisse, & fregisse panem, & calicem distribuisse. Aduersarij autem, benedictionem & gratiarum actionem idem esse volunt, gratias autem egisse Deo, & benedixisse, non panem aut vinum, sed Deum: & ideo nullam ex verbis materiæ mutationem concludi posse, cum non sint materiæ applicata, sed ad Deum tantum relata: nos autem contendimus, siue sit idem benedicere, & gratias agere, siue sint actiones diuersæ, benedictionem esse subiectæ materiæ panis & vini, quam prius Dominus benedixerit, deinde benedictam Apostolis distribuerit.

Benedictio Christi instituentis hoc sacramentũ, respicit subiectam materiam panis & vini.

4 Id verò primùm probatur ex Marco, qui expressè inquit, accepit panem, benedixit & fregit, quæ omnia constat referri ad eundem panẽ. Confirmatur, quia ex omnibus constat, non prius benedixisse, quàm materiam in manus sumpserit, quasi benedictio ad eam esset omnino referenda. Diuus etiam Paulus, 1. Corinthio. 10. poculum, inquit, quod benedicimus, vbi benedictio vinum afficit. Quod si gratias agere Euangelistis, est idem quod benedicere, vtrumque ad subiectam materiam pertinebit, vt veteres Patres significant, appellantes hoc sacramentum, panem eucharistizatum, hoc est, gratiarum actione confectum. & certè si Euangelistarum & Pauli loca inter se conferantur, videbitur sanè idem esse gratias agere & benedicere. De pane enim Marcus dixit benedicere, de calice gratias agere; sed illa benedictio panis, dicitur à Matthæo, Luca, & Paulo gratiarum actio, & 1. Corinth. 14. vnum pro altero vsurpatur. Quare non oportebat aduersarios fraudulenter pro his duobus semper vnum dicere, quod est gratias agere, quasi hoc sit magis accommodatum, vt in Deum referatur, quàm benedicere, quod rem subiectam videtur afficere: nostri autem pro duobus Græcis: Euxaristein, & Eulogein, duo etiam æqualia Latinis reddunt, gratias agere & benedicere. Cur igitur, si pro eodem videtur sumi ab Euangelistis, & alterum rei subiectæ applicatur, nempè benedicere, quia casus rei subiectæ, applicationem istam requirit, quia dicitur benedixisse Dominus panem, non similiter intelligitur alterum materiæ subiectæ applicari? si quidem ex manifestioribus, obscura debent illustrari. Cur etiam, si idem valent, vt aduersariis placet, omissa hac applicatione expressa, benedictio accipietur pro gratiarum actione, & hæc ad Deum referetur, vt ea ratione in nullam materiam benedictionem transisse fraudulenter concludatur? repugnante præsertim antiquitate, quæ benedictionem & gratiarum actionem ad res subiectas accommodat.

Iustinus & Ire. infra de transubstant.

An gratias agere & benedicere sint idẽ.

Prima sententia probabilis.

5 Scio valdè probabile esse, vt gratiarũ actio, & benedictio, duæ actiones Christi diuersæ sint, & illam referri ad Deum, hãc ad materiam subiectam, & quod sæpè accidit in Euangelistis, vt vna actio ab vno explicetur, altera ab alio: verbi gratia, hic narret Christum gratias egisse Patri, ille benedixisse panem. Quam sentẽtiam probabilem facit vsus omnium Ecclesiarum, & antiquissimorum Patrũ, in quorũ Græcis

Altera sententia etiã probabilis.

cis Liturgiis, ita Christus in sacram actionem inducitur, vt & gratias egisse Deo Patri, & benedixisse proposita dona dicatur. Iustinus etiam, & Dionys. cap. 3. Ecclesiast. hierarch. meminit gratiarum actionis siue hymnologiæ, & benedictionis circa ritum Synaxis. Græci in sua anaphora. 1. diuini ore parte missæ, dicunt Christum gratias agentem aspexisse, & simul panem eleuasse, & nomen & virtutem Dei super eum inuocasse. Similiter nostræ missæ diuinissima actio, quam ex Apostolorũ traditione conseruatã retinemus, refert Christum eleuatis oculis in cælum ad Deũ Patrem, ipsi gratias egisse, deinde benedixisse; quæ eleuatio inuocationem aut postulationem aliquã indicare videtur, vt Ioan. 11. in resucitatione Lazari, cælum prius aspexit, & gratias egit Patri, vt accipiens ab eo potestatem efficiendi rem admirabilẽ & stupendam. Hac autem gratiarũ actionis & benedictionis distinctione retenta, erit illa veluti præparatio, qua Christus Deum Patrem collaudasse & pro eximio dono gratias egisse dicatur, benedictio autem ad panem ipsum referenda est.

Si sunt duæ actiones, altera ex his, siue vna tantum, ea respicit subiectã materiam sacramenti.

6 Itaque siue illæ sint duæ actiones, altera earum, siue vna tantum, ea subiectam materiam panis & vini debet respicere, vt retineamus intelligentiam & sensum Marci Euangelistæ suprà explicatã. Quod autem aduersarij benedictionem referunt ad hymnum & gratiarum actionem, quæ nostras & Iudæorum refectiones precedere aut sequi solet, nulla probabilitate nititur; quia illa benedictio ad panem refertur, & gratiarum actio hymnus dicitur ab Euangelistis, cum dicunt hymno dicto, Christum à cœna surrexisse. Et quis vnquam legit hanc pro cibis gratiarum actionem, seorsum pani & seorsum vino fuisse accommodatam, in eadem cœna? & res sic benedicendas solenni ritu in manus sumi? Nos autem existimamus hanc gratiarum actionem, non esse nudas laudes, sed quales diximus, inuocationem, orationem, & benedictionem ipsius panis & vini complecti; & hoc totum continuata & eadem actione comprehensum physicè & reipsa: habuisse tamen plura rationibus & morali consideratione distincta, omnia tamen ad eandem panis benedictionem relata. quæ autem sit vis & efficacia huius benedictionis, & quod non sit sola dedicatio symbolorum ad vsum sacrum, in doctrina de transubstantiatione ostendemus.

Tertia sententia, quæ vtrique precedenti non repugnat.

Benedictio Christi quibus verbis facta sit.

7 Sed restat explicandum, quo modo Christus benedixerit panem & vinum, verbo ne an sola voluntate, aut impositione manuum, vt Mar. 10. videtur pueros benedixisse: aut quomodo nunc Ecclesia benedicit, signo Crucis. Respondeo Christũ verbis benedixisse, quia hoc ratio nominis declarat, & consuetudo sanctæ scripturę verbis exprimit Dei benedictionem, vt Gen. 1. Crescite & multiplicamini, generi nostro dictũ esse legitur, vt vim propagationis acciperet: Christus igitur verbis effectum exprimentibus aliquem benedixisse dicendus est. Quod si antiquis Patribus consecrare & benedicere sunt idem, vt in eadem doctrina de transubstantiatione ostendemus, & cõsecrationis in Ecclesia catholica præscripta & definita sunt verba, tam super panem, quàm super calicem, certè eisdem verbis Dominum consecrasse colligitur, siquidẽ quod nos facere precepit, idipsum prius fecit. sed quia plerique etiam catholici, non eisdem verbis Christum & nos consecrare asseruerunt, examinandæ sunt à nobis omnium de hac re sententiæ, vt cõstet quibus verbis Christus consecrauerit, vt inde colligatur, quibus nos consecrare oporteat.

8 D. Thom. q. 78. art. 1. ad primum, quatuor proponit sententias de forma consecrationis Christi & nostra. Prima est Innocentij III. lib. 4. de myst. cap. 6. asserentis, Christum virtute diuina confecisse hoc sacramentum, tum cum benedixit, vtrumq; potestate excellẽtiæ, vt sine forma illud faceret, quod nos nisi præscriptis verbis facere non possumus: & postquam sic confecisset, tradidisse nobis illa verba, quibus cõsecramus. Hæc sententia proponitur ab illo, sed non affirmatur, neque affirmari aut defendi potest. Primùm, quia illud benedicere, nec intelligi quidem potest sine verbis, vt nominis ratio ostẽdit. Secundò, quia hoc esset miraculum operari, non autem instituere sacramentum; cum hæc institutio sit formæ & materiæ applicatio: præsertim cum Christus non solum instituerit applicationem illam docendo, sed etiam administrauerit & confecerit, præcipiens vt similiter Apostoli facerent, illis verbis, hoc facite; vt igitur præcepit nos verbis conficere,

cere,

cere,sic etiam ipse confecit verbis & non potestate tantum excellentiæ. Altera sententia vult quidem Christum verbis, tum cũ benedixit,confecisse,sed non eisdẽ quibus nos conficimus. Sed facilè refellitur eodem argumento,quia nos ad imitationẽ Christi hoc sacramentum conficimus,quare vt ille eadem materia vsus est nec aliam nobis præscripsit, cur non eadẽ etiam forma vsus esse dicitur? præsertim cũ hęc verborum forma melius quadret in Christi personam,quam sacerdotis ministri, cum sacerdos formam proferens,gerat personã Christi. Vnde Concilium Florent. sess. vlt. in doctrina de sacramentis decernit, formam huius sacramenti esse verba Saluatoris,quibus ipse confecit. quare sententiæ quę ab hoc decreto dissentiunt, vix iam possunt ab hæresi excusari. Tertia sententia asserit Christum bis protulisse eadem verba,semel secretò ad consecrandum, & iterum apertè & publicè ad instructionem nostram,quomodo in Euangelio recitantur. Sed est absurda sententia& carens omni probabilitate, quia Ecclesia non vtitur his verborum formis,nisi vt à Christo adhibitis ad sacramenti confectionem, non quia prius secretò illas protulerit, sed quia ex testimonio Euangelistarum cõstet eas Christum super materiã protulisse. Deinde si Christus bis protulit, certè secunda repetitio non fuisset effectiua, sed historica, vel demonstratiua rei confectæ: quare cum nos imitemur secundam, hoc est publicam prolationem, sequeretur historicè tantum à nobis pronunciari; quod esset tollere rationem sacramenti, & non applicari subiectæ materiæ, vt postea apertius intelligetur.

Christus benedixit & consecrauit eisdẽ verbis, quibus nos consecramus.

9 Quarta sententia communis, & sine controuersia catholica, asserit benedictione Christum consecrasse,& eisdem verbis semel pronuntiatis,quæ Euangelistę referũt. Sed quando fuerint prolata, non constat expressè ex Euangelistis, vtrum ante fractionem & dationem, vel inter frangendum & distribuendum, quod D. Tho. magis congruere cum Euangelio existimat, vt Dominus benedicens, frangens & diuidens panem, atque etiam distribuens Apostolis,diceret, hoc est corpus meum, similiter porrigens calicem. Adhuc tamen negari non potest, esse in narratione Euangelistarum hysterologiam,idest, sermonis ordinem inuersum & permutatum: quia Marcus inquit,accepto calice gratias agens, dedit eis,& biberunt ex illo omnes,& ait eis, hic est sanguis meus; cum alij Euangelistæ atque Paulus, & ipsa ratio huius ordinis euincat,priorem fuisse pronuntiationem verborum super calicem ipsa sumptione, & consequenter ipsa distributione calicis inter omnes. Vt enim Ecclesia nunquam fregit nedum dedit panem ante prolata verba,quibus cõsecratio fit,sic neq; Christus Dominus,cum ex imitatione Domini,Ecclesia distribuat. neque illud etiam probabile est, Christum fregisse panem in tot particulas,quot erant percepturi,antequã proferret verba,vt quidam coniiciunt: & quod de micis cadentibus dicitur, si post consecrationem diuideretur,non tam difficile est ad soluendum, quam curiosum. quoniam is panis esse potuit, cum azymus esset,& minimè vulgaris, ad festi nempè celebrationem confectus, vt ex diuisione, micæ non defluerent; presertim cum eam curam Domini fuisse credendum sit, vt nec deciderent,nec perirent. Fractio igitur & distributio proximè consecuta est, verborum & consecrationis prolationem, vel saltem dum verba Christus proferebat,distributio facta est: sed prius factam consecrationem, & non inter frangendũ, significare videtur Marcus illis verbis: & cum benedixisset, hoc est postquam benedixit fregit. Vtcumque sit,illa sententia communis & catholica vera sit oportet, Christum consecrasse eisdem verbis prolatis, quibus nos in Ecclesia catholica consecramus. Primùm, quia Apostolos instituens noui testamenti sacerdotes, illis verbis [hoc facite] simul etiam præcepit, efficere eodem omnino modo, quo ipse effecerat; ipse autem accipiens panem & calicem vini, protulisse dicitur illa verba super eandem materiam: & hoc ipsum tã quam à Domino factum,imò verò in persona Domini,per suos ministros Ecclesia catholica frequentat: consecrauit igitur Christus eisdem verbis,quibus nos consecramus. Idem omnino docent omnes veteres Patres, quorum testimonia proferemus paulò post ad ostendendum, quæ sit forma panis & calicis determinata ex necessitate sacramenti, asserentes non aliis verbis fieri consecrationem, quam

An consecratio præcesserit distributionem.

quibus Christus benedixit & consecrauit.

10 De quatuor propositis in hac doctrina de forma huius sacramenti, duo priora absoluimus, esse formā aliquam materię applicandam, vt fiat sacramentum, & eā certis & pręscriptis verbis constare: tertium proxime explicandum consequitur, quæ nam sit huiusmodi forma, tam pani quam vino applicanda ad confectionem sacramenti. De hoc igitur tertio sit hęc conclusio. Forma super panem ad necessitatem sacramenti simpliciter necessaria est hæc, [hoc est corpus meum:] similiter super vinum hæc, hic est sanguis meus, vel hic est calix sanguinis mei: cæterę omnes partes, quæ in formis Græcis aut Latinis proponuntur, sunt necessariæ ex præcepto Ecclesiastico; neque vlla earum sine graui scelere prætermitti potest. sensus cōclusionis exclusione explicari debet, hoc modo: tantum hæc est forma, &c. cuius propositionis prior exponens scilicet, hęc forma est de necessitate sacramenti, prius explicatur: deinde probabitur altera exponens, scilicet nihil aliud pertinet ad eandem formam ex necessitate sacramenti. Probatur primò, quia D. Paulus 1. Corinth. 11. referens, quæ de hoc mysterio à Domino accepit, significanter refert, illa verba, hoc est corpus meum & hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, quod idem est, atq; hic calix est sanguinis mei: ergo hæc est legitima panis & calicis forma. Cætera autem verba addita ab Euangelistis & D. Paulo non pertinere ad essentiam sacramenti, postea ostendemus: nūc verò tantum ostendimus, illa esse de necessitate sacramenti, hoc est corpus meū, hic est sanguis meus, quibuscunque verbis idem sensus exprimi possit. Ostendimus enim in doctrina de sacramentis in genere, eandem esse formā verborum in sacramentis, quibuscumque verbis constet & dictionibus, & quocumque idiomate proferatur, modò sensus idem maneat. Sic ergo ex Euang. & Paulo constat, illas formas esse de necessitate sacramenti, vt sicut referunt accepisse materiā ad veritatem sacramenti: ita intelligātur illa verba ad eandē veritatē pertinere, quę super materiā Christus protulit: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Probatur secūdò, ex testimonio omniū Theologorū vtriusq; Ecclesię Gręcę & Latinę. Iustinus in fine Apologię 2. inquit Eucharistiā cōsecrari per verbū Dei, sicut Christus factus est homo per verbū Dei: sed illud verbum nō potest esse, nisi quod omnes Euāgelistę cōmemorant Christū dixisse, hoc est corpus, hic est sanguis meus: illa igitur verborū forma est de essentia sacramenti. Tert. lib. 4. cōtra Marc. panē inquit acceptū Christus fecit corpus suum dicēdo, hoc est corpus meū. Similiter Cypr. de cœna inquit, sacerdos panē profert & vinum, hoc est, inquit, corpus meum, ante verba illa cibus erat cōmunis: at postquam à Dño dictum est, & quotiescunq; his verbis & hac fide actum est, panis iste substātialis solēni benedictione sacratus, ad totius hominis vitā & salutem proficit. idē apertè Ambr. lib. 4. de sacramētis, c. 4. de myst. c. 9. D. Aug. serm. 28. de verbis Domini, Euseb. Emiss. ser. 5. de Paschatæ, Paschasius, lib. de corp. & sang. Domini. cap. 12. Chrysost. homil. 2. in 2. epist. ad Timot. quemadmodum inquit, verba sunt eadē, quæ olim Christus dixit, & quæ nunc sacerdotes pronuntiant: ita oblatio est eadem. & homil. de proditione Iudæ, sacerdotis, inquit, ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia: hoc est, ait, corpus meū, hoc verbo proposita dona consecrantur. Gregor. Nysse. in oratione catechi. panis, nō quia comeditur corpus Christi euadit, sed statim per verbum in corpus mutatur, & à verbo hoc, hoc est corpus meum. Idē Germanus Constantinop. in Theoria Ecclesiastica, & Damasce. lib. 4. de fid. cap. 14.

11 Denique idem definitum est ab Innocent. cap. cum Marthæ, de celebr. miss. Florentinum Concil. in decreto de sacramentis sess. vltim. & aliis multis decretis de conse. dist. 2. vt iam sine crimine hæreseos, dubitari de hac re non possit. Probatur tertiò ex praxi & vsu Ecclesiæ, quia omnes liturgiæ & missæ, quamuis in aliis sit aliqua diuersitas, omnes tamen pro forma consecrationis proponunt illa, hoc est corpus meum, super panem, &, hic est sanguis meus, vel calix sanguinis mei, super vinum. Quartò, ratio Theologica idē confirmat hoc modo: hæc forma panis & calicis, effectū sacramenti cōgruentissimè significat: est igitur illa forma huius sacramenti: cū omnis forma sacramēti nouæ legis effectum sacramenti debeat exprimere.

Forma huius sacramenti ex necessitate sacramenti, 3. p. q. 78. art. 2. & 3.

Patrū testimonia.

Decreta Ecclesiastica de forma huius sacramenti necessaria.

re. Cõfirmatur antecedés, quia per hác formá debet fieri corpus Christi accómodatè ad manducationem, & sanguis accómodatè ad potũ, quod vtraque forma conuenienter exprimitur: quia, hoc, significat substantiam sub accidentibus panis, & hic, in forma calicis, significat contentum sub accidentibus vini, vt postea explicabitur. Cũ autem cõuersio ista, sit quædam mutatio, & in hac sit terminus à quo, & terminus ad quem, etiã si momentanea est, verè dicitur esse, quod fit; & hæc tria sint in his formis, terminus à quo demõstratus pro nominibus, hoc, &, hic, terminus vero ad quem sit, corpus meum, &, sanguis meus: rectè sane illæ formæ huic sacramento accommodãtur. Cõfirmatur, quia vt in aliis sacramẽtis ea est forma conueniẽs, quæ significat effectum proprium sanctificationis insuscipiente, cum in solo vsu & applicatione consistãt: ita in hoc sacramento, quod non primò in vsu sed in materiæ cõsecratione cõsistit, illa forma cẽseri debet legitima, quę effectum consecrationis, hoc est realẽ corporis & sanguinis Christi præsentiam significat. Hactenus cõfirmata sit prior pars propositæ conclusionis, nempè illa esse de necessitate sacramenti, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, de qua nullus vnquam Theologorum dubitauit: deinceps posterior pars confirmãda est, nempè nullam aliam vocem, aut sententiã accedẽtẽ huiusmodi pręscripta verba, interiectã, aut consequentẽ, ad necessitatẽ sacramẽti pertinere, sed meritò ab Ecclesia aliis adiuncta esse.

Nulla alia verba præter comprehensa formis propositis, esse de necessitate sacramenti.

12 Referunt igitur Euãgelistæ & D. Paulus quædam ante illa verba præscripta pro forma huius sacramẽti, vel in persona ipsorum, vel Christi, vt quod Christus, benedixerit & fregerit, quod dixerit, accipite, & mãducate, accipite & bibite. ipsis formis quædã etiã sunt interiecta, pręter illa quæ diximus, vt in vtraque panis & vini forma, hęc particula, enim, & in forma vini, calix, vel nouum testamentum, apud Paulum. sunt denique alia, quæ illa verba præscripta ad necessitatem sacramenti consequũtur: vt ad formam panis descriptã cõsequitur statim, quod pro vobis datur, & ad formam calicis, addit Matthęus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorũ: & missæ Latinę forma his omnibus propositis addit, æterni, & iterum, mysteriũ fidei: itaque cætera omnia, ex quibus forma missæ Latinæ contexta est, ex Euãgelistis & Paulo inter se collatis desumpta sunt: illa verò tria, æterni, mysteriũ fidei, à nullo scripta sunt. Quare cũ tot verba sint pręter illa pręscripta in 1.p. conclusionis ad necessitatẽ sacramẽti, probandum est, nullũ ex his ad necessitatẽ sacramẽti pertinere. Primũ igitur antecedentia illa verba, si sint Euangelistarũ propria, ad cõsecrationem pertinere non possunt, quia nos consecramus eisdẽ verbis, quibus Christus, ipse autẽ suis est vsus non Euangelistarũ: nos igitur eisdem non oportet consecrare. Si autẽ illa verba sint Christi, sed vsum exprimẽtia, cuiusmodi sunt, manducate, bibite, illa nõ possunt pertinere ad necessariam huius sacramenti confectionem, cum hoc sacramẽtum non consistat, vt cætera, in vsu, sed in materiæ consecratione, & ideo ante vsum, iã est perfectum sacramentũ. Protestantes autem vehementer vrgent illa verba pertinere ad essentiam sacramenti, quia putãt consistere in vsu, & extra vsum reipsa non existere Christum. sed ea sententia apertissimè refutabitur in doctrina de transubstantiatione, in qua ostendetur ex verbo Dei prolata forma consecrationis statim existere Christum in hoc sacramento verè & substantialiter, & non tantum in vsu & sumptione. Secũdò ostẽdendum est, verba alia, quæ consequũtur formas suprà præscriptas, ad essentiam sacramenti non pertinere, in forma calicis, cum in forma panis, nihil præterea addatur in Ecclesia Latina ad consecrationem.

Ratio Theologica concludens verba consecrationis necessaria.

13 Ratio potissima est, quia nõ minor est vis in his verbis, hic est sanguis meus, ad cõsecrandum vinum, quam in illis, hoc est corpus meum, ad consecrandũ panem: sed illa satis sunt ad consecrationem panis, ex receptissima totius Ecclesiæ sententia, de qua nullus vnquam Theologus dubitauit, quia efficiunt quod significant; ergo hæc descripta ad cõsecrationem vini satis sunt, cum significent, quod efficiunt, nempè de substantia vini, sanguinem Christi factum esse: quare si prolatis his verbis tantũ, alia addideris, nihil est, quod præterea efficias, cum iam sit vini in sanguinem facta conuersio, aut illa verba, hic est sanguis meus, non efficiunt, quod significant, quod im-

pium est asserere de vlla forma sacramenti nouę legis, accómodata à legitimo ministro suę materię, cum debita intétione. Cófirmatur, quia sicuti Euágelistę formæ panis præscriptę addiderunt illa verba, quod pro vobis datur, & sine his tota Ecclesia sentit perfici panis consecrationem, ita formæ pręscriptæ calicis, addiderunt illa, qui pro vobis effundetur: ergo hæc similiter ad necessitatem consecrationis sacramenti non pertinent: vt enim his determinatur prædicatum, sanguis, sic illis predicatū, corpus. Præterea, si hæc omnia quæ forma calicis Latina comprehendit, pertinerent ad veritatem & essentiam sacramenti, Patres omnes Græci, qui in suis liturgiis illa non apponunt, nunquam omnino consecrassent calicem, & idcircò dicendum esset, nunquam Patres illos sanctissimos & doctissimos, Basilium, vtrumque Gregorium, Chrysostomum & alios, verum Ecclesiæ & perfectum sacramentum ac sacrificium confecisse, quod impium & temerarium esset cogitare. Particulas alias interiectas verbis necessariis ad consecrationem, vt in vtraque forma, particulam enim, & in forma calicis, æterni, & mysterium fidei, non esse de necessitate sacramenti, eadem argumenta concludunt: cum sint similiter determinationes quædam non pertinentes ad necessariam significationem effectus, quem forma ex subiecta materia efficit.

14 Valdè autem vtile est ad horum exactiorem intelligentiam adnotare, in sermone Christi instituentis hoc sacramentum, non solum fuisse verba operatoria, sed etiam narratoria & instructiora, vt quæ ad vsum sacraméti & ipsius effectus, finem & alias circunstantias pertinent: vt præceptum de comedendo & bibendo, de morte sua commemoranda, vt in eadem sermonis complexione commonitio illa, se non bibiturum amplius de genimine vitis, &c. quæ tam diuersa, licet compræhensa eadem sententia Domini, etiam tenentis calicem in manibus, nullus hæreticorum aut catholicorum vnquā asseruit, ad necessitatem consecrationis pertinere: separare autem ex vario illo sermone, quod est operatorium consecrationis, Ecclesiæ catholicæ proprium fuit ex instinctu Spiritus sancti, vt sit illud tantum, quod subiectæ materiæ sacramētalem mutationem significabat: reliqua verò de ipso sacramento dicta, non tamen super panem, ad sacramenti formam necessariam non pertinere. Fuit autem necessarius ille varius sermo Domini in huius sacramenti institutione, quia multa alia fecit & docuit, quę nos consecrantes nó facimus. Ille enim sacramentum instituit, potestatem dedit Apostolis consecrandi, dicens, hoc facite, quare hęc omnia non erūt ad consecrationem necessaria. Sicut instituendo sacramentum pœnitentiæ, Ioa. 20. dixit Dominus, accipite Spiritum sanctū, quod non pertinet ad formam sacramenti, quam tamen insinuauit cum subiunxit, quorum remiseritis peccata, &c. Postremò restat probandum, hæc omnia, quę in formis consecrationis cótinentur, & non sunt de necessitate sacramenti, non sine grauissimo peccato omitti posse ex pręcepto Ecclesię, quia edocta ab Spiritu sancto illa omnia ad cómodiorem explicationem huius mysterij addidit, vel ex ipsis Euágelistis desumpta, vel ex traditione Apostolorum Petri & Pauli, à quibus Latina Ecclesia creditur has formas accepisse, & præcepisse vt similiter atque accepit exprimerētur, vt autor est Innocent. III. lib. 4. de myster. c. 5. & c. cum Marthæ. de celebr. miss. & Florent. Conc. sess. vltima de sacramentis, pręcepit sacerdotibus eisdem formis consecrare. & D. Dionysius de Ecclesiast. hier. asserit verba, quibus mysteria conficiuntur, occulta traditione contineri; quod etiā confirmat D. August. regula de consuetudine Ecclesiastica. lib. 5. contra Donatist. cap. 32. qua docet, generalem Ecclesiæ consuetudinē incertæ originis ad Apostolos esse referendam. quod confirmabis, si obserues has formas panis & calicis, in omnes Ecclesias, quæ religioné ab Ecclesia Romana sumpserūt, vna cū fide introductas fuisse. Pręceptū igitur in re tāti momenti violare, grauissimū peccatum esset: imò verò tenentur sacerdotes, vt est mos Ecclesię Romanę, integras formas cū intétione ipsius proferre. Ex significatione autem intelligetur meritò illas particulas & interiectas & adiectas esse in forma calicis, quia in forma panis, non est necessariis verbis consecrationis interiecta: sed illa particula, enim, formam precedentibus

Formæ Ecclesiæ Latinæ origo.

tibus

tibus connectit, vt proferri intelligātur in persona Christi, vt præcedentia prolata sunt.

15 In forma igitur calicis, non dicimus, hic est sanguis meus, vt scribit Marcus, sed hic est calix sanguinis mei, vt ferè Lucas & Paulus, ad significandam conuersionem vini in sanguinem potabilem, cum calix sit poculum: vel ad exprimendum passionis mysterium, qua sanguis effusus est, iuxta illud, Matth.26. Transeat à me calix iste. Dicitur noui testamenti, quatenus per illum sanguinem, nouum testamentum sancitum, & dedicatum est, cum remissio peccatorum, & interior sanctificatio, quę pertinet ad nouum testamentum, per passionem Christi nobis concedatur: in cuius sanguine est veritas veteris testamenti, quod etiam in sanguine initum & constitutum est. additur, æterni, vt æternam vim eius, ex sacerdotio Christi ęterno promanātem intelligamus & diffusam in omnes homines, qui omni tēpore Deo placuerūt. Deniq; illud postremum, quod pro vobis &, pro multis effundetur, significat hic existere effusum per modū hostię pro peccato, sed accommodatè ad inflammandū animos suscipientium, cū credunt pro ipsis effusum. vt autem intelligatur ad alios absentes pertinere, & non tantum ad præsentes, dicitur, pro multis: & sanguinis fructus, licet pro omnibus effusus, non tamen participabitur ab omnibus, sed à certis, licet valdè multis, vt Hebræo.9. ad multorum exhaurienda delicta: licet aliquando multi dicantur in scriptura, omnes, vt ad Roma.5. per vnum hominem peccatores constituti sunt multi. his omnibus est interiectum, mysterium fidei, vt significetur, in huius sanguinis efficacia esse occultissimum, & sola fide penetrabile mysterium de effectu sacerdotij Christi in sacrificio crucis; de quo, absoluta ratione huius sacramenti, disserendum nobis est. Sensus autem principalis & necessarius huius formæ calicis varie exprimitur ab Euangelistis & Paulo, sed eadem intelligentia. sed cum dicitur, sanguinis, in obliquo, non potuit completa significatio esse, nisi adderetur calix, vel nouum testamentum in sanguine, vel aliquid simile: tunc autem illa concurrunt ad principalem significationem, quæ per se sumpta ad eam significationem non pertinerent, si sanguis in recto adhiberetur, ex quo diiudicari debet, quid pertineat ad significationem sacramentalem, quid non pertineat, secundum diuersam ratione exprimēdi eundē sensum.

Explicatio formæ calicis.

16 Ex his intelligimus, omnia quæ his formis addita sunt, sanctissime & accommodatissime apposita esse: atque ideo nullum hominem priuatum ea posse vel minimùm violare, omnesque peccare in Christum & in Ecclesiam grauiter, qui his quicquam addunt, detrahunt, immutant, licet etiam sensus seruetur. ac delictum quidem est, si vel negligentia vel incogitantia, aliquid hic committatur: grauius est si prudens & sciens feceris: at si ex contemptu fiat, scelus est. Sed omne huiusmodi crimen est in genere sacrilegij, quatenus est violatio & corruptio rei summo cultui Dei dicatæ: essetque fortasse lōge minus mille calices vel altaria profanare, quam verba calicis semel contemnendo corrumpere. Accuratè igitur cauendum est ab omni permutatione, & ab ea præcipuè, qua sensus immutatur, & ideo sacramentum corrumpitur, vel de qua probabiliter poteris suspicari, quod sensum immmutaret, vt si dicas, hæc est caro mea, pro hoc est corpus meum. eadem debet esse cautio in his particulis, quę possunt hæresim inducere, vt si Zuinglianus diceret, hoc est quodammodo corpus meum, vel Lutheranus, hic panis est corpus meum, & summum sacrilegium committerent, & nihil facerent. Duo pręterea diligenter à sacerdote sacrificante obseruanda sunt. Primum, vt sacra verba distinctè, grauiter & expresse pronuntientur: non quòd ex omissa aliqua finali litera, vel permutatione, vitio linguæ, deficiat sacramentum: sed quod negligentia hic sępè habeat periculum, & nunquam careat irreuerētia. Alterum est, vt secundum morem & traditionem maiorum Ecclesiæ Latinæ sacra verba submissa voce pronūciet: sic olim Dionys. in fine Eccles. hier. prohibet, ne quis in publicum preces efficientes consecrationem proferat: & nuper Conc. Trident. sess.22. can.9. de sacrificio missæ, damnauit eos, qui hunc morem Ecclesiæ improbant. Cuius obseruationis causa est, verborum summa maiestas, atq; Deo dicata sanctitas: quia si clara recitatione populo innotesceret, variis modis nō solū pro-

Peccatum in mutatione formæ huius sacramenti.

Obseruanda à sacerdote in proferenda formæ huius sacramenti.

pietatẽ. Tertium consectariũ, orationes & preces, quibus, vel in Ecclesia Græca vel Latina, post formam sacramenti prolatam petimus vel dona oblata immutari, vt in Ecclesia Græca, vel perferri in conspectũ Dei vt in Latina: quasi virtute illius tunc immutentur, nihil omnino ad consecrationem efficiunt.

19 Fuerunt quidam Græci recentiores, præscriptas formas huius sacramenti necessarias ad consecrationem asserẽtes, sed etiã adiunctis illis precibus perfici cõsecrationẽ magna animorum cõtentione defendẽtes, vt Marcus Ephesius & Nicolaus Cabasila in Liturgicis commẽtariis, quib⁹ doctissimè respõdit Bessario presul Nicenus lib. de Eucharistia, & certè his precibus cõsequentibus consecrationem, tantùm petimus mutationem donorum, quæ facta sit virtute verborum Christi, nobis fieri vtilẽ, & salutarem, non autẽ absolutè fieri, cum prius facta sit: quod etiam petunt Latinæ preces, siue antecedentes siue consequentes consecrationẽ. Ratio tertij consectarij est, quia secundũ rectam fidẽ virtute verborũ Christi, vt supra ostẽdimus, consecratio fit, nec Ecclesia potest aliquid ad formã essentialem sacramẽti pertinẽs instituere, vt instituit illas preces, que proinde nõ sunt in Liturgia, cuius meminit Iustinus martyr, aut Dionys. neq; in missa Ambrosiana: non possunt igitur ad consecrationẽ pertinere, cum eam efficiant tantùm verba illa à Domino præscripta.

Contra Græcos recentiores de precibus quas adiungunt verbis cõsecrationis.

Quæstio de forma huius sacramenti cum hæreticis.

1 SVperest ad hui⁹ doctrine perfectionẽ, vt aduersariorũ, & dissidentium sentẽtiarũ obiectiones refellamus. Prima obiectio est, quia verba sacramentalia debẽt exprimere actionẽ ministri, vt in baptismo: Ego te baptizo, dicũt Latini, & Greci, baptizetur seruus Christi: ego te confirmo, absoluo, &c. in forma autẽ huius sacramẽti prescripta, nulla est mentio ministri, sed verbis quasi à Christo prolatis sacramentũ perficitur, sic autem verba nõ vidẽtur subiecte materie accommodari quod requirit sacramẽti cõfectio, sed materialiter sumi & historicè: cũ dicat sacerdos in persona Christi, hoc est corpus meũ. Respõdetur, dignitatem huius sacramenti, & conuersionem in Christi substantiam, exigere vt verba dicãtur à ministro in persona Christi, quãuis ministrum concurrere ad effectũ forme & sacramẽti negari nõ possit, vt de ministro dictũ est in doctrina generali de sacramẽtis. Sed verba trifariã proferri possunt, vel materialiter vt nihil significent, vt accipiũtur in exẽplis dialectice & aliarum disciplinarũ, vel recitatiuè vt in aliena persona dicuntur in comœdiis, & historicis narrationibus, vel significatiuè, vt habeant propriã significationẽ presenti rei accõmodatam. Verba igitur cõsecrationis nõ dicuntur materialiter, quia nihil efficerent, cũ id efficiant, quod significent, & materialiter sumpta nihil significẽt: sed sumuntur recitatiuè, & significatiuè simul. recitatiuè quidẽ, quia in persona Christi dicũtur, & rem gestã à Christo exprimunt: significatiuè autem, quia ad res propositas accõmodantur, & nõ ad panem & vinum, que olim Christus in manũ accepit hoc sacramentũ instituens. Exemplum accõmodatũ est hominis legem nomine regis promulgantis, aut bellũ ex alieno edicto indicentis. recitantur enim simul à ministro regia verba, & obligandi vim habent. Fuit autẽ accommodata hec forma Christi, ex persona ipsi⁹ prolata, vt intelligeretur sacerdotij æterni, quod habet secundum ordinem Melchisedec efficacia, quæ semper conficit hoc sacramentum, quod & sacrificium est, virtute ab illo deriuata. Quãuis autẽ in his propositionibus, hoc est corpus meum, hic est sanguis, subiecta & attributa pro eodem accipiantur sub diuersa ratione, non tamen sunt identicæ propositiones: quia in his res eadem nomine eodem, vel sinonymo & eadem ratione de se dicitur: in illis autem commune attributum in significando dicitur de subiecto singulari, licet vtrumque sit eadem res, vt cum genus de specie, species de indiuiduo, accidens de subiecto dicitur. etenim licet Christus plura habuisset corpora, verè de omnibus diceretur, hoc est corpus meum, vt de pluribus digitis, hic est digitus meus. manẽte autem propria significatione verbi [est] qua substantialitatẽ vel aliud rei gen⁹ esse denotat, quedã sunt propositiones vere, quia asserũt quod est vel fuit, quedã quia significãt, quod fit, & ea intẽtione proferũtur, vt efficiãt, quod significãt, & ideo in termino plationis res fit, & ꝑpositio est vera. vt si quis demõstrato agro proprio

Obiectiones aduersariorum refutantur.

3.p.q.78.ar.5

Verba consecrationis cur ex persona Christi

sanarentur, sed nõnunquam etiã ad horrẽdas superstitiones & actiones ludicras traducerentur. Vnde grauia quædam olim secuta esse, narrat Innocent. III. lib. 3. de myst. missæ, cap. 1. & alij, qui huius cæremonię rationem reddunt. Et certè illud altum silentium in sacra actione, summam rei sacræ reuerentiam & autoritatem conciliat: æquumque est, vt, quod à ministro ore profano recitari nõ debet, nec ab aliis aure communi audiatur: nec iustiores sunt causæ, propter quas plebs à tactu rerum cõsecratarum, quam ab auditione sacratissimorum verborum prohibeatur.

17 Ex hac tota de necessaria forma huius sacramenti, doctrina, efficies quædam consectaria, ad cauendos plures errores valdè accommodata. Primùm sit, licentia dubitandi, & ignorandi certas & præscriptas formas huius sacramenti, nullo modo est admittenda. est contra virum maximi ingenij Ioannẽ Scotum, qui 4. sent. d. 8. nõ solum in hoc sacramento, sed in aliis asserit licitum esse dubitare, quę sint pręcisè formarum verba, & ideo concedit fieri quidem consecrationem per assueta verba, sed non per ea sola, quare consulit sacerdoti vt legat totum canonem distinctè, & consecrationis intentionem referat, non ad hæc vel illa verba determinatè, sed indefinitè, ad ea quę Christus præscripserit. Addit non esse adorandã Eucharistiã illis solis verbis cõfectam, hoc est corpus meũ, nisi sub cõditione, si cõsecrata sit: adiũgi enim oportere illa antecedẽtia verba, qui pridie quã pateretur, ne ipsa forma ad corpus sacerdotis cõsecrãtis & non Christi referatur, cum ait, hoc est corpus meũ. Probatur consectariũ, primò, quia ignorata forma sacramenti propria, necesse est nos nihil certi habere de vi & effectu sacramẽti, cũ is potissimũ pendeat à forma. Secũdò, quia vt materiã certam esse oportet, similiter & formã, cum ex vtraq; veritas & essentia sacramẽti cõstet; & vtramq; eodẽ modò definierint Patres & concilia, de quibus supra. Tertiò, quia valdè periculosum esset, in tã prolixa oratione canonis, legitimã retinere intentionem consecrãdi, si nescires quibus verbis precisè esset illa accõmodanda. quod si velit significare, totũ canonẽ non esse de essentia formę, esse tamẽ ad confectionẽ sacramenti necessariũ, respõdimus, nihil Ecclesiã catholicam necessarium nosse ad essentiã sacramenti, præter materiã, formam, & rectè intendẽtẽ ministrum. Pręsertim cũ Apostoli dicãtur consecrasse sola recitatione orationis Dominicę, vt refert D. Grego. & maiores nostri consecrauerint, cum nondũ hic canon compositus esset, quem asserit Conc. Trident. sess. 22. cap. 4. constare ex verbis Domini, Apostolorum traditionibus, & sanctorum Pontificum piis institutionibus.

Non licet dubitare de certis formis sacramẽtorum.

18 Alterũ consectarium est, Christus tradidit Apostolis & Ecclesię formã verborũ pręscriptã, quibus hoc sacramentũ perficeretur. est contra quosdã rerũ ecclesiasticarũ valde imperitos, qui non solũ ausi sunt scribere, non constare quibus verbis Christus consecrauerit: sed etiã non cõstare de pacto nobiscum inito, vt referentes aliena verba consecremus, cum illa verba Christi, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus, potius sint porrigentis cõsecratum, quàm cõsecrantis. Quasi verò idẽ sit ignorare quibus verbis Christus consecrauerit, quod Ecclesia non definiuit, nec ab Euangelistis expressum est, & ignorare quibus verbis Ecclesia consecret, quod semper in Ecclesia catholica definitum fuisse, supra ostẽdimus, licet de aliquot particulis, à nõnullis dubitatũ sit, vt ostendimus, an pertinerent ad essentiam formæ: de illis autem, de quibus hi autores dubitãt, nempè prolatis à Christo, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, à nemine vnquam dubitatum fuisse, paulo antè probauimus. Hanc sententiam Luthero placuisse Clichtoueus asserit, lib. 2. de officio missæ, cap. 24. Sed probatur consectarium, primò, quia, si Christus instituens hoc sacramentum, non præscripsisset certam formã verborum, eius prouidentia deesset in re omnium maxima, quę ad pręstantissimi sacramenti & vnici sacrificij Christiani, deberet esse certissima, & sine qua effectus eius incertus: atque vt semel dicam, si formam certam non designauit, neque hoc sacramentum instituit, cum eius potissima pars sit forma. Secundò, si Ecclesia nõ potest essentialem partem sacramenti instituere, vt ostendimus de autore sacramẽtorũ in doctrina de sacramẽtis in genere, neque Christus formam certam præfixit, certè nec haberemus hoc sacramentũ, neque sacrificium, quæ habent summam impietatem.

Christus præscripsit formam huius sacramẽti.

Christus formam huius sacramenti instituit.

pietatē. Tertium consectariū, orationes & preces, quibus, vel in Ecclesia Græca vel Latina, post formam sacramenti prolatam petimus vel dona oblata immutari, vt in Ecclesia Græca, vel perferri in conspectū Dei vt in Latina: quasi virtute illius tunc immutentur, nihil omnino ad consecrationem efficiunt.

19 Fuerunt quidam Græci recentiores, præscriptas formas huius sacramenti necessarias ad consecrationem asserētes, sed etiā adiunctis illis precibus perfici cōsecrationē magna animorum cōtentione defendētes, vt Marcus Ephesius & Nicolaus Cabasila in Liturgicis commētariis, quib⁹ doctissimè respōdit Bessario presul Nicęnus lib. de Eucharistia, & certè his precibus cōsequentibus consecrationem, tantùm petimus mutationem donorum, quæ facta sit virtute verborum Christi, nobis fieri vtilē, & salutarem, non autē absolutè fieri, cum prius facta sit: quod etiam petunt Latinæ preces, siue antecedentes siue consequentes consecrationē. Ratio tertij consectarij est, quia secundū rectam fidē virtute verborū Christi, vt supra ostēdimus, consecratio fit, nec Ecclesia potest aliquid ad formā essentialem sacramēti pertinēs instituere, vt instituit illas preces, quę proinde nō sunt in Liturgia, cuius meminit Iustinus martyr, aut Dionys. neq; in missa Ambrosiana: non possunt igitur ad consecrationē pertinere, cum eam efficiant tantùm verba illa à Domino præscripta.

Contra Græcos recentiores de precibus quas adiungunt verbis cōsecrationis.

Quæstio de forma huius sacramenti cum hæreticis.

1 SVperest ad hui⁹ doctrinę perfectionē, vt aduersariorū, & dissidentium sentētiarū obiectiones refellamus. Prima obiectio est, quia verba sacramentalia debēt exprimere actionē ministri, vt in baptismo: Ego te baptizo, dicūt Latini, & Gręci, baptizetur seruus Christi: ego te confirmo, absoluo, &c. in forma autē huius sacramēti prescripta, nulla est mentio ministri, sed verbis quasi à Christo prolatis sacramentū perficitur, sic autem verba nō videntur subiectę materię accommodari quod requirit sacramēti cōfectio, sed materialiter sumi & historicè: cū dicat sacerdos in persona Christi, hoc est corpus meū. Respōdetur, dignitatem huius sacramenti, & conuersionem in Christi substantiam, exigere vt verba dicātur à ministro in persona Christi, quāuis ministrum concurrere ad effectū formę & sacramēti negari nō possit, vt de ministro dictū est in doctrina generali de sacramētis. Sed verba trifariā proferri possunt, vel materialiter vt nihil significent, vt accipiūtur in exēplis dialecticę & aliarum disciplinarū, vel recitatiuè vt in aliena persona dicuntur in comœdiis, & historicis narrationibus, vel significatiuè, vt habeant propriā significationē pręsenti rei accōmodatam. Verba igitur cōsecrationis nō dicuntur materialiter, quia nihil efficerent, cū id efficiant, quod significent, & materialiter sumpta nihil significēt: sed sumuntur recitatiuè, & significatiuè simul. recitatiuè quidē, quia in persona Christi dicūtur, & rem gestā à Christo exprimunt: significatiuè autem, quia ad res propositas accōmodantur, & nō ad panem & vinum, quę olim Christus in manū accepit hoc sacramentū instituens. Exemplum accōmodatū est hominis legem nomine regis promulgantis, aut bellū ex alieno edicto indicentis. recitantur enim simul à ministro regia verba, & obligandi vim habent. Fuit autē accommodata hęc forma Christi, ex persona ipsi⁹ prolata, vt intelligeretur sacerdotij æterni, quod habet secundum ordinem Melchisedec efficacia, quæ semper conficit hoc sacramentum, quod & sacrificium est, virtute ab illo deriuata. Quāuis autē in his propositionibus, hoc est corpus meum, hic est sanguis, subiecta & attributa pro eodem accipiantur sub diuersa ratione, non tamen sunt identicæ propositiones: quia in his res eadem nomine eodem, vel sinonymo & eadem ratione de se dicitur: in illis autem commune attributum in significando dicitur de subiecto singulari, licet vtrumque sit eadem res, vt cum genus de specie, species de indiuiduo, accidens de subiecto dicitur. etenim licet Christus plura habuisset corpora, verè de omnibus diceretur, hoc est corpus meum, vt de pluribus digitis, hic est digitus meus. manēte autem propria significatione verbi [est] qua substantialitatē vel aliud rei gen⁹ esse denotat, quedā sunt propositiones verę, quia asserūt quod est vel fuit, quędā quia significāt, quod fit, & ea intētione proferūtur, vt efficiāt, quod significāt, & ideo in termino, ꝓlationis res fit, & ꝓpositio est vera. vt si quis demōstrato agro proprio

Obiectiones aduersariorum refutantur.

3. p. q. 78. ar. 5

Verba consecrationis cur ex persona Christi

proprio, intẽdẽs vt alteri⁹ efficiatur, dicat, hic est ager tuus: quibus verbis apud Iurecõsultos aliquando fit translatio dominij c. requisisti de testament. Similes sunt illæ propositiones, Luc. 5. & 7. homo remittuntur tibi peccata tua, & remittuntur ei peccata multa, &, filius tuus viuit. Hæc enim omnia non prius fuerunt, sed ipsis verbis prolatis effecta sunt. Huius generis sunt huiusmodi formæ, vt pronomina, hoc, & hic, non referantur ad panem & vinum, quæ fuerant, sed ad corpus & sanguinem Christi, quæ ex illis effecta sunt; quasi dicat Christus, hoc, quod ex hoc pane intendo facere & facio, est corpus meum, & quod ex hoc vino facio, est sanguis meus. Vnde illa verba Christi, [manducate, bibite] non sunt referenda ad panem & vinum vsitatum, sed ad corpus & sanguinem, quæ ex pane & vino facta sunt à Christo. Similiter, 1. Corinth. 10. panis, quem frangimus, dicitur corpus Christi, ex pane factum: & dicitur frangi, licet integrum permaneat, ratione accidentium, quibus fractis & diuisis, idem corpus Christi est in pluribus partibus sacramenti: & constat in nullo alio vno pane esse fidelium communicationem, vt ibidem Paulus ait. Vt igitur Dominus gloriæ ratione humanitatis dicitur crucifixus, sic corpus Christi ratione formæ panis, à qua continetur sacramentaliter, frangi dicitur. quare licet facta fit mutatio panis & vini per formas huius sacramenti, subiectorũ tamẽ significata nõ mutãtur, quia sunt corp⁹ & sanguis Christi, quę nõ mutãtur, sed mutatione panis & vini sacramentaliter existunt. Dicitur autẽ in hoc pane, idest corpore Christi, ex pane esse communicatio, quia participatione, illius fit, vt multi simus vnum corpus, vt seipsum Paulus explicat, & Paulum Cypria. epist. 76. ad Magnum, cuius verba refert D. August. lib. 7. contra Donatist. cap. 50. & tract. 26. in Ioan. vbi declarat analogiam huius vnionis, etiamsi in hoc sacramẽto, quo vnimur, nulla remaneat substantia panis & vini. Neque verò oportet vt hæc verba, licet habeant vim factiuam, vt ipsam formaliter exprimant, vt illa, Lazare veni foras: puella surge: quia satis esse debet fideli intelligere hæc esse verba sacramentalia, quæ virtute institutionis id efficiunt, quod significant. Similia sunt illa effectiua & narratoria, non imperatiua: Mulier, fides tua te saluam fecit, & illa paralytico dicta, remittuntur tibi peccata: & illa Regulo, vade filius tuus viuit, quibus Dominus operatus est absentis filij sanitatem. Vt autem hæc subiectis personis accommodata sunt: sic verba sacramentalia materiæ sacramenti accommodantur, quia sacramentalia sunt, cum ex forma & materia coniunctis, veritas sacramenti constet.

Cur à veteribus Patribus formæ sacramẽtorum dicũtur preces.

2 Altera obiectio est ex autoritate veterum Patrum, qui omnes scribunt precibus confici hoc sacramentum, in hac autem forma præscripta siue illa sit historica siue operatoria, nihil est deprecatorium. Sic Iustinus Apolog. 2. inquit oratione cõfici Eucharistiam, Ireneus. lib. 4. cap. 57. inuocatione nominis Dei. Cyril. hierosol. catech. mystag. 3. & 4. inuocatione Spiritus sancti: Hieron. epist. ad Euag. sacerdotum precibus. August. lib. 3. de Trinita. cap. 4. & alias sæpè prece mystica. Similiter Diony. cap. vltimo Eccles. hierar. formam huius sacramenti vocat preces efficientes cõsecrationis. Respondeo verba cõsecratoria deprecationem & inuocationem dici, quatenus per illa vis diuina ad consecrationẽ impetratur, licet formam deprecatoriam non habeant: & ideo generaliter omnem formam cuiusuis sacramenti, preces vocare videtur D. August. lib. 5. contra Donatist. cap. 20. Solent etiam aliquid addere, ex quo intelligatur diuersam esse hanc deprecationem à communi, vt August. dixit mysticas preces, Diony. perfectiuas & consecratiuas, alij orationem, vel gratiarũ actionem super panem, vt D. Iacobus cap. 5. orationem dixit super infirmum, formã sacræ vnctionis, & orationem fidei, quasi dicat, non carmen aliquod magicum, sed nostræ religionis propriam inuocationem. Appellant igitur veteres Patres verbum sacramentale, precem, sed non pro aliquo homine, vel re, sed super hominem vel rem subiectam, quæ est materia sacramenti.

De sententia D. Th circa formam calicis.

3 Tertia obiectio est ex autoritate D. Th. qui 3. p. q. 78. artic. 1. asserit omnes partes, quas eodem tenore super calicem sacerdos profert, quæ sequuntur voces illas [sanguis mei,] pertinere ad sacramẽti substãtiam, sine quibus sacramentũ non possit consistere, quòd sint eiusdem sanguinis deter-

determinationes, & ideo pertinentes ad eiusdem formæ essentialem significationem: quare non erit tantum illa forma ad sacramenti necessitatem pertinens, [hic est sanguis meus] vel hic est calix sanguinis mei. Respondeo à plerisque etiam interpretibus diui Thomæ hanc sententiam impugnari, à quibusdam hac distinctione defendi: vt dicatur esse de substātia formæ, quod est de integritate, licet non sit de essentia: vt partes animalis sunt de integritate, sed non de essentia, cum ablatis quibusdam, perfecta maneat essentia: ita ablatis illis particulis, essentialem formam permanere, illis appositis, esse integram, eandem tamen essentiam.

4 Sed certe D. Thomæ in doctrina de sacramentis, quod est de substantia sacramenti, est etiam de essentia, & contrà: & ratio illa, quod illæ particulæ sint determinationes illius prædicati, sanguinis, voluit efficere, omnes illas partes ad essentiam formæ pertinere: & quòd eodem tenore super calicem à sacerdote proferantur. Quare hanc sententiam D.Thomæ omnino probare non possum, propter eas rationes, quibus ostendi, tantum esse de essentia sacramenti illa verba: hic est sanguis meus, vel quod est idem, calix sanguinis mei. Sequeretur etiam veteres Patres Græcos, nunquam consecrauisse, cùm in eorum Liturgiis in forma calicis huiusmodi voces non apponantur, neque habuisse veram formam huius sacramenti; vnde multa absurda efficerentur, homine Christiano indigna. Nos verò constanter asserimus illos consecrauisse suis formis, & habuisse verum & perfectum sacrificium, quod sine forma consistere non potest. Similiter quacunque forma ab Euangelistis, vel D. Paulo expressa, 1. Corinth.11. consecrari posse, quia omnes continent, quod pertinet ad necessitatem sacramēti, licet variis modis expressum: sed sacerdos Latinus aliquam partem formæ omittens, grauiter peccaret contra præceptum Ecclesiasticum, quāuis nihil deesset ad necessitatem sacramenti. Neque rationes D.Thomæ necessariò cōcludunt, quod vult: quia illæ determinationes posterius adiectę, non sunt necessarię ad essentialem formę significationem, sed vtiles ad expressiorem, vt supra ostendimus. proferuntur autem eodem tenore à sacerdote, non quod sint de essentia sacramenti, sed quia in sensu pendent à prioribus, non contrà.

5 Ostendimus esse huius sacramenti certas & præscriptas formas, super calicem & panem, de veritate earum & legitimo sensu deinceps dicendum est. esse igitur veras constat, quia habent vim instrumentalem efficiendi quod significant, & hæc est veritas formæ sacramentalis: quia sacramenta noue legis sunt instrumenta, & sacramenti potissima pars est forma verborum: quare cū efficit quod significat, est vera. est enim duplex veritas, vna speculatiua, quæ pendet à rebus significatis: altera practica & factiua rei quam significat, quæ ab ipso effectu pendet. Vnde hæc veritas tunc primum est, cum res significata effecta est. cum autē omnis causa effectu sit prior saltem natura, & hæc causa instrumentalis formæ sacramentalis sit in significādo, quatenus efficit quod significat, necesse est prius natura perfectam esse totius formæ significationem, quod est in momento prolationem terminante, quā effectum ipsum existere. Effectum verò est cōuersio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, vt constabit in doctrina de transubstantiatione. quid autem sit hæc vis instrumentalis dictum est, cum ostendimus sacramentum nouæ legis esse gratię instrumentum in vsu sacramēti: sed quia hoc sacramentū ante vsum consistit, sola materiæ per formam consecratione, ideo vis ista instrumentalis ad immutandam materiam, in ipsis verbis sita est. Sic generaliter veritas in his formis debet expendi. specialiter autem vnaqueq; significat suum effectum ab altera indepēdentem. forma quidē panis, hoc, idest, singularem substantiam presentem & sub accidētibus contentam, esse corpus Christi. similiter, hic calix continēs sub specie vini singularē substantiā, est sanguis Christi, nā [hoc] significat præsentem substantiā sub accidētib⁹, quęcūq; illa sit, similiter [hic.] Et quia momentanea mutatio tota simul momēto perficitur, & hęc panis & vini cōuersio momentanea est, tū quia substātia, illius terminus nō suscipit magis & minus, tū quia subiectū non præparatur successiuè: denique quia fit virtute Dei infinita, cumprimum est actio instrumenti perfecta, quæ est significatio integra formę in termino

Veritas formæ panis & vini, 3.p q.78.ar. 4.& 5.

Conuersio panis & vini momento perficitur. ead.q. ar. 7.

3.p.q.75.ar.7.

termino prolationis & momento, necesse est effectum vtriusque formæ existere, hoc est, corpus Christi sub figura panis, & sanguinem Christi sub specie vini. Effectum autem vnius formæ ab altera non pendere, sed panem separatim cõsecrari propria forma, deinde vinum, ex actione Christi, ex formarum significatione, ex vsu Ecclesiæ catholicæ apertè colligitur.

6 De actione Christi constat ex Euangelistis, separatam fuisse & absolutam ad vnamquamque speciem perse consecrandam: & ex Luca & Paulo idem apertius constat, quatenus referunt primam speciem confectam fuisse inter cœnandum, alteram verò postquam cœnatũ est, adeò vt certum sit moram aliquam inter sumptionem corporis & sanguinis fuisse interiectam: quod si certum est corpus Christi sumpsisse factum ex pane per consecrationem, certum etiam esse debet, panis consecrationem absolutam fuisse & independentem à vini consecratione: quod idem de sacerdotibus consecrantibus dicendum est, cùm similiter faciendi potestatem accipiant à Christo, & in verbis formarũ eadem insit vis operatiua consecrationis. Deinde, significatio cuiusuis formę est absoluta & indepẽdens ab altera, vt constat: ergo & efficientia: cùm ostensum sit formas efficere, quod significant. Tertiò idem confirmat vsus vtriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quæ vnãquamque speciem seorsum proponit & repræsentat populo adorandam, & priorem panis, ante consecrationẽ vini. quod si quis vel ex hæresi vel ex negligentia vinum prius consecraret, certa esset similiter consecratio, quamuis grauiter peccaret, quia vna non pendet ab altera. Vnde in Concil. Tolet. 7. cap. 2. decretum est, quod nunc regula Ecclesiastica tenet, sacerdote defuncto vel ægritudine impedito statim à prima consecratione, secundam consecrationem ab alio sacerdote absolui debere, sine prioris iteratione. Quod si ex apertis obscura ilulstrari oportet, vt admonuit diuus August. de scriptura, lib. 2. de Doctr. Christia. cap. 9. certe huius sententiæ, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. 1. Corint. 11. idem sensus est, atque illius, hic est calix sanguinis mei noui testamenti, neque pro testamento hoc loco, vt aliis multis, licet fœdus collocare, quia vox Hebrea Berith, & Græca, diathice, cum morti vel sanguini iungitur propriè testamentum significat, vt ostenditur Galat. 3. & Hebr. 9. quia fœdus Christi morte & sanguine ipsius sancitum est.

Forma vnaqueque est absoluta & independens ab altera.

7 Sed quoniam aduersarij veritatem his formis expressam, figuratam & impropriam locutionem in illis asserentes, conantur peruertere, proprium sermonem in illis contineri, primò confirmemus, deinde obiectiones illorum refutemus. Asserimus igitur verba vtriusque formæ panis & calicis propriè vsurpari, sine tropo & figura, vt planè significent in sacramento, quod illis perficitur, contineri realiter & substantialiter corpus & sanguinem Christi, cum ex illius persona dicitur, hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. Primum ergo argumentum, quo proprietas cõfirmatur in vtraque forma, sit huiusmodi. In articulis fidei & dogmatis necessariis ad salutem, nunquam Spiritus sanctus improprium vsurpauit sermonem: sed in his formis articulus fidei & dogma necessarium continetur, quod alibi non ita planè expressum est: propriè igitur verba vtriusque formæ accipienda sunt. Propositio inductione constat, si quis considerat mysteria fidei, nobis ad credendum proposita, in nullo enim reperitur impropria & abusiua locutio. vnde Ecclesia Manichæos detestata est, quòd illud Ioannis. 1. Verbum caro factum est, quo mysterium incarnationis continetur, ad imaginariam & impropriam carnem constituendam detorserint: quibus nostri aduersarij Caluinistę persimiles sunt, corpus & sanguinem Christi in formis huius sacramenti impropriè vsurpantes. Damnauit etiam Ecclesia Nestorianos & Arrianos, quòd illud Patris æterni dictũ: hic est filius meus dilectus, quo planè consubstantialitas Patris & Filij exprimitur, impropriè explicauerint non de filio naturali, sed de nũcupatiuo & adoptiuo secundum affectũ. Assumptio, quæ in eisdem formis, articulum fidei, & maximum religionis mysterium constituit, catholicis & veteribus Theologis notissima est: tum quia per eas sancitum & initum est nouum testamentum & pactum, quod est religionis Christianæ firmamentum, vt in forma calicis

Verba vtriusque formæ, propriè accipienda esse, non autem tropicè aut figuratè.

Fidei mysteria propriis verbis semper exprimuntur.

licis apertis verbis proponitur apud Paulum & Lucam, cùm dicitur vel sanguis noui testamenti, vel nouum testamentum in meo sanguine: vt explicatur infra in doctrina de sacrificio noui testamenti. percurre omnia fœdera & pacta Dei cum veteribus Patribus inita, videbis certè omnia pacta conuenta, apertis verbis & aspectabilibus rebus constituta. idem est in omnibus sacramentis vete. leg. in verbis Moysi ad populum: impium est ergo asserere, quod in verbis dedicatoriis noui & æterni testamenti, nihil aperte sincere & simpliciter gestum sit à Domino. Essemus certè miserabiliores omnibus hominibus, si in re tanti momenti, imò in fundamento religionis Christianæ, Christus Dominus vetera omnia perficiens & consummans, perspicuè nobiscum nō egisset.

Hoc sacramentum continens Christum præsentem, pertinet ad fidei articulum.

8 Esse autem in hoc sacramento realē Christi existentiam, quæ pendet ex verborum proprietate, fidei articulum & necessarium religionis dogma, sine cuius fide ne rusticus quidem salutem assequi possit, Theologi ostendunt, cum ad aliquem ex communibus articulis fidei pertinere ostendunt. D. Thom. vt sacramentum est Eucharistia, realiter continens Christum, ad articulum de Ecclesia reuocat: vt autem præsentem continet Christum, ad articulum de omnipotētia. Thomas Vvaldensis effectum illius præcipuū considerans, ad sanctorum communionem. quidam denique totum hoc mysterium ad articulum de Ecclesia, vt cumque sit, constat consensu omnium Theologorum, hoc mysterium in eo genere credibilium contineri, quæ omnibus expressè credenda, vt ad salutem necessaria, proponuntur. Secūdum argumentum sit, institutio sacramenti admittere nō potest figuratum & improprium sermonem: sed formæ prolatę à Christo, ad institutionem huius sacramenti pertinent, (cum instituere sacramentum, sit formæ & materiæ designatæ coniunctionem ad sanctificandū representare & sancire:) formæ igitur huius sacramenti prolatę, non possunt improprium sermonem continere. Propositio, in qua vis argumentationis consistit, constat: quia sermo sacramentalis habet visibilem actionem, & præceptum rei agēdę: non potest ergo improprius esse aut figuratus: verbi gratia. in concione & sermone communi potuit Christus, & sæpè vsus est figuris, tropis, vt cum se appellat ostium, viam, vitem: at si accepisset vitem, vel panem & vinum cum magna & sacra cæremonia, instituens aliquam actionem super eam, & prætereà iusisset, vt similiter faceremus, tunc sanè figuratiua locutio esse non posset: alioquin sequeretur maxima religionis perturbatio & incertitudo diuini cultus.

9 Quod si dicas, sacramenti in rebus visibilibus institutionem, figuratam nō esse, sed effectum sacramenti instituti & finem, figurato sermone exprimi posse, & hoc expressum esse illis formis, cum dicitur, hoc est corpus meū, & hic est sanguis meus. Respondeo, has formas ad institutionem sacramenti pertinere, quia sunt de illius essentia: & ideo proprio sermone exprimi oportuisse: quia voluit Christus Apostolos similiter facere, formas subiectæ materiæ applicando: hoc est, conficere sacramentum, & sacrificare: & quia in nouo testamento non est sacrisacrificium, nisi in ipso corpore & sanguine Christi, ideo expressit propriè, hoc esse suum corpus & sanguinem, in quibus sacrificium consisteret: alienum est igitur ab institutione tanti sacramenti & sacrificij figurato & improprio sermone vti. Confirmatur, quia nō congruit diuinæ sapientiæ Christi, qua cuncta scandala circa hoc prę cipuè sacramentum, & vltimam voluntatem suam præuidebat, nec bonitati & amori, quo fideles vsque in finem dilexit, dedisse perpetuam occasionem falsæ sententiæ, falsi cultus, atque adeò idololatrię: cum ex hac tam aperta & minimè suspiciosa sententia, vbi extat nullum signum figuratæ & impropriæ locutionis, inducta sit vniuersa Ecclesia ad credendum & adorandum Christum præsentem in hoc sacramēto: & ex consequēti Christus ipse, horribile dictu, data opera in summo amoris sui pignore, & in suo testamento constituisset damnationem maximæ parti fidelium. Tertium argumentum sit, ex determinationibus, quas idem Dominus verbis adiunxit sacramentalibus, quæ omnino prohibēt, huiusmodi formas figuratè & impropriè accipi posse. Nō solùm enim asseuerauit, quòd panis, quē manibus teneret, esset suū corpus, & esse poculū sanguinis sui, sed adiunxit verba determinantia aper-

apertissimè, quod nā esset corpus, & quis sanguis dicens, [quod pro vobis tradetur, quod pro vobis datur.] Sanguis, qui pro multis effundetur, sanguis noui testamēti. & Ioā. 6. de hoc sacramēto, vt postea ostēdetur, inquit: panis quē ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita, vt legunt pleraque exemplaria Græca.

10 Idem cōfirmat illa sententia D. Pau. 1. Cor. 11. Manducās indignè, hoc sacramētum, reus fit corporis & sanguinis Domini: quod nullo modo verum esse potest, ni reuera corpus Domini percipiatur. Ad eādem sententiam pertinet illud cap. 10. eiusdem epist. calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quartum argumentum sit à personis narrantiū Euangelistarum, & audientium Apostolorum. illi enim eisdem verbis propriis eandem sententiā expresserunt, cum tamē posteriores, si quid à prioribus obscurè dictum sit, planius proponant, vel ipsimet ad præcindendam occasionem falsæ intelligentiæ & erroris, aliquid adiungunt, ad explicationem obscuræ sententiæ. vnus Euangelista dixit: Si ego in digito Dei eiicio dæmonia: alius apertiùs, si ego in spiritu Dei eiicio dæmonia. Dominus dixit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud, addit Ioannes ad explicationem, ille autem dicebat de templo corporis sui. dixit etiam Dominus, qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: addit Ioannes, hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes. In verbis autem sacramentalibus, vbi summa cura esse debuit, nihil tale fit, quia Spiritus sanctus propriè intelligi voluit. Solent etiam Apostoli obscuriorum explicationem à Domino petere, cùm vel figuratè vel tropicè proponuntur. Matt. 13. dicunt edissere nobis parabolam zizaniorum: Matth. 15. Petrus inquit, edissere nobis parabolam istam. interrogauerunt etiā Dominum Matth. 19. circa difficilem quęstionem de diuortio & matrimonio. & in sermone proximè consecuto huius sacramenti institutionem, quum quædam dixisset obscurè Ioan. 16. dicūt inter se Apostoli, nescimus quid loquitur, quod cum Dominus explicuisset, dixerunt illi: ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.

Obscura aut Dominus aut Euangelista sæpè explanare solent.

Sed nihil simile factū legimus, cum verba sacramētalia protulit Dn̄s, quia proculdubio edocti à Domino veritatem huius mysterij, non stupebant tanquam ad figuram, & nūquam auditum orationis genus, vt optimè considerauerunt Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 14. & Chrysost. homil. 83. alioquin, qua ratione verū esset, quod inquit Dominus, Luc. 8. vobis datū est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.

11 Atque hæc quidem argumenta euincunt, non esse vllam figuram aut tropum, sed omnia propriè vsurpari in formis huius sacramenti; illa autem concludunt, nullam esse metaphoram aut parabolam. In sermone enim metaphorico repugnans repugnanti attribuitur, quod idem esse alteri nulla omnino potentia efficere possit, vt cum dicitur Apostolis: Vos estis sal terræ, Ioannes est Helias: & ideo ad metaphoram confugiendum sit, vt sermonis veritas constet: at in formis huius sacramenti nulla repugnantia continetur, cum significatur esse corpus Christi sub figura panis, & sanguinem sub vini figura: nulla est igitur metaphorica in his locutio. Præterea, in sermone metaphorico semper adhibetur aliquid vulgare, ad illustrādum, quod obscurum est. sic natura salis notior in condiendo, ad condimentum Apostolorum: nihil autem simile est in eisdem formis: non sunt igitur metaphoricæ locutiones. Neque etiam parabolicę, in quibus continens est & perpetua metaphora, quia sublata de singulis verbis metaphora, tollatur necesse est de toto sermone parabola illæ vero parabolarum explicationes, ager est mundus, semen est verbum Dei, multo minus hîc locum habent, quia nulla in sacramenti institutione parabola. præcessit, cuius explicationes sint illæ formæ, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.

12 Tandem concludamus, hanc esse omnium Patrum Ecclesiæ catholicæ consentientem sententiam: in his verbis formarū, nihil esse improprium aut figuratum, sed planè significari, corpus Christi substantiale, & verum sanguinem in hoc sacramēto contineri, & ideo his verbis firmari fidem nostram de reali Christi existentia in hoc sacramento, vt solis verbis Christi creditur: non autem sensibus, qui de subiecta acci-

accidentibus substantia, certò & verè iudicare non possunt. vnde verborum illorum proprietas & realis Christi pręsentia, adeò sunt coniuncta, vt qui vnam tollit, alteram non possit retinere: sed ratione & tractatione prior est proprietas verborum, de qua proinde prius nobis differendum fuit. quare omnia Patrum testimonia, quæ posteà citanda sunt ad confirmandam realẽ Christi præsentiam, eadem similiter valent ad confirmandam verborum proprietatẽ, ex qua, illa præsentia concluditur. Quapropter Synodus Trident. sess. 13. c. 1. secuta Patrum, & vniuersalis Ecclesiæ sentẽtiam, sic definit de verbis formarũ huius sacramenti. quæ verba à sanctis Euãgelistis commemorata, & à D. Paulo posteà repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præseferant, secundum quã à Patribus intellecta sunt, indignum sanè flagitium est, ea quibusdam contentiosis & prauis hominibus, ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra vniuersum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est.

Aduersariorũ sententiæ, de impropríetate verborum Domini, in hoc sacramento.

13 Sed vt facilius catholica hæc sentẽtia ab impugnationibus hæreticorum defendi possit, illorũ obiectiones refutãdæ sunt. aduersarij igitur, tum vt horum verborum efficaciam, vt Lutherani, tũ etiam vt omninò tollãt de hoc sacramento realẽ Christi præsentiam, vt Sacramẽtarij, pręsertim Caluinistæ, induxerunt improprietatem, vel in illis verbis constituentes metaphoram, vel heterosin, vel synecdochen continentis pro cõtento, vt Lutherani. quidam per heterosin sic explicãtes illa verba, hoc significat corpus meum: per metaphoram, hæc est figura corporis mei: per synecdochem, in vel sub pane, vel cũ pane, est corpus meum. itaq; omnibus Lutheranis pronomen [hoc] demõstrat panem, vt sit idẽ, hoc est corpus meũ, quòd hic panis est corpus meũ: & quia hoc esset omninò falsum, cùm repugnans dicatur de repugnanti, ad improprium sermonem confugiunt, & omnibus illis modis sermonem Domini verum esse interpretantur, ad suum errorem accommodatè, quo scilicet, cum panis substantia, in ipsa sacramenti receptione, corpus Christi substantiale coniungunt, similiter explicant formam calicis. Sacramentarij verò, qui cœlo Christum concludẽtes, nullo modo in hoc sacramento substãtialiter, nec in ipsa sumptione admittũt Christum præsentem: & ideò improprietatem sermonis aliis modis retinentes, à metonymia præsidium petunt, vt signo nomen signati attribuatur, corpus nempè, pro pane significãte corpus ipsum, quasi dixerit Dominus, manducate panem, vt instrumentũ, symbolum, aut signum efficax, quo Christus vobis virtutem corporis mei communico per fidem in spiritu. itaq; hoc sacramentum sit signum participationis & cõmunionis spiritus Christi, à suo corpore vero realiter, tanquam per canalem quendã per panem sacramentalem defluentis. quare nihil aliud erit Caluino manducare hoc sacramentũ, quàm virtute defluente à corpore Christi realiter pasci, & fide, spiritu, mẽte haurire gratiam ex corpore Christi. Hinc est quod Caluiniani sic formas huius sacramẽti impiè exponunt, hoc est corpus meum, nõ substantia, sed significatione & repręsentatione fidei: similiter hic est calix sanguinis mei.

Claud sanct. repetitione prima c. vlt.

14 Scio à recentioribus, varias expositiones verborum Domini, ad octoginta quatuor, connumerari: sed plures ex illis, hac vna Caluini continentur, & omnes ad easdem propositas facilè reuocari possunt, & his refutatis, cæterę omninò refutãtur. His igitur & pluribus aliis similibus præstigiis verborum, aduersarij suos mirificè ludificantur: & vnus Caluinus his inuentis adeò gloriatur, vt catholicos vocet literales magistros, reliquos sacramentarios, tanquam nimis humiliter de hoc mysterio sentientes, præ se cõtemnat. Et quoniam hęretici, vt inquit Hier. ad Pãm. & Oceanũ de erroribus Orig. sic verba temperant, sic ordinẽ vertunt, vt & nostram & aduersariorũ cõfessionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter catholicus audiat. vocant Caluinistæ suam cœnam, substantialẽ & realem participationẽ corporis Christi. Sed intelligũt obiecto tenus, quatenus de corpore Christi in cœlo tantum, vt illi volunt, existenti, dimanat doni spiritualis efficacia per symbola panis & vini: quo sanè modo imaginaria, & intellectualis sumptio, substantiales dici possent, quia sunt circa substãtiam corporis Christi. Prætereà sequitur, quòd nullus verum Christi corpus indignè sumeret,

ret, quod affirmant Paulus 1. Cor. 11. quia nullus indignus efficaciam illam doni cęlestis per Eucharistiam participare potest.

15 Simile fuit cómentum Valentini, Nestorij & Arrij, vt verũ Christi corpus, personã filij Dei, naturalem filiũ tollerent, sermones scripturæ proprios de his rebus, ad improprios & figuratos transferentes. sed consideremus arguméta, quibus proprietatem verborũ tollere, & improprietatem inducere conantur. Primùm est, quia verbum sacramentale semper figuratum est, nunquã proprium: atq; ita Christus dixerit, corpus meũ, & sanguinem sacramentaliter, hoc est figuratè & impropriè: cùm in sacramẽtis sit rei significatę similitudo, ex qua signo nomẽ signati accómodatur: atq; ita dici sacramẽtum corporis & sanguinis Christi, nõ reipsa, sed quodãmodo, & secũdum similitudinẽ, vt videtur etiam asserere D. Aug. ep. 23. lib. 3. cõtr. Maximin. c. 22. & in Leuit. q. 58. & vt veteribus mãna fuit etiã sacramentalis panis. Confirmant etiã ex ipsis formis, cùm in forma calicis, calix pro vino calicis per metonymiam vsurpetur, testamentum etiã sumatur impropriè in eadẽ forma apud Lucã & Paulum. Secũdũ argumẽtum est ex Patribus, qui hoc sacramentũ non propriè dicunt esse corpus & sanguinẽ Christi, sed signum, figurã, memoriale, symbolum, imaginem, similitudinẽ, repręsentationem, antitypum: quæ omnia [illegible] pprietate corporis & sanguinis coexistere & cõuenire nõ possunt. Tertium argumentũ desumunt ex ratione naturali, qua volunt finẽ pręscribere omnipotẽtiæ Dei: quod fieri nõ possit, vt Dñs propriè significet, suum corpus & sanguinem esse in hoc sacramento, si fidei articulus est, quod sedet ad dexteram Patris, & vnum corpus multis locis simul esse non potest.

Hæreticorũ argumenta cõtra verborum proprietatem.

16 Ad primũ respondetur, sacramentalẽ locutionẽ eam esse, quę sacramenti naturã describit, hęc verò ex propria cuiusq; institutione petẽda est. suprà autẽ ostendimus, omnis sacramẽti institutionẽ in verbis propriã esse, & in significatione eatenus dici posse figuratã, quatenus significant, quod tectũ est & occultũ, sed propriè, vt in verbis sit proprietas: sit autem in rebus figura & occulta significatio. sic in vet. test. occidebantur in sacrificiis animalia, sed in figurã Christi sola fide percepti. sic in formis huius sacramẽti est corpus & sanguis Christi verè & substãtialiter secundũ propriã verborũ significationẽ, sed in figura & specie panis & vini occultus, & sola fide, idest, nõ sensibus perceptus. quare in sacramẽtis agnoscimus rerũ occultarum figuras, nõ tamen in verbis essentialia sacramenti cõtinentibus. de sanctorum explicatione paulò post dicemus. Ad confirmationẽ huius primi argumẽti respondetur, figurã & improprietatẽ nõ admiti in principalibus partib⁹ vtriusq; formę, vel in principali sensu, vt sensus intẽtus incertus reddatur, vt in his verbis, corpus, sanguis, est: in aliis partibus ideò admitti, quia ex principalibus propriis facilè determinãtur: & sunt illę figuratę locutiones adeò tritę & vulgares, vt nullam incertitudinẽ in sensu loquentis ingenerent, & ideò pro natiuis & propriis habeãtur. vt calicem, aut poculũ aquæ dare, aut bibere, pro aquã è poculo. Sic Iudęi testamentũ in sanguine, apertè & sine figura secundũ phrasim Hebr. fœdus initũ in sanguine & cruore confirmatũ, significat, vt exposuerũt Marcus & Matthæus, quod obscure & more Hebr. dictũ est à Luca & Paulo: cũ illi dicant, sanguis meus noui testamenti, hi autem, testamentum in meo sanguine.

Sacramentalis locutio non excludit proprietatẽ sermonis.

17 Fatemur itaq; in quibusdã verbis cœnę tropum, aut figurã reperiri, sed nũquid propterea in cęteris proprietas abiicienda est? bibere in regno Patris, figuratè intelligi potest secundum quosdã, perfundi manifesta Dei & Christi Dñi visione: aut propriè secundum alios de vera & reali cõiunctione cum Christo, quæ huius sacramẽti perceptione perficitur. in illis verbis, hic calix nouũ testamentũ est in meo sanguine, & in illis, iudiciũ sibi mãducat & bibit, traductio est causę & effectus, & cõtrà: sed nunquid propterea erit in ipsismet verbis formarũ? quę omnes successores Apostolorũ semper propria esse intellexerunt? & inducta impropria & figurata locutione, induci necesse est, nouũ & insolitum dogma, ab hoc sacramẽto realẽ Chisti pręsentiã expellẽs. In pręcipuis etiã religionis mysteriis, si quid figuratè & impropriè dictũ sit, solet statim scriptura aliquid apponere, ad explicandã improprietatẽ. vocauit scriptura agnum Phasè, sed addidit signũ fœderis, transitus monimentũ, vel victimam transitus. Christus dicitur pastor, sed cuius nos simus oues: dicitur vitis, sed cuius nos simus

In verbis principalibus huius sacramenti, & in præcipuis Christi mysteriis, proprietas sermonis retinetur.

simus palmites: ostium, sed quo nobis ingressus ad Patrẽ pateat: petra, sed spiritualis: Leo, sed de tribu Iuda: locus etiam & altare dicitur Dñs, sed quatenus in ipso videtur & colitur. Quare ex his exẽplis velle in formas huius sacramenti figurã inducere, valdè alienũ est: cũ nihil sit additum, quod nõ confirmet proprietatẽ sermonis, tantũ abest, vt improprietatem explicet. dicitur enim de corpore, quod pro vobis tradetur, quod datur, de sanguine, qui pro vobis effundetur, quæ nõ possunt verè attribui nisi corpori & sanguini Christi, verè & substãtialiter existenti in sacramento, cui illa attribuuntur. Similia sunt exẽpla, quæ pro se aduersarij de nouo testamento depromunt: colũba, aut linguę igneę sunt Spiritus sanctus, Ioãnes est Helias, Petra erat Christus. dicitur enim spiritus visus, sed tã quam colũba: Ioannes dicitur Helias, sed in spiritu & virtute: Petra dicitur Christus, sed spiritualis: nihil igitur ex his locis constanter concludi potest.

Explicantur Patres, cũ vocant hoc sacramentum figuram corporis Christi.

18 Ad secũdum, ne in sanctorum lectione offendere possis, considerabis primo calũniatoris esse, ex paucis & obscuris, velle officere lumini pluriũ & manifestorũ, cũ contrà potius ex manifestis obscura illustrãda sint: nihil autẽ manifestius & sæpius proponitur ab omni antiquitate, quã verborum huius sacramenti proprietas, & quę illi necessariò cohęret, realis & substãtialis Christi in eodem pręsentia. Secundò animaduertes, à Patribus, quæ aliàs ad literã propriè dicuntur, spiritualiter nonnunquam exponi, ex hoc autẽ sensu spirituali & mystico, nõ debet præiudicium adferri sensui literali & proprio, cũ spiritualis sensus in literali fundetur, & ideò illi repugnare non possit. sic Orig. ad c.26. Matth. hoc sacramentũ vocat, verbum nutritoriũ animarũ. Tertiò obseruabis, omnes voces ab antiquis vsurpatas, quæ videntur corporis Christi verã pręsentiam, manducationem, aut oblationẽ imminuere, & pro illa velle, vmbraticã, spiritualem, metonymicã, & tropicã inducere, ad rationẽ tantum & modũ existendi, mãducandi, immolandi, qui est occultus & sacramẽtalis, pertinere: & ideò identitatẽ substantię, rei aut actionis veritatẽ tollere non posse. Hoc sensu dixit D. Aug. quod Christus quodãmodo se portabat manibus suis, in Psal.33. & ep.23. sacramentum corporis Christi, secundum quẽdam modum corpus Christi esse, vt sacramentũ fidei in paruulis per charactẽre mãnens, dicitur sacramentum fidei & illorũ fides quodammodo, licet reuera per illud paruuli sint in numero fideliũ. sic etiã exprimẽte Aug. Psal.98. inquit Dñs, nõ hoc corpus, quod videtis mãducaturi estis, & bibituri sanguinẽ, quẽ m effusuri sunt, qui me crucifigẽt. hoc enim intelligitur, nõ de substãtia simpliciter, sed cum modo naturali existẽdi, quo modo nõ essent Christũ mãducaturi, sed potius sacramẽtaliter. ex hac obseruatione, vsurpatur à quibusdã illa triplicis corporis Christi distinctio, veri, mystici, sacramentalis, cuius meminit Paschasius in fine ep. de corp. & sang. Dñi, quam propter latentem errorẽ quorundã sub illa, nõ probãt. Ratione eiusdẽ modi existẽdi mysticè & sacramentaliter Christum in Eucharistia, & non in propria specie, accipiẽdę sunt illę voces, memoriale, signum, &c. quas quidã tribuunt huic sacramẽto, dicẽtes esse signũ & memoriale Christi: quoniã licet realiter Christũ contineat, cõtinet tamen mysticè, & nõ in propria specie: vt ipsa figura panis & vini, non tantũ sit signũ Christi realiter cõtenti, & effectus, quẽ illius sumptio efficit, sed ipsius etiã Christi, vt existentis in propria natura & forma. Sic Aug. cõt. Adimantum c.12. & in Psal.3. Ambr. lib.1. offic. c.48. vocat hoc sacramẽtum, figuram & imaginem corporis & sanguinis Dñi. Sic Gręci appellant symbola, & antitypa, vel ante consecrationem, vt explicauit 2. Nicęna Synodus disputãte Epiphanio, & Damas. lib.4. de fide c.14. vel post consecrationẽ eodem sensu, quo diximus Aug. & alios Patres vocare hoc sacramentum figurã corporis & sanguinis Dñi.

Antitypon & repræsentatio.

19 Mihi tamen videtur idẽ esse Græcis antitypõ, ex imitatione Petri 1. epist. c.3. & Pauli Hebr.9. vsurpatũ, quod repręsentatio dicitur D. Hier. cum ait, Christũ sacramento panis veritatem sui corporis & sanguinis repręsentasse: quia repręsentare, est rẽ presentem exhibere, vt dicunt iureconsulti, repręsentari pretiũ agri. Illud est prætereà in antitypo, quod cõtinet typi & figurę veteris rem & veritatẽ, sed in imagine occultã & tectam, vt inquit D. Paul. de rebus noui testamenti Heb.10. & ideò antitypon est res vera, quę relatiuè respõdet antiquę pręnuntiationi & vmbrę, quamuis non habeat extrinsecus manifestam & cõ

ſpicuam exiſtentiam, vt erit in ſe & in beatitudine. Sic ergo Euchariſtia dicitur antitypó Chriſti, quia licet realiter Chriſtum cõtineat, continet tamen tectum figura panis & vini. Tertul. etiam lib. 4. cót. Marc. inquit, hoc eſt corpus meũ, ideſt, figura corporis mei, ſed hoc additur ad expoſitionẽ pronominis, hoc, quaſi dicat in noua lege illud fecit Chriſtus corpus ſuũ, quod erat figura corporis in veteri, qui ſenſus ex antecedentibus & cõſequentibus colligitur. Ad tertium argumentum reſpondetur, nihil in hoc ſacramento ratione naturali, ſed fide inueſtigandum eſſe: nihil autem in eo eſſe, quod rationi naturali repugnet, cùm explicauero modum exiſtentiæ ſacramentalis, omninò conſtabit.

QVÆSTIO LXXV.

De conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, in octo articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

Primò, vtrum in hoc ſacramento ſit corpus Chriſti ſecundũ veritatẽ, an ſolum ſecundum figuram, vel ſicut in ſigno.

Secundò, vtrum in hoc ſacramento remaneat ſubſtantia panis & vini poſt cõſecrationem.

Tertiò, vtrum ſubſtantia panis, vel vini, poſt conſecrationem huius ſacramenti annihiletur, aut in priſtinam materiam reſoluatur.

Quartò, vtrum panis poſſit conuerti in corpus Chriſti.

Quintò, vtrum in hoc ſacramento poſt conuerſionem remaneant accidentia panis & vini.

Sextò, vtrum facta conſecratione, remaneat in hoc ſacramento forma ſubſtantialis panis.

Septimò, vtrũ iſta cõuerſio fiat in inſtãti.

Octauò, vtrum hæc ſit falſa, ex pane fit corpus Chriſti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc ſacramento ſit corpus Chriſti ſecundum veritatem.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod in hoc ſacramento non ſit corpus Chriſti ſecũdum veritatem, ſed ſolum ſecundũ figuram, vel ſicut in ſigno. Dicitur enim Ioã. 6. quod cum Dñs dixiſſet, niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, &c. multi ex diſcipulis eius audiẽtes, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quibus ipſe dixit: Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquã, quaſi diceret, ſecundũ expoſitionẽ Aug.* ſuper Pſal. 98. Spiritaliter intelligite, quod locutus ſum, nõ hoc corpus quod videtis mãducaturi eſtis, & bibituri illũ ſanguinẽ, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, ſacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritaliter intellectum viuificabit vos, caro autẽ non prodeſt quicquam.

Sup. q. 65. ar. 3. cor. prin. & infr. q. 76. per totũ. & 4. diſt. 10. ar. 1. & d. 11. prin. & 4. cõt. c. 71. & 1. Cor. 11. le. 5. col. 2. & 4.

** In Pſal. 98. non procul à medio expoſitionis, to. 8. refertur hoc, de cõſ. d. 2. c. 45.*

¶ 2. Præterea, Dñs dicit Matt. vlt. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationẽ ſeculi. Quod exponẽs Aug.* dicit: Donec ſeculũ finiatur, ſurſum eſt Dñs, ſed tamẽ & hic nobiſcum eſt veritas Dñi: corpus enim in quo reſurrexit, in vno loco oportet eſſe, veritas autem eius vbiq; diffuſa eſt. Non ergo ſecũdum veritatem eſt corpus Chriſti in hoc ſacramẽto, ſed ſolum ſicut in ſigno.

¶ 3. Præterea, Nullũ corpus poteſt eſſe ſimul in pluribus locis, cũ nec angelo hoc conueniat, eadem enim ratione poſſet eſſe vbiq;. Sed corpus Chriſti eſt verũ corpus, & eſt in cælo. Ergo videtur, quod non ſit ſecundum veritatem in ſacramẽ

to altaris, ſed ſolum ſicut in ſigno.

¶ 4. Prętereà, Sacramēta Eccleſię ad vtilitatē fidelium ordinātur. Sed ſecundū Greg.* in quadam homil. regulus reprehenditur, quòd quęrebat corporalē Chriſti prę ſentiā. Apoſtoli etiā impediebātur recipere Spiritū ſanctū, propter hoc quòd affecti erāt ad eius præſentiā corporalē, vt Aug.* dicit ſuper illud Ioā. 16. Si non abiero, paracletus nō veniet ad vos. Nō ergo Chriſtus ſecundum præſentiam corporalem eſt in ſacramento altaris.

De regulo id habet Gregor. hō. 20. in euāgel.

Tracta. 94. in Ioa. à med. to. 9. lib. 8. inter princ. & med. lib.

Sed contra eſt, quod Hilar.* dicit in 8. de Tri. de veritate carnis & ſanguinis Chriſti, nō eſt relictus ambigēdi locus: nūc enim & ipſius Dñi profeſſione & fide noſtra caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus. Et Amb.* dicit 6. de ſacramentis. Sicut verus Dei filius eſt Dñs Iesvs Chriſtus, ita vera Chriſti caro eſt, quam accipimus, & verus ſanguis eius eſt potus.

Lib. 8. ca. 1. in princ. to. 4.

Respondeo dicēdum, quod verū corpus Chriſti & ſanguinem eſſe in hoc ſacramento, neq; ſenſu neq; intellectu depręhendi poteſt, ſed ſola fide, quę autoritati diuinæ innititur. Vnde ſuper illud Luc. 22 Hoc eſt corpus meū, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus: Nō dubites, an hoc verū ſit, ſed potius ſuſcipe verba Saluatoris in fide, cùm enim ſit veritas, nō mentitur. Hoc autē conueniens eſt. Primò quidē perfectioni nouę legis. Sacrificia enim veteris legis illud verū ſacrificiū paſſionis Chriſti continebāt ſolū in figura, ſecundū illud Heb. 10. Vmbrā habens lex futurorū bonorū, non ipſam rerum imaginem. Et ideo oportuit, vt aliquid plus haberet ſacrificiū nouę legis à Chriſto inſtitū, vt ſcilicet, cōtineret ipſum Chriſtū paſſum, non ſolū in ſignificatione, vel figura, ſed etiā in rei veritate. Et ideo hoc ſacramentum, quod ipſum Chriſtū realiter continet (vt Dio. dicit 3. c. eccl. hier.) eſt perfectiuū omniū aliorum ſacramentorū, in quibus virtus Chriſti participatur. Secundò hoc competit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra, corpus verum noſtrę naturę aſſumpſit. Et quia maximè propriū amicitię eſt cōuiuere amicis (vt Phil.* dicit 9. Ethi.) ſui præſentiā corporalē nobis repromittit in prēmiū, dicens Matt. 24. Vbi fuerit corpus, illuc cōgregabuntur & aquilę. Interim tamē nec ſua prę ſentia corporali nos in hac peregrinatione deſtituit, ſed per veritatē corporis & ſanguinis ſui, nos ſibi coniungit in hoc ſacramēto. vnde ipſe dicit Io. 6. Qui manducat meā carnē, & bibit meum ſanguinē, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc ſacramentū eſt maximę charitatis ſignū, & noſtrę ſpei ſubleuamentū, ex tā familiari cōiunctione Chriſti ad nos. Tertiò, hoc cōpetit perfectioni fidei, quæ, ſicut eſt de diuinitate Chriſti, ita eſt de eius humanitate, ſecundū illud Io. 14. Creditis in Deū, & in me credite. Et quia fides eſt inuiſibiliū, ſicut diuinitatē ſuam nobis exhibet Chriſtus inuiſibiliter, ita & in hoc ſacramento carnē ſuam nobis exhibet inuiſibili modo. Quæ quidā non attendentes, poſuerunt corpus & ſanguinem Chriſti nō eſſe in hoc ſacramento, niſi ſicut in ſigno, quod eſt tāquam hęreticum abiiciēdum, vtpote verbis Chriſti cōtrarium. Vnde & Berengarius,* qui primus huius erro-

Lib. 9. c. 4. & li. 8. c. 5. to. 5.

Habetur de cō ſec. d. 2. c. Ego Berengarius.

ris autor fuerat, postea coactus est suum errorem reuocare, & veritatem fidei confiteri.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ex hac autoritate prędicti hæretici * occasionē errandi sumpserūt, malè verba Aug. intelligentes. Cū enim Aug.* dicit: Nō hoc corpus, quod videtis, mãducaturi estis, nō intēdit excludere veritatē corporis Christi, † sed quod nō erat mãducandū in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autē quod subdit. Sacramentū quod vobis commendaui spiritualiter intellectū, viuificauit vos, nō intendit quod corpus Christi sit in hoc sacro solum secundum mysticā significationē, sed spiritualiter dici, idest inuisibiliter, & per virtutē Spiritus sancti. Vnde super Ioã.* exponēs id quod dicitur: Caro nō prodest quicquã, dicit: Sed quomodo illi intellexerūt, carnē quippe sic intellexerunt manducandã, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.

Pręcipuè citatus in fine cor.

In expositione Psal. 98. to. 8.

Vt patet ex verbis præcedentibus locū citat.

Trac. 27. in Euang. Ioan. inter principiū & med. illius, to. 9.

AD SECVNDVM dicendū, quod verbū illud Aug.* & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundū quod videtur in propria specie (secundū quod etiã ipse Dñs dicit Mat. 26. Me autē non semper hobebitis) inuisibiliter tamen sub speciebus huius sacramēti est, vbicunq; hoc sacramētum perficitur.

Citatū in ar. 2.

AD TERTIVM dicendū, quod corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimēsionibus loco cōmensuratur, sed quodã speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Vnde dicimus, quod corpꝰ Christi est in diuersis altaribus, nō sicut in diuersis locis, sed sicut in sacramēto. Per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solū sicut in signo, licet sacramentū sit in genere signi: sed intelligimus corpus Christi hîc esse (sicut dictum est*) secundum modum proprium.

In cor. ar.

AD QVARTVM dicendū, quod ratio illa procedit de pręsentia corporis Christi, prout est pręsens per motum corporis, idest, prout est in sua specie visibili, non autē prout est spiritualiter, idest, inuisibili modo & virtute spiritus. Vnde Aug.* dicit super Ioã. Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus & vita tibi sunt, si intellexisti carnaliter, etiam spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

Trac. 27. in Ioan. parū ante mediū to. 9.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationē.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramēto remaneat substãtia panis & vini post consecrationem. Dicit enim Dam.* in 4. li. Quia cōsuetudo est hominibus comedere panē, & vinū bibere, cōiugauit Deus diuinitatē, & fecit ea corpus & sanguinē suum, & ita panis cōmunicationis nō panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Sed cōiugatio est rerū actu existentiū. Ergo panis & vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore & sanguine Christi.

Inf. ar. 6. cor. & q. 77. ar. 1. & 5. & 4. di. 11. q. 1. art. 1. q. 1. & d. 12. q. 1. ar. 1. q. 3. & 4. cōtra ca. 63. in pri. & quo. 7. ar. 9. et quo 9. arti. 5. ad 3. & 1. cor. 11. le. 4. col. 6. & le. 5. col. 5.

**Li. 4. c. 14. in med. tract. 26. in Ioã. inter medium & finem to. 9. colligitur ex li. 4. c. 4. & li. 6. c. 1. to. 4. refertur de consec. d. 2. c. Omnia.*

¶ 2. Pręterea, Inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas. Sed in aliis sacramentis, substãtia materiæ manet, sicut in baptismo substãtia aquæ, & in cōfirmatione substantia chrismatis. Ergo & in

hoc

hoc sacramento substãtia panis & vini manet.

¶ 3. Preterea, Panis & vinũ assumũtur in hoc sacramẽto, inquantũ significãt ecclesiasticã vnitatẽ, prout vnus panis fit ex multis granis, & vnũ vinũ ex multis racemis, vt August.† dicit in lib. de Symbolo. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis & vini. Ergo substantia panis & vini remanet in hoc sacramẽto.

Sed contra est, quod Amb.* dicit in li. de sacramẽ. Licet figura panis & vini videatur, tamen nihil aliud, quã caro Christi & sanguis post consecrationẽ credenda sunt.

Respondeo dicendũ, quod quidã posuerunt post consecrationẽ, substantiã panis & vini in hoc sacramento remanere. Sed hęc positio stare nõ potest. Primò quidem, quia per hãc positionẽ tollitur veritas huius sacramenti, ad quã pertinet, vt verũ corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidẽ ibi nõ est ante cõsecrationẽ. Nõ autẽ aliquid potest esse alicubi vbi prius nõ erat, nisi vel per loci mutationẽ, vel per alterius conuersionẽ in ipsum, sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur. Manifestũ est autẽ, ꝙ corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motũ localẽ. Primò quidẽ, quia sequeret, ꝙ desineret esse in cælo, nõ eñ quod localiter moueť peruenit de nouo ad aliquem locũ, nisi deserat priorẽ. Secũdò, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, qđ hic dici nõ põt. Tertiò, quia impossibile est, quod vnus motus eiusdẽ corporis localiter moti terminetur simul ad diuersa loca, cùm tamẽ in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat, & ideo relinquitur, ꝙ nõ possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionẽ substantiæ panis in ipsum. Quòd autẽ cõuertitur in aliquid facta cõuersione non manet. Vnde relinquiť, ꝙ salua veritate huius sacramẽti, substãtia panis post cõsecrationem remanerę nõ possit. Secũdò, quia hęc positio cõtrariatur formę huius sacramenti, in qua dicitur, hoc est corpus meũ, quod nõ esset verũ, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substãtia panis est corpꝰ Christi, sed potius esset dicendũ, hic est corpus meũ. Tertiò, quia cõtrariatur venerationi huius sacramẽti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quartò, quia contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quẽ post corporalem cibũ nõ licet sumere corpus Christi, cũ tamen post vnã hostiam consecratam liceat sumere aliam. Vnde hęc positio vitanda est tanquam hæretica.

Ad primvm ergo dicendum, quod Deus cõiugauit diuinitatem suã, idest, diuinã virtutem, pani & vino, nõ vt remaneant in hoc sacramento, sed vt faciat inde corpus & sanguinem suum.

Ad secvndvm dicendum, ꝙ in aliis sacramẽtis nõ est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramẽto. Et ideo in aliis sacramentis manet substãtia materię, nõ aũt in isto.

Ad tertivm dicendũ, quod species, quę remanent in hoc sacramento (vt infra dicetur)† sufficiũt ad significationem huius sacramẽti, nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ. q.87. ar.3. & 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm substantia panis, vel vini post consecrationem huius sacramenti annihiletur.

4.d.11.q.1.ar.2.& .4. cōt.c.63.& quo.5.ar.11.& quo.9.arti.5.ad 3.& 1.cor.11.lec.5.col.5.

AD tertiū sic proceditur. Videtur, ꝙ substātia panis post consecrationē huius sacramēti, annihiletur, aut in pristinā materiam resoluatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quę est quidā corporale non manet in hoc sacramēto (vt dictū est*) nec etiā est dare aliquē locum vbi sit, ergo nō est aliquid post consecrationē. Igitur, aut est annihilata, aut in præiacentem materiam resoluta.

Ar. praec.

¶ 2. Præterea, Illud quod est terminus à quo in qualibet mutatione non remanet, nisi fortè in potentia materię, sicut quū ex aëre fit ignis, forma aëris nō manet nisi in potentia materię, & similiter quando ex albo fit nigrū. Sed in hoc sacr͞o substantia panis, aut vini se habet sicut terminus à quo, corpus autē vel sanguis Christi sicut terminus ad quē, dicit enim † Amb. in li. de offic. ante benedictionē alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur. Ergo facta cōsecratione, substantia panis, vel vini non manet, nisi fortè resoluta in suam materiam.

In lib. de his, qui mysteriis initiantur. c.9. à med. to.4. refertur de cōsec. d.2. c. ante.

¶ 3. Prętereà, oportet alterū contradictoriū esse verum. Sed hęc est falsa, facta cōsecratione, substantia panis, vel vini est aliquid. Ergo hęc est vera, substātia panis, vel vini est nihil.

SED CONTRA est, quod † Aug. dicit in li. 83. quęstionum. Deus nō est causa tendendi in non esse. Sed hoc sacramentū diuina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramēto nō annihilaт̄ substantia panis, aut vini.

lib. 83. quæ. q. 21. in me. to. 4.

RESPONDEO dicendum, quod quia substātia panis, vel vini nō manet in hoc sacramēto, quidā impossibile reputātes, ꝙ substantia panis vel vini in corpus, vel sanguinem Christi cōuertatur, posuerūt quod per consecrationē substātia panis, vel vini, vel resoluitur in præiacentē materiam, vel quòd annihiletur. Pręiacēs autē materia, in quā corpora mixta resolui possūt, sunt quatuor elemēta. Non enim potest resolutio fieri in materiā primā, ita ꝙ sine forma existat, quia materia sine forma esse nō potest. Cū autē post consecrationē, nihil sub speciebus sacramenti remaneat nisi corpus & sanguis Christi, oportebit dicere quod elemēta, in quę resoluta est substātia panis vel vini, inde discedant per motum localem, quod sensu perciperetur.

Similiter etiā substātia panis vel vini manet vsq; ad vltimum instans cōsecrationis. In vltimo autē instāti cōsecrationis ibi est iā substātia corporis vel sanguinis Christi, sicut in vltimo instāti generationis, iā inest forma. Vnde non erit dare aliquod instans, in quo sit ibi pręiacēs materia. Nō enim potest dici, ꝙ paulatim substantia panis vel vini resoluatur in præiacentē materiā, vel successiuè egrediatur de loco specierū, quia si hoc inciperet fieri in vltimo instāti suę consecrationis, simul sub aliqua parte hostię esset corpus Christi cū substantia panis, quod est contra prędicta. † Si verò hoc incipiat fieri ante consecrationē, erit dare aliquod tēpus, in quo sub aliqua parte hostię neq; erit substantia panis, neq; erit corpus

In isto artī. & praec.

pus

pus Christi, quod est incōueniens, & hoc ipsimet perpendisse vidētur. Vnde posuerūt aliud sub disiūctione, scilicet, quòd vel annihiletur, vel in prȩiacentē materiā resoluatur. Sed nec hoc potest esse, quia nō est dare aliquē modū, quo corpus Christi verū esse incipiat in hoc sacramēto, nisi per conuersionē substātiȩ panis in ipsum, quȩ quidē cōuersio tollitur, posita vel annihilatione substātiȩ panis, vel resolutione in prȩiacentē materiā. Similiter etiam nō est dare, vnde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramēto causetur, cū effectus sacramenti significetur per formā, neutrum autem horum significatur per hæc verba formæ, hoc est corpus meū. Vnde patet prȩdictam positionem esse falsam.

Ad primvm ergo dicendum, quod substātia panis vel vini facta consecratione, neq; sub speciebus sacramēti manet, neq; alibi. Nō tamē sequitur, quòd annihiletur, conuertitur enim in corpus Christi. Sicut non sequitur. Si aër ex quo generatus est ignis, non sit ibi vel alibi, quòd sit annihilatus.

Ad secvndvm dicendū, quod forma, quȩ est terminus à quo, non cōuertitur in aliā formam, sed vna forma succedit alteri in subiecto, & ideo prima forma non remanet nisi in pōtētia materiæ. Sed hic substantia panis conuertitur in corpus Christi, vt supra dictum est.† vnde ratio non sequitur. *In corp. ar. & in praec.*

Ad tertivm dicendum, quòd licet post consecrationē hȩc sit falsa, substātia panis est aliquid, id tamen in quod substantia panis est cōuersa, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm panis possit conuerti in corpus Christi.

AD quartū sic proceditur. Videtur, quod panis non possit conuerti in corpus Christi, conuersio enim quædam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquod subiectum, quod prius est in potentia, & postea est in actu, vt enim dicitur 3.† Physic. motus est actus existentis in potentia. Nō est autem dare aliquod subiectum substantiæ panis & corporis Christi, quia de ratione substātiæ est, quòd sit non in subiecto. vt dicitur in prædicamentis.* Non ergo potest esse quòd tota substantia panis conuertatur in corpus Christi. *Inf. arti. 6. co. & ar. 8. cor. & ad 3. & 4. di. 11. q. 1. ar. 1. q. 2. ad 1. & q. 3. ad 3. & ar. 3 q. 1. per to. & 4. contra c. 63 & quo. 5. arti. 11. Et opus. 2. ca. 8. & 1. cor. 11. lec. 4. cor. 6. & lec. 5. col. 3.* *†Li. 3. text. 6. to. 2.* **In ca. de substant, to. 1.*

¶ 2. Præterea, Forma illius, in quod aliquid conuertitur, de nouo incipit esse in materia eius, quod in ipsum conuertitur, sicut cū aër conuertitur in ignem prius non existētē, forma ignis incipit de nouo esse in materia aëris, & similiter cum cibus conuertitur in hominē prius non existentem, forma hominis incipit esse de nouo in materia cibi. Si ergo panis conuertitur in corpus Christi, necesse est, quod forma corporis Christi, de nouo incipiat esse in materia panis, quod est falsum. Non ergo panis conuertitur in substantiam corporis Christi.

¶ 3. Præterea, Ea quȩ sunt secundum se diuersa, nunquā vnum eorū fit alterum, sicut albedo nunquam fit nigredo, sed subiectū albedinis fit subiectū nigredinis, vt dicit in 1. †Phy. Sed sicut duȩ formȩ cōtrariȩ sunt secundum se diuersæ (vt pote principia formalis differentiȩ existentes) *Lib. 1. tex. 42. & seq. to. 2.*

ſtētes) ita duę materię ſignatę ſunt ſecundū ſe diuerſæ, vt pote exiſtentes principia materialis diſtinctionis. Ergo nō poteſt eſſe, ꝙ hęc materia panis fiat hęc materia, qua indiuiduatur corpus Chriſti. Et ita non poteſt eſſe, quòd ſubſtantia huius panis conuertatur in ſubſtantiā corporis Chriſti.

Ex Hō. 10. Refertur de cōſec. d. 2. c. 35. Quia corpus aſſumptum.

SED CONTRA eſt, quod* Euſe. Emiſſ. dicit. Nouū tibi, & impoſſibile eſſe nō debet, quòd in Chriſti ſubſtantiā terrena & mortalia conuertuntur.

In med. ar. 1. huius q.

ar. 1. huius q.

RESPONDEO dicēdum, quod ſicut ſupra dictū eſt,* cū in hoc ſacramento ſit verū corpus Chriſti, nec incipiat ibi eſſe de nouo per motū localem, cū etiā nec corpus Chriſti ſit ibi ſicut in loco (vt ex dictis patet*) neceſſe eſt dicere, ꝙ incipiat ibi eſſe per conuerſionē ſubſtantię panis in ipſum. Hæc tamen conuerſio nō eſt ſimilis cōuerſionibus naturalibus, ſed eſt omnino ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta. Vnde *Ambr. dicit in lib. de ſacramētis. Liquet, quòd pręter naturę ordinem, Virgo generauit, & hoc, quòd conficimus, corpus ex Virgine eſt, quid ergo quęris naturę ordinē in Chriſti corpore, cùm præter naturā ſit ipſe Dñs IESVS partus ex Virgine? Et ſuper illud Io. 6. Verba, quę ego locutus ſum vobis (ſcilicet, de hoc ſacramēto) ſpiritus & vita ſunt. dicit* Chryſo. id eſt ſpiritualia ſunt, nihil habētia carnale, neq; conſequentiā naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate, quæ in terra, & à legibus, quæ hic poſitę ſunt. Manifeſtum eſt enim, ꝙ omne agēs aget inquantū eſt actu. Quodlibet autē agēs creatū eſt determinatū in ſuo actu, cū ſit determinati generis, & ſpeciei, & ideo cuiuſlibet agentis creati actio fertᷣ ſup aliquē determinatū actū, determinatio autē cuiuslibet rei in eſſe actuali, eſt per eius formā. Vnde nullū agens naturale, ſeu creatū poteſt agere, niſi ad immutationē formę, & propter hoc omnis cōuerſio, quę fit ſecundū leges naturę, eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus (vt in prima parte habitū eſt*) vnde eius actio ſe extendit ad totā naturā entis. Nō igitur ſolū poteſt perficere conuerſionē formalē, vt ſcilicet diuerſæ formæ ſibi in eodē ſubiecto ſuccedāt, ſed cōuerſionem totius entis, vt. ſ. tota ſubſtātia huius cōuertatur in totā ſubſtantiā illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc ſacramēto, nā tota ſubſtātia panis cōuertitur in totā ſubſtantiā corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini, in totā ſubſtantiā ſanguinis Chriſti. Vnde hęc cōuerſio nō eſt formalis, ſed ſubſtātialis, nec continetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine poteſt dici tranſubſtantiatio.

In lib. de his, qui myſteriis initiātur, c. 9. parum a med. to. 4.

Hom. 46. in Ioan. nō multum ante med. to. 3.

Quæſt. 7. ar. 1. & q. 25. ar. 2.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod obiectio procedit de mutatione formali, quia formę propriū eſt in materia, vel ſubiecto eſſe. Non autē habet locū in conuerſione totius ſubſtātię. Vnde cū hęc conuerſio ſubſtantialis, importet quendam ordinem ſubſtātiarum quarū vna cōuertitur in alteram, eſt ſicut in ſubiecto in vtraq; ſubſtantia, ſicut ordo & numerus.

AD SECVNDVM dicendum, quod illa obiectio procedit de conuerſione formali, ſeu mutatione, quia oportet, ſicut dictum eſt,† formam eſſe in materia, vel ſubiecto. Nō autē habet locū in cōuerſione totius

In cor. & art. 3.

totius substantię, cuius non est acci pere aliquod subiectum.

Ad tertium dicendum, quod virtute agentis finiti nō potest forma in formā mutari, nec materia in materiā. Sed virtute agētis infiniti (ꝙ habet actionem in totū ens) potest talis cōuersio fieri quia vtriq; formę & vtriq; materię est cōmunis natura entis, & id quod est entitatis in vna, potest actor entis conuertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.

ARTICVLVS V.

Vtrū in hoc sacramento remaneant accidentia panis & vini, post conuersionem.

Sup. articu. 2. ad 3. & inf. q. 76. ar. 1. ad 3. & 4. d. 11. q. 1. arti. 1. q. 2. Et d. 12. q. 1. art. 1. q. 2. & 1. co. 11. le. 5. co. 2. & fi. & col. 6. Lib 7. tex. 4. tom. 3.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, ꝙ in hoc sacramēto non remaneāt accidentia panis, & vini. Remoto enim priori remouetur & posterius. Sed substantia est naturaliter prior accidente, vt probatur 7. Metap. Cū igitur facta cōsecratione, nō remaneat substantia panis in hoc sacramento: videtur, quod non possint remanere accidentia eius.

¶ 2. Præterea, In sacramēto veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidētia iudicamus de substātia. Videtur ergo quod decipiatur humanū iudiciū: si remanētibus accidētibus, substantia panis nō remaneat. Non ergo hoc est conueniens huic sacramento.

¶ 3. Pręterea, Quāuis fides nostra non sit subiecta rationi, non tamē est contra rationē, sed supra ipsam, vt in principio huius operis dictū est*. Sed ratio nostra habet ortū à sensu, ergo fides nostra non debet esse cōtra sensum. Est autē cōtra sensum dum sensus iudicat esse panē, & fides credit esse substantiā

2. 2. q. 10. ar. 1. ad 1.

corporis Christi. Non ergo hoc est conueniēs huic sacramēto, ꝙ accidentia panis subiecta sensibus maneāt, & substātia panis nō maneat.

¶ 4. Pręterea, Illud quod manet cōuersione facta, videtur esse subiectū mutationis. Si ergo accidentia panis manēt conuersione facta, videtur quod ipsa accidētia sint cōuersionis subiectū, quod est impossibile, nā accidentis nō est accidēs. Nō ergo in hoc sacramento debēt remanere accidentia panis & vini.

Sed contra est, quod Aug. *dicit in lib. sent. Prosperi. Nos in specie panis & vini, quā videmus, res inuisibiles, idest, carnem & sanguinem, honoramus.

Refertur de cō sec. d. 2. c. Nos autem.

Respondeo dicendum, quod sensu apparet, facta cōsecratione, omnia accidētia panis & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinā prouidentiā fit. Primò quidē, quia nō est consuetū hominibus, sed horribile carnē hominis comedere, & sanguinem bibere. Et ideo proponūtur nobis caro & sanguis Christi sumēda sub speciebus illorum, quę frequētius in vsum hominis veniunt, scilicet, panis & vini. Secundò, ne hoc sacramentū ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria, Dn̄m nostrum manducaremus. Tertiò, vt dum inuisibiliter corpus & sanguinē Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

Ad primvm ergo dicendum, quòd sicut dicitur in li. † de causis, effectus plus dependet à causa prima, quam à causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, vt remaneant posteriora prioribus sublatis.

In propos. 1. Habetur hic liber inter opera Arist. tom. 3.

Ad secvndvm dicendū, quòd in hoc

in hoc ſacramento nulla eſt deceptio, ſunt enim ibi ſecũdũ rei veritatẽ accidentia, quę ſenſibus diiudicantur: intellectus autem, cuius eſt proprium obiectum ſubſtantia (vt dicitur in 3. de anima*) per fidem à deceptione præſeruatur.

Lib. 3. tex. 26 to. 2.

Et ſic patet reſponſio AD TERTIVM. Nã fides nõ eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit.

AD QVARTVM dicendũ, quod hæc cõuerſio nõ proprè habet ſubiectũ, vt dictũ eſt*, ſed tamen accidentia, quæ remanent, habent aliquam ſimilitudinem ſubiecti.

Arti. 4. huius q. ad 1. & 2.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm facta cõſecratione, remaneat in hoc ſacramẽto forma ſubſtãtialis panis.

Inf. q. 77. ar. 1 & 6. cor. & 4. d. 11. q. 1. art. 1. q. 3. & d. 12. q. 1. art. 2. q. 3. cor. & quol. 9. art. 5. ad 3. & 1. cor. 11. le. 4. fi.
**Arti. præced.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quod facta cõſecratione, remaneat in hoc ſacramẽto forma ſubſtãtialis panis. Dictũ eſt enim*, quod facta cõſecratione, remanent accidentia. Sed cũ panis ſit quoddã artificiale, etiã forma eius eſt accidens. Ergo remanet facta conſecratione.

¶ 2. Præterea, Forma corporis Chriſti eſt anima: dicitur enim in 2. de ani.* quod anima eſt actus corporis Phyſici, potẽtia vitã habẽtis. Sed nõ poteſt dici, quòd forma ſubſtantialis panis conuertatur in animã. Ergo videtur, quòd remaneat facta conſecratione.

**Lib. 2. tex. 4. & 6. to. 2.*

¶ 3. Pręterea, Propria operatio rei ſequitur formã ſubſtantialem eius. Sed illud, quod remanet in hoc ſacramẽto, nutrit, & omnẽ operationem facit, quam faceret panis exiſtens. Ergo forma ſubſtantialis panis remanet in hoc ſacramẽto facta conſecratione.

SED CONTRA, Forma ſubſtantialis panis eſt de ſubſtantia panis. Sed ſubſtãtia panis conuertitur in corpus Chriſti, ſicut dictũ eſt* Ergo forma ſubſtãtialis panis nõ manet.

ar. 2. & 4. huius q.

RESPONDEO dicendum, quod quidã poſuerunt, quod facta conſecratione non ſolũ remanẽt accidẽtia panis, ſed etiã forma ſubſtãtialis eius. Sed hoc eſſe nõ poteſt. Primò quidẽ, quia ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, nihil de pane cõuerteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia. Et ita ſequeretur ꝙ nõ cõuerteretur in corpus Chriſti totũ, ſed in eius materiã, quod repugnat formę ſacramenti, qua dicitur, hoc eſt corpus meũ. Secundò, quia ſi forma ſubſtantialis panis remaneret, aut remaneret in materia aut à materia ſeparata. Primũ autẽ eſſe nõ poteſt, quia ſi remaneret in materia panis, tũc tota ſubſtãtia panis remaneret, quod eſt contra prædicta.* In alia autẽ materia remanere nõ poſſet: quia propria forma nõ eſt niſi in propria materia. Si autẽ remaneret à materia ſeparata, iam eſſet forma intelligibilis actu, & etiã intelligens: nã omnes formæ à materia ſeparatę, ſunt tales. Tertiò eſſet inconueniẽs huic ſacramẽto. Nam accidẽtia panis in hoc ſacramẽto remanẽt, vt ſub eis videatur corpus Chriſti, nõ autẽ ſub propria ſpecie, ſicut ſuprà dictum eſt*. Et ideo dicendũ eſt, quod forma ſubſtantialis panis non remanet.

ar. 2. huius q.
Ar. præce.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis: ſicut arte poſſunt produci ranę & ſerpentes, talem enim formã nõ producit ars virtute propria, ſed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit

producit formam substantialẽ panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina & aqua confectam.

Ad secundum dicendum, quod anima est forma corporis, dãs ei totum ordinẽ esse perfecti, scilicet, esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Conuertitur igitur forma panis in formã corporis Christi, secundũ quod dat esse corporeũ, nõ autẽ secundũ quod dat esse animatũ tali anima.

Ad tertium dicendũ, quòd operationũ panis, quędã consequũtur ipsum ratione accidentiũ, sicut immutare sensum. Et tales operationes inueniũtur in speciebus panis post consecrationẽ, propter illa accidẽtia, quę remanent. Quædam autẽ operationes consequuntur panẽ, vel ratione materiæ, sicut quod conuertatur in aliquid, vel ratione formę substãtialis, sicut est operatio consequens speciem eius, puta quod confirmat cor hominis. Et tales operationes inueniuntur in hoc sacramento, non propter formam, vel materiam, quæ remaneat, sed quia miraculosè conferuntur ipsis accidentibus, vt infrà dicetur.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ista conuersio fiat in instanti.

Supr. art. 3. & 5o. & infr. q. 78. ar. 2. & 5. cor. & 4. d. 11 q. 1. ar. 2. cor. & ar. 3. q. 2. per to. Et 4. cõt. c. 73.

Ad septimvm sic proceditur. Videtur, quod ista cõuersio nõ fiat in instanti, sed sit successiua. In hac enim cõuersione prius est substãtia panis, & postea substãtia corporis Christi. Nõ ergo vtrũque est in eodem instãti, sed in duobus instãtibus. Sed inter quælibet duo instãtia est tẽpus mediũ. Ergo oportet quod hæc conuersio fiat secundũ successionem tẽporis, quod est inter vltimum instans, quo ibi est panis, & primum instãs, quo ibi est corpus Christi.

¶ 2. Præterea, In omni cõuersione est fieri & factum esse. Sed hæc duo nõ sunt simul, quia quod fit, nõ est, quod autẽ factum est, iã est. Ergo in hac conuersione est prius & posterius, & ita oportet quod non sit instantanea, sed successiua.

¶ 3. Præterea, *Ambr. dicit in lib. de Sacr. quod istud sacramentũ, Christi sermone cõficitur. Sed sermo Christi successiuè proferẽ. Ergo hęc conuersio fit successiuè. *Lib. 4. c. 4. parum. à principio tom. 4.*

Sed contra est, quod hęc cõuersio perficitur virtute infinita, cuius est subitò operari.

Respondeo dicendum, quod aliqua mutatio est instãtanea tripliciratione. Vno quidẽ modo ex parte formę, quę est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma, quę recipiat magis & minus, successiuè acquiritur subiecto, sicut sanitas. Et ideo quia forma substãtialis nõ recipit magis & minus, inde est ꝙ subitò fit eius introductio in materia. Alio modo ex parte subiecti quod quandoq; successiuè pręparatur ad susceptionem formę, & ideo aqua successiuè calefit. Quando verò ipsum subiectũ est in vltima dispositione ad formã, subitò recipit ipsam, sicut diaphanum subitò illuminatur. Tertiò modo ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis. Vnde statim potest materiã ad formã disponere, sicut dicitur Mar. 7. quod cùm Christus dixisset: Ephetha, quod est aperire, statim apertæ sunt aures hominis, & solutum est vinculũ lingue eius. Ex his tribus rationibus hæc conuersio est instantanea. Primò quidem, quia substantia corporis Christi, ad quã terminatur

natur

natur ista cõuersio, nõ suscipit magis, neq; minus. Secundò, quia in hac cõuersione nõ est aliquod subiectũ, quod successiuè præparetur. Tertiò, quia agitur Dei virtute infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod quidã non simpliciter concedunt, quod inter quælibet duo instãtia sit tẽpus medium. Dicunt enim quod hoc habet locũ in duobus instantibus, quę referuntur ad eundẽ motũ, non autẽ in duobus instantibus, quę referũtur ad diuersa, vnde inter instans, quod mensurat finem quietis, & aliud instans, quod mẽsurat principiũ motus, non est tẽpus medium. Sed in hoc decipiuntur, quia vnitas temporis & instãtis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secũdum quoscunq; motus, sed secundum primũ motum cæli, qui est mensura omnis motus & quietis. Et ideo alij hoc cõcedunt in tẽpore: quod mensurat motũ dependentẽ ex motu cęli. Sũt autem quidã motus, ex motu cæli non dependentes, nec ab eo mensurati, sicut in Prima parte dictum est * de motibus angelorũ: vnde inter duo instãtia illis motibus respondẽtia, non est tẽpus medium. Sed hoc nõ habet locũ in proposito, quia quãuis ista conuersio secundũ se nõ habeat ordinẽ ad motum cæli, consequitur tamen prolationẽ verborũ, quã necesse est motu cęli mensurari. Et ideo necesse est inter quælibet duo instãtia circa istã conuersionẽ signata, esse tempus medium. Quidã ergo dicunt, quòd instans, in quo vltimo est panis, & instans in quo primo est corpus Christi, sunt quidẽ duo per cõparationẽ ad mẽsurata, sed sunt vnũ per cõparationẽ ad tempus mensurãs, sicut cùm duę lineę se cõtingunt, sunt duo pũcta ex parte duarum linearũ, vnum autem punctum ex parte loci continẽtis. Sed hoc nõ est simile, quia instans & tẽpus, particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea & pũctus corporibus, sed solùm extrinseca, sicut corporibus locus. Vnde alij dicunt, quod est idẽ instans re, sed aliud ratione. Sed secundũ hoc sequeretur, quod realiter opposita essent simul, nam diuersitas rationis non variat aliquid ex parte rei. Et ideo dicendũ est, quod hæc conuersio* (sicut dictũ est*) perficitur per verba Christi, quæ à sacerdote proferũtur, ita quod vltimum instans prolationis verborum, est primum instans, in quo est in sacramento corpus Christi, in toto autem tempore præcedente est ibi substantia panis, cuius temporis non est accipere aliquod instans, proximo præcedens vltimum, quia tempus non componitur ex instantibus cõsequenter se habentibus, vt probatur 6. Phys.* Et ideo est quidem dare primũ instans, in quo est corpus Christi: non est autem dare vltimum instans, in quo sit substantia panis, sed est dare vltimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, vt patet per Philos. in 8. Phys.*

Ad secundum dicendum, quod in mutationibus instantaneis simul est fieri & factum esse. sicut simul est illuminari & illuminatũ esse. Dicitur enim in talibus factũ esse, secundum quod iam est, fieri autẽ, secundum quod ante nõ fuit.

Ad tertium dicendũ, quod ista cõuersio (sicut dictũ est*) fit in vltimo instãti prolationis verborũ tunc

Marginal notes: 1. p. q. 53. ar. 3 — In cor. art. — Lib. 6. Phys. à princ. li. per 10. text. to. 2. — Lib. 8. tex. 72 tom. 2. — In solutione ad 1. in isto articulo.

tūc enim cōpletur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorū formis. Et ideo non sequitur, quòd ista conuersio sit successiua.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

4.di.11.q.3.ar.4. AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quod hęc sit falsa, ex pane fit corpus Christi. Omne enim id, ex quo fit aliquid, est id quod fit illud, sed non conuertitur: dicimus enim quod ex albo fit nigrū, & ꝙ albū fit nigrū, & licet dicamus quod homo fiat niger, nō tamen dicimus quod ex homine fiat nigrū, vt patet in 1. Phys.* Si ergo verū est, quod ex pane fiat corpus Christi, verū erit dicere, quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum, quia panis nō est subiectū factionis, sed magis est terminus. Ergo nō verè dicitur, quòd ex pane fiat corpus Christi. lib.1.c.5.

¶ 2. Præterea, Fieri terminatur ad esse, vel ad factū esse, sed hęc nūquā est vera, panis est corpus Christi, vel panis est factus corpus Christi, vel etiā, panis erit corpus Christi. Ergo videtur quod nec etiā hęc sit vera, ex pane fit corpus Christi.

¶ 3. Pręterea, Omne id, ex quo fit aliquid, conuertitur in id quod fit ex eo. Sed hæc videtur esse falsa, panis cōuertitur in corpus Christi, quia hæc conuersio videtur esse miraculosior, quàm creatio mūdi, in qua tamen nō dicitur, quòd non ens cōuertitur in ens. Ergo videtur quòd etiam hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

¶ 4. Pręterea, illud ex quo fit aliquid, potest esse illud: sed hæc est falsa, panis potest esse corpus Christi. Ergo & hæc est falsa, ex pane fit corpus Christi.

SED CONTRA est, quod* Ambro. dicit in lib. de Sacramētis, Vbi accedit cōsecratio, de pane fit corpus Christi. Lib.4.c.4.circa pri.tom.4.

RESPONDEO dicendū, quod hæc cōuersio panis in corpus Christi, quātum ad aliquid, conuenit cū creatione, & cum transmutione naturali, & quantū ad aliquid, differt ab vtroq;. Est enim commune his tribus ordo terminorū, scilicet, vt post hoc sit hoc (in creatione enim est, esse post non esse, in hoc sacramento, corpus Christi post substantiā panis, in transmutatione naturali albū post nigrum, vel ignis post aerem) & quod prædicti termini nō sint simul. Conuenit autē cōuersio, de qua nunc loquimur, cū creatione, quia in neutra earum est aliquod commune subiectum vtriq; extremorum, cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Conuenit verò hæc conuersio cū transmutatione naturali in duobus, licet non similiter, Primo quidem, quia in vtraq; vnum extremorum transit in aliud (sicut panis in corpus Christi, & aer in ignem) nō autem, non ens conuertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit vtrobiq;, nam in hoc sacramento tota substātia panis trāsit in totū corpus Christi, sed in trāsmutatione naturali materia vnius suscipit formā alterius, priori forma deposita. Secūdò cōueniūt in hoc, quod vtrobiq; remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione. Differenter tamen, nam in transmutatione naturali remanet eadem materia, vel subiectum, in hoc autem sacramento remanent eadem accidētia. Et ex his potest

potest accipi qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo prædictorum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest vnum extremum de alio prædicari per verbum substantiuum præsentis tẽporis, non enim dicimus, non ens est ens, vel panis est corpus Christi, vel aër est ignis, vel album est nigrum. Propter ordinẽ verò extremorum possumus vti in omnibus hac præpositione, ex, quæ ordinẽ designat, possumus enim verè & propriè dicere, quòd ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aëre ignis, vel ex albo nigrum. Quia verò in creatione vnum extremorum non transit in alterũ, non possumus in creatione vti verbo conuersionis, vt dicamus, quod non ens conuertitur in ens. Quo tamẽ verbo vti possumus in hoc sacramẽto, sicut & in trãsmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc hæc conuersio propriè transsubstãtiatio vocatur. Rursus, quia huius conuersionis non est accipere aliquod subiectum, ea quæ verificantur in cõuersione naturali ratione subiecti, non sunt concedenda in hac cõuersione. Et primo quidem manifestũ est, quod potẽtia ad oppositum, cõsequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quod albũ potest esse nigrum, & aër potest esse ignis, licet hæc non sit ita propria, sicut prima. Nam subiectum albi (in quo est potentia ad nigredinẽ) est tota substantia albi, nõ enim albedo est pars eius, subiectum autẽ formæ aëris, est pars eius: vnde cũ dicitur, aër potest esse ignis, verificatur ratione partis per synecdochen. Sed in hac conuersione, & similiter in creatione, quia nullũ est subiectũ, non dicitur, quod vnũ extremũ possit esse aliud, sicut quod non ens possit esse ens, vel quod panis possit esse corpus Christi. Et eadem ratione non potest propriè dici, quod de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi, quia hæc propositio, de, designat causam consubstantialem, quæ quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes conuenientiã in subiecto. Et simili ratione non conceditur, quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione, quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens, quia hic modus loquẽdi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta cum dicimus, quod albũ fit nigrum, vel album erit nigrum. Quia tamen in hoc sacramento, facta conuersione, aliquid idem manet, scilicet, accidentia panis (vt supra dictum est*) secundum quandã similitudinem aliquæ harum locutionum possunt concedi, scilicet, quod panis fit corpus Christi, vel panis erit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi, vt nomine panis nõ intelligatur substãtia panis, sed in vniuersali, hoc, quod sub speciebus panis cõtinetur, sub quibus prius cõtinetur substantia panis, & postea corpus Christi. *art. 5. huius q.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illud, ex quo aliquid fit, quandoq; quidem importat simul subiectum cum vno extremorum transmutationis, sicut cùm dicitur, ex albo fit nigrum, & sic etiam dici potest, hoc fit illud, idest, album fit nigrum.

grum. Quãdoque verò importat solum oppositum vel extremũ, sicut cum dicitur, ex mane fit dies, & sic non conceditur, quod hoc fiat illud, id est, quod mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet propriè dicatur, quod ex pane fiat corpus Christi, non tamen propriè dicitur, quod panis fiat corpus Christi, nisi secundum quandam similitudinem, vt dictum est.† *In cor. art.*

AD SECVNDVM dicendum, quod illud, ex quo fit aliquid, quãdoque erit illud propter subiectũ, quod importatur. Et ideò cùm huius conuersionis nõ sit aliquod subiectum, non est similis ratio.

AD TERTIVM dicendum, quod in hac conuersione sunt plura difficiliora, quàm in creatione, in qua hoc solùm difficile est, quod aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ nihil aliud præsuponit. Sed in hac conuersione non solùm est difficilè, quod hoc totum conuertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causæ) sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remaneant, corrupta substantia, & multa alia, de quibus in sequentibus agetur.† *Quæst. 77.* Tamen verbum conuersionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est.† *In cor.*

AD QVARTVM dicendũ, quod sicut dictum est, potentia pertinet ad subiectum, quod non est accipere in hac conuersione. Et ideo non conceditur, quod panis possit esse corpus Christi: non enim hæc conuersio fit per potentiam passiuam creaturæ, sed per solam potentiam actiuam creatoris.

Sententiæ & conclus. quæst.

PRima conclusio: *Recta fides catholica docet Christũ ver & substantialiter esse in hoc sacramento, non autem vt in signo tantùm, quod hæreticũ est: quia verba Domini in formis huius sacramenti id apertè & propriè significant:* 1. *quia hoc exigit perfectio Euangelij, vt id reipsa contineat, quod olim in figura:* 2. *quia hoc sacramentum, quòd Christo nos reipsa coniungat, hoc propriũ sibi vendicat.* 3.

Secunda conclusio: *In hoc sacramento post consecrationem, non remanet substantia panis & vini, nec annihilatur; sed tota conuertitur in corpus & sanguinem Christi: & ideo rectè dicitur hæc conuersio transubstantiatio, & est momẽtanea: atque etiam verè dicitur, ex pane fit corpus Christi.*

Ratio primi: *quia conuertitur tota substantia vtriusque materiæ in Christũ, neque aliter essent veræ formæ: neque Eucharistia adorari posset latria.*

Ratio secundi: *quia conuersio non est annihilatio, cùm terminus sit aliquid.*

Ratio tertij: *quia virtuti Dei infinitæ nihil resistere potest, & ideo momẽto terminante prolationem fit illa conuersio.*

Ratio quarti: *quia transubstantiatio est conuersio totius substantiæ.*

Tertia conclusio: *facta consecratione remanent accidentia panis & vini. quia sub his signis sacramentalibus Christus continetur.*

COMMENTARIVS.

1 EXplicata proprietate verborum in formis huius sacramenti, de cõuersione, quã efficiũt, necessariò dicendũ est: vt deinde realis & substantialis Christi præsentia in eodem sacramento confirmetur. *De cõuersione quæ dicitur trãsubstantiatio, virtute verborum huius sacramẽti effecta.*

 vt enim

vt enim transsubstantiatio tollit substantiã panis & vini & vim operatiuã verborũ retinet; sic verborum proprietas, Christum cõstituit presentem verè & substantialiter, & non in signo tantùm. Transsubstantiatio, Lutheranos panem cum Christo coniungentes redarguit, verborũ autem proprietas sacramentarios Christum cælo sic concludentes, vt in hoc sacramento asserãt existere vt in signo tantum, & non substãtialiter: quo circa vtriq; trãsubstantiationi, quę est veluti via ad realem presentiã, vehemẽter repugnant. Quãuis itaque D. Tho. coniunxerit eadem q. doctrinam de pręsentia Christi in hoc sacramento, cũ doctrina de conuersione & consecratione, & accidentiũ panis & vini consecratione: à nobis tamẽ via & ratione, vt sit apertior distinguetur in tres partes: vnã de trãsubstãtiatione, quod est proprium nomen huius cõuersionis: alterã de reali & substantiali pręsentia Christi in hoc sacramẽto: tertiã de accidentibus sacramentalibus panis & vini. ad secũdã partẽ pertinet modus existentię, de quo q. 76. ad tertiã verò pertinet q. 77. & ideo suis locis proponẽtur, collectis earũ cõclusionibus. Hęc de ratione ordinis dicta sint.

2 Transsubstantiatio autem primũ nobis est confirmanda ex verbo Dei, deinde ex Patrũ consensione ecclesiasticis definitionibus & decretis: & tandẽ ex eisdem refutanda sunt aduersariorum argumenta. Primum ergo tres Euangelistæ Ioanne excepto, & Paulus 1. Cor. tria referunt de Christo in huius sacramenti institutione, quę sacerdotes similiter efficiunt ex illius præcepto, quod exprimitur illis verbis, hoc facite in meã commemorationẽ. Primò, gratias egit siue benedixit, deinde protulit illa verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: & tandem fractũ distribuit simul discumbentibus panẽ, & calicẽ propinauit, vt ex eo omnes biberent. Hæc tria hoc ordine distinguenda sunt, vt ratio rei gestæ ostendit, quamuis Euangelistæ, vt in plerisque aliis, seriem gestæ rei in narratione nõ seruent. Gratias autem agere & benedicere in his idem valent: quia quod est Matthæo & Marco benedicere, id est Lucæ & Paulo gratias agere, & 1. Cor. 14. vbi nos legimus, super tua benedictione, Græcè legitur, super tua Eucharistia, vel grariarum actione, & prius vocauerat benedictionẽ, quã postea Eucharistiã vocat. Gratias verò agere siue benedicere, nõ accipitur absolutè & intransitiue, vt volunt aduersarij, sed transitiuè, vt intelligatur benedictio cadere in subiectam materiam panis & vini: quia Mattheus & Marcus apertè scribunt, benedixisse panem acceptum, & Lucas & Paulus Eucharistizasse, hoc est gratiarum actione affecisse panẽ: vnde Iustinus Martyr in apologia ad Antoninum vocat hoc sacramentum cibum gratiarum actione affectum & immutatum: quare licet alibi hæc verba intransitiuè sumãtur, in his tamen locis, & ferè in Euangelistis vt Luc. 9. & Matth. 5. transitiuè accipiuntur, & res, in quam transit benedictio, accusandi casu exprimitur. Græci Patres hãc benedictionem, sanctificationem vocant, vt constat ex missis Basilij & Chrysostomi: Latini consecrationem. Consecrare autem in hoc sacramento non est tantum, vt Latinis autoribus prophanis dicitur, rem prophanam ad sacrum vsum religionis segregare & deputare, sed prætereà rem subiectam vi quadam supernaturali afficere & immutare, vt statim constabit. Hæc igitur quatuor, gratias agere, benedicere, sanctificare, consecrare, idem sunt reipsa, licet propriis & specialibus rationibus subtiliter distingui possint. Quamuis enim vnica videtur fuisse Christi Domini actio in cœna in Eucharistiæ institutione: eius tamen multiplex vis & ratio pluribus verbis exprimitur. Dicitur benedictio, quia verbis dictis & prolatis, facta est materiæ subiectæ mutatio, vt Dei ꝓpria intelligatur & dicitur benedictio, quia dicere Dei est benefacere. Dicitur gratiarũ actio, quia pro beneficiis à Deo acceptis, vt homo Christus seipsum obtulit, & voluit à nobis offerri, & sancitum esse voluit noui fœderis nouum sacrificiũ: Quare Christus seipsum offerendo, in gratiarum actionem benedixit & consecrauit panem & vinum illis verbis, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus noui testamenti, & discipulis distribuit. aduersarij hęc omnia non in eandem rem tantum, sed in eandem actionis rationem confundunt: omnes quidem retinẽt gratiarum actionem, vt negẽt missam esse sacrificium propitiatorium, sed tantùm gratiarum actionis. negãt autem efficaciã benedictionis omnes, vt tollant transsubstantiationem: sed Lutherani concedunt, vt Christus sit præsens cum sumitur Eucharistia

Gratias agere, & benedicere.

ευχαριστηθεισαν τροφήν

Sanctificare, cõsecrare

chariſtia, Caluiniani vt ſemper negēt realem & ſubſtantialem Chriſti pręſentiam.

Benedictio Dei & Christi efficax.

3 Benedicere verò Dei & Chriſti, in ſancta ſcriptura non ſolùm eſt verbis bona pręcari & laudare, ſed etiam bonum efficere & pręſtare: & idcirco ſine mutatione aliqua eius rei, in quam cadit benedictio, intelligi non poteſt. Sic ex benedictione Dei, Geneſ.2. accipit homo & omne animal vim generandi: contrà ex maledictione, terra profert tribulos & ſpinas: deniq; verbi Dei virtute accipit res ſubiecta verbo & benedictioni, virtutem aliquam, & ita immutatur: vt ſerpens æneus exaltatus in deſerto vim ſanandi ictos à ſerpētibus, virtute illius verbi Dei, qui percuſſus aſpexerit eū, viuet. quin etiā homines vt Dei miniſtri eandē in rebus immutationē efficiunt, vt Moyſes coram Pharaone præcipiente Domino, conuertit virgam in colubrum, aquas in ſanguinem, & in deſerto rupem in fontes aquarum. An verò tota ſubſtantia ſit conuerſa in alteram in his mutationibus, ex ſcriptura non conſtat, cum ſatis ſit ad rationem cōuerſionis, quā expreſſit, formarum in eadē materia mutatio. Quare licet fieri potuerit ſecundum ſubſtantiam totam, & id factum non negemus, veriſimilius tamen videtur factum ſecundum formam, cum hoc ſatis ſit ad conuerſionem vnius ſubſtantiæ in aliam.

Vocatio Dei efficax.

Eadem eſt efficacia vocationis Dei & benedictionis, quia vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei, & ex nomine, quo vocat creaturā, quid effecerit vocatio Dei, intelligitur. Vt cum Dominus inquit: vocabo non plebem meam, plebē meam, & non dilectam, dilectam, ſignificatur Dominus effeciſſe de infideli plebe plebem fidelem, & de abiecta acceptam, non ſubſtantiam mutans, ſed voluntatem conuertens. hæc ex vete. teſtamento. in nouo autem primum ex benedictione Dei virgo concipit Chriſtum, & in nuptiis benedictione Chriſti aqua in vinum conuertitur, maledictione ficus eſt arefacta, benedictione etiam panes & piſces multiplicantur. Quare conſtat, Dei & Chriſti benedictione, ſubiectas res in melius immutari ſiue ſecundum accidens, ſiue ſecundum ſubſtantiam, vt propoſita exempla euidenter oſtendunt. Nam vt eſt in cæteris ſacramentis virtus effectiua inſtrumentalis ipſius effectus ſacramenti, nempè gratiæ, ſic eſt in forma huius ſacramenti virtus effectiua conſecrationis vel tranſubſtantiationis, quod ex diuina ſcriptura colligitur, accōmodata ratione 3.part. q.78.art.4.

Tranſubſtantiatio ex verbo Dei ſcripto colligitur.

4 Ex his concludes apertè, ſubſtantias panis & vini mutari ſecundum ſe totas in corpus & ſanguinem Chriſti, hoc modo. Benedictio Dei & Chriſti, ſubiectas res afficit & immutat, vel ſecundum accidens vel ſecundum ſubſtantiam, vt verbo Dei benedicentis exprimitur: ſed in Euchariſtia Chriſtus per miniſtrum ex præcepto ipſius, ſicut ipſe fecit, benedicit panem & vinum, & verbo ſuo teſtatur factam immutationem in corpus & ſanguinem: ergo in Euchariſtia virtute verborū facta eſt panis conuerſio in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem. Propoſitio ex vſu & exemplis veteris & noui teſtamenti confirmata eſt: aſſumptio ex benedictionis Chriſti efficacia, quam verbis effecit, & eiſdem benedicere præcepit ſacerdotibus, vt ſimiliter facerent, eſt manifeſta, retenta proprietate verborum, quam ſuprà probauimus in vtraque forma huius ſacramenti, vt ſit per verba illa benedictionis & conſecrationis, verum corpus & verus ſanguis Chriſti. Ex hac enim ſimplici & plana verborum intelligentia, primum Eccleſia catholica ſemper intellexit, in hoc ſacramento verè eſſe corpus & ſanguinem Chriſti virtute verborū: deinde nullā aliā ſubſtantiam nec panē ſub illo ſigno ſenſibili exiſtere, quia de nulla verè dici poſſet, quod ſit corpus aut ſanguis Chriſti: tertiò, quod deſinat eſſe panis, non abſolutè, ſed vt pro eo & ſub eius accidentibus exiſtat corpus Chriſti, & ſimiliter ſanguis ſub vini ſpecie, & accidentibus, ſicut fuit prius panis & vinum. Et quia deſinere eſſe in ordine ad corpus & ſanguinem Chriſti, vel cedere corpori ad exiſtendum, eſt propriè conuerti in hęc ipſa, tandem collegit Eccleſia catholica, veram panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti factam eſſe mutationem: & quum tota ſubſtantia hac ratione colligatur in totam conuerſa, vocata eſt hæc antiqua veritas Eccleſiæ catholicæ, nouo & accommodato nomine tranſubſtantiationis, cū hæc ſit totius ſubſtantiæ in totam conuerſio, vt apertiori nomine refutarentur

aduersarij Ecclesiæ catholicæ, qui varios errores de existentia Christi in hoc sacramento,& de verborum illius intelligentia disseminarunt,de quibus statim disseretur. Remanere autem accidentia & speciem panis & vini externam , ex promissione Christi de exhibenda carne sua in cibum, & sanguine in potum proposita Ioan.6.apertè colligitur:quia hæc accidentia cibi & potus omnium hominum communis,nempè panis &vini,ostēdunt Christum esse in hoc sacramento propositum: vt eo,veluti cibo viuificante,anima reficiatur,vt corpus pane & vino,& vniamur eodem cibo capiti nostro arctissima coniunctione, vt qui eodem cibo & potu vtūtur, eodem modo in corpore afficiuntur.

5 Sic autem Ecclesiam catholicam transubstantiationem ex verbis & benedictione Domini collegisse,adductæ ratiocinationes ostendunt, & testis est Concilium Trident.sess.13.cap.4.cum inquit, quoniā Christus corpus suum id quod sub specie panis offerebat,verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis,in substātiam corporis Christi , & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius,quæ conuersio conuenienter & propriè à sancta catholica Ecclesia, transubstantiatio est appellata. Est igitur transubstantiatio, illa via & ratio,quā diuina sapientia inuenit , ad faciendum Christum cibum & sacrificium corporale& visibile,sicut incarnatio est illa via, qua Deus factus est homo. vt quærenti nunc quomodo possit Christus dare nobis suam carnem ad mãducandum, & sanguinem ad bibendum, respondendum sit, per transubstantiationem,& certè videtur D.Thom. in ea fuisse sententia, non fuisse aliam viam possibilem,quã id fieri possit à Deo. Quam sententiā, licet plerique eius sectatores non probent, putantes idem confici potuisse eo modo,quo Lutherani volunt factum esse,vel alio quopiam: ea tamen non caret sua probabilitate,& certum est nullam aliam nobis commodiorem esse potuisse, cum Deus semper efficiat,de his,quæ fieri possunt,quod melius est:quare non tantum Eucharistia efficit aliquid in suscipiēte,vt cætera sacramenta , nempè gratiam sanctificantem, sed ipsa etiam verba formæ, immutant subiectam materiam panis & vini,vt possit esse Christus cibus noster sacramentalis:quia hoc sacramentum consistit in consecratione,& ea perficitur, non autem consistit in vsu,vt cætera sacramenta. Hactenus de probatione transubstantiationis ex verbo Dei.

3.p q.75. ar. 2.4.lib.contra Gent.c.63.

6 Consensu Patrum Ecclesiæ catholicę, deinde confirmatur eadē transubstātiatio: eorum innumera sunt testimonia, quibus ex verbis huius sacramenti euidenter asserunt se colligere eandem conuersionem, quam variis modis,sed eadem intelligentia exprimunt. Irenæus,Nyssenus, Cyprianus,Ambros. August. Gaudentius, ex terræ frugibus,ex siue de pane & vino, fieri, confici,conflari, constitui,creari , & esse corpus Christi: Christum panē fecisse suū corpus,atque ita confessum esse & confirmasse , appellans corpus suum, & panem percipiendo vocationem Dei fieri Christi corpus. Irenæus, Tertulianus, Ambros. Cyril. Hieros. promiscuè tradunt. Latini, mutari,immutari , transponi, transformari,transfigurari, conuerti, verti, transferri , transelementari: quia elementum & materia huius sacramenti est panis & vinum:quæ omnes rationes dicendi apertè ostendunt conuersionē totius substantiæ in corpus & sanguinem Christi. Vnde Cyprianus ait panem non effigie, sed natura mutari , & omnipotentia verbi panem mutatum, Nyssenus, rerum,quæ videntur, naturam in Christi corpus mutari , & sanctificatum panem in Dei verbi carnem immutari. Ambr. benedictione naturā panis mutari,vt non hoc sit,quod natura formauit , sed quod benedictio consecrauit. Hysichius,res sensibiles in intelligendas transferri. Emissenus terrenas creaturas in Dominici corporis transire substantiam, & inuisibilem sacerdotem visibiles creaturas, in substantiam corporis & sanguinis sui,secreta potestate conuertere. Chrysost. aliquando ait, hoc verbum res propositas transmutat,aliquando vero scribit,panem corporis præsentia consumi. Damasce. inquit,transmutari & conuerti. Theophyla. transelementari. Isidorus panem transire in carnem. Anselmus panem in corpus migrare: eius æqualis Fulbertus panem transfundi in corpus. Algerus traiici & transferri in corpus. Remigius panem transire in corpus Christi,neque esse duo corpora, sed

Græci dicunt μεταποιεῖσθαι μεταβάλλεσθαι μεταστοιχειοῦσθαι.

ſed vnum corpus. quare nihil apertiùs à Patribus omnibus, de vllo noſtræ religionis myſterio, dictum eſt, neque frequentius repetitum, quàm de tranſubſtantiatione huius ſacramenti. Teſtimonia Patrũ diſtinctè hæc ſunt, Iren.lib.4.cap.32. 57. & lib.5. Nyſſen. in oratione cathech. Cyprianus de cœna Domini. Ambroſ.lib. 4. de ſacr. cap.4. & lib.4. de fide. cap.5. Auguſt. lib.3. de Trinit. cap. 4. Origen. lib.8. in Celſum. Tertul.lib.4. in Marc. & in Iudæos. Cyril. hieroſ. catecheſi 4. Cyril. Alexand. ad Caloſyrium, Hyſich. lib.2. in Leuit. Emiſſ. hom.2. de Paſchate & 5. Gaudent. tract.2. de Paſch. Chryſoſt. hom. de proditione Iudæ, & in encæniis, & Liturgia. Remig.1.Corinth.10. Damaſce.lib. 4. de fide. cap.14. Theophylact. ad cap. 14. Marci, Iſidor.lib.1. de offic. Anſelm. in epiſto. de corpor. & ſanguine Domini. Fulbertus in epiſt. ad Berengarium. Algerus contra eundẽ. Recentiores appellant conuerſionem ſubſtantiæ panis, & Innocentius III. & Conciliũ Lateranen. ſub eo tranſubſtantiationẽ, quam omnes Theologi ſcholaſtici conſentientes concedunt, licet in explicanda ratione illius, ſalua & integra fide catholica diſſentiant, vt deinceps conſtabit. Hanc conſentientem Eccleſiæ catholicæ doctrinam, exprimit etiam Canon miſſæ Latinæ, appellans hanc conuerſionem, benedictionem & creationem, hoc eſt, vt Latini elegantiores loquuntur, productionem viuifici corporis Chriſti in hoc ſacramento, & ſanctificationem: vt cũ dicitur, per quẽ hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, benedicis, & præſtas nobis. quem etiam modum videtur Cyprianus imitari (nam Canõ Cypriano antiquior eſt) cum inquit in ſerm. de cœna Domini, qui vſque hodie hoc ſanctiſſimum ac veraciſſimum corpus ſuum creat, ſanctificat, benedicit, & diuidit nobis.

8 Sed quoniam aduerſarij clariſsimorum teſtium tantam lucem ferre non poſſunt, ad eleuandam vim eorum, meras nugas & inanes diſtinctiones fingere non verentur, ad decipiendum ſimplices & incautos. ne quis autẽ hęc teſtimonia peruertere & in alienam ſententiam detorquere poſſit, expẽdenda ſunt quædam, quibus Patres vltrò videntur occurriſſe huiuſmodi diſtinctionibus, & oſtendiſſe, ſe planè affirmare, panis & vini veram & ſubſtantialem conuerſionem in corpus & ſanguinem Domini. Primò enim ad confectionem huius ſacramenti amplificant vim diuinæ omnipotentiæ, & benedictionis ſiue ſermonis diuini, quo vniuerſa condita ſunt, effecta transformantur, & de ſua natura in aliam vertuntur. Quæ ſanè amplificatio inepta eſſet & aliena, ſi non aſſererent conſtanter perſimilem & admirabilem panis & vini conuerſionem. Imò verò Irenæus ex ea probat Chriſtum veri Dei creatoris verum filium, qui cum Patre omnia crearit, & vt granum in ſpicam conuertit, ita aquam in vinum, panem in ſuum corpus, & vinum in ſanguinem. Secundò, Patres conferũt hanc trãſubſtantiationem, cum productione ſubſtantiarum ex nihilo: cum multarum rerum in alias conuerſione, cuius exempla ſupra ex veteri teſta. collegimus; quod ſi pani & vino non conuenit realis mutatio, qua ratione huiuſmodi collatio cohærere poſſet? Tertiò, plerique Patres aſſerunt, tam verè fieri hanc panis & vini conuerſionem, quam verè à Chriſto cibus in ſubſtantiam ſui corporis conuertebatur, & à nobis quotidie conuertitur. Præterea eſſe perſimilem formationi corporis Chriſti, ex puriſſimo ſanguine Deiparæ: & mutationi veteris hominis in nouum, in quibus omnibus, prioris rei fit in poſteriorem conuerſio. Ex quibus Patres rectè colligunt, Chriſti ſermonem, qui ad formas huius ſacramenti pertinet, operatorium eſſe & ſubſtantiarum commutatiuum, quod eſt receptum ab omnibus Theologis & Eccleſia catholica, aſſerentibus formas huius ſacramenti, id efficere quod ſignificant.

Iren. Nyſſe. Ambr. Chryſo. Aug. Damaſ.

Iren. Cyrilli duo, Nyſſ. Ambroſ. Chryſoſt. Gauden. Damaſc. Theophi.

Iuſtin. Nyſſen. Emiſſen. Damaſ. Theoph.

Iuſtin. Iren.

Iren. Ambroſ. Emiſſ. Gelaſ.

Nyſſ. Ambroſ. Chryſoſt.

9 Quidam etiam Patres eandem conuerſionem, & panis ac vini deſitionem, planius adhuc explicantes, repugnantium ſubſtantiarum oppoſitionem efficiunt, eius ſcilicet, quæ ante conſecrationem fuerat, & quæ fit per conſecrationem. Sic Auguſt. Serm. 28. de verbis Domini ſuper Lucam, ſimul, inquit, verba proferuntur, iam non panis, ſed corpus Chriſti appellatur. Ambroſ. lib. 4. de ſacramentis, cap.4. panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti, & in Pſalm.134. vt refertur de conſecr. diſt.2. cap. omnia. licet figura panis & vini videatur: nihil

 tamen

tamen aliud, quam corpus Christi, & sanguis, post consecrationem credendum est. Vnde quamuis ex his Patribus, varia exépla, & similitudines huius transubstantiationis proposita sint: nullum tamen videtur magis accommodatum, quam cibi, quē Christus in suam substantiam conuertebat. vt enim, qui prius erat panis, manducatus à Christo & per nutritionem conuersus, verè erat caro Domini viuificatrix: sic panis in hoc sacramento prius est, sed facta consecratione, est corpus Christi. omnino autem accommodatum exemplum transubstantiationis, in natura reperiri non potest, sicuti neque diuinæ Trinitatis aut incarnationis: quia per transubstantiationem tota substantia panis & vini, secundum materiam & formam, manentibus accidentibus, in corpus & sanguinem Christi conuertitur: in omnibus autem siue naturalibus, siue miraculosis conuersionibus vnius substantiæ in alteram, permanente materia, fit tantum formarum conuersio; & nullum accidens idem numero, est in re corrupta, & genita aut producta.

Similitudo trāsubstantiationis

Decreta Ecclesiastica pro trāsubstantiatione

10 Reliquę sunt, ad confirmandam trāsubstantiationem, Conciliorum definitiones. Constat autem in primis illis generalibus Concilijs de illa fuisse disputatum, & definitum, quamuis decreta ad nos integra non peruenerint. In Concilio tamen Nicæno definitum legimus in codic. m. s. Græcis, in diuina mensa, non panem & vinum, sed agnum Dei à sacerdotibus sine mactatione immolari: & in Ephesini Concilij epist. ad Nestorium, in hoc sacramento manducari carnem Christi verè viuificatricem & verbi propriā factam; quæ Patres illius ætatis asserunt per transubstantiationem facta esse in hoc sacramento, vt ex vtroque Cyrillo paulo ante citauimus: cū Hierosolymitanus, qui Nicæno primo interfuit, ita expresserit catechesi mystag. 4. & Alexandrinus, qui vicem Romani Pontif. in primo Ephesino tenuit, in epist. ad Calosyrium. apertiora sunt decreta Lateranen. Concilij sub Innocent. III. Viennen. Lugdunen. c. cum Marthæ. de celeb. Miss. & Clemét. vnica de reliq. & venerat. sanct. Constantien. contra Vvicleffum, & Trident. sess. 13. contra omnes huius ætatis aduersarios Ecclesiæ catholicæ. Turpiter igitur errauit Pet. Aliacen. 4. sent. q. 2. de Euchar. asserens facilius intelligi hoc mysterium, si manens substantia panis sit sacramentale signum, & id non repugnare rationi aut sacris Bibliis. ostendimus enim repugnare omnino, & ideo nō debuit hęc esse occasio errandi Luthero, nec hunc sequi autorem oportuit, relicta antiquitate, & Ecclesia catholica. Denique Berengarij sententia negantis transubstantiationem, & realem Christi præsentiam in hoc sacramento, damnata est à septem ordine Pontificibus Leone IX. Victore, Stephano, Benedicto, Nicolao, Alexandro, Gregorio: à quibus habitæ sunt quinque synodi pro transubstantiatione & reali Christi pręsentia. Romana sub Leone IX. Vercellensis, sub eodem: Turonen. sub Victore II. Romana sub Nicolao II. & iterum Romana, sub Gregorio VII. in omnibus autem Berengarius damnatus est: sed in Turonen. hæresim eiurauit, & in vltima Romana hanc eiurationem confirmauit. Confessionis autem Berengarij formula refertur de consecr. dist. 2. Ego Berengarius, vbi confitetur, panem & vinum conuerti in veram ac propriam & viuificatricem carnem, & sanguinem Domini nostri IESV Christi. hác definitionem secuti sunt deinceps Theologi, vt constat ex Vghone Victorino, & ex Magistro sent. & Lateranen. generale sub Innocent. III. transubstantiationis vocem vsurpauit, cuius notationē & vim Tridentinum, sess. citata, cap. 4. sic expressit, vt sit conuersio totius substantiæ panis & vini, in totam substantiam corporis & sanguinis Domini. dogma igitur de transubstantiatione, etiamsi à multis hæreticis impugnatum, semper Ecclesia catholica retinuit, vt formis huius sacramēti à Domino comprehensum.

Hæreses contra transubstantiationem, coniungentes panis & vini substantiam, cum corpore & sanguine Christi.

11 Cōfirmato hoc dogmate catholico, hæreses aduersæ & repugnantes distinguendæ sunt, & earum argumenta refutandà. Ex his igitur, qui realem Christi præsentiam in hoc sacramento concedunt, & negant transubstantiationem, asserentes cum Christo simul esse panis substantiam, vnde impanatores, & companatores à multis dicti sunt, primus Valerianus

Valerianus.

rianus quidam, vt refert Vvalden. de sacramentis, cap.93. suppositum panis cum supposito Christi coniunxit, vt in Eucharistia essent hæc duo supposita mirè implicata & se inuicē immeantia & confundentia, vt Nestorius finxit in Christo duo supposita, hominis & Dei. Denique hæc sententia, inquit Algerus, placuit multis, nec ab ea Berengarius abhorruit, vt inquit Guitmundus. Deinde non longè ante Vvicleffum Ioannes quidam Parrisien. refutata priori impanatione, asseruit, corpus panis, deposito, & amisso proprio supposito, assumi ad suppositum corporis Christi, & ideo in Eucharistia verbū Dei in tribus naturis subsistere, diuinitatis, corporis humani, & panis. Ea sententia plausibilior fuit, & facilior visa multis ad tollendas plurimas dubitationes, quas transubstantiatio secum adferre videtur, vt esset cōmunicatio idiomatum panis & corporis Christi. Tertiam sectam excitauit Luthærus, primæ quàm secundæ magis affinem: constituit enim corpus Christi cum pane vel sub pane, vel ad panem ineffabili modo, præsens & colligatum: vt licet vtriusque supposita distincta existerent, de se tamen inuicem prædicarentur: quod omnem rationem & stultitiam superat, vt verè dicatur panis est corpus Christi, vinum est sanguis; & in eum sensum exponit formas huius sacramenti, vt pronomina demonstrent substantias panis & vini. Hoc errore Germanorū Protestantium, & Sacramentariorum dissidium factum est; in quo plerique Lutherani ita porrò progressi sunt, vt corpori Christi diuinitatis proprietatem tribuant, docentes vbique ad omnem creaturam intima præsentia adesse, vnde hos Lutheranos, Vbiquistas appellant: & ideo si constare sibi velint, fateri debent Christi corpus nō fieri præsens per verba sacramentalia, cū ratione diuinitatis sibi vnitæ præsens esse dicāt ad reliquas omnes creaturas. Sic paulatim, negata transubstantiatione, eo ventum est, vt nullum sit sacramētum Eucharistiæ, sed similiter dicatur esse Christus pręsens in eo, atque in cæteris rebus ratione diuinitatis, vt copiosius differetur, cum ostenderimus an corpus Christi sit in hoc sacramento, vt in loco.

Ioan. Parrisié.

Lutherus.

Vbiquistæ.

12 Omnes verbo Luthero addicti, licet vbiquitati non consentiant, cō cedunt illas propositiones, panis est corpus Christi, vinum est sangnis, etiam si diuersa habeāt in hoc sacramēto supposita (nā si vnum esset, probabilius, id appareret, ex similitudine incarnationis, quę ex vnitate suppositi efficit mutuā Dei & hominis pręedicationem:) esse tamen veras propositiones: sed illarū veritatē ex regulis dialecticorū metiendā non esse, sed ex altiori philosophia, quam Christus in operibus suæ omnipotentię ad nos detulit: in quibus cōstat, quod ex vnione duarum rerū, altera cęlesti & inuisibili, altera terrena & visibili, etiamsi vtraq; integra maneat, vna tamen dicitur esse altera, non ad identitatē naturę declarandam: sed ad exprimendā maximā & ineffabilē vnionē vtriusq; per Dei omnipotentiā effectā. sic per vnionē incarnationis, Deus dicitur homo, & contrà, & nō dicitur, in hoc homine est Deus: quæ pręedicatio tantū significat intimā & inusitatā vnionē vtriusq; rei. Sic igitur censent Lutherani, Christum esse in Eucharistia simul cum substātia panis & vini, & hanc admirabilem vnionē significari illis propositionibus, panis est corpus, vinū est sanguis, nō autē quod vna res sit eadē alteri. Itaque res illę, extra illā vnionē, de se vicissim nullo modo pręedicētur, vnitę pręedicentur verè, ad exprimendā earū vnionem, vt nihil aliud sit, panis est corpus Christi, quàm, panis & corpus Christi admirabili vnione in hoc sacramento coniungūtur: & vera siue physica cōmixtio panis & vini reiiciatur, ne corpus Christi vt Valerianus voluit, impanetur. & similitudo ignis & ferri per commistionē ad declarandam vnionem corporis Christi & panis nihil omnino valent: quia cōmiscet duo corpora in eodem subiecto. Protestantes autē vnionē admirabilē panis & corporis Christi concedentes, commistionem aut impanationem negant.

Lutheranorum testimonia refert Sāct. repetit. 7. c. 7.

Aduersariorum contra transubstantiationem argumenta.

13 Sed operepreciū erit omniū aduersariorū, siue Protestantiū, siue Sacramētariorū argumenta referre, vt cōmodius refellātur. Primū, Euangelistæ & Paulus ante & post consecrationē panem vocant: semper igitur manet substātia panis. Matth. inquit: accepit IESVS panē, benedixit, fregit & dedit discipulis. 1. Cor. 10. quotiescunque mā ducabitis panē hunc: &, quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Dñi: 1

& sic de pane illo edat:& panis quem frã-gimus:&, vnus panis,& vnũ corpus multi sum⁹.in Act. etiã.c.2.dicitur,cõmunicatio & fractio panis. Similiter dicitur genimen vitis à Luca & aliis Euangelistis excepto Ioãne,hoc autẽ genimen cõstat, esse vinũ.
2 Alterum argumentum est, quia signum sacramentale permanere debet in sacramẽto,vt rem spiritualem,cuius est signum repręsentet:sed panis & vini substantia,quatenus ex multis coalescunt,significant animę refectionẽ in vnione Christi positam: manẽt igitur in hoc sacramento,vt possint testari Christũ esse nostrum cibũ, quo con iungimur alioquin periret omnis sacramẽtalis significatio. Hoc dicunt significari à Paulo cũ ait,vnus panis,& vnũ corpus om nes sumus,qui de pane vno participamus: & iterũ, panis quẽ frangimus,nõne participatio corporis Domini est.
3 Tertiũ argumentum est ex Patribus,quos putant affirmare,in hoc sacramento manere panis & vini substantiam:vt Irenæum,cũ ait lib.4. Eucharistiam cõstare ex duabus rebus ter rena,& cælesti: Concilij Nicæni canonem asserentem in sancta mensa propositum pa nem & poculum,esse agnum Dei:Cypria num epist.ad Magnum,cũ ait,quando Do minus corpus suum panẽ vocat, & sangui nẽ suum vinum:Fulgentiũ etiam citãt,qui ad Monimum vocat sacramentum panis. Possent etiã citare Gelasium in lib.de duabus naturis in Christo,cum ait, sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Do mini diuina res est,propter quod &per eadem,diuinę efficiamur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substãtia vel na tura panis & vini.Theodoretus etiam simi lem habet rationem dialogo primo,vbi or thodoxus inquit, qui enim quod natura corpus est,triticũ & panem appellauit, & vitem rursus seipsum nominauit,is symbola & signa,quę videntur,appellatione corporis & sanguinis honorauit,non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens. Citatur etiam in eandem sententiã Ioannes Constantinop.epist.ad Cæsarium monachum,cuius hæc sunt verba, ad explicandum non esse in Christo naturarum cõfusionẽ:sicut enim antequam sanctificetur panis,panẽ nominamus, diuina autẽ illud sanctificãte gratia, mediãte sacerdote, liberatus est quidẽ ab appellatione panis, dignus autẽ habitus est diuini corporis appellatione,etiãsi natura panis in eo permã-sit,& non duo corpora,sed vnũ filij corpus prędicatur:sic & hac diuina firmãte naturã corporis,vnũ filiũ,vnã personam vtraque hæc fecerũt.His igitur testimoniis videtur negari transubstantiatio,cũ dicatur remanere natura & substantia panis post sancti ficationem & consecrationem: præsertim cũ in his tribus posterioribus refellantur Eutychitę confusionẽ naturarũ in Christo Dño constituẽtes hac ratione,vt in Eu charistia cõmunicatur appellatio corporis & sanguinis Dñi,ipsis naturis panis & vini permanentibus,cũ tamen nulla earũ facta sit inter ipsas permistio aut confusio: sic in Christo Dño est cõmunicatio prędicationũ Dei,cũ homo dicatur Deus;& tamẽ diuinę & humanę naturæ nulla est facta confusio.

14 Quartũ argumẽtũ aduersariorũ est ,ex ꝓprietatibus panis & vini: si enim manere omnes catholici fatentur, & sensibus ipsis & actionibus panis & vini experimur , dubiũ non debet esse manere etiã ipsas substantias:tũ quia Dñs sic ex proprietatibus &actionibus naturę humanę se verũ homi nẽ,qui passus esset,post resurrectionẽ ostẽ dit dicens,palpate & videte, quoniã spiritus carnẽ & ossa non habet,sicut me videtis habere: & Apostoli sic de Christo fidẽ faciũt,quod vidimus, quod manus nostræ contrectauerũt de verbo Dei,annũtiamus vobis Sic cõcluditur tota Patrũ disputatio contra Marcionẽ, Manichæũ, Eutychen, atq, alios,adeò vt 6.Synodus generalis cõ cludat ex sententia Basilij,Ambrosij,&Cyrilli,horum esse vnã naturam& substantiã, quorum inueniatur vna & eadẽ operatio: & ideo inChristo duas operationes&duas voluntates esse,quod sint duæ naturę , & contrà:sic ergo probant manere in Eucharistia post consecrationẽ substãtiam panis & vini,quia manẽt illius accidẽtia propria, actiones, effecta & proprietates:tum etiã, quia in scriptura insolitũ est, vt res aliqua per miraculũ in aliam cõuertatur, & tamẽ sensibus appareat eadẽ quę fuit,quia Deus homines non deludit,sed ipsis res tales exhibet,quales reddiderit , quare si exhibet nobis facta consecratione panem & vinũ, re vera panis&vini substantia est.cum om nia corporalia Christi miracula , quæ scriptura prædicat,sensibiliter apparuerint:sic ergo si esset in Eucharistia factum miraculum 4

culum transubstantiationis, ita apparere oportuisset. Sic apparuit vinum ex aqua factum in nuptiis, sic mortuos Christus ad vitam excitauit, ægrotos sanauit, &c. sed quia miraculum corporale factum non est, ideo non apparet: vt insufflante in discipulos Christo, & dicente, accipite Spiritum sanctum, nec Spiritus sanctus, qui dabatur, in illum halitũ fuit transpositus, corporaliter, neque halitus in Spiritum sanctũ transubstantiatus.

15 Consentit etiam noui testaméti perfe-
5 ctioni; non dari nobis Christum sub corporalibus signis vel symbolis, quia in nou. testamento oportuit nos ab elementis mundi ad superna & spiritualia subuehi: quare, inquiunt, non consonat cum analogia fidei nostræ & aliorum mysteriorum, mentem nostram miraculoso pani affigere, quæ potius iuxta Paulum, debet in memoria mortis eius occupari. Consentiunt etiã verba Christi, qui in cœna non dixit, panẽ conuerti in suum corpus, aut vinum in sanguinem, sed panem & corpus, quod demõstrabat, esse suum corpus & sanguinem, cum illis admirabiliter coniuncta, vt suprà
6 aduersarij explicauerunt. Addunt postremò, naturis rerum repugnare hãc transubstantiationem, per quam maneant accidẽtia sine subiecto, quod eorum definitioni, qua dicuntur subiecto inesse, omnino repugnat, & in potentia Dei positum non sit, hoc efficere. Candidè & sincerè aduersariorum argumenta proposuimus, candidè etiam postulamus respõsiones nostras expendi, non studio factionis & sectæ, sed veritatis ab Apostolis ad nos vsque deriuatę.

Cur post consecrationem dicatur panis & vinum de hoc sacramento.

Roffen. contra Capt. c.4. & cõtra Oecolamp. lib.2.c.12.& 32.

16 Ad primum ergo respondetur, corpus Christi, post consecrationẽ, panẽ, & vinũ similiter, sanguinẽ vocari, quia ex conuersione panis & vini corpus & sanguis Christi in hoc sacramento facta sunt: & cõsueuit in sancta scriptura res conuersa in alteram, etiam post conuersionẽ priorẽ appellationẽ, quã habuit ante conuersionẽ, retinere, ad significationem diuinæ omnipotentiæ, per quam effectum est, vt non omnino perierit, sed in aliam commutata permanserit. Sic homo factus in animam viuentem dicitur terra, cinis, lutum: mulier formata dicitur os de ossibus Genes.2. serpẽtes enati ex virgis dicuntur virgę, Exo.7 cũ virga Moysis, virgas Magorum deuorasse scribitur: vinũ haustum dicitur aqua: Matthæus post conuersionem Publicanus appellatur, meretrices & peccatores iustis præire in regno Dei dicuntur: cæci etiam videre, claudi ambulare, surdi audire, Matthæi.11. Verba autem scripturæ sunt accipienda in significatione propria & grammatica, nisi aliter nos compellat circunstantia, tunc enim locus est tropis & figuris, inquit D.August. lib.3. de doctrina Christiana, cap.10. post consecrationem autem panem & vinum non accipi pro substantia panis & vini, ipsa precedens Domini benedictio & consecratio euincit, cũ ea immutet illas substantias in corpus & sanguinem Christi, vt suprà ex efficacia benedictionis ostendimus.

17 Secundo respondeo, panem & vinum appellari post consecrationem, quia manent accidentia & proprietates panis & vini, ex quibus proprietatibus constat desumi plerumque rerum appellationem: sic etiam omnis cibus solidus, panis vocatur, & vinum non appellauit Paulus aut vllus Euãgelista post benedictionem, vt statim ostendetur, cum non sit omnis potus commune nomen, vt est panis nomen commune omnis cibi solidi. Sic angeli dicuntur viri, & angelus vir Macedo. & 1. Reg. 14. præcipitur ne vllus homo panem vsq; ad vesperam comedat, & Ionathas, gustato melle, dicitur hoc præceptum violasse. 4. Reg. 6. panem iussit apponi Hælis. i. cibum, similiter Matth. 5. cur discipuli non lauant manus antequam panem manducent? quia igitur Eucharistia retinet panis & vini proprietates, & quia cibus est & potus noster, rectè dicitur panis & vinum: præsertim cum ratione harũ proprietatum dispensetur, & distribuatur, ac si verè panis esset & vinũ. Sunt etiam qui ad hãc responsionem confirmandam afferant, nihil quidem singularis substantiæ panis per consecrationẽ in Eucharistia remanere, sed generalem quandam rationem panis aut substantiæ ad nutriendum accommodatę, quacunq; ex natura cibus constet, & hanc rationem generalem permanentem, vocari ab illis Patribus argumento tertio citatis, naturã vel substantiam panis. sed certè quãuis horũ autorũ responsio catholicũ sensum habeat, vt intelligatur nõ omnino aboleri aut in nihilũ redigi panis & vini substãtiã, sed cõuersam in aliũ sublimiorẽ cibũ, nempè Christi corpus & sanguinẽ:

Hessels de Eucha. Sanct. repetition.7.c.1. Guil. Alanus, lib.1.de Euch. c.35.

tamen non omnino cōſentit cum ratione transſubſtantiationis, manere aliquid de panis aut vini ſubſtātia, cum transſubſtātiatio ſit totius ſubſtantiæ conuerſio: neque etiā veræ philoſophię conſentit mutari rem in ſpeciali, & manere eius, quod mutatū eſt, aliquid cōmune, niſi ſecūdum operationē intellectus, cum omnia communia in re ſingulari ſint determinata. ideo mutata & cōuerſa re ſingulari, omnia quę illius propria ſunt, mutari eſt neceſſe, & communia fiunt illius propria: vt animal hominis, cum pars ſit naturæ humanę.

18 Exactius D. Tho. ex Patribus, de pane, inquit, in fine conuerſionis nec eſt aliquid, nec abiit in nihilum, ſed cōuerſus eſt in corpus Chriſti, idem de vino in ſanguinē Chriſti dicēdum eſt. Sic Iuſtinus ad Anton. Cyril. Hieroſ. myſtag. 3. Irenæus lib. 4. cap. 34. & lib. 5. Cyprianus de cœna. Ambroſ. ſæpè de ſacramentis, Auguſt. cap. nos autem, de conſecr. d. 2. poſt conſecrationē, non iam communem & vſitatum panem eſſe aut vinum, quia mutata ſint in carnem & ſanguinem Domini: non quia manentibus ſubſtantiis panis & vini, adiūgatur corpus & ſanguis Domini, vt volunt Lutherani. Retineamus igitur hanc ſecundam reſponſionem, vinum & panem vocari poſt conſecrationem, quia manent panis & vini proprietates, & quia panis generali ratione dicitur cibus, & hac ratione Chriſtus ipſe dicitur panis, Ioan. 6. propter vim nutriendi animas noſtras. quo ſenſu plerique Patres vocant Euchariſtiam, ſacramentū panis & vini, vel quia ex illis per conuerſionem facta eſt, vel quia eſt cibus & potus noſter.

19 Sed quia hæc appellatio panis pro quocunq; cibo ſolido, vſui ſcripturę cōſentit, vt ſupra oſtendi: vinū autem & genimē vitis appellari omnem potū, non eſt in vſu ſcripturæ, & ita Dn̄s apud Euāgeliſtas poſt conſecrationem videtur appellare, quaſi maneat vini ſubſtantia in Euchariſtia: obſeruare oportet ad explicationem & conſenſionem Euangeliſtarum, triplicem ab illis vini aut geniminis vitis potionē diſtingui: primā vini naturalis in cœna typica & legali, cum prædictione potionis myſticæ & nouæ, id eſt ſanguinis Chriſti in regno Dei: cuius potionis vini naturalis, in cœna legali, Lucas tātum meminit his verbis, accepto calice gratias egit & dixit, accipite, diuidite inter vos: dico enim vobis quod nō bibā de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Similiter autē dixerat de cœna legali, deſiderio deſideraui hoc Paſcha mā ducare vobiſcū antequā patiar: dico enim vobis, quod ex hoc nō māducabo illud, donec impleatur in regno Dei. hæc autē omnia pertinuiſſe ad cœnā agni typici & legalis conſtat, quia poſtea fregit panē dicens, hoc eſt corpus meū, & calicem diuiſit dicens, hic eſt calix nouū teſtamentū in meo ſanguine. Alterā vini noui, quę cōplet legalē, potionē, proponunt Matthęus & Marcus. nā propoſita forma calicis, vterque inquit, non bibā à modo de hoc genimine vitis donec, vel vſque ad diē illum, quo bibā illud nouū vobiſcum in regno Patris mei, vel vt alij legunt, quo bibo illud: regnū autē Chriſti dicitur incœpiſſe in cœna, quia ibi obtulit ſe in redemptionē, perficiendā in cruce per ſanguinē, & ideo in cœna ſancitū eſt regnū Chriſti oblatione ſanguinis in redēptionē hominū. Itaq; illud, nouum, indicat mutatū vinū in ſanguinem, quo regnū Dei ſanciretur. Sed quatenus Euangeliſtę adhuc de futura quadā potione diſſerunt, eam tertiam diſtinguimus, vt ea ſit fruitio corporis & ſanguinis Dn̄i, & quaſi inebriatio & perfecta poſſeſſio in beatitudine. itaq; vt ſecunda vini noui potio, eſt veritas primæ, ſic tertia eſt complementū ſecundæ: ſecunda eſt ſub velamine, tertia erit in aperto & conſpicuo, & ideo innouāda dicitur. De hac vltima potione promiſſa, Lucas inquit, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus regnū, vt edatis & bibatis ſuper menſam meā in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ex hac triplicis potionis vini diſtinctione conſtat, ſignificari apertè & materiam huius ſacramēti ad potionē, eſſe vinum, & eam benedictione & ſanctificatione, fieri nouū vinū, ideſt ſanguinem Chriſti: quare hæc appellatio geniminis vitis, ſi rectè expendatur cum ſanctis Patribus, verbis Euangeliſtarum congruenter, confirmat transſubſtantiationem, tantum abeſt vt illi repugnet.

In Euangelio triplex vini potio.

20 Tertiò reſpondemus, poſt conſecrationē non dici ſimpliciter panē, ſed cū additione & articulo connotatiuo, vt panem hunc, panem quem frangimus, ſimiliter calicem Domini, vt intelligas per emphaſim & agnominationem iſtam, non vulga-

vulgarẽ panem dici, sed Domini, hoc est corpus Christi, & calicẽ Domini, quod est poculum sanguinis: & olim hoc mysteriũ propter ethnicorũ calumnias, occultè tradebatur, ne ab illis profanari vllo modo posset.

21 Ad secundum constat ex præcedentibus responsio, quia accidentia panis & vini, cum sint sensibilia per se, sunt signa sacramentalia, & idem repræsentant, etiam absente substantia panis & vini. D. autem Paulus communicationem corporis Christi sacramentalem, sub eisdem accidentibus, vocat panis communicationem, eadem ratione, qua diximus vocari panem post consecrationem: & in sola eiusdẽ corporis Christi participatione efficimur vnũ, vt corpus vnum est.

22 Ad tertium argumentum ex his patet responsio: Patres enim eodem sensu atque sancta scriptura vocant panem & vinum post consecrationem, & eodem modo potest affirmari Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cælesti, vt terrena sint accidentia panis & vini: & ideo rectè admonemur à canone Nicæno, ne panem scilicet, qui apparet in altari, vulgarem & vsitatum panem esse existimemus, sed agnum Dei immolatum. similiter Patres dicunt Dominum vocasse panem suum corpus, non vt simul coniunxerit vero pani verum suum corpus, vt volunt Protestantes, sed quod sua benedictione & vocatione panem in corpus cõmutauerit, vt ostendimus suprà de efficacia benedictionis & vocationis Dei & Christi.

De Gelasio.

23 Ad testimonium Gelasij respondetur primò, hunc Gelasium non censeri à viris doctis summum illum Pontificem, cuius est canon, sancta Romana: autor enim libri de duabus naturis, vnde illud testimonium desumptum est, honorificè meminit Eusebij Cesariensis, cuius tamen omnia opera preter historiam Ecclesiasticam, Gelasius Papa damnauit. prætereà in concilio Chalcedonensi sumuntur testimonia ex libris Gelasij contra Eutychem & Nestorium: nullum tamen profertur ex huiusmodi libro, cum sit contra easdem hereses conscriptus. quidam igitur hunc librum Gennadio tribuunt autori libri de scriptoribus Ecclesiasticis, in quo sunt etiã alij errores: quidam autem probabilius tribuunt Gelasio Palæstino Cæsarien. non

Repar. ar. 148

autem Romano Põtifici, cuius Gelasij Cesariensis meminit D. Hieron. & Theodoret. honorificè in Polym. vnde plurima in suos dialogos transtulisse videtur. Accedit his, quod autor idem plurimum commendat Eusebium Cæsariensem, quasi eiusdem vrbis aut regionis sibi notum antistitem. quamuis autem is liber sit Gelasij summi Pontif. non repugnat transubstantiationi: inquit enim eodem libro de duabus natur. in Christo, panem & vinum in diuinam substantiam transire, sancto spiritu perficiente, permanente tamen proprietate naturæ: & ideo, cum hæc sententia sit manifesta pro transubstantiatione, ex ea debuit illustrari illa altera obscura, quæ nobis obiecta est: sic est enim naturæ hominum consentaneum, vt ex manifestis obscura illustrentur, non autem contrà, ex obscuris manifesta deprauentur, & in alienum sensum trahantur: quod tamen plerumque aduersarij faciũt, non solum in libris Patrum & Conciliorum, sed etiam sanctæ scripturæ. quam igitur his verbis Gelasius proprietatem naturæ vocat, & asserit facta consecratione manere, id est accidentia panis, eandem prius vocans substantiam panis, dixit non desinere. hoc autem, non desinere, sæpè in Patribus disserentibus de Eucharistia, nihil aliud est, quam non omnino perire, nec in nihilum redigi, quia manet prior substantia conuersa in corpus Christi, tantum abest vt omnino esse desierit.

Sanct. repetit 8.c.4.

24 Eodem sensu Theodoretũ exponere oportet, vt naturã panis manere dicat, id est proprietates & accidentia: & ita sensus argumentationis ab vtroque conclusæ contra Eutychem permiscentem & cõfundentem naturas in Christo, hic erit, ex huius sacramenti similitudine. opinabatur Euthyches, naturã humanam in diuinam transisse, quia proprietates naturæ humanæ Deo tribuerentur, vt natum esse, crucifixum, &c. Responsio Gelasij & Theodoreti est, nihil hac ratione effici, quia inter symbola & corpus Christi est proprietatũ communicatio, cum per symbola dicatur corpus Christi tangi, frangi, & mãducari, & nõ tolluntur tamẽ proprietates vtriusque naturę, licet vna substantia in aliã commutetur. Pręterea nõ mirũ est, Theodoreti alienã sententiam esse à recepta doctrina de transubstantiatione: quia is primum

De Theodoreto.

con-

consentit Nestorio in Concilio Ephesino præside Cyrillo Alexandrino, deinde pœnitens receptus est à Chalcedonensi, & restitutus in pristinam dignitatem: & in explicanda reali præsentia Christi in Eucharistia videtur Nestorizare, nisi vt explicauimus intelligatur. Vt enim Nestorius in Christo duas personas asseruit, vnam hominis, alteram Dei: ita inquit in Eucharistia esse panis & corporis Christi substātias: vt sicut accessione filij Dei ad hominem, & non vnione personali, constituebat Christum, sic accessione corporis ad panem. Sed ipse Theodoretus non dissimulat, quæ nam fuerit communis de hac re Ecclesiæ catholicæ sententia, cum ait, hanc explicationem, cōgruentem s. heresi Nestorianæ, à se inuentam & excogitatam, contra communem fidem Christianorum. Nos verò communem hanc fidem retinere oportet: & ita transubstantiatio antiquitatis, & receptæ Christianorum doctrinæ testimonio a Theodoreto, etiamsi velit repugnare, confirmatur. Et certè Ephesini Patres nō aliam rationem concesserunt euincere, communicationē idiomatum in Christo, quàm assumptionem humanitatis in personam filij Dei. cum autem ventum est ad inuestigandam causam, ob quam esset proprietatum panis & corporis communicatio, eo tantum modo, quo explicatum est, neque Ephesini illi Patres, neque his priores aut posteriores, ad illam causam vnitatis personalis in Christo manentibus integris, diuinitate & humanitate, sibi notam & probatam confugerunt, aut aliquam similem, quæ retineret substantiam panis facta consecratione: sed tantum ad conuersionem substantiæ panis, & vini, in corpus & sanguinem Christi, quod hæc tantum verbis Christi congrueret, vt supra ex illis deduximus.

25 Ex his constat responsio ad testimonium adductum, ex Ioanne Constantinop. asserit enim in Eucharistia permanere naturam panis, hoc est proprietatem, quæ sæpe à physicis dicitur natura, & à medicis stirpium & animalium naturę, proprietates dicuntur: permanere autem dicit vnum tantum corpus Christi, quia non manet substantia panis, sed corporis Christi.

26 Ad quartum respondetur, argumentum ex sensibus & rerum proprietatibus firmum esse & constans, cum res perseuerat in sua natura: quod si verbo Dei affirmetur, non manere naturam & essentiam rei, licet maneant accidentia, quæ per se sensibus percipiuntur, argumentum ex sensibus & rerum proprietatibus nihil efficit, quia verbo Dei repugnat. Primo modo vsi sunt hoc argumento Christus Dominus & Apostoli locis in obiectione citatis: altero modo argumentantur aduersarij contra transubstantiationem, repugnante verbo Dei & asserente, esse in Eucharistia corpus Christi, per benedictionem Christi, qua conuersa est substantia panis in corpus Christi, vt supra ex eodem verbo Dei conclusimus. *Argumentum ex sensibus in scriptura*

27 Ad quintum respondetur, in miraculis, quæ nunc dicimus cum aduersariis omnia opera supra naturalia, etiamsi ordinaria potestate fiant, (quam miraculum exactè sumptum Theologis excludit:) in his inquam miraculis, Dei autoris propositū & intentio primo inspicienda sunt: quæ enim fiunt ad fidem confirmandam, & inserendam animis non credentium, ea sensibiliter apparent, vt possint conuincere non credentes, & huiusmodi sunt in obiectione citatata: alia sunt fidelibus accōmodata ad vsum fidei & confirmandos credentes in via Domini, & hæc non sunt sensibilia aut visibilia, quia fide tantum creduntur, & in his oportet numerare omnia effecta sacramentorum. Hanc distinctionem duplicis propositi miraculorum, ex verbo Dei colligimus. quæ enim facta sunt à Christo ad prædicationem Euāgelij, & ab Apostolis, visibiliter sunt populo ostensa, vt cæcis restitutus visus, claudis de ambulatio, ægrotis denique sanitas: quin etiam dæmonum expulsio sensibiliter, quantum fieri poterat, ostendebatur. cum autem quis adultus baptismo iustificatur, præcedit fides, sicut scriptum est, Actor. 8. Si credis ex toto corde, licet te baptizare; vt credat purgationem internam à peccato baptismo fieri: idem de transubstantiatione dicendum est, quæ à fidelibus creditur, & sensibus admonemur credēdum non esse in huiusmodi occultis miraculis. quare, qui ex quibusdā miraculis, quæ sensibiliter apparere oportet, idē de omnib⁹ volūt vniuersaliter cōcludere, planè volūt, ex speciali vniuersale ōcludere, *Ruard. art 11.* *Miracula quæ sensibiliter apparent.*

quæ

quæ est infirma & incóstans arguméntatio.

28 Ad sextum respondetur, hæc mysteria supra naturalia stultum esse viribus & rationibus naturalibus metiri velle; cũ sint omni ratione naturali superiora: in illis autem, quæ pertinent ad hoc sacramentum, nihil esse contra naturam, neque alienum ab omnipotentia Dei, omnia autem esse supra naturam speciatim intelligetur, cum ostéderimus an Christus sit in hoc sacramẽto vt in loco, an moueri possit, an existere in pluribus locis simul, & alia his coniuncta. Quare autem oportuerit nobis sub elementis huiusmodi dari Christum, & gratiam sanctificantem, & generaliter diximus differentes de efficacia sacramentorum nouæ leg. & formis huius sacramenti significari conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in principio huius disputationis de transubstantiatione ostendimus.

Disputatio Scholastica de termino per se primo transubstantiationis.

Scot.4.d.11.q.1.ad 4.& d.10.

29 SEd quoniam hæreticorum tollentium transubstantiationem argumenta refutauimus, de controuersiis scholasticis in explicanda transubstantiatione paucis disserendum est. quidam enim nobiles Theologi volentes hanc conuersionem admirabilẽ, ad principia physicę mutationis expendere, & ad aliquã mutationem physicam secundum analogiam aliquam reuocare, censent primo impossibilem esse mutationem in terminum præexistentem & manentem secundum esse antiquum: & ideo quamuis sit in præexistentẽ terminum, oportere tamẽ ad retinendam rationẽ nouę mutationis & conuersionis, accipere aliquid nouũ per ipsam mutationẽ: quia noua mutatio & noua conuersio sine aliquo per eam producto ne intelligi quidem potest, cũ id, quod mutatur, aliter se habeat nunc quam prius. neque verò satis est, quod per hanc conuersionem substãtiæ panis corpus Christi succedat, quòd hoc non sit succedere in ratione termini. Sic enim sol potest dici succedere cuicunque corrupto inferius, cum maneat in suo esse, altero desinente esse. Secũdo asserunt hanc conuersionem ad eam posse reuocari, quæ est ad vbi, quia licet sit transubstantiatio, tamen substantia succedit substantiæ in noua presentia ad species: sicuti corporũ est successio in nouo vbi. Vnde retẽta appellatione transubstantiationis, ratione eius, quod nouum acquiritur in corpore Christi extrinsecus, eam adductiuã vocauerunt, quia adducat Christum ad nouã presentiam specierum sacramentalium.

30 Alij Theologi, quia legebant in Patribus in hoc sacramento panem fieri corpus Christi, asseruerunt illorum sententiis congruenter, terminum transubstantiationis esse Christum, non absolutè, sed vt de illo verè dicitur, quod prius erat panis: quia in huiusmodi conuersione ponere oportet momentum vnum, quod sit primum non esse substantiæ panis, & primum esse substantiæ corporis Christi sub speciebus panis. Itaque in momento terminante prolationem formæ, verum est dicere, nunc nõ est panis, qui tamen fuit immediatè ante hoc, idest, toto tempore præcedenti hoc momentũ: similiter verũ est dicere in eodem momento, nunc est corpus Christi, quod prius erat panis, & immediatè ante hoc, idest, toto tẽpore præcedenti hoc momentũ, non erat corpus Christi, quod erat panis per conuersionem. non tamen licebit idẽ verè dicere de corpore Christi absolutè, nempè nunc est corpus Christi, & immediatè ante hoc non fuisse, cum fides recta doceat præextitisse idẽ numero corpus, sed nõ ex conuersione panis in ipsum. In hac autem sentẽtia illud relatiuũ, quod, cum dicitur, nũc est corpus Christi, quod prius erat panis, idẽ omnino refert, quod demonstrat pronomen, hoc, in forma consecrationis panis, idest, substantiã sub accidentibus panis contentam. itaque licet illa sententia, quod erat panis, nunc est corpus Christi, possit vel idem subiectum numero manens sub vtroque termino significare, vt idem subiectũ manens prius per formam panis, deinde per aliam formam corpus Christi sit: vel conuersionẽ prioris substantiæ in posteriorem significare, quasi dicatur, panis factus est per cõuersionem totius substãtiæ, corpus Christi: à Patribus tamẽ & Theologis sic explicãtibus terminum transubstantiationis, in hoc secundo sensu vsurpatur, quia cõgruit trãsubstantiationi, quã defendunt, nõ in primo, quia non congruit, cũ significetur manere sub vtroque termino conuersionis idem

C. immerito repræhensus à Soto & Ledesma. 3 p.q.75. art. 7. ad 1.

idem subiectum, vel eandem materiam, & nihil substantiæ manere, & ideo neque materiam exigit ratio & natura transsubstantiationis.

Patrum sententia.

31 Hanc sententiam sic explicatam Patres antiqui exprimunt sæpè, Cyrill. Hierosol. Catech. 3. panis Eucharistiæ post inuocationem Spiritus sancti, non amplius est panis nudus & simplex, sed corpus Christi. Irenæus lib. 5. non longè à principio, quando mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Ambros. lib. 4. de sacramentis, cap. 4. qui panis est, corpus est Christi consecratione, & infra, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationē, dico tibi, quod iam est corpus Christi. Vt igitur Dominus accipiens panē confitebatur suum corpus, dicens hoc est corpus meum, vt ponderauit Iren. eod. lib. 4. cap. 57. sic Patres eodem sensu dicunt, quod erat panis, est corpus, intuentes ad imitandū illa verba Domini. Hæ sunt scholasticorum explicationes, quæ potissimum examinandæ sunt, quia ex his facilè deducetur, quid sit de aliis sentiendum.

32 Ad eligendam ex his probabiliorem explicationem, & magis cum doctrina catholica congruentem, ponenda est in primis ratio & essentia transsubstantiationis, vt sit conuersio totius substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, & termini huius conuersionis designentur ad hanc rationem conuersionis accommodatè. Et de termino quidem à quo, nulla potest esse dubitatio, cū omnino constet, esse substantiam panis & vini: de termino autem ad quem, quia pręexistit, & nihil nouum in se admittere potest, cum corpus Christi post resurrectionem nulla qualitate externa affici possit, & ratio nouæ conuersionis, nouitatem requirat in termino ad quem, vnde est natura conuersionis & mutationis, magna dubitatio est. Deinde ponendum est, in Eucharistia duas esse nouitates, priorem conuersionis, quia ante consecrationem, non erat: posteriorem continētiæ Christi, quia Christus facta cōsecratione, ab speciebus panis & vini continetur. Termini huius posterioris nouitatis facilè explicantur, quia cum species habeāt rationem subiecti actiuè vt continentes, & corpus Christi passiuè vt contentum, termini distingui possunt: vel passiuè, contineri, & non contineri, vel actiuè continere, & non continere: & ipsa conuersio explicatur, vt fiens, vt autem factum, corporis Christi esse sub speciebus sacramentaliter.

33 De terminis autem conuersionis per se primo nūc est suscepta disputatio, nō autem ipsius continentię pręcisè, cum hęc sit posterior natura quam conuersio: quare conuersionis per se primo ponendi sunt termini, vt vera ratio conuersionis retineatur: sicut in natura ex termino per se primo, mutationis & motus ratio desumitur, non ex cōsequentibus terminum per se primo: alioquin esset motus per se primo ad relationem, quod omnes physici negant. Accipimus autem hic ex certa Theologorum & conciliorum traditione, in & sub speciebus, seu ad species panis, corpus Christi esse: quia Viennen. Cōcilium dixit, Christū existentem in propria substantia esse sub alia forma in sacramento: sed Lateranen. Florentinum, & Tridentinum, idem nomine continentiæ exprimunt: dicūt enim corpus & sanguinem veraciter contineri sub speciebus. Nō autem sic contineri dicūtur, quia per hęc accidētia, repręsententur tū esse pręsentia, sicut per fumum repręsentatur ignis: aut quomodo dęmon nonunquā ex pacto adest anulo, & ita verè diceretur ibi cōtineri vt in signo sine alia coniūctione & vnione contenti & continentis. neque rursus corpus & sanguis Christi concluduntur speciebus tamquam locis, vasis, vestibus aut operculis, aliisue quibuscumque rebus excedentibus vel extrinsecus circunstantibus ipsorum substantias. quamuis enim non sint sub speciebus circunscriptiuè, aut definitiuè, impropriè tamen tegi aut velari dicerentur ipsis speciebus, sicut neque substantia panis eisdem tegebatur. Neque etiam dicēdum est, sic assummi à Christo has species, vt à Deo interdum assumuntur corporeæ similitudines, cum se aspectabilē præbuit Abrahæ, Moysi & Patribus, vel in ardente rubo, vel in columna nubis, vel in specie columbæ: aut quomodo angeli & boni & mali, & ipse Dominus post resurrectionem, in externa specie sæpè se præbuerunt: licet D. August. semel ac iterum lib. 3. de Trinit. cap. 10. hanc Christi exhibitionem in sacramentalibus speciebus, comparet Dei & angelorum apparitionibus, præsertim propter

Christum contineri in hoc sacramento sub accidentibus.

Guil. lib. 1. de Euch. c. 37.

Qualis sit continentia Christi sub accidētibus

pter hæc tria: quod ſicut hæ formæ, in quibus apparitiones fiunt, natiuæ non ſunt, & genuinam ſpeciem occultant, nec permanentes videntur, ſed deponendæ, diſpenſationis peracto officio: ita etiam ſacramētales ſpecies, & alienæ, & occultrices, & nō duraturæ circa corpus Chriſti, ſed ipſa perceptione deponendæ ſunt & conſumendæ.

34 Sed eſt in his illud potiſſimum diſcrimen, quod hîc corpus Chriſti adeò intimè accidentibus coniungitur, vt prius ſubſtantia panis, excepta ſubiectione & inhærentia, & prædicationibus ſubiectionem & inhærentiam conſequentibus. prȩtereà, in apparitionibus illis, præſentia Dei ex voluntate Dei apparentis immediatè pendet: præſentia autem corporis Chriſti pēdet in hoc ſacramento immediatè, ab illa coniunctione & continentia ſpecierum, vt inſeparabile ſit ab eis, quandiu manent integræ, aut quandiu panis ſubſtantia naturaliter permanſiſſet: at Spiritus ſanctus verbi gratia, cum in ſpecie columbæ apparebat, pro ſua voluntate poterat non apparere, ſine aliqua neceſſaria coniunctione cum ſpecie columbæ: eſt igitur hæc coniunctio ſpecierum cum corpore & ſanguine Chriſti, arctiſsima, & adeò ineffabilis & admirabilis, vt ſit eorum inter ſe quædam idiomatum & proprietatum alterna prædicatio & communio: licet ex alia cauſa quam in myſterio incarnationis, in hoc enim eſt communicatio idiomatum propter vnionem hypoſtaticam in noſtro autem ſacramento propter intimam coniunctionem cum accidentibus, vt ſicut panis ſubſtantia dicebatur eſſe in ſuperficie panis ſic facta conſecratione, dicitur verè eſſe corpus Chriſti.

Communicatio idiomatum in Euchariſtia.

35 Itaq; per hęc accidētia vt ante panis, ſic in Euchariſtia corpus & ſanguis verè à nobis cōtrectatur, mādu catur, circumgeſtatur, carni noſtrȩ per manducationē remotis imperfectionibus verè coniungitur, vt poſtea explicabitur, dētibus teritur, in hoc aut illo vaſe collocatur, demonſtratur illis particulis hîc & nunc, ſenſibiliter ſacrificatur, eleuatur ad adorationem: quæ omnia ſiue per accidens ſiue per ſe corpori Chriſti in ſacramento competant, nihil nunc refert, & deinceps ſuo loco explicabitur: modò certa fide credamus, hęc verè & propriè fieri circa corpus Chriſti, non minus, quàm ſi in propria ſpecie eſſet, & non minus, quàm fierent in ipſo pane: & nō minus verè, quàm crucifixio, fames & ſimilia attribuuntur Deo, propter humanitatis in eadem hypoſtaſi coniunctionem. Et ſicut nō dicitur humanitas crucifixa, & multo minus diuinitas, ſed Deus aut homo: ſic ſpecies non manducantur, franguntur aut videntur ſolummodo, ſed propriè & verè hæc omnia competunt corpori & ſanguini, licet per ſpecies. quatenus autem dicendum ſit, Chriſtum exiſtere in hoc ſacramento ſenſibiliter, poſteà diſputabitur: nunc conſtet Chriſtum contineri ab ſpeciebus panis & vini, & inde eſſe mutuam quandam idiomatum communionem inter corpus & ſpecies ſiue accidentia, ſine inhærentia, & ſine his prædicationibus, quæ inhærentiam conſequuntur, & hanc admirabilem coniunctionem Chriſti & ſpecierum, vocari ſacramentalem. Tertiò accipiendum eſt, nihil aliud eſſe conficere hoc ſacramentum, quam conuertendo virtute verborum ſubſtantiā panis & vini, efficere hanc cōiunctionem: quia ſic manet Chriſtus ſubſtātialiter vt cibus & potus ad refectionē animæ, & hoc ſacramentum tū eſt perfectum, cum hic cibus effectus eſt, quia hoc ſacramentum in conſecratione conſiſtit, & non in vſu.

36 His poſitis ad illuſtrandā propoſitam controuerſiā ſit prima concluſio, corpus & ſanguis Chriſti nō ſunt in hoc ſacramēto per aliquam mutationē in ipſis: ſed omnis mutatio eſt in ſubſtātia panis & vini. ſic ab omnibus Theologis conceditur, & contraria ſententia errorē in fidē inducit: quoniā recta fides docet idem numero corpus, quod glorioſum ſedet ad dexteram Patris, omnino impaſſibile, quacunq; mutatione aut motu, eſſe in hoc ſacramēto realiter & ſubſtātialiter, iuxta illud Rom.6. Chriſtus reſurgēs ex mortuis, iā non moritur, neq; vllo modo extrinſecus ab aliquo pati poteſt inſeipſo: itaque vt Deus incipit eſſe in aliquo per gratiam, mutato homine, qui gratiam recipit, non tamen Deo: ſic in hoc ſacramento, panis & vini ſubſtātia cōuertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti, quȩ omnino in ſe immota & inalterata manent, ſicut ante conuerſionem vt ſit tranſubſtantiatio: quia panis & vini tota ſubſtantia conuertitur & mutatur, non quia corpus & ſanguis Chriſti mutantur in ſe, & ſicut

Ex hoc ſacramento nulla in Chriſto mutatio.

& sicut natura humana per incarnationẽ mutata est, & assumpta ad verbi diuini sub sistentiam, quod tamen verbum mansit omnino immutabile, licet assumptionem terminauerit: sic corpus & sanguis Christi terminant quidem conuersionem panis & vini, sed in seipsis nullo modo moueri aut mutari possunt extrinsecus ab aliquo post resurrectionem.

In transubstãtiatione est actio vnica.

37 Secunda conclusio: desitio panis & vini, & realis existentia corporis & sanguinis Christi, quæ succedit, nõ sunt duę actiones per accidẽs se cõsequẽtes, sed vna tãtũ numero. actio enim & mutatio habẽt vnitatem numericam & simpliciter à termino ad quem, à subiecto, ab vnitate temporis. 5. phys. cap. 4. seruata igitur eadem proportione, erit hæc actio vna: quia terminus ad quem primo & per se vnus est, & eodem momento terminante prolationẽ verborum, & desinit esse substantia panis & vini, & existit corpus & sanguis Christi. subiectum autem, licet propriè hic nõ sit, quia mutatur tota substantia, tamen species eædem quæ habent aliquam rationẽ subiecti, numericam retinẽt identitatem; est igitur vna actio tantum & mutatio. Itaque desitio panis non potest dici anihilatio, quia non habet terminũ per se primo ipsum nihil, vel negationẽ omnis entis, sed ipsum corpus Christi. vt in natura, licet pręcedens forma corrumpatur, non dicitur tamen corruptio, sed ratione alterius inductæ generatio, quia per se primo intenditur inductio huius. quin etiam, vbi plura ad eundem numero finem per se primo referuntur, vnum censetur fieri ex omnibus, & nullo modo plura.

Contra Scot.

38 Tertia conclusio, non vere dicitur, Christum esse in hoc sacramento per conuersionem tantum adductiuam nouæ pręsentiæ. vt enim desitio panis anihilatio esse aut dici non potest, quia est conuersio per se primo in totam substantiam Christi, ita existentia termini ad quem non potest dici successio in noua præsentia, quia non esset transubstantiatio, sed potius transaccidentatio: cum illa successio ad nouam præsentiam, tantum sit successio accidẽdentis, nempè relatio quædam. Fatemur hanc nouam pręsentiam consequi statim ex ipsa conuersione in corpus Christi, sed vt nomen & ratio trãsubstantiationis, quę desumitur ex termino ad quẽ, retineri possit, vt oportet, necesse est pro termino ad quem primo & per se constitui substantiam corporis Christi, non autem accidẽs, quod est noua præsentia. sicut generatio naturalis, quamuis ipsam consequatur paternitas & filiatio, ex substantia per se primo terminante, rationem & appellationẽ accipit. quare cum adductiua illa conuersio non terminetur per se primo ad substantiam, non potest consentire cum transubstantiatione: & si retinenda est secundum fidem catholicam transubstantiatio, non potest sanè defendi adductiua cõuersio: siquidem illa ad substantiam, hæc ad accidens nouæ præsentiæ per se primo terminatur. neque pro terminis huius conuersionis designari possunt, præsentia & non præsentia, sed potius non substantia panis & vini, atque substantia corporis & sanguinis Christi. Eodem modo refutatur sententia, quæ asserit, terminum ad quem conuersionis, esse corpus Christi, non secũdum esse absolutum substantiale, sed secũdum illud esse in altari: cum hoc similiter sit accidens. Illam autem sententiam, quæ materiam panis per hanc conuersionẽ, inquit, forma corporis Christi informari, non auderem ab errore vendicare, quia tollit transubstantiationem definitam ab Ecclesia catholica, cum sit totius substantiæ conuersio, hæc autem sententia affirmat, de substantia panis manere materiã, & conuerti in corpus Christi virtute consecrationis, vt cibum Christus resurgens ex mortuis in suam substantiam conuertebat, manente materia, per nouam informationem.

Hæc noua præsentia, cum sit relatio realis cõsequitur ipsam continentiam actiuam specierum sacramentalium, & in ea fundatur.

Contra Palud.

Contra Durã.

39 Quarta conclusio, terminus ad quem per se primo transubstantiationis, est substantia corporis & sanguinis Christi, vt eã consequitur noua continentia sacramentalis: hoc est, licet per hanc conuersionem nihil nouum in se admittat substantia corporis & sanguinis Christi, vt in prima conclusione ostensum est, ipsa tamen per se primo terminat transubstantiationem panis & vini: sed quia in ipsa nihil nouum ex hac conuersione aduenit, vt neque verbo Dei per incarnationem, licet terminet personaliter humanitatem assumptam, & antecedit substantia corporis & sanguinis Christi omnem transubstantiationem, ex posteriori continentia, quæ consequitur explicamus, cur per consecrationem sit

Transubstantiationis terminus per se primo.

in Christi

in Christi substantiã facta conuersio. quòd nihil aliud est, quàm dicere terminum esse Christum sacramentaliter existentem: sed quia transubstantiationis per se primo debet esse substantia, & hæc præexistebat ante conuersionem, non dicimus Christũ absolutè esse terminum per se primo, sic enim existit ante omnem transubstantiationem, sed vt ipsum consequitur sacramentalis continentia: vt intelligamus, substantiam quidem corporis & sanguinis Christi per se primò transubstãtiationem terminare, sed ex posteriori continentia sacramentali colligitur terminasse transubstantiationem. Vt si quis quærat, cur Christus, vt existens in cælo, non terminet, trãsubstantiationem, respondendum sit, quia non habet adiunctam continentiam sacramentalem. Quod autem dicebant alij, terminare Christum, vt de illo verificatur, quod prius erat panis, ad sensum supra explicatum, vere dicitur, sed explicatur terminus ad quem ex termino à quo, qui est alienus, nos autem sic explicamus, ex adiuncta necessariò ipsi termino ad quem, continentia sacramentali. sic etiã Deus est verè creator & Dominus, cum nihil reale nouum acceperit. ita videtur Deus suo corpori propter vnionem hypostaticam concessisse, vt esset realis terminus transubstantiationis, sine noua mutatione reali in seipso.

40 Fateor hunc modum trãsubstantionis & rationem termini, ecclesiasticæ definitioni congruentem, esse intellectu valde difficilem, quia nihil simile reperiri potest in natura, sed cum Ecclesia catholica, quã dirigit Spiritus sanctus, & omnes Patres, hanc conuersionẽ dicant transubstãtiationem, quòd tota substantia in totam conuertatur: & præterea definiant, nihil noui in seipso admittere Christum posse post resurrectionem, contineri tamen realiter, & substantialiter virtute consecrationis in hoc sacramento, non possumus, si hęc omnia consentienter retineamus, alium terminum per se primò assignare, quàm substantiam corporis & sanguinis Christi, vt eam consequitur necessariò secundum legem & potentiam ordinariam continentia sacramentalis certè. quia omnis conuersio naturalis, actio quædam est, quæ in natura semper solet terminari ad aliquid ipsamet productum, vt generatio ad substantiam, calefactio ad calorem, ideò videtur difficilè, terminum trãsubstantiationis esse substantiam præexistentem, quæ ipsa conuersione nihil in se nouum admittat. sed considerandum est, hac ipsa ratione effici hanc conuersionem esse admirabilem, & supra vires naturæ, cui proinde nõ repugnat terminari ad substantiam præexistentẽ: & omnes rationes naturales, quæ sumunt de ratione conuersionis esse terminari ad aliquid ipsa productum, de naturalibus concludunt: absolutè tamen non repugnat cõuersioni habere terminum præexistẽtem, vt transubstantiatio ostẽdit, quàm vera fides docet terminari ad substantiam præexistentem, & in seipsa immutabilem. Ratio conclusionis sic explicatæ theologicè sic deducitur: Christus in hoc sacramento per transubstantiationem panis & vini, datur nobis in cibum & potum sacramentaliter: ergo terminus per se primò transubstantiationis, est Christus sacramentaliter contentus: quia ipsammet substantiam sui corporis & sanguinis promisiit Christus in cibum & potum Ioan. 6. & in cœna vltima proponens verba, quorum virtute detur nobis substantialiter, seipsum exhibuit sub specie panis & vini, idest, sacramentaliter contentum: hic erit ergo terminus trãsubstantionis. Quare nihil nouum reale fieri in hoc sacramento, negãdum est: sed nihil nouum per se primò acquiri in termino ad quem transubstantiationis omninò concedendum est: ratio primi est, quia fit noua panis conuersio: ratio secundi, quia terminus per se primò est substantia Christi præexistens, sine mutatione, & sine noua alicuius rei acquisitione in seipso: quoniam continentia, & pręsentia, deniq; esse sacramentale, consequuntur terminũ per se primò, & cum sint accidentia, non possunt specificare transubstãtionem, quę primò est ad substantiam corporis & sanguinis Christi: licet possint specificare conuersionẽ, vt sacramentalem, sed non vt substãtialem. primò autem secundum fidem catholicam debet poni substantialis, deinde & consequenter sacramentalis: nec aliter propriè esset transubstantiatio, & idcircò nõ existeret per eã Christus verè & substãtialiter, sed mysticè tantũ & sacramentaliter, vt volunt Sacramentarij. Hactenus de verborũ huius sacramenti proprietate, & efficacia ad transubstantiationem.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de modo, quo Christus existit in hoc sacramento.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

Primò, vtrum totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundò, vtrum totus Christus sit sub vtraq; specie sacramenti.

Tertiò, vtrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quartò, vtrum dimẽsiones corporis Christi totæ sint in hoc sacramento.

Quintò, vtrum corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sextò, vtrum corpus Christi moueatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.

Septimò, vtrum corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Octauò, vtrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, quando miraculosè apparet sub specie pueri, vel carnis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm totus Christus contineatur sub hoc sacramento.

Inf. q. 97. ar. 1 ad 3. & 4 di. 10. artic. 2. & quo. 7. ar. 8. et Io. 6. lec. 6. fin.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd nõ totus Christus contineatur sub hoc sacramẽto Christus enim incipit esse in hoc sacramento per cõuersionem panis & vini, sicut dictum est.* Sed manifestum est, quòd panis & vinum non possunt conuerti, neq; in diuinitatem Christi, neque in eius animam. Cùm ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet diuinitate anima & corpore (vt suprà habitum est*) videtur, quod totus Christus nõ sit sub hoc sacramẽto.

*quæst. 75. ar. 4.

* quæst. 2.

¶ 2. Preterea, Christus est in hoc sacramento, secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo & potu consistit, sicut suprà dictum est.* Sed Dñs dicit Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ergo solùm caro & sanguis Christi continentur in hoc sacramẽto. Sunt autem multæ aliæ partes corporis Christi, puta nerui, ossa, & alia huiusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

*q. 74. ar. 1.

¶ 3. Præterea, Corpus maioris quantitatis, non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis & vini consecrati est multo minor, quàm propria mensura corporis Christi. Nõ potest ergo esse, quòd totus Christus sub hoc sacramẽto cõtineatur.

SED CONTRA est, quod Amb. *dicit in lib. de offic. in illo sacramento Christus est.

Refertur de cõsec. d. 2. c. Ante benedictionẽ: & c. in sacramento. Et habetur de his, qui mysteriis initiãtur, c. 9.

RESPONDEO dicendum, quod omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicã, quòd totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendũ tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter. Vno modo quasi ex vi sacramẽti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramẽti est sub speciebus huius sacramenti id, in quod directè conuertitur substãtia panis & vini præexistens, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiua in hoc sacramento: sicut & in cæteris mutationibus, puta, cũ dicitur, hoc est corpus meũ, vel, hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitãtia est in hoc sacramẽto illud, quod realiter est coniun-

coniunctũ ei, in quod prædicta cõuersio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicũque est vnum realiter, oportet & aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt coniuncta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quia conuersio panis & vini non terminatur ad diuinitatem, vel animam Christi, consequens est, quod diuinitas, vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim diuinitas corpus assumptum nunquã deposuit, vbicũque est corpus Christi, necesse est & ei⁹ diuinitatẽ esse: & ideo in hoc sacramento necesse est esse diuinitatem Christi, concomitantẽ eius corpus. Vnde in Symbolo Ephesino * legitur: Participes efficimur corporis & sanguinis Christi, non vt communem carnem percipientes, nec viri sanctificati & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, sed verè viuificatricẽ, & ipsius Verbi propriã factam. Anima verò realiter separata fuit à corpore, vt suprà dictum est.* Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramẽtũ celebratũ, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi sacri, nec ex reali cõcomitãtia. Sed q̃a Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur (vt dicitur Rom.6.) anima eius semper est realiter corpori eius vnita. Et ideo in hoc sacramẽto corpus quidẽ Christi est ex vi sacramẽti, anima autem Christi ex reali concomitantia.

Habetur in cõcil. Ephesino 1. in epist. ad Nestorium à medio illius. Et refertur de consec. d.2. c. Necessaria.

Quæst. 50. art. 13. 3. & 4.

AD SECVNDVM dicendũ, quod ex vi sacramẽti sub hoc sacramento continetur quantum ad species panis, non solũ caro, sed totum corpus Christi, scilicet, ossa, nerui, & alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramẽti in qua non dicitur, hæc est caro mea, sed hoc est corpus meũ. Et ideo cùm Dñs dixit Ioã.6. Caro mea verè est cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundũ consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accõmodata, prout, scilicet, homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel aliis huiusmodi.

AD TERTIVM dicendũ, quòd (sicut suprà dictũ est*) facta cõuersione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinẽ, accidentia vtriusq; manent. Ex quo patet, quòd dimẽsiones panis vel vini non conuertũtur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substãtiam. Et sic substantia corporis Christi vel sanguinis, est sub hoc sacramento ex vi sacramẽti, non autẽ dimẽsiones corporis, vel sanguinis Christi. Vnde patet, quòd corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantię, & nõ per modũ quantitatis. Propria autẽ totalitas substãtię cõtinetur indifferẽter in parua, vel magna quantitate, sicut tota natura aëris in magno, vel paruo aere, & tota natura hominis in magno vel paruo homine. Vnde & tota substantia corporis & sanguinis Christi continetur in hoc sacramẽto post consecrationẽm, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis & vini.

Q.75. ar.5.

ARTICVLVS II.

Vtrũ totus Christus cõtineatur sub vtraq; specie huius sacramenti.

Inf. q.78. art. 6. ad 2. & q. 79. ar.1. ad 3. & q.80. ar.12. ad 3. & 4. d. 11. q.2. arti.1. q.1. ad 2. Et Io.6. lect.7. c.2. & 1. Cor.11. lec.6. cor.2.

AD secundũ sic procedit. Videtur, q̃ nõ sub vtraq; specie huius sacramẽti totus Christus cõ-

 tineatur

tineatur. Hoc enim sacrm ad salutē fideliū ordinatur nō virtute specierū, sed virtute eius, quod sub speciebus cōtinetur, quia species erāt etiā ante consecrationē, ex qua est virtus huius sacramēti. Si ergo nihil cōtinetur sub vna specie, quod non contineatur sub alia, sed totus Christus continetur sub vtraq;, videtur, quòd altera illarum superfluat in hoc sacramento.

Artic. praeced. ¶ 2. Præterea, dictum est* quod sub nomine carnis omnes alię partes corporis cōtinentur: sicut ossa, nerui, & alia huiusmodi. Sed sanguis est vna partiū humani corporis: sicut patet per * Arist. in lib. de anim. Si ergo sanguis Christi cōtinetur sub specie panis, sicut continentur ibi aliæ partes corporis, nō deberet seorsum sanguis consecrari, sicut neq; seorsum consecratur aliqua alia pars corporis. Lib. 3. de generat. annimaliū ca. 2. to. 4.

¶ 3. Pręterea, Quod iā factū est, iterum fieri nō potest. Sed corpus Christi iā incepit esse in hoc sacramēto per consecrationē panis. Ergo nō potest esse, quòd de nouo incipiat esse per consecrationē vini. Et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, & per consequens nec totus Christus. Non ergo sub vtraque specie totus Christus continetur.

Sed contra est, quod 1. Cor. 11. Super illud. Et calicē, dicit *gl. quòd sub vtraq; specie. s. panis & vini, idem sumitur. Et ita videtur sub vtraq; specie totus Christus esse. *Gl. ordin. super illud Accipite & manducate.*

Respondeo dicendū, certissimè tenendū esse, ꝙ sub vtraq; specie sacramenti totus est Christus, aliter tamē & aliter. Nam sub speciebus panis, est quidē corp⁹ Christi ex vi sacramenti, sanguis autē ex reali concomitantia, sicut suprà dictū est de anima & diuinitate Christi.* Sub specieb⁹ vero vini, est quidē sanguis Christi ex vi sacramēti, corpus autē Christi ex reali concomitātia, sicut anima & diuinitas, eo ꝙ nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tēpore passionis & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc sacramētum celebratum sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate. *Ar. praec. ad 1.*

Ad primum ergo dicendum, ꝙ quāuis totus Christus sit sub vtraque specie, nō tamē frustrà. Nā primò quidē hoc valet ad repręsentādam passionē Christi, in qua seorsum fuit sanguis à corpore separatus. vnde & in forma cōsecrationis sanguinis, fit mētio de eius effusione. Secūdò, hoc est, cōueniens vsui huius sacramenti, vt seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potū. Tertiò, quantū ad effectū, secundum, quod suprà dictum est,* quod corpus exhibetur pro salute corporis & sanguis pro salute animæ. Q. 74 ar. 1.

Ad secundum dicendū, ꝙ in passione Christi (cuius hoc sacramentū est memoriale) non fuerunt alię partes corporis ab inuicē separatę, sicut sanguis, sed corpus indissolutū permansit, secundum quod legitur Exod. 12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis à corpore, nō autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendū, quod sicut dictū est, * corpus Christi nō est sub specie vini ex vi sacri, sed ex reali concomitātia. Et ideo per cō- *In cor. artic.*

secratio-

ſecrationem, vini nõ fit ibi corpus Chriſti per ſe, ſed concomitanter.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſit totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum panis vel vini.

4.d.10.art.3. q.3.& d.12. q.1.ar.3.q.2 ad 3.& 4.text. ca.67.Et quo. 4.art.8. corp. fin.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur, ꝙ nõ ſit totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierũ panis vel vini. Species enim illæ diuidi poſſunt in infinitum. Si ergo Chriſtus totus eſt ſub qualibet parte ſpecierũ prędictarũ, ſequeretur quòd infinities eſſet in hoc ſacramento, quod eſt inconueniens, nam infinitum repugnat non ſolũ naturæ ſed etiam gratiæ.

¶ 2. Prętereà, Corpus Chriſti cũ ſit organicũ, habet partes determinatè diſtãtes eſt enim de ratione organici corporis determinata diſtãtia ſingularũ partiũ ab inuicem, ſicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc nõ poſſet eſſe ſi ſub qualibet parte ſpecierũ eſſet tot9 Chriſtus, oporteret enim quod ſub qualibet parte eſſet quælibet pars, & ita vbi eſſet vna pars, eſſet & alia. Non ergo poteſt eſſe, quòd totus Chriſtus ſit ſub qualibet partæ hoſtiæ, vel vini contenti in calice.

¶ 3. Præterea, Corpus Chriſti ſemper verã retinet corporis naturã, nec vnquã mutatur in ſpiritum. Sed de ratione corporis eſt, vt ſit quãtitas poſitionẽ habens, vt patet in* Prędicamẽtis. Sed ad rationem huius quãtitatis pertinet, quòd diuerſę partes in diuerſis partibus loci exiſtant. Nõ ergo poteſt eſſe (vt videtur) quòd totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum.

In c.de quantitate, to.1.

SED CONTRA eſt, quod * Aug. dicit in quodam ſermone, Singuli accipiũt Chriſtum Dñm, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

Refertur de cõſec.d.2.c.Singuli.

RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut ex ſuprà dictis patet,* quia in hoc ſacramẽto ſubſtantia corporis Chriſti eſt ex vi ſacramẽti, quantitas autẽ dimenſiua ex vi realis concomitãtiæ, ideo corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modũ ſubſtantię, ideſt, per modũ quo ſubſtãtia eſt ſub dimẽſionibus, nõ autem per modũ dimenſionum, ideſt, non per modũ illum, quo quantitas dimenſiua alicuius corporis, eſt ſub quantitate dimenſiua loci. Manifeſtũ eſt autẽ, ꝙ natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionũ, ſub quibus continetur ſicut ſub qualibet parte aeris eſt tota natura aeris, & ſub qualibet parte panis eſt tota natura panis. Et hoc indifferẽter, ſiue ſint dimẽſiones actu diuiſę (ſicut cùm aer diuiditur, vel panis ſecatur) vel etiã ſint actu indiuiſę, diuiſibiles verò potentia. Et ideo manifeſtum eſt, ꝙ totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierũ panis, etiã hoſtia integra manente, & non ſolũ cũ frangitur, ſicut quidã dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in ſpeculo, quę apparet vna in ſpeculo integro, in ſpeculo autẽ fracto, apparent ſingulę in ſingulis partibus. Quod quidẽ non eſt omnino ſimile, quia multiplicatio huiuſmodi imaginũ accidit in ſpeculo facto propter diuerſas reflexiones ad diuerſas partes ſpeculi, hic autem non eſt niſi vna conſecratio propter, quam corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento.

Ar.1.huius q. & art.praced.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ numerus ſequitur diuiſionem. Et ideo quandiu quantitas manet indiuiſa actu, neque ſubſtantia alicuius rei

rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens, neque infinities, sed toties, in quot partes diuiditur.

Ad secundum dicendum, quod illa determinata distãtia partiũ in corpore organico, fundatur super quãtitate dimẽsiua ipsius: ipsa autẽ natura substãtię, pręcedit etiã quãtitatẽ dimensiuã. Et ideo, quia conuersio substãtiæ panis, directè terminatur ad substantiam corporis Christi, secundũ cuius modũ propriè & directè est in hoc sacramento corpus Christi, talis distãtia partiũ est quidẽ in ipso corpore Christi vero, sed nõ secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secũdum modum suę substantiæ, sicut dictum est.*

In corp. art.

Ad tertium dicendũ, quod ratio illa procedit de natura corporis, quã habet secundum quantitatẽ dimensiuam. Dictũ est autẽ,* quod corpus Christi comparatur ad hoc sacramentum non ratione quantitatis dimẽsiuæ, sed ratione suæ substantiæ, sicut dictũ est.*

In cor. & art. huius quæst.

In corp. art.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod nõ tota quãtitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictũ est enim* quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ cõsecratæ. Sed nulla quantitas dimensiua tota cõtinetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius. Ergo est impossibile quod tota quantitatas dimẽsiua corpòris Christi contineatur in hoc sacramento.

4. d. 10. ar. 2. q. 3. & 4. & d. 12. q. 1. ar. 2 q. 1. corp. 4. & con. c. 63. 64. & 67. Et quo. 7. ar. 3. cor. Art. præce.

¶ 2. Præterea, Impossibile est, duas quátitates dimensiuas esse simul, etiamsi vna sit separata, & alia in corpore naturali, vt patet per † Philos. in 3. Metap. Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensiua panis, vt sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensiua corporis Christi.

Lib. 3. text. 9.

¶ 3. Præterea, Si duæ quantitates dimésiuæ inæquales iuxta se ponantur, maior extenditur vltra minorem. Sed quantitas dimensiua corporis Christi, est multo maior, quam quantitas dimensiua hostiæ consecratæ, secundum omnem dimésionem. Si ergo in hoc sacramento sit quantitas dimensiua corporis Christi cum quantitate dimensiua hostię, quantitas dimensiua corporis Christi extendetur vltra quantitaté hostiæ, quæ tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substantia corporis Christi erit in hoc sacramento etiam præter species panis. Quod est inconueniens, cùm substantia corporis Christi non sit in hoc sacramento, nisi per consecrationem panis, vt dictum est †Impossibile ergo videtur, quod tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.

Ar. 1. huius q.

Sed contra est, quòd quantitas dimensiua corporis alicuius, non separatur secundum esse à substantia eius. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, vt suprà habitum est.† Ergo tota quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento.

Ar. præced.

Respondeo dicédum, quod (sicut suprà dictum est†) dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento. Vno modo ex vi sacramenti, alio modo ex reali concomitãtia. Ex vi quidem sacramenti, quantitas dimensiua corporis Christi non est in hoc sacramento. Ex vi enim sacraméti est in hoc sacramento illud, in quod directè conuersio terminatur. Conuersio autem, quæ fit in hoc sacramento directè terminatur ad substantiam corporis Christi, non autẽ ad dimésiones eius. Quod patet ex hoc, quòd quantitas dimensiua panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substãtia corporis Christi realiter non diuiditur à sua quantitate dimensiua, & ab aliis accidétibus, inde est, quòd ex vi realis concomitãtiæ, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiua corporis Christi & omnia accidentia eius.

Ar. 1. huius q. ad 1.

Ad primum ergo dicédum, quod modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundum id, quod est ei per se, non autẽ secundum id, quod est ei per accidés, sicut corpus est in visu, secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce, licet

ce, licet idem corpus sit album & dulce: vnde & dulcedo est in visu secundũ modũ albedinis, nõ secũdũ modũ dulcedinis. Quia igitur ex vi huius sacramẽti est in altari substantia corporis Christi, quãtitas autẽ dimensiua eius est ibi cõcomitanter, & quasi per accidens, ideo quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento, nõ secundum propriũ modum (vt scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus) sed per modũ substantię, cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte.

Ad secundum dicendũ, quod duæ quãtitates dimensiuę non possunt naturaliter simul esse in eodem: ita quod vtraq; sit ibi secundũ proprium modum quantitatis dimensiuæ. In hoc autẽ sacramento quantitas dimẽsiua panis est secundum propriũ modum, scilicet, secundũ commensurationẽ quandam, non autẽ quantitas dimensiua corporis Christi, sed est ibi per modum substantiæ, vt dictum est.*

In corp. art. & ar. 1.

Ad tertium dicendum, quod quãtitas dimensiua corporis Christi non est in hoc sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati, ad quem pertinet, quod maior quantitas extendatur vltra minorem, sed est ibi per modum iam dictum.†

In corp. ar.

COMMENTARIVS.

3. p. q. 76. Totus Christus est in toto sacramento & quauis parte illius.

1 Ex hac benè fundata transubstantiatione sequuntur multa consectaria, quę recta fides confitetur. Primùm sit, totum & integrum Christum, facta cõsecratione, sub alterutra panis, aut vini specie, & quacunq; particula contineri: sed ex vi cõsecrationis corpus sub specie panis, sanguinem sub specie vini, animam propter naturalem cum corpore connexionẽ, diuinitatem propter vnionem verbi hypostaticã: vt corpus & sanguis sint in hoc sacramento ex vi verborum, cætera ex naturali concomitãtia, vel animæ cum corpore, vel diuinitatis cũ humanitate assumpta. Prima p. de continentia ex vi verborũ corporis & sanguinis, sic apertè deducitur: verba vtriusq; formæ panem & vinum cõuertunt in corpus & sanguinem Christi, quia efficiunt, quod significant: ergo ex vi verborum cõtinetur in hoc sacramẽto corpus & sanguis Christi, & ideò appellata est, vt latissimè probauimus, hæc conuersio, transubstãtiatio, quia cõmutat substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi. Altera p. de existenti anima & diuinitate ratione concomitantiæ sic concluditur: Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur, Rom. 6. hoc est nihil extrinsecus pati potest, neq; anima amplius à corpore separabitur, cum corpus per resurrectionem sit impassibile: ergo vbicunq; fuerit corpus necesse est animam esse, & contrà, quia ex coniunctis reipsa, qui vnũ ponit, & alterũ, ratione connexionis realis ponat necesse est: cùm autẽ verbum diuinum semel assumptam humanitatẽ ad vnionem hypostaticam, amplius non dimiserit, sed in triduo etiã mortis, licet diuisis animæ & corpori, vnitum permanserit secundum rectã fidem, vbicunq; fuerit corpus, aut sanguis Christi, necesse est verbi diuinam hypostasim existere: quare si ex vi verborũ in hoc sacramento sunt corpus & sanguis Christi, necesse est esse etiam diuinitatem ratione vnionis hypostaticæ, & animã ratione coniunctionis cum corpore, atq; ita animã, & diuinitatem ratione cõcomitantiæ. Quare certissima fides incarnationis efficit, vt nõ sit caro sine diuinitate: fides autem resurrectionis, ne sit corpus sine anima, aut sine sanguine, & ideò existentiam corporis sequitur semper, quod ad personam Christi pertinet. De accidentium verò coexistentia, licet quidam dubitauerint, certissima tamen sententia est, & contraria hæretica habetur: quia non existeret idem corpus Christi: quoniã ablata quãtitate ac dimẽsione, aufertur naturalis effigies, ordo, situs & distinctio partium, potentiæ organicæ, vitæ omnes operationes, & inducitur monstrosi corporis, constitutio, & perturbatissima existentia contra diuinam sapientiam & corporis Christi excellentiam.

Art. 1. & 2.

2 Itaq; cum sit Christus in hoc sacramẽto, qui est in se & secundùm propriam speciem, si in se nullam habet suarum partiũ diuisionẽ, neq; habebit in hoc sacramẽto: post resurrectionẽ autem nullam potest habere in se: ergo neq; in hoc sacramẽto. in triduo autẽ mortis, quia facta est diuisio animæ & corporis, quia alioquin nõ esset vera mors, neq; per mortẽ effecta nostra redemptio, si tunc esset hoc sacramentum consecratum, esset corpus sine anima, &

ſanguis effuſus ſine corpore & anima, omnia tamen hypoſtaticè verbo Dei vnita: quia ſimiliter fuerunt in Chriſto, quandiu mortuus permanſit.

Art. 3. 3 Tertia p. eiuſdē cōſectarij, quod in quauis parte alterutrius ſpeciei totus Chriſtus exiſtat, non ſolū eſt intelligenda, diuiſa ſacramēti ſpecie, ſed etiam ante diuiſionem: vt ſit verū dicere de quauis parte deſignata, in ea totum Chriſtum contineri, ſicut in quauis parte corporis tota animæ ſubſtantia. ratio ex præcedentibus ſic deducitur: Chriſtus exiſtit in hoc ſacramento ad modum ſubſtantię: quia per tranſubſtantiationem, qua ſubſtantia in ſubſtantiam cōuertitur, & accidentia omnia cōſequuntur ſuā ſubſtantiā cum qua reipſa ſunt coniuncta, nec ab ea poſt reſurrectionem diuelli poſſunt per aliquem motum, vt oſtēſum eſt, quia corpus reſurgit impaſſibile: ſed ſubſtātia exiſtit tota in quauis parte dimenſionū, vt tota ſubſtantia aeris in toto & parte: ergo ſubſtātia corporis Chriſti exiſtit in hoc ſacramēto toto, & in quauis eius parte, ante & poſt diuiſionem. Quamuis autē quantitas panis & vini, & cętera accidentia, quę remanent in hoc ſacramento, facta conſecratione, non inhæreant corpori & ſanguini Chriſti, vt paulò poſt conſtabit: quia tamen verè & realiter continent corpus & ſanguinem Chriſti ad modum ſubſtantię, efficitur neceſſariò, vt ſimiliter contineāt, atq; idem, in toto, quod in partibus, ratione tranſubſtantiationis: cuius terminū oſtēdimus eſſe Chriſtum eiſdem accidentibus ſacramentaliter contentum. Vnde ex præcedentibus fidei dogmatis ſic conclude: Chriſtus, qui eſt in ſe, eſt in hoc ſacramento, in ſe quantus: ergo in hoc ſacramento. præterea eſt in tota hoſtia conſecrata, & ſingulis partibus: ergo non eſt coextenſus dimenſionibus ſacramentalibus, ſed ad modum ſubſtantię indiuiſibiliter. Quod ſi Chriſtus totus & integer hoc ſacramento, ſub parua panis & vini quantitate continetur: neceſſe eſt aſſerere, quantitatem & dimenſionem Chriſti corpori inhærentem, non exiſtere in hoc ſacramento ad modum quantitatis, ſed ad modum ſubſtantiæ, hoc eſt, vt non ſit tota quantitas corporis Chriſti propria, coextenſa quantitati panis, aut vini, tota, ſcilicet, in tota, & partes in ſingulis partibus, cùm ſit altera maior, altera minor, & ideò repugnet huiuſmodi coextenſio: ſed vt potius ſit ad modum ſubſtantię, tota quantitas Chriſti propria, ſicuti tota ſubſtantia in quauis parte dimenſionis panis, aut vini. Cuius cauſa eſt, quia modus eſſendi cuiuſcunq; rei, ſequitur quod eſt perſe, & non quod ex accidenti: cùm illud ſit prius, quod ad eſſe primum pertinet, hoc autem poſterius: vt corpus eſt in viſu, nō quà dulce, ſed quà albū: ſed in hoc ſacramēto, corporis Chriſti ſubſtātia & ſanguinis perſe exiſtit: quia virtute cōſecrationis, per quam conficitur hoc ſacramentū, cùm nō ſit in vſu, vt cętera ſacramēta, ſed in cōſecratione materię: quantitas verò corporis Chriſti, vt cætera accidētia, eſt ratione concomitātię, & quaſi ex accidenti, & per aliud: ergo ſequūtur modū eſſendi ſubſtātię. Ex hac diſtinctione reſpondetur Scoto Duran. & aliis: & cęteris Theologis errat, qui aſſerit non exiſtere in ſacramento quantitatē Chriſti ad modum ſubſtantiæ. Alber. d. 13. art. 10. Ricar. d. 10. ar. 1. q. 2. Gab. in can. lect. 43. & cæteris d. 10.

Art. 4. Chriſti corporis quantitas eſt in hoc ſacramēto ad modum ſubſtantiæ, ratione concomitantiæ, & non ex vi verborū, quia bis directe & per ſe non ſignificatur quantitas, ſed ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti.

4 Neq; verò hęc ratio exiſtendi quantitatis naturæ, quæ requirit diuiſionem & diſtinctionem partium, aliquo modo repugnat, & ideò impoſſibilis cenſenda eſt. Quoniam duplex eſt poſitio & diſtinctio partium, vna in toto, alia in loco, per quā locus & locatum ęqualiter coaptantur: prima poſitio eſt de ratione quantitatis, & ideò non poteſt à quantitate auferri ſicuti neque ab homine rationale: altera vero extrinſecus accidit quantitati, nempè quatenus loco circunſcribitur. ſed corpus Chriſti, vel eius quantitas & accidentia, non cōtinentur ſub figura panis & vini, tanquam à loco, vt conſtat, cùm hæc continentia ſupernaturalis ſit, & ideò dicta eſt à theologis ſacramentalis, quia eſt accidentium, quæ ſunt ſigna ſacramentalia: non repugnat igitur naturę quātitatis corporis Chriſti, eam exiſtere in Chriſto ad modum ſubſtantiæ. Quod ſi Chriſtus ſecundum rectam fidem totus & integer exiſtit in toto ſacramento, & quauis illius parte: qui voluerit ſibi conſtare in eadem, aſſerat neceſſe eſt, non contineri, aut exiſtere ad modum quantitatis, cùm non poſſit minori quantitati coextendi: erit igitur ad modum ſubſtantiæ. itaque, vt generationis naturalis terminus eſt, ſubſtantia naturalis, quàm conſequuntur accidentia ſecundum

Quantitati nō repugnat contineri indiuiſibiliter.

dum

dum naturalem existentiam: ita transubstantionis terminus est substantia Christi existens sacramentaliter, sub quantacunque figura panis & vini, & ideò omnia Christi accidentia sequuntur necessariò eundem modum existendi sacramentaliter: cùm is per se conueniat substantiæ, vt est transubstantiationis terminus.

5 Idem consectarium, cuius partes singilatim confirmauimus, definitum est in Concil.Florent.sess.vltima.in doctrina de sacramentis, cùm ait, totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini,&c.in Constantieñ.sess.13. his verbis,à laicis tantummodo nunc sub specie panis percipitur, cùm firmissimè credendum sit,& nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis,quam sub specie vini veraciter contineri. similiter omnino Basilien.sess.30.& Trident.sess.13.c.2.qua propter,inquit, verissimum est,tantundē sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri. totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte,totus item sub vini specie,&sub eius partibus existit.idem repetit sess.21.cap.& can. 3. quibus omninò consentit D. Paulus 1.Corinth.11.cùm ait,qui manducat & bibit indignè,iudicium sibi manducat & bibit,non diiudicans corpus Domini. significat ergo in bibendo diiudicari debere corpus Domini, quòd in calice reuera existat. Prætereà Christus de seipso existente in hoc sacramento, inquit Ioan. 6. Ego sum panis viuus,& iterum, qui manducat me: quibus verbis planè significat, ipsum in hoc sacramento hypostaticè existentem, hoc est, omnibus suis partibus perfectum māducari, & non alteram eius partem. Similiter dicunt veteres omnes Patres Deum & Dominum,Christum natum,crucifixum,&c. quæ ad perfectā eius hypostasim pertinent, in hoc sacramento sumi,siue de altera,siue de vtraque specie loquantur.eorum testimonia sunt eadem, quæ inferius proponentur,ad probandam realem Christi præsentiam in hoc sacramento.Hanc regulam concomitantię quidam Theologi ab ipso verbo consecrationis deduxerunt,quatenus exprimitur corpus directè,cætera verò omnia indirectè in verbo,meum,& meus,hoc enim est corpus Christi, quod diuinitati vnitum, est impassibile post resurrectionem. sed colligitur etiam ex hoc notissimo principio: si duo aliqua semper sint coniuncta, vbicunque vnum est, necesse est reliquum esse,quod principium intelligitur hoc modo, vt vbi minus existit, necesse sit maius existerere, non contrà: vt vbi corpus,ibi est anima,& diuinitas: non tamen vbi est diuinitas, cætera esse oportet, vt inferius constabit contra Vbiquistas.

Ratio concomitantiæ in hoc sacramento.

6 Plurima denique ex contraria sententia absurda sequuntur.Primum,si non existeret ratione concomitantiæ Christus integer in quauis specie separatim, Christus contra scripturas adhuc mortalis esset, & non tantum,vt in mysterio,sed re vera per separationē animæ, sanguinis & corporis, passim mactaretur in sacramento, cū esset corpus planè mortuū sine anima & spiritu. nec esset idē corpus in Eucharistia, atq; in cęlo.Pretereà si tantùm esset corpus & sanguis ex vi verborum,& nihil amplius esset ex vi concomitantię, non esset ibi spiritus Christi,sine quo tamē,vt inquit Dn̄s,Io.6. Caro & sanguis nō prodest quicquā.Quare hęreticū est asserere, Christū in hoc sacramēto dissectū esse in duas partes,vt Capharnaitę intellexerūt,Christi carnē māducandā esse Ioā.6. vt in altera specie contineatur tantū corpus,in altera sanguis.Tribuitur autē hęc hęresis à recentioribus Nestorio,& certè cum illius opinione consentit,quatenus asseruit corpus Eucharistia cōtentum,esse meri hominis cōmunem carnem,vt testatur epistola concilij Ephisini ad eundē Nestorium:nō est autem necessaria cōcomitantia,animæ,sanguinis & diuinitatis cum meri hominis carne,sed cū carne & corpore Christi veri Dei &hominis. vnde videtur Ecclesia ob hāc etiā causam populū vnica tantū specie cōmunicasse,vt ipsofacto, de integritate Christi sub alterutra specie, institueretur. Hac etiā ratione vulgus Boëmorū tā impotenter calicē petiuit,cū in cæteris catholicè sentirēt,etiam de reali Christi præsentia in sacramento, quòd existimarēt se priuari sanguine Christi,quasi sub specie panis non existeret.

7 Eundē errorē(si Petro Comestori, & Thomę Vvaldensi credimus) secuti sunt, quidā à Iulio Papa in ep.ad Epos Ægypti, dānati,quòd nō communicarent nisi pane vino intincto,appellantes hoc communionis complementū, quasi nō esset absoluta

 communio,

cõmunio, quę sola panis specie constaret. dicta est olim hęc cõmunio Iudæ, propter buccellã intinctam, quàm in cœna à Dño accepit. ecclesia verò in ipso sacrificio permiscet species paulò ante cõmunionem, sed non ad cõmunionem complendam, vt hæretici existimauerunt, sed planè ad refutandũ hunc errorem, diuidentiũ corpus à sanguine in hoc sacramento, quatenus illa permistione significat, pręter alia, per resurrectionẽ Christi, sanguinis ad corpus reuersionẽ, & vtriusq; deinceps in perpetuũ veram & realẽ coniunctionem. In eodem errore fuisse Lutherum affirmat eKius hom. 32. de sacramẽtis, constituentem alterã tantum partẽ Christi, sub alterutra specie: sed eum errorem Lutherani non sequuntur. refert etiam Alex. Aleñ. quosdam monachos, existimantes cum corpore in specie panis non esse sanguinem, miraculo sanguinis abundè ex specie panis profluentis, fuisse diuinitus admonitos. Sed omnes hæretici negantes realẽ Christi præsentiã in hoc sacramento, si sibi consentiant, non possunt in vlla parte sacramenti ponere, nisi quod eadem tantum significatur, cùm asserant Christũ esse in hoc sacramento, vt in signo tantũ. contra hunc errorẽ satis dictũ est, & abundè confirmatũ, Christũ totũ sub alterutra specie cõtineri, & sub quauis parte, vt praxis & vsus Ecclesiæ catholicę ostẽdit, cum ex diuisa panis specie, plures cõmunicent, totũ Christũ sumẽtes, quę omnia primò cõsectario cõprehendimus.

3. p. q. 75. art. 4. Transubstantiationem sola virtus diuina potest per se efficere, & instrumento verborum.

8 Alterum consectariũ sit, transubstãtiatio sola virtute diuina fieri potest, non autẽ alicuius agentis creati. omne enim agẽs naturale tantũ potest efficere conuersionẽ formalẽ, idest, vnius formę in alterã, manẽte eodẽ subiecto, mutationẽ: quia cũ sit finitę virtutis, & agat per actũ & formã, ad determinatã tantum formã eius actio definiri potest: Deus autẽ cum sit infinitæ virtutis, totum ens mutare & conuertere potest, in aliud ens: talis autẽ est transubstãtiatio, cui proinde nihil simile in natura reperiri potest: est igitur solius Dei operatio propria virtute: licet forma huius sacramenti sit instrumentũ, quod virtute participata attingens terminum à quo, conuertit in substantiam corporis & sanguinis Christi. Et licet cõuersio fiat in corpus Christi impassibile & immutabile post resurrectionẽ, & Deus possit omne ens in quoduis aliud conuertere, etiam corpus in angelum, vel contrà, vt potest ex nihilo producere secundum potentiam ordinariam angelum, cùm non sit ex aliqua materia, secundum tamen absolutã possit ex quouis ente per conuersionẽ efficere: quàuis inquam hæc vera sint, non tamẽ fieri potest, vt in Deum aliquid cõuertatur, quia est purus actus, cui repugnat omnis potẽtia, vt fiat ex alio, vel aliud ex ipso. Est autẽ vtriusq; cõuersionis, formalis, scilicet, & totius entis, quædam similitudo, quatenus, vt in illa manet aliquid reale cõmune vtriq; termino, nẽpè materia prima: sic in hac, licet nihil maneat dẽ termino à quo vel materię, vel formæ, cũ tota substantia conuertatur, manet tamen cõmunis appellatio entis, sed nõ determinati & proprij, quia cũ totum ens sit mutatũ in alterum totũ, vt panis tota substantia, in corpus Christi, nihil materiæ, aut formæ panis manet in se, vel in simili & eiusdẽ speciei: sed cũ terminus cõuersionis sit ens & substãtia, verè dicitur manere eadẽ appellatio entis, quatenus manet aliud ens, in quod facta est cõuersio. hęc autẽ consideratio entitatis cõmunis vtriq; termino huius cõuersionis, vtilis est ad intelligendum cur Dei infinita vis totũ aliquod ens, in aliud totũ cõuertere possit: quia vt definita vis agẽtis naturalis secundũ formã & actũ, potest efficere formalẽ conuersionem: sic vis infinita respicit totum ens, & ideò potest ipsum totũ conuertere in aliud ens, ita vt nihil de prioris entis substãtia maneat, nisi appellatio entis ratione termini, in quẽ facta est cõuersio. vtriq; enim est cõmunis natura entis, & ideò autor, & causa toti⁹ entis, potest quod est entitatis in vno termino cõuertere in entitatem alterius, sublato eo, quo distinguebãtur, idest, de natura ꝓpria entis prioris nihil permanẽte in posteriori, licet vtrunq; sit ens, & ideò ab vno in alterũ virtute diuina secundũ totã substãtiam fiat cõuersio. Omnes etiã Patres, quorũ testimonia notabimus in cõfirmatione realis pręsentię Christi in hoc sacramento, in hac cõuersione diuinam potentiã admirãtur, cui admirabilis ista conuersio attribui potest, & non vlli virtuti creatæ.

Ad 3. eius. art.

Quatuor opera Dei maximè admirabilia.

9 Vnde ex diuinis operibus, quatuor excellũt, incarnatio, impij iustificatio, creatio, transubstãtiatio: simpliciter & absolutè omniũ maximum est incarnatio, quia per eã datur creaturę ipsummet esse diuinum increatum,

D.Tho.3.ſent. d.3.q.& art. 2.4.lib.contr: gẽt.c. 27.1.2. q.113.art.9.

creatũ,quod cõſequitur gratia capitis,quę omnium iuſtificationẽ meruit:ex cæteris, præſtat iuſtificatio impij, quia terminatur ad bonũ æternum diuinæ participationis: creatio verò ad bonũ naturę mutabilis: & licet gloria pręſtet gratię iuſtificãti magnitudine doni,proportione tamẽ pręſtat gloriæ gratia iuſtificãs, quatenus donũ gratiæ amplius excedit dignitatem impij,qui erat pœna dignus,quã donũ glorię dignitatẽ iuſti,qui ratione gratię iuſtificantis, gloria dignus eſt.Creatio verò, ipſo modo efficiendi eſt maximũ opus, quia per eã ex nihilo fit aliquid.deniq; inter omnes cõuerſiones vnius rei in alterã,omniũ maxima eſt tranſubſtãtiatio,quatenus totũ ens in aliud cõmutat,reliquæ partẽ tantum entis, nempè formã,& quatenus in ſubſtantiã præexiſtẽtem,quæ ex ipſa cõuerſione nihil nouũ in ſe acquirit,vt ſuprà explicatum eſt.

3.p.q.75.ar.3 Panis & vinũ conſecratione non abeunt in nihil.

10 Tertiũ conſectariũ ſit, ſubſtãtia panis & vini poſt conſecrationẽ, neq; reſoluitur in præiacentẽ materiã,neq; annihilatur.ratio cõmunis ad vtranq; partẽ ſic ex præcedentibus concludi poteſt.virtute verborũ cõſecrationis nõ poteſt effici illa reſolutio aut annihilatio,ſed tantũ conuerſio in corpus & ſanguinẽ Chriſti,vt oſtẽſum eſt:nullo igitur modo fit reſolutio, aut annihilatio,nihil enim fit per conſecrationẽ,niſi virtute verborũ,& hęc efficiunt,quod ſignificãt,& oſtenſum eſt propriè ſignificare corpus & ſanguinem Chriſti:nihil igitur aliud fit.ſed cõtra reſolutionẽ illam ſunt hęc ſpecialia ex Theologia,adiũcta ratione naturali,repetita.Primũ,ſi ſubſtãtia panis & vini reſolueretur in pręiacẽtem materiã, vel primã,vel proximam,vt elementa:nõ primũ, quia nullo modo ſine forma eſſe poteſt:non elementa: aut enim manentia cũ corpore Chriſti,aut egrediẽtia de ſubſtantia panis aduenięte corpore Chriſti:ſed primum repugnat rationi huius ſacramẽti, in quo nihil de priori ſubſtantia panis & vini omninò manet: ſecundũ autem repugnat ſenſui:quia non ſentitur ille elementorum egreſſus,cũ tamen elemẽta ſenſibilia ſint: nõ fit igitur reſolutio in pręiacẽtẽ materiã. Secũdò,quia materia pręiacẽs nullo momẽto cũ corpore Chriſti permanere poteſt: cũ toto tẽpore,vſq; ad inſtans vltimũ conſecrationis maneat ſubſtãtia panis,& in ipſo inſtãti eſt corpus Chriſti ſine aliqua parte ſubſtantię panis:quare nunquã facta eſt illa reſolutio. Tertiò,ſi hęc reſolutio fieret, vel materia pręiacẽs ſucceſſiuè & paulatim egrederetur de cõtinentia ſpecierũ, vel in vltimo inſtãti cõſecrationis,vel ante illud: ſed nullo modo fieri poteſt.non quidẽ primo,quia eſſet ſimul in aliquo inſtanti ſubſtãtia panis cũ corpore Chriſti:neq; etiã ſecũdo modo,quia cũ dicatur fieri ante vltimũ inſtans cõſecrationis,& inter quęlibet duo inſtãtia ſit tẽpus,in eo certè ſub aliqua parte ſpecierũ, nec eſſet panis, nec corpus Chriſti:quoniã ipſum mobile,ideſt,pręiacẽs materia,ſucceſſiuè egrediẽs de ſpeciebus,prius eſſet in vna parte, quã in alia, & ex cõſequenti fieret,vt ſimul in aliqua parte,neq; eſſet ſubſtãtia panis, cũ ex ea parte iam eſſet egreſſa pręiacẽs materia, neq; corpus Chriſti,quia non poteſt ſimul eſſe cũ panis ſubſtãtia, quæ adhuc in alia parte permaneret,à qua nondũ eſſet egreſſa præiacẽs materia.Itaq; ſecundũ argumentum valet cõtra reſolutionẽ in materiam remanentem cum corpore Chriſti. tertium autem contra materiam ſucceſſiuè egredientem de continentia ſpecierum.

11 Contra annihilationẽ panis, aut vini à quibuſdã aſſertam,eſt ipſa cõuerſio in corpus & ſanguinẽ Chriſti:repugnat enim annihilatio cõuerſioni, cũ illius terminus per ſe primo,ſit purũ nihil,huius autẽ,ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti.itaq; licet per conſecrationẽ de panis ſubſtãtia nõ remaneat aliquid,neq; ratione formæ, neq; ratione materiæ,abſolutè tamẽ panẽ annihilari falſum eſt,quia annihilatio eſt deſitio in purũ nihil:panis autẽ deſitio terminatur ad corpus Chriſti:quare nõ congruẽter rectæ fidei dici poteſt annihilatio.

Deſitio panis, nõ eſt terminatiuè annihilatio, licet ſpecificè nihil de eo remaneat, neque determinatè. itaque licet facta conſecratione non ſit aliquid panis, nõ tamen redactũ eſt in nihilum, ſed totum eſt conuerſum, & ideo nõn eſt aliquid eius.

12 Quartum Conſectarium eſt,hæreticum eſt aſſerere facta conſecratione remanere in hoc ſacramẽto ſubſtantiam panis aut vini,vel ratione materiæ,vel ratione formæ. Hoc primò probãt omnia,quæ ad probandam tranſubſtantiationem concluſimus,cum de ratione illius ſit,totã ſubſtantiã ex materia & forma conſtantẽ,cõuerti in corpus & ſanguinẽ Chriſti,vt tantũ exiſtat Chriſtus in ſacramẽto, vt primò conſectario oſtenſum eſt, ſine vlla parte ſubſtantiæ panis & vini,ſed ſub accidentibus vtriuſq;. vi autem verborum fit conuerſio materiæ panis in materiam corporis Chriſti,& formæ panis in animã Chriſti,quatenus dat eſſe corporeũ,& nõ quatenus

Nulla pars ſubſtantiæ panis et vini in hoc ſacramẽto remanet.

tenus

tenus dat esse animatũ, hoc est, in corpus animæ rationalis propriũ susceptiuum, & suis organis distinctũ, quod esse corporeũ, habere cõstat ab eadẽ anima informante, licet in genere causæ materialis prius sic dispositũ intelligatur, quã informetur. Vnde si in triduo mortis Christi panis consecraretur, fieret sanè conuersio in corpus Christi, anima carens, cùm esset verè mortuũ, & ideò forma cadaueris informatum: quia fit conuersio vi verborum in corpus Christi, vt verè existit in seipso, quare si esset mortuũ, in idẽ cõuersio fieret: sed quia in mortuo permansit eadẽ hypostasis, eadẽ materia, idẽ esse actualis existẽtiæ, ideò concedendũ est esse idẽ numero corpus, atq; viuũ. Hęc autẽ sententia, quãuis nõ sit fidei dogma, verę tamẽ Philosophię cõsentit, quę vnicã animam singulis viuẽtibus tribuit, etiã hominibus, quæ sit principiũ totius esse animati, corporei, scilicet viuẽtis, sensitiui & rationalis. Secundò cõfirmatur cõsectariũ, quia remanere panis substantiã repugnat formæ huius sacramẽti, quã propriè significare diximus corpus Christi & sanguinẽ, non autẽ verè dicitur, panẽ esse corpus Christi, aut vinũ esse sanguinem. Tertiò, quia ex pręcepto Ecclesię catholicę hoc sacramentũ ieiuni sumere tenemur: & tamẽ si cũ corpore Christi esset sustãtia panis, sanguis à ieiuno sacerdote sumi nõ posset, neq; idẽ sacramentũ sępius eodem die. sentit igitur Ecclesia catholica, cui⁹ est illud pręceptũ, nihil substantię panis, aut vini perfecta cõsecratione, in hoc sacramento remanere. Quartò, sic theologi concludũt, corpus Christi in hoc sacramento existit, & nõ per lationẽ: ergo per conuersionẽ panis & vini: quod autẽ conuertitur in aliud, nõ manet: quare nõ manet in hoc sacramento panis, aut vini substantia.

3. p. q. 75. ar. 6 ad 2.

Ead. p. q. 75. art. 2.

13 Per lationem autem nõ peruenire corpus Christi in hoc sacramentũ hæc ostendũt. Primò quidẽ, quia delineret esse in cælo, cõtra articulum fidei de sessione Christi ad dexterã Patris: cùm id, quod latione mouetur, nõ possit ad locũ peruenire, nisi priorẽ deserat, quia est ab vno in alterũ locum cõmigratio. Secũdò, quia latione motũ, omnia media pertransit, cũ est corpus, quod de corpore Christi, vt in hoc sacramẽto existat, verè dici non potest. Tertiò, quia fieri nõ potest, vt id, quod latione mouetur, simul ad plura loca perueniat: quod tamẽ de corpore Christi necessariò asserẽdum est, cũ simul incipit esse in pluribus sacramentis. quare si corpus Christi nõ incipit esse in hoc sacramẽto per lationem, necesse est incipiat esse per cõuersionem panis in ipsum: cũ secundum potentiam ordinariã nihil incipiat esse alicubi, nisi vel latione, vel cõuersione alterius in ipsum, vt cũ in domo aliqua ignis incipit esse. Posset quidẽ corpus Christi secundũ potentiam Dei absolutã, nõ incipere esse per conuersionẽ, sed posita lege & institutione huius sacramenti, necessariò dicendũ est corpus Christi nõ esse alicubi, vbi prius nõ erat, nisi per lationẽ, aut cõuersionem alterius in ipsum. Christũ autem post ascensionẽ aliquando visum in propria specie Patres asserũt, Origenes à Paulo vt refertur 1. Cor. Ambros. 1. Cor. 9. hom. 38. Chrys. in eandẽ ep. Aug. in tractatu super illud, modicum videbitis me. celebris est etiã historia de Christo viso à Petro Roma discedẽti via Appia, vbi constructũ est oratoriũ cũ hac inscriptione, Dñe, quo vadis? vt refert Hegesip. de Excid. Hieros. & Orig. to. 21. in Ioã. Athan. in Apolog. de fuga: Ambros. contrà Auxẽtiũ de Basilicis tradẽdis, pximè post ep. 32.

Quod incipit esse vbi non erat, vel latione defertur, vel conuersione fit.

An Christus post ascensionẽ visus sit in propria specie.

14 Quintũ cõsectariũ est, hęc transubstãtiatio cõsentit aliquo modo cum naturali mutatione & creatione, atq; ab omnibus dissentit. est enim horũ triũ cõmune, ordo terminorũ à quo & ad quem: & distinctio, ex qua simul esse nõ possunt, cũ in omnibus post terminum à quo, cõsequatur terminus ad quẽ, & ideò simul in eodẽ nõ sunt: quia inductio vnius, est alterius expulsio, quãuis eodem momento, vt in subitis mutationibus constat. Cõmune autẽ creationis & trãsubstantiationis, est nõ habere cõmune subiectũ vtriusq; termini, vt habet omnis naturalis mutatio: quoniã creatio caret omni subiecto ex quo, & tota substãtia, in transubstãtiatione, etiã secundum materiã cõuertitur in aliã. Cõmune verò transubstãtiationis & mutationis naturalis est, tum cõuersio vnius in alterũ, tum etiã cõseruatio & permanẽtia vnius rei in vtroque, sed diuersa ratione. in transubstãtiatione enim tota substãtia prior in posteriorẽ cõuertitur, in naturali tamẽ mutatione manẽte eodẽ subiecto, fit conuersio secũdum formã, & ideò formalis cõuersio appellari solet: qualis est vnius elemẽti in alterum. in transubstãtiatione præterea manẽt eadem accidentia,

3. p. q. 75. art. 8.

Cõsensio & dissensio transubstãtiationis ab aliis mutationibus.

accidẽtia,in mutatione naturali,eadẽ materia prima,& ideò accidentia in hoc sacramento, materię,proportione respondent.

15 Ex his ratio propriè & catholicę fidei cõgruenter loquendi,informari potest his regulis.Prima sit,in nulla prędictarũ trium mutationũ,vnum extremum de alio verè affirmari potest,quia simul esse dicerẽtur, quę simul esse nõ possunt: vt aer est ignis, non ens simpliciter est ens, panis est corpus Christi.Secũda est,in eisdẽ cõuersionibus ordo & successio extremorũ verè significatur hac præpositione, ex, vt si dicas ex non ente fit ens, ex aere ignis, ex pane corpus Christi:vt significemus posteriores terminos prioribus succedere, vt dicimus ex nocte fieri diem.quod si prępositio,ex, subiectũ exprimat,in creatione & transubstãtiatione verè nõ dicitur,in mutatione naturali verè dicitur:quia in illis nõ est subiectũ,vel materia ex qua,vt est in omni naturali mutatione.Tertia regula,in creatione,verbo cõuersionis vti nõ possumus,sed in mutatione naturali,vel transubstãtiatione possumus:quia in creatione vnũ extremũ non cõuertitur in alterũ, in aliis cõuertitur,vt aer in ignẽ, panis in corpus Christi:licet illa sit formalis conuersio, hæc totius substãtię,& ideò vocata est trãsubstantiatio.Quarta regula,quod verè dicitur de conuersione naturali ratione subiecti, de creatione, aut trãsubstantiatione dici non potest,quia vtraq; caret subiecto. ratione v.g.subiecti est potẽtia ad oppositũ, vt albũ potest esse nigrũ,quatenus tota substãtia subiecta accidentibus,ab vno in alterũ cõmutatur,& aer potest esse ignis ratione partis substantię,nẽpè materię primę,quæ formæ substantiali immediatè subiicitur: sed deficiente subiecto,nõ dicitur in creatione,nõ ens potest esse ens,neq; in trãsubstantione panis potest esse corpus Christi ratione subiecti permanẽtis in vtroq;,cùm nulla pars substãtię panis in hac cõuersione permaneat.eadem ratione in creatione dici verè non potest,nõ ens fit ens,neq; in transubstãtiatione panis erit corpꝰ Christi, vt verè dicimus albũ erit,aut fit nigrũ:quia hęc vera sunt ratione subiecti,quod nõ est in creatione,vel transubstantiatione.eadẽ etiã ratione in creatione &transubstantiatione vti nõ possumus prępositione,de,vt in naturali mutatione,quia hæc prępositio denotat cõsubstantialitatẽ, saltem ratione materię:sic dicitur de aere fit ignis, de albo nigrum,sed nõ verè dicitur,de nõ ente fit ens,de pane fit corpus Christi.Sed quia accidẽtia panis & vini, quatenus manẽt eadem cũ vtroq; termino cõuersionis,habẽt quandã rationem materię,secundũ quandã similitudinẽ concedi hęc possunt,panis fit corpus Christi,vel erit:de pane fit corpus Christi: vt nomine panis nõ intelligatur substãtia panis,sed indefinitè & vniuersaliter, hoc quod speciebus & accidẽtibus panis cõtinetur,nẽpè primò substantia panis,deinde corpus Christi.

De exacta ratione loquendi de hoc mysterio

16 Hęc de exacta ratione loquẽdi theologi adnotauerũt,quę tamẽ plerunq; à Patribus aliter vsurpantur, sed ea ad sensum his regulis cõprehensum, examinãda sunt & expendenda.Semper autẽ cauendi sunt duo errores.vnus est, ne propter magnã à ceteris dissimilitudinẽ,conuersionem propriè ab hoc sacramẽto tollas,vt faciunt hi, qui panẽ annihilant:quòd genus defectionis nec natura nouit,nec Deus vnquã exercuit. Alter error est eorũ,qui propter huius cõuersionis cũ ceteris mutationibus similitudinẽ,& ad lucułẽtius vitandam annihilationẽ,asserunt in trãsubstantione eandẽ materiam permanere, & subire formã substantialẽ corporis Christi,hoc est, illius anima informari.quę sentẽtia explosa est à cõc.Trid.definiẽte, vt suprà obseruauimus,totã substantiã panis in corpus Christi conuerti.sequeretur præterea ex ea sentẽtia,alicuius rei externę cũ Christo,vt Algeri verbo vtar,impersonatio,eadẽ absurditate,qua impanatio, de qua suprà disseruimus. Deinde haberẽt accidentia panis pro subiecto eandẽ materiã panis informatam anima Christi,cũ tamẽ recta fides doceat,manere illa accidentia sine subiecto, vt definitũ est in conc.Cõstant.cont. Vvicleffũ sess.8.vt latius posteà explicabitur.

¶ *Sacramentariorum historia.*

1 Hæc omnia, quæ de transubstantiatione disseruimus,plurimum valent ad cõfirmandam realem & substantialem Christi præsentiam in hoc sacramento,cum ostẽsum sit,ex vi verborum esse corpus & sanguinem Christi,& animam atq; diuinitatem ratione concomitantiæ,vt verè totus Christus sub quauis specie, & parte illius existat:sed quia à veteribus & recentioribus hæreticis hęc realis Christi præsentia acerrimè

acerrimè impugnatur, & ex ea factum est quoddam dissidium Sacramentariorum à Lutheranis: de eadem, propositis primum erroribus aduersariorum, exactius hoc loco disserendum nobis est. Vt igitur à principio aduersariorum historiam plenè repetamus, & appareat non solũ summam fuisse consensionem in Ecclesia catholica de reali Christi præsentia in sacramento, sed etiam contrariam sentẽtiam, vt verbis Domini repugnantem, ab omnibus refutatam fuisse, à prima Christi promissione, de exhibẽdo seipsum in cibum & potum, exordiamur. Capernaitę Christo promittenti suum corpus & sanguinem in cibum & potum, vt in vltima cœna reipsa præstitit, quasi id fieri non posset Ioan. 6. c. restiterunt dicentes, quomodo potest hic carnẽ suam dare nobis ad manducandũ. nec ob id tamen quicquã Christus de suo verbo & promissione remisit, sed potius illos increpauit: inter eos Iudas censetur, vt ipsum videtur Dñs perstringere, cũ ait, verba, quę ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidã ex vobis, qui non credunt, addit Euangelista, sciebat enim, qui essent non credẽtes, & quis traditurus esset eum. numeratur igitur Iudas inter huiusmodi non credentes. vnde Theoph. ad c. 26. Matthæi antecessorum suorum sententiam amplectitur, quod Iudas sacramẽtum acceptum de manu Christi in vltima cœna occultauerit & nõ comederit: poculũ autem inuitus biberit, quod occultare nõ posset. Deinde Corinthij, hoc sacramẽtum non aliud esse opinabantur, quã panẽ quendã sacrum: & ideò redarguuntur ab Apost. 1. Cor. 10. & 11. & instituũtur de veritate Christi in hoc sacramento existentis, vt inquit D. Cyril. li. 4. Pentabibli referẽte Turriano li. 1. pro canonibus Apost. c. 24. Iudei & Gentiles initio nascentis Ecclesiæ Christianę, nõ intelligentes aliud de hoc mysterio, quã quod extrinsecus figura panis & vini repręsentabat, finxerũt quendã infantẽ farre vestiri, & Christianos hoc modo humana carne vesci, quidã autẽ ab illis coli Bacchũ & Cererẽ, vt refert D. Aug. lib. 20. cont. Faustum c. 13.

Capernaitæ & Iudas proditor.

Corinthij.

Iudei & gentes.

2 Gnostici à Valẽtino & Marcione exorti, nõ credentes veritatẽ naturę humanę in Christo, sed externã tantum eius figuram & similitudinẽ, vbicunq; legebant in sancta scriptura carnẽ, corpus & sanguinem Christi, figurã & inanem imaginem intelligebãt, & ex consequenti in hoc sacramento verũ corpus, carnẽ & sanguinem negabant, & figuram tantũ illorum inducebãt: & ideò asserebant datũ à Christo corpus suũ, non tamẽ carneũ, sed panaceũ. & alij nõ corp⁹, quod Christus gesisset, sed quod de carne, & pane finxisset, vel quod pani aliũde supposuisset. vnde quasi ad imitationẽ Christi, barbara, Cyclopica de infanticidio, & nefanda de multis etiã aliis abscœnitatib⁹ mysteria & sacra cõficiebãt, magia etiã vtẽtes, vt caro appareret, vt refert D. Epiphanius, & Ireneus de Marco heretico. Paulus Samosatenus quęstionẽ postea mouit de corruptione corporis Christi in ipsa Eucharistia. Ex Gnosticis exorti Manichæi, hæresim de incarnatione Christi & turpitudinẽ in mysteriis retinuerunt, nihil carnis & sanguinis Christi inesse huic sacramẽto affirmãtes, & ideò à catholicis puras creaturas adorari, vt colliges ex D. Aug. lib. 20. cõt. Faust. c. 13. 15. 16. & vt asserit, Leo Papa serm. 6. de Ieiunio septimi mẽsis proprietatem verborũ Christi de Eucharistia calumniabãtur. Origenistę à Manicheis existimãtur accepisse, indignũ esse res celestes in elementis terrenis haberi & percipi, vt colligitur ex Theophilo Alexãdrino, & primo cõcilio Niceno: sed in scriptis Origenis, huiusmodi errores non repe riuntur.

Gnostici.

Paulus Samosatenus.

Manichæi.

Origenistæ.

3 Arriani nõ tantum Christo diuinitatẽ detraxerunt, sed etiã presentiam humanitatis ab Eucharistia, in ea tantũ participari gratiã spiritualẽ defendẽtes, & ideò verba Christi de Eucharistia peruertebãt, vt autor est Greg. Naz. & Cyr. li. 10. in Ioã. c. 13. & notissimũ est Arrianos Christũ filiũ asse ruisse Patris secundum gratiã & affectum, non secundũ naturã: & eadem vnione affectus nos per sumptionẽ Eucharistię Christo coniungi non autẽ reipsa, vt cũ de hac cõiunctione disseruerimus apertius cõstabit. vnde Arriani nõ verebantur mysteria pedibus cõculcare, & indignis modis cõtaminare. Sub Aug. vt cõstat ex eius ep. 89. Vrbicius quidã asseruit sic vetera omnia trãsisse, vt in Christo ara cederet altari, pecus pani, sanguis poculo, adeo vt panem & vinum, vel figuram vtriusque in sacra Eucharistia carne & sanguine vacare affirmaret. respondet August. quanto melius & congruentius vetera transisse, & noua

Arriani.

Naz. serm. de Pasch.

Vrbicius.

& noua in Christo esse sic doceret, vt cederet altare altari, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini: videmus enim in his omnibus carnalem vetustatem, spiritali cedere nouitati. Messaliani, de Gnosticorum & Manichæorum hypocrisi plurima, de dogmatibus aliqua retinentes, vt refert Theodor. lib. 4. histor. cap. 10. asseruerunt, spiritualia dona nullis elementis alligari, Eucharistiam esse indifferentem, neque cuiquam prodesse, aut obesse, & eam, vt communem cibum de cuiusque manu sumebant. D. Anselmus non considerans, quæ hactenus de his erroribus commemorata sunt cap. 18. de sacramentis, asserit ante Nestorium nullam de Eucharistia quæstionem ortam fuisse, in qua catholicis obiiciebat anthropophagiam, cui respondens Cyrillus anathem. 2. num tu, inquit, hominis comestionem & anthropophagiã nostrum hoc sacramentum pronuncias, & religiose ad crassas cogitationes vrges eorum mentem, qui credide runt? & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inexquisita fide accipiuntur? In Nicæna Synodo 2. Act. 6. accusantur Iconomachi, quòd assererent Eucharistiam esse viuificæ carnis imaginem, non veritatem, tametsi gratiam afferret accessione Spiritus sancti. Simile est, quod inquit Damascen. quem vixisse referunt circa annũ septingentessimum, quosdam deprauasse verba illa Domini, hoc est corpus meum, in figuram corporis.

Messaliani. *Nestorius.* *Iconomachi.* *Lib. 4. c. 14.*

4 Pauliciani, ex Paulo & Ioanne suis ducibus conflati Imperat. Constante Heraclij Nepote, asserebant Dominum verba sua Apostolis dedisse, & iusisse accipere, edere, bibere: sed panem & vinum adhibenda negabant, quasi forma sine materia in sacramentis quicquam possit efficere. Armenij referente Euthymio Panop. titulo 21. arbitrantes carnem Christi in diuinitatem transisse, negabant in sacrificio esse corpus carnis Christi, sed potius corpus diuinitatis. in Paschatis etiam celebritate sacramentum non suscipiebant, sed agnum, quem immolabant more Iudaico assum igni comedentes, existimabant se sanctificari, & veniam peccatorum consequi. Bogomili Messalianorum quædam propago, hoc est, Bulgarorum lingua, misericordiæ imploratores, sacramenta corporis & sanguinis Domini com munionẽ dæmonum, quos in templis habitare mentiebantur, sacrificium appellabant. Imper. Alexio Comneno. commune est Sacramentariorum cum Sarracenis catholicis exprobare, quòd in altari Deum suum comedant.

Pauliciani. *Armenij.* *Cedren. anno 640.* *Bogomili. Euth. Panop. tit. 23.*

5 Sed adhuc hæresis Sacramentariorum nondum inualuerat, licet sæpè fuisset exorta, & semper à catholicis repressa: postquã autem contraria fides & religio vera stetisset 800. annis, & Ecclesia ab Arrianismo & aliis antiquis hæresibus pacem adepta esset: Ioannes quidam Scotus multo antiquior theologo subtili, Caroli Magni præceptor, Alcuini æqualis, male sentire de Eucharistia & scribere cœpit. eius librum de Eucharistia, Lanfrancus damnatum refert in concilio Vercellensi cum Berengario. ob eam impietatem Gaguini Annales Gallici referunt eum reuersum ex Gallia in Angliã, à discipulis graphiis confossum, & seuissimè interemptum. Paulò post Bertramus presbyter vir doctus & disertus scripsit opus offensionis & falsitatis plenũ ad Carolum Crassum de sacramento corporis Dominici, docẽs subobscure & callide ipsum corpus, quod de virgine natum est, non esse in Eucharistia, quamuis à quibusdam asseratur alienus fuisse ab hoc errore, & huic libro, quem index Tridentinus damnat, falsò nomen Bertrami impositum fuisse. sed eum librum catholici statim refutauerunt vt S. Paschasius, Rabanus, & alij: atque ab eo tempore scriptores Græci & Latini propter errorem tum nascentem cœperunt cautius & pressius loqui de hoc sacramento, quàm vnquam anteà, & omnem figuram remouere ab interpretatione verborum Sacramentaliũ, vt constat ex Theophilacto eius temporis scriptore Matth. 26. 1. Corinth. 11. & Damasceno lib. 4. de fide capit. 14. item ex Alcui. Haym. Amalario, & aliis, qui apertius locuti sunt de presentia corporis Christi in hoc sacramento.

Ioannes Scotus tempore Caroli Magni. *Gagu. lib. 5.* *Bertramus.* *Oecolãp. & Vadian. Bertramum sui erroris autorem faciunt, & ideo Oecolamp. librum edidit in lucẽ titulo Bertrami.*

6 Hæc catholicorum diligentia aliquãdiu hunc errorem repressit, præsertim cũ autores nominati non viderentur in ecclesiam cõtumeliosi, nec multũ contentiosi. multo post tẽpore Armenos hãc heresim suscepisse, autor est Guido hæresi 16. sed falsò, cùm in cæteris erroribus eorum, conciliorum decretis, damnatis, hic error non

non numeretur. Illud autem est omnium testimonio certum, post 200. annos maiore contentione, quàm vnquam anteà excitatum fuisse à Berengario præsbytero & Archidiacono Andegauensi, circa annum Domini 1060. hic ergo cum hæresim ex libro illo Ioannis Scoti, cuius summus fuit admirator, imbibisset, atq; animi pertinaciam adiunxisset, primum clãdestinis colloquiis imperitos plerosq; traxit in suam sententiam, tum egenos quosque scholasticos, præsertim Theologiæ studiosos, quotidiana stupe, cum opulentus esset ita solicitauit, vt eorũ opera omnis pene gallia ac vicinę gentes eo malo quancitissimè laborarẽt. eum adhuc iuuenem Fulbertus iam moriturus, spiritu diuino permotus, prædixit futurum veteris disciplinæ & religionis immanem perturbatorem, & ideò à suo conspectu, vt cacodæmonem arceri iubebat. eũdem primùm admonuit Adelmannus Episcopus Brixiensis doctissima epistola ad eum de Eucharistia scripta, rogans per Christum & veterem familiaritatem, communisq; præceptoris sanctissimam memoriam, ne rebus nouis tantopere studeret, & Ecclesiæ matri sanctissimæ perniciem pararet: obtestatur etiam, vt de Arrij, Manichæi, & similium pestium horribili exitu, & execrabili memoria pertimescat. At Berengarius his nihil permotus, sed scelere & superbia inflammatus, doctissimos quosq; Episcopos ad certamen prouocat, de affulgente sibi luce veritatis gloriatur, & sanctissimos viros, Humbertum, Paschasium, Lanfrancum, errore & stupiditate vulgi teneri clamat, cum ipse parum eruditus, vt Guitmundus eius æqualis testatur, dialecticis captiunculis deditus, artium optimarum & ignarus, & osor acerrimus esset. Admonitus deinde Hugonis Lingoniensis, cuius autoritas plurimum apud illum ponderis habitura putabatur, grauissimis, consilij ac doctrinæ plenis literis, quibus & eius opinionem potenter expugnat, & catholicam sententiã de præsentia corporis Christi in Eucharistia confirmat: priuatis etiam ac publicis congressibus sæpè superatus, cum adhuc non desisteret, sed ad schisma & seditionẽ accenderetur magis valdè eminenti in Ecclesia pulpito constructo, vnde noua illa oracula maiori cum plebis admiratione funderet.

De Berengario. — *Fulberi prædictio.* — *Adelmanni admonitio.* — *Hugonis.*

7 Lanfrancus & Guitmundus ille Cantuarieñ. in Anglia, hic Auersanus in Apulia Episcopus, & Paulo post Algerus, doctissima contra eum scripta ediderunt. his autem ita sententiam illius confutant, vt magister impietatis, omnibus præsidiis destitutus, etiam discipulis caruisset, nisi homines impij, qui peccatorum potius, quã rationũ pondere ruunt præcipites in hæresim, eum adhuc magisq; insanientem cõsectati essent, vt ita Berengarij sentẽtia, ad scelerum licentiam cõficta esse videatur. Cùm igitur res ad manifestum schisma iã spectaret, delata est ad sedem Apostolicã, vt summa autoritate, vel probaretur, vel damnaretur. sed tandem damnata est à septem ordine Pontificibus Leone, Victore, Stephano, Benedicto, Nicolao, Alexãdro, Gregorio, & ab hoc vltimo tempore etiã Leonis, disputatione publica Turone habita, conuictus fuerat: vocabatur autem hic Gregorius VII. prius cum illum conuicit, Hildebrandus. Sed quia nec summo iudicio adhuc cedebat, Leo IX. conciliũ Vercellis congregat, cui præsidens, Berengarium, cum sua sententia & sectatoribus anathemate damnat, quò vocatus venire contempserat. cum verò adhuc persisteret & in concilium & pontificem inueheretur: mortuo Leone aliud concilium Turone iussu Victoris Papæ coactum est, vbi præsens auditus, & conuictus, reiecta sua sententia catholicam complectitur, & cõcepto per sanctam & homousiam Trinitatem iuramento, se nunquam aliter docturum promittit. Sed vix à conspectu Concilij discesserat, nihil moratus religionem sacramenti relabitur, partim causatus coactionem, partim ambiguitatem verborũ, partim alium sensum, quem sua temeritate confinxerat.

Scripta contra Berengarium. — *Damnatur Berengarius à septem Pontif. et quatuor concilijs.* — *1 Vercellensi.* — *2 Turonensi.*

8 Quare à Nicolao II. Romam ad generale conciliũ 113. Episcoporũ vocatur. ibi cũ acriter vtrinq; disputatũ esset, aliquot etiã Episcopis totũ triduũ aduersariã sentẽtiã defendentibus, tandem Berengarius cum sua factione veritati cessit, & corã Synodo, præsente Nicolao, sua manu libros, quos de sua heresi scripserat, combussit, & prius illud iuramentum renouauit, verãq; fidem apertius professus est, vt refertur, de consecr. d. 2. c. ego Berẽgarius. Sed adhuc tertiò relapsus, & non tam, vt ita dicã abiurus, quàm periurus, quartò & vltimò

3 Romano sub Nicolao II.

Romam vocatus ad aliud Conciliũ à Gregorio VII. celebratum, scripturarum Cõciliorum, & ecclesiarum omnium authoritate, ratione, ipsoque pudore, & æterni supplicij metu, ingrauescente iam ætate superatus, dicitur verè & ex animo hæresim deposuisse, supplexque à Pontifice petiisse veniam & obtinuisse, sanctèque promisisse, se omnibus modis curaturum, vt à se decepti ad veram fidem reuocarentur.

4. Romano, sub Greg. VII.

9 Fidei autem formula, quam tunc confessus est, sic habet. Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinũ conuerti in veram ac propriam & viuificatricem carnem & sanguinem Domini nostri IESV Christi: & post consecrationem esse verum corpus, quod de virgine natũ est, & verum sanguinem Christi, qui de latere effluxit: non tantum per signum & virtutem sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ & veritate substantiæ: sicut in hoc Breui continetur, & sicut ego lego, & sicut vos intelligitis. Tãdẽ vnus Gaguinus refert in vita Henrici, & Gulielmus Bibliothecarius Malmes Buriensis lib. 3. de gestis Anglorum, pœnitens, quod nescio an alij vnquam hæresiarchæ contigerit, & bona sua in pauperes distribuens, ipso die Epiphaniæ agens animam, & ex recordatione grandis schismatis & deceptionis multorũ alta ducens suspiria, hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus IESVS Christus, propter pœnitentiam, vt spero ad gloriã: vel propter alios, vt timeo, ad pœnam ęternam. Nos iam sanè credimus, post benedictionem illa mysteria esse verum corpus & sanguinem Saluatoris, adducti & veteris Ecclesiæ autoritate, & multis nouiter ostensis miraculis. Hæc igitur hæresis contradictionem à tota Ecclesia passa est, à doctis viris refutata, à septem summis Põtif. anathemate notata, à quatuor Conciliis damnata: eius autor miraculo primum deprænsus est, & prædictione prophetica ad futuram Ecclesiæ calamitatem designatus, ter proprio iudicio & iuramento pro hæretico damnatus: qui iuuenis sic vixit, vt magistros suos & communem disciplinarum viam contẽneret, sectam pretio constitueret, sectatores sceleribus contaminatos solum haberet: contra baptismum & matrimonium noua alia dogmata adiungere studeret: irrisor denique & contemptor religionis & omnis potestatis à Deo, constitutæ.

Berengarij cõfessio.

Eiusdem moriẽtis extrema verba.

10 His modis cum esset à suo autore deserta hæresis, refrixit, sed planè sublata nõ est, nondum enim centum anni intercesserãt, cum iterum excitata est à Petro Bussianis & Henrricianis à nescio quo Petro de Bruis & Henrico cognominatis, atque etiam ab Albigensibus, Vvaldensibus, qui pauperes de Lugduno & Picardi vocati sunt. Hi ergo negauerunt veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia. quæ res effecit vt doctissimi viri in confirmationem catholicæ sententiæ vehementius incumberent, vt D. Bernardus, qui etiã de eadem hæresi suspectum reddit Petrũ Abelardum, sed catholicum decessisse Petrus venerabilis scribit, lib. 5. epist. 3. & 20. Hugo Victorinus, Anselmus Cantuariensis, Innocentius III. & alij complures. Begardi etiam cum Beguinis mulieribus in eodem errore fuisse dicuntur, addẽtes imperfectionis esse, & ab altitudine contemplationis tantum descendere, vt circa sacramentum Eucharistiæ, vel passionem humanitatis Christi, aliqua cogitarent.

Petro Bussiani, Henriciani, Albigenses & alii.

Epi. 187.

11 Ducentis plus minus post Berengarium annis Nicetas Choniates, lib. 3. annal. refert in Græcia, in dubium vocatum esse, vtrum corpus Christi, quod in Eucharistia à nobis sumitur, incorruptibile esset, quale est post resurrectionem: an corruptibile vt fuit ante passionem, ac diuisos Græcos in contrarias factiones. Eodem fere tẽpore D. Anselmi cœptum est etiã passim à magistratu ciuili in hoc genus hæreticorũ gladio & igni animaduerti. Ioannes rex Anglorum flammæ nonullos tradidit: & anno Domini 1155. aliquot Germani iussu Henrrici Londini combusti sunt, alij candenti ferro ad æternam infamiam in frontibus notati. Vnde hac omnium ordinum diligentia hæresis hæc vel extincta vel oppressa, ducentis penè consequentibus annis iacuit. quo tempore Theologia scholastica, quæ via & ratione de rebus diuinis differit, coli cœpta est, & maximè exculta & amplificata à viris doctissimis, Alberto Magno, Alexand. Alens. DD. Thoma & Bonauentura & aliis.

Animaduersio ciuilis magistratus in sacramẽtarios.

12 Ad annum verò Domini, 1380. Ioannis Vvicleffus Anglus, magno ingenio & scholastica facultate valdè superbus, tertiò iam infaustum de corporali Christi præsentia certamen renouat, aliquot alias impuden-

Ioannes Vvicleffus.

pudentissimas assertiones contra Ecclesiã adiungens, vt ludum dicas fuisse Berengarij conatum, prę vt huius rabies quæ dedit, opportunitas etiam sectæ amplificandæ non defuit: incidit enim in schisma illud immane, tempore Sigismundi Imper. tribus magnæ potentiæ & gratiæ viris se pro summis Pontificibus simul gerẽtibus. Disputauit acerrimè, scripsit expeditè ducenta volumina, vt refert Aeneas Siluius, de origine Bohemorum, cap. 35. prouocauit omnes Theologos eius ætatis ad singulare certamen propositis thesibus de Eucharistia, & Papæ antichristianismo, vt impius homo loquebatur. Habuit eandem sententiam de Eucharistia, quam Berengarius, sed verbis subdolis ita conceptam & variegatam, vt vix cognoscas eandem esse: eum verò vt parum doctum, & multiplici condemnatione infamem noluit magistrum agnoscere, se autem cum Patribus primi millenarij sentire: suamque sententiam magis mysticam & diuinam iactabat, quam vt à Prælatis Cæsareis intelligi posset, sic enim Episcopos catholicos appellabat. Vnde primum Christianismi millenarium Christi esse dicebat, proximum vsque ad finem sœculi diaboli.

Eius sententia de Eucharistia.

13 Huic malo nascenti restitit Academia Oxonien. & Theologorum iudicio pestilentem hominem vt hæreticum damnauit, & eius dogmata explosit, sed cum eò accenderetur magis, iussu Gregorij Pontificis, secundò cum suis sequacibus à Theologis damnatus est, iusiurat. dum ab illis exigentibus ne impias assertiones numero 160. tueantur. Idem fecerunt Parisiensis & Pragensis Academiæ. Tum verò ad synodum nationalem Londinum deductus, omnium iudicio damnatus, sed non emendatus, dimittitur. deinde in Cõcilio Romano similiter damnatur, & omnes eius libri de hac hæresi conscripti, cremari iubentur: in autorem autem viuum nihil grauius statuitur. Venerunt his temporibus studiorum causa Oxonium Hieronymus Pragensis, & alius ex familia Pisciputrianorum, nobilis Bohemus, teste Aenea Siluio, & haustum huius impuri fontis venenum, in patriam vnà cum libris istius hæresiarchæ, alacres detulerunt: & communicatis rebus nouis cum Ioanne Husso flagitioso sacerdote, totam gentem Bohemicam insanabili vulnere percusserunt. denique conculcata sacra Eucharistia, & mimicis actionibus irrisa, & ludibrio exposita, resistentes duodecim doctores doctrina & sanctitate celebres in fornace calcis ardentis suffocarunt, & in cæteros catholicos grauissimè sæuierunt. Tandem colligente se Ecclesia in Concilio Constantien. memoria Vvicleffi iam mortui damnatur, & explorata eius impœnitentia ossa illius exhumata cremantur, & art. eius 45. quorum tres primi sunt contra realem Christi præsentiam in Eucharistia, anathemate feriuntur, viui exuruntur Hussus, & Hieronymus. quo exẽplo catholici principes omnes, Sacramentariorum furorem sanctissimis legibus, & exquisitis suppliciis represserunt. Martinus vero totius Ecclesię consensu ad tollẽdum schisma electus, eorundem articulorum condemnationem ratam esse voluit. His hæreticis restiterunt plurimi viri doctrina præstantes, sed longè omnibus in hac palæstra excellens Thomas Vvalden. impugnato tribus voluminibus tam potenter Vvicleffo, vt nihil desiderari possit. Scripserunt etiam hac ætate ad defensionem communis fidei Græci, Nicolaus Methonen. Germanus Constantinopolit. Nicolaus Cabasilas: Marcus Ephesius, doctissimus Bessario, etiam tum cum Græci infelici schismate à nostris separati essent: sed tandem vnitis & consentientibus Græcis & Latinis in Concilio Florentino, fides catholica de præsentia Christi in Eucharistia, confirmata est. accesserũt sententię Academiarum, & Prouincialium Concilorum.

Damnatur ab Academiis & Concilio Anglicano, atque Romano, & Constantiensi.

Hier. Prag. Ioannes Hus.

14 Quare cum centum & amplius annis, hæresis aduersa inter Hussitas tantum delitesceret in Bohemia, tandem nostra ætate Andreas Carolstadius Germanus, impius & insanus homo, eandem excitauit anno Domini, 1522. eũ secuti sunt Ioan. Oecolãpadius Brigittanus apostata, Vdalricus, Zuinglius, Martinus Bucerus apostata Dominicanus, Petrus martyr, ex canonico regulari irregularis apostata Italus, Philippus Melancthon Germanus, Ioannes Caluinus Picardus, Theodorus Beza Burgundus: multos eiusdem erroris spiritui subiicientes, quibus se adiungerunt Anabaptistæ, Trinitarij, Athei, omnesque multarum gentium facinorosi homines,

Sacramentarii recentiores.

mines, præter adulescentulorum & grammaticulorum turbam ingentem. His verò se opposuerunt non tantùm Academicæ vniuersitates, Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Galliæ, sed etiam doctissimi homines Ekius, Cochleus, Pighius, Ruardus, & alij, atque his omnibus eruditione & sanctitate longè præstans Roffensis Martyr, cuius diuinum contra Oecolampadium, de corpore & sanguine Domini opus ipsi hæretici pertimescunt: sed etiam Concilia prouincialia, Senense, Coloniense, Treuirense, Moguntinum, Augustanum, & alia plurima, & tandem generale Concilium Tridentinum, quo nullum vmquam fuit sanctius, doctius & vberius, editis grauissimis decretis de sacra Eucharistia, session.13.& 22. præcesserant etiam alia similia, cap. firmiter de Summ. Trinit. cap. ad abolendam de hæret. & Clement. vnica de reliquiis & venerat. sanct. Patrum etiam testimonia plurima referuntur, de consecra. d.2. vt autem hæc omnia veram Christi in Eucharistia præsentiam confirmant, sic omnes Sacramentarij, quibuscunque verbis ludant, sentiunt corpus Christi & sanguinem non esse in hoc sacramento, adeò vt non puduerit Bezam in celebri colloquio Possiaco exclamare, Christum tam longè abesse ab Eucharistia, quam longè abest cœlum à terra.

Caluinus de existentia Christi in hoc sacramẽto.

15 Sed in hac impietate defendẽda, omnes suos facilè superat Caluinus: alij enim hoc sacramentum figuram, symbolum aut signum tantum Christi esse dicunt: Caluino hæc omnia putida videntur, & ab ipso noua finguntur. iam inquit Eucharistia est pignus, est instrumentum, energia, vis & substantia corporis: est confirmatio diuinarum promissionum in corpore, est veritas coniuncta signo per fidem, est signaculum eorum beneficiorum, quæ nobis ex Christi corpore proueniunt. Primus etiam hanc viam inuenit, vt substantia panis præsens, & corpus Christi absens, fiant vnum symbolum mirificè per fidem coniuncta. docet fidem posse rem quamlibet longissimè absentem, reipsa præsentem sistere, vt fide & in cælũ & in corpus Christi per hoc sacramentum te transferas. hinc fictitiæ existentiæ consentaneam manducationem exprimit: vt nihil aliud sit manducare, quàm pendere ex ore concionatoris explicantis cœnæ institutionem, pasci corpore Christi per fidem, fide, spiritu, mente haurire gratiam ex corpore Christi, corpus Christi esse alimentum animæ, non corporis, sacramentum spiritu, non corpore manducari: & huius generis infinitis verborum præstigiis suos mirificè ludificatur; catholicos vocans crassos comestores, anthropomorphitas, literales magistros: reliquos verò Sacramentarios, vt nimis humiliter de sacramento sentiẽtes præ se contemnit, adeò vt audeat iactare suam sententiam & explicationem verborum Domini, tam esse excelsam & miraculi plenam, vt sua difficultate omnem captum humanum excellat.

16 Lutherani in Sacramentariis non numerantur, quia concedũt realẽ Christi præsentiam saltem in sumptione Eucharistiæ, sed simul cum ipsa panis substantia, & hac ratione, in doctrina de transubstantiatione refutati sunt: quatenus verò negant Christum verè & realiter in Eucharistia existere post consecrationem, extra sumptionem, eisdem argumentis refutantur atque Sacramentarij, cum illa concludant, Christum semper in Eucharistia substantialiter existere, perfecta consecratione, quamdiu species panis & vini permanserint. Id autem Patres ex his quatuor argumentis efficiunt, ex sacrificio & immolatione ante vsum: ex asseruatione ad varias necessitates: ex delatione ad ægrotos, ad hospites pro tessera concordiæ & vnitatis, ad domum vt postea, sumeretur: ex adoratione, cum omnis semper adorauerint ante vsum. Sed potissimum argumentum est, efficacia formæ huius sacramenti ante vsum, & verba Domini asserentis ante sumptionem, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Nissen. in Catech. cap. 37. Trident. sess. 13. cap. 6. testimonia horum Patrum & Concilia de asseruanda Eucharistia congessit Claud. Sanct. repet. 4. de Euchar. cap. 12. ex quibus dissoluuntur aduersariorũ argumenta, ex actione & vsu in Eucharistiæ institutione, ex relatione ad vsum, ex cæteris sacramentis, quæ vsu tantum perficiũtur, de quibus idẽ Claud. repetit. 10. cap. 2.

Historia Ecclesiasticæ de hæresibus vtilitas.

17 Hæc est Sacramentariorum historia, à primis temporibus ad nostra, deducta: quę satis arguit & demonstrat impietatem huius erroris, cui nempè ab vniuersis catholicis tam accerrimè semper repugnatum

tum sit. Vnde ita concludet veritatis catholicæ studiosus: omnis in religione sententia, quæ cum primum nata & audita est, notatur & refutatur ab his, qui in pace Ecclesiæ eodem tempore viuunt: certissimè est erronea in fide: huiusmodi autem semper fuit sententia contra veram corporis Christi præsentiam in Eucharistia: est igitur erronea in fide. Ratio maioris propositionis est, quia si fuisset vera, non fuisset noua, si fuisset communis non excitasset admirationem, si autem vetus, nemo se illi opposuisset consentiente Ecclesia catholica. Huic rationi coniuncta debet esse obseruatio & nominatio personarum & temporum, in quibus communi sententiæ aduersa, exorta sunt. Ad hoc examen exigit Irenæus Valentinum & Cerdonē, lib.3.cap.4. Epiphanius Aerium in Anaceph. Tertulianus atque Vincentius Lyriren. omnes hæreticos in libris, quos aduersus eosdem ediderunt.

Quæstio de præsentia Christi in hoc sacramento: an existat in eo realiter & substantialiter?

Argumenta pro reali Christi præsentia in Eucharistia.

1 SEd tempus est, vt propius accedamus ad confirmandam realem & substantialem Christi pręsentiam in Eucharistia: primum autem & firmissimum argumentum, ex præcedenti doctrina de proprietate verborum Domini & transubstantiatione concludamus. Christus in vltima cœna asseruit esse corpus & sanguinem suum in hoc sacramento propriè, & ea verba, vt ex scriptura & Patribus colligimus, habent vim transubstantiandi panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem ex vi verborum, & ratione concomitantiæ, à corpore & sanguine post resurrectionem anima nullo modo separari potest, neque ab his omnibus diuinitas ab incarnatione vmquam separata est: existit igitur sub alterutra specie post consecrationem totus Christus verè & substātialiter. Hoc autem argumentum, quia ex verbo Dei expresso deducitur, maximum pondus apud catholicos habere debet. testimonia verò Patrum simplicis asseuerationis, etiamsi perse obuia sint, quoniam tamen eadem facilitate, qua scripturæ, & maiori audacia, figurarum causatione

Primū ex verbis Domini.

peruertuntur ab aduersariis, hyperbolem etiam verbis apertissimè asserentibus realem Christi præsentiam affigentibus, rationes ex eisdē Patribus, & ex antiqua Ecclesiæ praxi, accuratè concludam.

2 Sit ergo secundum argumentum pro eadem reali existentia, contra figuratiuam præsentiam aut in signo, vt aduersarij affirmant. Præsentia figuratiua aut in signo nullum prorsus requirit miraculum, nec talis est, vt propter eam res vna cum stupore & admiratione dicatur esse in diuersis locis, non est tanta, vt cum admiratione asseratur idem se portare, comedere, offerre, aut quicquam simile: sed hæc omnia dicuntur de Christi præsentia in hoc sacramento: non est ergo figuratiua aut in signo, sed realis & substantialis. Idem efficitur, si comparemus præsentiam Christi in hoc sacramento, ad pręsentiam naturalem in cælo vel in terra: vnde concludatur simul in pluribus locis esse, & idem corpus integrū in variis altaribus, siue eodem, siue diuersis temporibus: de his omnibus sunt plura sanctorum testimonia. Chrysosto. lib. 3. de sacerdotio, o miraculum, inquit, qui cum Christo sursum sedet, eodem temporis articulo omnium manibus pertractatur. idem hom. 2. ad pop. Antioch. & homil. de diuitiis & paupertate. Bernar. serm. de cœna Domini, de existentia in pluribus altaribus, Chrysosto. 1. Cor. homil. 24. in episto. ad Hebr. homil. 17. his verbis, in multis locis offertur, non plures Christi, sed vnus vbique Christus, hîc & illic plenus existens, vnum corpus, & non multa corpora. Eadem omnino Ambros. ad cap. 10. Hebr. & Primasius horum penè æqualis. Ex hac reali existentia Christi in hoc sacramento concludit D. Augu. Cōc. 1. ad titulum Psalm. 33. verum esse, quod legebat iuxta septuaginta, ferebatur in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, hoc est corpus meum, quod solum fideles nosse ait, Cōc. 2. quod si hęc existentia esset in signo tantum, inanis esset & superuacanea hæc Augustini inquisitio, cum nemo sit omnium, qui non possit sui corporis memoriale signum portare. eadem ratione verè dicitur Christus sanguinem suum bibisse, Chrysost. hom. 83. in Matth. & D. Hieron. ad q. 2. Hedibiç, Dominus, inquit, IESVS ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur,

Secundum ex miraculis, quæ ad existentiam Christi realem in Eucharistia necessario adiūcta sunt.

ditur, & Nyssenus oratione.1. in diem 3. Paschæ.

3 Idem etiam confirmat summum miraculum, quod in manducatione sacramẽti contingit. Christus enim in hoc sacramento sumptus non consumitur, non digeritur, non egeritur, non imminuitur, diuiditur aut corrumpitur. Sic D. Andreas ad crucem ductus dixisse fertur, immaculatum agnum in altari offero, cuius carnem postquam omnis populus credentium manducauerit, agnus integer perseuerat & viuus. Vnde D. Cyprian. de cœna Domini appellat cibum inconsumptibilem, quo vtique consumpto, inquit, interiret omnis religio. & infra, nulla panem hunc multitudo consummit, nulla antiquitate veterascit. Idem ex Augustino refert Beda, 1. Corinth. 10. siue sumatur Christus in toto sacramento, siue in quauis particula, & Emissen. homil. 5. de Pascha. Cyril. Hierosoly. mystag. 5. panis, inquit, hic non in ventrem descendit, aut in secessum mittitur, sed per te totum ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur. Ad idem pertinent omnia loca, in quibus comparatur Christus existens in sacramento, ad species panis & vini, aut ad sensum nostrum, aut ad existẽtiam, quam habet in cælo, de quo refert Beda plurima ex Augustino cap. citato, qui de eodẽ disserit. lib. 3. de Trinitat. cap. 10. D. Epiphan. in anchorato, Chrysosto. homil. 83. in Matth. Ambros. lib. 4. de sacramentis, cap. 4. de consecrat. distin. 2. cap. omnia, Cyrillus referente D. Thoma in Catena, Lucæ, 22. Theophil. Marc. 14. Omnis igitur hæc veterum disputatio de propria Christi & aliena specie, de causis cur se in sacramento occultauerit, deque dubitatione aut desiderio plebis eum visibiliter conspiciendi, vanissima esset, si non aliam quàm figuratiuam pręsentiam aut in signo intelligerent: quare certum est realem & substantialem intellexisse.

Tertium, ex hypostatica naturarũ Christi in hoc sacramento existentia.

4 Tertium argumentum sit, ex hypostatica naturarum Christi subsistentia in Eucharistia, hoc modo conclusum. existit in hoc sacramẽto caro & corpus Christi viuificum, ex coniuncta sibi hypostaticè diuinitate: existit igitur Christus realiter & substantialiter, & non figuratè & in signo tantum. antecedens deduci potest ex variis Patrum testimoniis, Concilium Ephesinum in Episto. synodica ad Nestorium, damnat eum, quod diceret, sanctificatam tantum puri hominis communem carnem esse in Eucharistia, & non carnem ipsius Dei, quia aliter non esset viuifica, nec sanguis eius esset Christi Redemptoris. Theodoretus dialogo, 2. docet, in Eucharistia ipsam personã Christi duplici natura constantem existere. Idem confirmat ex D. Ignatio, dialogo 3. Theophil. ad cap. 6. Ioannis, Cyrillus lib. de fide ad Theodosium, lib. de recta fide ad reginas, lib. 4. in Ioann. cap. 15. Hilar. lib. 8. de Trinitat. verè inquit, verbum caro factum est, & nos verè carnem verbum cibo Dominico sumimus. idem confirmant nomina verè hypostatica, quibus Christus præsens in hoc sacramento exprimitur, cum non possint ad figuralem existentiam, & in signo tantum accõmodari. Bernardo dicitur pręsens sponsus Ecclesiæ: Chrysostomo, Christus crucifixus, sursum sedẽs, quod summum est, Dominus, redẽptor, sanctus sanctorum: Augustino ipse IESVS, pretium nostrum, is qui deleuit chirographum decreti, pecus, ouis noui testamenti: Cyrillo Emmanuel, verbum caro factum: Cypriano sanctum Domini, sanctum Dei nostri: Basilio agnus Dei: toti denique Ecclesiæ Deus & homo est in hoc sacramẽtõ. Quædam etiam corpori & sanguini Domini ab antiquitate in hoc sacramento attribuũtur, quæ nullo modo conuenire possunt nisi existentiæ Christi reali & substantiali, Optatus lib. 6. inquit, altare est sedes corporis Domini, calices portatores sanguinis. Ambrosio in oratione de sat. corpus Christi inuoluitur in orario, id est, stola: Hieronymo ad Rusticum, corpus est in vimineo canistro, sanguis portatur in vitro: Cypriano de lap. iacet in arca, contrectatur manibus, concluditur puellæ visceribus: toti denique Ecclesiæ seruatur in pixide. ex quibus planè intelligitur, Patres non aliam Christi pręsentiam in Eucharistia agnouisse, quàm verã realem & substantialem.

Quartum, ex omnipotentia Dei, quæ in hoc sacramento deprahenditur.

5 Quartum argumentum sit, ex omnipotentia Dei, quæ in existentia Christi in hoc sacramento à Patribus obseruatur. Si enim ad existentiam Christi in hoc sa-

cramento, necessaria est Dei omnipotentia, certè non est in signo tantum, ad quã non indigemus Dei omnipotentia. Sic D. Ambros. cap. 9. de his qui myst. init. adducit maxima quæque miracula veteris & noui testamenti, vt conuincat, Christum omnipotentia sua potuisse verè secundum rem se nobis præsentem sistere. D. Iustin. in 2. Apolog. comparat hoc miraculum incarnationi, quod vtrumque fit ab eodem verbo Dei effectum. Cyrillus Hierosolym. mystag. 5. aquam, inquit, aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, & non erit dignum, cui credamus, quòd vinum in sanguinem mutauerit? Cyprianus de cœna ait, ineffabiliter infundi diuinam essentiam, & omnipotentia verbi factam carnem profitetur. Vnde Chrysosto. homil. 83. in Matth. inquit, non esse virtutis humanæ hæc opera, quæ Christus in cœna fecit. Sed optimè diuus Irenæus, lib. 4. cap. 34. probat contra Valentinum, quòd Deus creator mundi, sit Pater Christi, hoc ipso fundamento, quod Christus fecerit carnem suam ex pane, quomodo, inquit, constabit eis Valentini sectatoribus, illum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse carnem Domini sui, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, idest, verbum eius per quod lignũ fructificat, & defluũt fontes. Multa de hac re Emissenus, hom. 5. de Pascha, & Damascenus, lib. 4. de fide, cap. 14. Ad idem argumentum plurimum valet, quod Patres admonent, tantum miraculum sola fide percipi posse, non sensus aut intelligentiæ nostræ facultate. Itaque maximè laborant, vt omnes hic suis sensibus diffidant, soli Christo affirmanti fidant, omnem incredulitatem longè amoueant, omnem dubitationem circa mysteria prorsus abiiciant: sæpe inculcant longè abesse ab obedientia & professione Christianorum, perspicuam Domini asseuerationem ambiguam facere, vel aliorsum trahere, quam ipse dixit. Quæ omnia Cyrill. mystag. 4. vno penè verbo complectitur, cum ait, quamuis sensus tibi suggerat panem, tamen corpus est secundum ipsius verba: fides te confirmet, ex sensu ne iudices: nulla tibi post Domini verba subeat dubitatio. Epiphanius in Ancorato, qui non credit esse verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Chrysosto. homil. 83. in Matth. credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi cogitationi absurdum esse videatur, superetque & sensum & rationem. Nam verbis eius defraudari non possumus, nec falsa esse possunt: at sensus deceptu est facillimus. Hilarius, lib. 8. de Trinitat. sic Dominus ait, caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus: de veritate ergo carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Ipsius enim Domini professione, & fide nostra verè caro est & sanguis. anne hæc veritas est? contingat planè iis verum non esse, qui IESVM Christum verum Deum esse negant. Eadem sententia est in D. Aug. sermo. 2. de verb. Apost. in D. Leone, sermo. 6. de ieiunio septimi mensis, in D. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioann. cap. 23. in Damasc. lib. 4. cap. 14.

In hoc sacramẽto fidei & verbo Dei, nõ rationibus humanis aut sensibus fidendum est.

Quintum argumentum ex miraculis realem Christi in Eucharistia præsentiam confirmantibus.

6 Quintum argumentum est præcedenti de omnipotentia valdè coniunctum, ex miraculis, quæ ad huius rei confirmationem Deus variis Ecclesiæ temporibus operatus est: iis præsertim, quibus de reali Christi præsentia in Eucharistia dubitatum est. antiquissima primum & pauca referam, deinde recentiora. Apud Cyprian. sermo. 5. de lapsis sacratus sanguis de ore infantis & visceribus gentiliciis sacrificiis pollutis mirabiliter erumpit: maiorem natu puellam ad furorem & mortem adigit: alteri indignè accedenti hostia mirabiliter inflammatur: alteri propter consimile scelus vertitur in cinerem. Apud Petrum Diaconum in vita Gregorij Magni, dubitanti fœminæ mutatur in lapidem, ipso Gregorio administrante. idem accidit mulieri sectæ Macedonianæ sub Chrysostomo, vt refert Sozom. lib. 8. capite 5. & Nicephor. lib. 13. cap. 7. histor. Ecclesiast. apud Ambrosium, fit Satyro fratri in sacra hostia collo appensa salutare miraculum. Apud Prospe. lib. 4. prędicti. cap. 6. perceptus sacer sanguis puellam immundo spiritu liberat. posteriora miracula, quæ post contrariam hæresim in Ecclesia exortam, & populi maiorem dubitationem, à Deo ostensa sunt, longum esset enarrare. referuntur à Paschasio, cap. 14. lib. de corpor. & sanguine Domini, à Guitmundo, lib. 3. Algero lib. 1. cap.

cap.13. vbi refert miracula, quibus Berengarius conuictus est. Illustria etiam fuerunt miracula tempore Vvicleffi, ex quibus Vvaldens.tomo.2. cap.63. vnum hoc refert. Quidam Vvicleffi sectator, coram regni cancellario, iubetur suam fidem de Eucharistia profiteri, pariterque adorare: respondente autem blasphemo, vere dignior est aranea reuereri, statim de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visu aranea, ad os blasphemi directo filo peruenit, & vt intraret per polluta labia mirum inmodum laborauit, & multorum manibus vix potuit prohiberi.

Sextum ex complemento figurarum & dignitate Eucharistiæ.

7 Sextum argumentum est ex comparatione huius sacramenti, vel ad præcedétes de eo in veteri testamento figuras, vel ad reliqua noui testamenti sacramenta. Si enim Christus non sit in Eucharistia, nisi vt in signo, figuræ non fuissent veritate inferiores, manna non minoris efficaciæ, quam panis, quem dedit Dominus, contrà quam ipse asserit Ioann. 6. panis Heliæ fortior cibo Christi, esca Moysis non minus vera, quam panis Patris cælestis, quod scripturis & Patribus planè repugnat. Deinde nulla esset causa, cur Eucharistia diceretur sanguinis & corporis sacramentum, & non alia noui testamenti sacramenta, cum omnia vim & virtutem passionis corporis & sanguinis Domini repręsentent, vt illius signa instrumentalia: nullus autem Euangelista, Concilium aut Theologus, aliquod ex aliis sacramentum corpus & sanguinem Domini vocauit, aut sumendo aliud sacramétum, dicitur bibere sanguinem aut crucifixum, vt loquitur D. August. in Psalm. 33. vnde D. Thom. lib.4. contra Gent.cap.61. rationem reddit, cur Eucharistia ex omnibus sacramentis verè sit & vocetur corpus Domini: quia nêpè aliter generans generato, aliter nutrimentum nutrito coniungitur: generans virtute & similitudine, nutrimentum substantia: illo modo coniúgitur nobis Christus in baptismo, hoc autem modo, in Eucharistia.

Septimum argumentum ex adiunctis & cõsequentibus.

8 Septimum argumentum, ex variis adiunctis, & consequentibus necessariò realem Christi pręsentiam in Eucharistia, cuiusmodi sunt, realis Christi existentia in altari post consecrationem, extra omnẽ vsum & sumptionem: grauitas peccati indignæ sumptionis, de qua Chrysost. homil.83. in Matth. & 45. in Ioan. Hesych. lib.6. in Leuit.cap.26. Ambro. ad 10.cap. Hebr. Orig. in Psalm. 37. Basil. cap. vlti. de baptismo, Hiero. contra Iouinian. lib. 2. & in cap.1. Malach. Cyprian. lib.3. episto. 15. idem confirmat illa vera sententia, quod mali accipiant etiam corpus Christi, de qua D. August. lib. 2. contra literas Petiliani, cap.47. & epist.162. & lib. 1. contra Crescon. cap. 25. & post collationem, cap.7. huc etiam pertinet catholica de sacrificio nostro sententia, cuius ratio soli vero corpori Christi in nouo test. attribui potest, vt suo loco plenius ostendetur. Pertinet etiam antithesis veteris & noui testamenti, quod in illo potus sanguinis prohibetur, in hoc præcipitur, vt inquit Cyprianus de cœna Domini, & D. August. epist.88. ad Casulan.

Octauum ex cõiunctione reali corporis Christi cum nostra carne per contactũ

9 Octauum & vltimum argumentum, habet vtilem & pernecessariam summę rei doctrinam de admirabili effectu huius sacramenti, in corpus & animam hominis, qui percepta dignè Eucharistia, non solùm spiritu, affectuque animi, Christo mirabiliter coniungitur, sed etiá corpori Christi, suo corpore, vere & realiter vnitur & coniungitur, non quidem hypostatica vnione, aut cófusione vtriusque corporis, sed reali contactu, vt verè caro Christi nostræ carni secundum rem coniungatur, & ea ratione omnes qui hoc sacramentum percipiunt, propter hoc tertium, cui coniunguntur, vnum corpus esse dicantur.

Quæstio, an Christus sumentibus hoc sacramentum reipsa coniungatur.

Substantiarũ vnio, & corporum multiplex

1 SEd vt hoc argumentum apertius & exactius concludatur, explicare oportet, quæ nã sit hæc corporis Christi & nostri per Eucharistiæ sumptionẽ vera & realis coniunctio, distincta ab spirituali, quæ fit per gratiam infusam virtute huius sacramenti. Primùm igitur animaduertatur tria esse corporum genera, vnum quod vno spiritu & forma cõtinetur, vt sunt omnia naturalia & continua, vnde vocatur. †, Alterũ est quod ex se con-

ἡνωμένον.

ſe contingentibus & coherentibus conſtat & ipſa iunctura ſunt & dicuntur vnũ, vnde Græcè dicitur, † vt ædificium, nauis. tertium eſt quod ex diſtantibus & ſolutis componitur, officio tamen & iure cohærentibus, vt populus, legio, ſenatus, grex. Hęc igitur tria vnum dicuntur, ſed primũ perſe eſt vnũ, quia partes coaleſcũt & cõueniunt in vnam naturam, reliqua quodã modo ſunt vnum, quia aliquid vnum vel habent, vel agunt & patiuntur, vel ad aliquid vnum pertinet. Ad huius diſtinctionis ſimilitudinẽ in Theologia plures perſonæ dicuntur vnum, ex conſubſtantialitate & vnitate ſubſtantiæ, & duæ naturæ vnum in perſona filij Dei, per incarnationem: nos verò ſumentes Chriſtum ſacramentaliter efficimur vnũ cohærentia & cõnexione reali carnis, vel vtriuſq; corporis contactu, quamuis mediis accidentibus ſacramentalibus, ſine confuſione tamen noſtrę ſubſtantiæ cũ Chriſti ſubſtantia, & ſine aſſumptione noſtræ naturæ ad perſonã & hypoſtaſim verbi Dei. efficimur etiam vnum cum Chriſto dignè ſumentes Euchariſtiam ad ſimilitudinem eius, quod vnũ tertio modo eſſe diximus per infuſionem gratiæ. primo modo efficimur vnum cum Chriſto, vt homo eſt, reali coniunctione & contactu ſubſtantiarum: ſecundo verò modo efficimur vnum ſpiritualiter.

συνημένον.

Ariſt. 5. lib. meta.c.6. Sen. lib. 17. ep. 2. Plut. lib. de cõnub. præceptis, i rerũ mixtura D. de vſu capion. l. 24. §. item ea D. de rei vend.

2 Idcirco Patres illam vnionem vocãt corporalẽ, naturalem, ſubſtantialem, carnalem, quia fit inuicem cohęrentibus corporibus, naturis, ſubſtantiis, & vtraq; carne, Chriſti, ſcilicet & noſtra: alteram verò vnionẽ vocant ſpiritualem, per habitudinem & concordiam affectuum, animorum, voluntatum, non autem ſubſtantiarũ. Ex priori dicunt nos concorporeos & conſanguineos, & commiſtos cum carne Chriſti: ex poſteriori affirmãt nos conſtituere myſticum Chriſti & Eccleſiæ corpus. cum autem vſurpant commiſtionẽ, non intelligunt propriè confuſionẽ Chriſti & noſtræ carnis in tertiam aliquam, quia hoc impium eſt, cùm caro Chriſti poſt reſurrectionem ſit omnino impaſſibilis, Rom. 6. ſed intelligũt veram & realem vtriuſque carnis coniunctionem & cohærentiam, mediis tantum accidentibus ſacramentalibus. Sic etiam incarnatio dicitur aliquãdo à D. Auguſtino commiſtio, & à Græcis, vt conſtat ex Damaſceno, lib. 4. de fide. cap. 19. cum tamen negent eſſe confuſionem naturarum, & affirment tantum eſſe vnionem hypoſtaticam & perſonalem.

Patrum teſtimonia infra notãtur.

μίξις & κρᾶσις.

3 In hunc ſenſum accipiendæ ſunt ſimilitudines Patrum, explicantes eandem vtriuſque carnis coniunctionem per Euchariſtiæ manducationem. Prima eſt D. Cyrilli ex cera liquefacta, quæ alteri ceræ liquefactæ permiſcetur. Altera eſt Nyſſeni Chryſoſtomi, Cyrilli, ex fermẽto, quod farinæ prius commiſcetur, vt illi vim ſuam impertiat. Tertia eſt ſanctę ſcripturæ, & à Patribus repetita, de coniunctione maris & fœminæ, quatenus prodit vna caro. Quarta eſt Cypriani & Nyſſeni ex antidoto & malagmate, quo inueteratus morbus curatur. Sic enim morbus noſtræ carnis inueteratus, malagmate carnis Chriſti pellitur.

Similitudines realis vnionis Euchariſticæ.

4 His igitur poſitis, ſecundum rectam fidem aſſerẽdum eſt, per dignam Euchariſtiæ ſumptionem non tantum nos Chriſto coniungi ſpiritualiter per gratiã, ſed etiam corporaliter, per realem contactum & cohærentiam carnis Chriſti cum noſtra, qui propriè dici poteſt realis contactus & viuificus. Prima p. de vnione ſpirituali per gratiam ſpiritualẽ infuſam, nullam admittit dubitationem, vel apud hæreticos, vel apud catholicos: vnde effectus proprius huius ſacramenti, eſt gratia vnionis, id eſt, quæ nos vnũ gratię infuſione cum Chriſto efficit, vt conſtabit apertius infra in doctrina de effectibus huius ſacramenti. Altera vero p. de corporali contactu & viuifico explicanda eſt ex confeſsione catholica Berengarij, quę refertur de conſecr. d. 2. cap. ego Berengarius, quatenus inquit, à ſumentibus hoc ſacramentum corpus & carnem Chriſti attrectari, tangi, atteri, frangi, per aliena panis & vini accidẽtia ſenſibiliter, vt ſubſtãtia naturalis per propria accidentia. quare vt contactu, ſubſtantia ſubſtãtiæ cohæret, & coniungitur, ſic etiam caro & ſanguis Chriſti ſacramentaliter ſumptus, noſtræ carni cohæret & coniungitur, nec aliter tactus carnis cum carne poteſt eſſe. Itaque hic contactus non eſt conuerſio aut mutatio vnius carnis in alteram: neque eſt vnio noſtræ carnis, quæ terminetur ad ſubſiſtentiam verbi diuini: ſed tantum

Sentẽtia catholica, de cõtactu carnis Chriſti & noſtræ per Euchariſtiam dignè ſumptã.

Explicatio ſententiæ.

tantum viuificans carnis Christi coherentia & coniunctio cũ nostra carne, quę viuificatur. cũ enim caro Christi post resurrectionem sit impassibilis, vt colligitur ex c.6. Rom. & humana natura verbo Dei vnita, sit singularis, fieri non potest, vt hic contactus sit per aliquam mutationẽ carnis Christi, vel per nouã vnionẽ personalẽ cũ verbo Dei. sed quia indigni & peccatores sumunt etiam realiter & substantialiter carnem Christi in Eucharistia, attrectant & tangunt: & hic contactus, de quo agimus, tantum conuenit dignè Eucharistiam sumẽtibus, ideo viuificus à nobis appellatus, nempè per quem efficitur vt caro nostra promptè obediẽs spiritui, carni Christi persimilis efficiatur, & ad immortalem vitam resurgere possit, quę sunt duo effecta huius viuifici contactus.

5 Sensus igitur sententiæ propositę est, nos copulari, atque corporaliter Christi carni coniungi quomodo duo distincta corpora maris & fœminæ, permanentia in sua indiuidua natura & hypostasi distincta, propter intimam mixtionem & contactum ad generationem vnius prolis, dicuntur vnum & idem corpus: aut quomodo ferrum & stannum in vnam massam coacta, vel ligna diuersa clauis coniuncta, & similia, propter firmam ex contactu contiguitatem, vnum esse dicũtur: aut qualis inter infantem & nutricẽ, dum ita ille hanc attingit corporaliter, vt eius natiuo & interno humore nutriatur, est societas & coniunctio. sed corporum humanorum ad sobolem procreandam intimo naturæ voluntatisque vinculo initus contactus atque coniunctio est planè simillima: vt statim apertius cõstabit; nisi quod nostra hæc Eucharistica cum Christo copulatio tanto arctior est, & naturæ magis intima, quanto maior existit vnio cibi & eo vescentis, quam eorum, qui procreationis causa commiscentur. Vnde Cypria. de cœna Domini, hæc, inquit, coniunctio seu vnitas per Eucharistiam, non quidem vsque ad consubstantialitatem Christi, sed tamẽ vsque ad germanissimam quandam societatem peruenit. Hanc igitur sententiam sic explicatã, veteres Patres dogma fidei censent esse, adeò vt D. Cyrill. lib. 10. in Ioan. c. 13. alienum à fide existimet contrà sentientem, & Hilar. lib. 8. de Trin. in atheis numeret.

6 Confirmatur autem primũ ex sancta scriptura, Ephes. 5. viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiã, & tradidit semetipsum pro ea. viri debẽt diligere vxores suas vt corpora sua: nemo vnquã carnem suam odio habuit, sed eam fouet & nutrit, sicut & Christus Ecclesiã, quia mẽbra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius; propter hoc relinquet homo patrẽ & matrem suã, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Cõparat Apostolus coniugiũ Christi & Ecclesię, Adami & Euę primo matrimonio, aut cuicumque alteri, quatenus in eo fit vna caro per cõmistionẽ. Adami autẽ & Euæ fuit prætereà vna caro origine, quia ex carne Adami, Euę caro formata est. Sic igitur ad reformationem & instaurationẽ carnis nostræ, oportet nos carni Christi coniũgi, vt efficiamur vna caro secundũ contactum, & ex contactu ad similitudinem carnis Christi reformata nostra carne. sic veteres Patres, præsertim Irenę, necessarium esse concludunt, carnis Christi cũ nostra contactum, quod nisi per dignam Eucharistiæ sumptionem fieri nequit, vt ad immortalẽ vitam vegetemur.

Confirmatio ex scriptura.

7 Vnde constat non conuenire proposito D. Pauli explicationem de matrimonio sola fide & consensu contracto, vt inde concludatur nos similiter vnum effici cũ Christo sola vnione spirituali: quia caro & ossa, quorũ coniunctionẽ D. Paulus proponit, non possunt de matrimonio, sola promissione & consensu, contracto, intelligi; per hanc enim promissionẽ vt scriptum est, 1. Cor. 7. mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & ideo ante consummatũ matrimonium potestate tãtum est vnũ corpus & vna caro: in cõsummatione verò, actu & reipsa, quomodo D. Paulus loquitur, vt similiter Christi & Ecclesiæ consummatum & perfectum matrimonium intelligatur. recedat procul omnis turpitudo & inhonestas ab huiusmodi comparatione, & remaneat sola vnitatis carnis per contactum consideratio, vt à diuo Paulo proponitur. quod si quis contendat, D. Paulum loqui de vnitate matrimonij, quæ fit per cõsensum: & ideo ex ea similitudine tantũ cõcludi vnitatẽ spiritus per Eucharistiã, non autẽ per corporum contactum: is habet sibi repugnantem eundem Paulum,

Christi & Ecclesiæ perfectum & consummatum matrimoniũ per dignã Eucharistiæ sũptionem.

Vnio matrimonij persimilis vnioni Eucharisticæ.

1. Corinth. 6. vbi ostendit vnam carnem fieri ex duobus in coniunctione, vbi non est legitima illa potestas per consensum, propter corporum permistionem, ostendens etiam scortatorem fieri membrum meretricis, & vnum cum ea corpus, propter eãdem realem commixtionem. hæc igitur est coniũctissima vnio, quæ efficit, vt Ecclesia dicatur corpus Christi, sponsa Christi, & nos membra corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, & ideo signum eius accommodatissimum est cõiugium.

8 De eadem arctissima vnione, est illud, 1. Corint. 10. calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? quoniam vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane participamus. cuius loci in hunc sensum præclarissimus est commentarius peruetusti scriptoris Haimonis. & quidem panis nomine carnem Christi sub figura panis intelligi antecedentia de calice & sanguine euincũt. de pane enim cõmuni solum dici posset, quod nos efficit vnum specie, id vero mirabile & insolitum non esset, vt D. Paulus concludere voluit: loquitur ergo de carne Christi, quæ vna numero existens, nos omnes in eadem connectit, & admirabilem sanctorum communionẽ efficit. Cyrill. lib. 4. pentabibli, referẽte Turriano lib. 1. pro canon. Apost. cap. 24. Ad idem valet illud 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. non enim quia spiritu credimus nos ex Adam propagatos, mortem contraximus; sed quia reipsa & secundum substantiam, carnem nostram de illius carne deriuamus: quare vt similitudo retineatur, non viuificamur in Christo secundum spiritum tantùm, sed etiam reali contactu suæ carnis nostra caro exuit mortalitatem, & ad immortalitatem instauratur. Sic expendunt hanc similitudinẽ Ignatius, Cyprianus, Nyssenus, Chrysost. Cyril. Alexand. vt sicut manducatione vetiti cibi, Adam interitum sibi comparauit, & ad posteros naturali generatione transmisit, sic cibo vitali carnis Christi manducato, reuocãdam esse carnẽ nostram ad immortalitatem: & caro quæ fuit sedes mortis, sit sedes immortalitatis, per carnis Christi participationem.

9 In eundem sensum Patres ponderãt hæc testimonia, Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, idest corpus, quod comedet, resuscitabit eum: & amen amẽ dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis, id est in corpore vestro, inquit Cyrillus. Similiter exponunt illud Ephes. 3. gentes esse concorporales & comparticipes, & illud 2. Pet. 1. vt efficiamur diuinæ naturę cõsortes: denique illud Ioann. 15. Ego sum vitis, vos autem palmites. Ex his verò omnibus hoc argumentum confici potest pro reali Christi præsentia in Eucharistia; cum comedimus Eucharistiam, non tantum anima spiritu Christi pascitur, sed corpus corpore Christi vescitur: ex qua manducatione per naturæ instrumenta realiter intra nos recipitur, atque substantiæ nostræ coniungitur, vt cæteri cibi, sine tamen vlla mutatione: sed hæc fieri non possunt per præsentiam figuratiuam & in signo tantum: realiter igitur & substantialiter exhibetur in Eucharistia. propositionis partes omnes, Patres ex citatis testimoniis colligunt. Chrysosto. hom. 45. in Ioannem, inquit Christum per corpus suum vnum fieri reipsa nobiscum, & non tantum per dilectionem, tangi à nobis, manducari, & carni suæ dentes infigi. eandem vnitatem, Cyril. lib. 10. in Ioann. cap. 13. vocat naturalem, & eam secernit ab ea, quæ fit per dilectionem. sed D. Hilarius lib. 8. de Trinitat. sublimiorem Theologiam de eadem vnione tradit, conferens eam ineffabili immeationi aut mutuæ inexistentiæ diuinarum personarum, quam nostri Theologi circuncessionẽ interpretantur. per hanc enim vt inquit August. lib. 6. de Trinitat. cap. vlt. & D. Tho. explicat, 1. p. q. 42. art. 5. singula existunt in singulis, & omnia in singulis, & omnia in omnibus, & vnum omnia. habet autẽ perichoresis hæc & distinctionem personarum, & intimam connationem essentiæ: sic verò Christus Ioãnis 6. tradit hanc mutuam coexistentiam ipsius & nostri per huius sacramenti mãducationem, his verbis, qui manducat meam

Argumentum pro præsentia reali Christi in Eucharistia ex coniũctione reali.

περιχώρησει.

meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Deinde eandem intimam coniunctionem vnà cum eius effectu, suæ & Patris communi vitæ & existentiæ secundum diuinitatem ita confert, sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.

10 Hæc considerans diuus Hilarius, Eucharisticam Christi nobiscum coniunctionem in similitudinem accepit, ad informandam aliquo modo consubstantialitatem Patris & Filij, & contra hæreticos Arrianos defendendam: vt hoc exemplo intelligas, coniunctionem, de qua agimus, adeò fuisse veteribus Patribus receptam & probatam, vt eam solidissimum fundamentum constituerint, ad maxima quæque fidei mysteria explicanda & defendenda. Concludit igitur Hilarius lib. 8. his verbis: interrogo istos, vtrum per naturæ veritatem Christus hodie in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè verbum caro factum est, & verè cibo Dominico verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscuit, tunc vnum sumus, quia & in Christo Pater, & Christus in nobis est. quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse. Si verè igitur sub mysterio carnem corporis sumimus, & per hoc vnum sumus, quia Pater in eo est, & ille in nobis, cùm naturalis per sacramentum proprietas, sit sacramentum perfectæ vnitatis. & inferius, hæc, inquit, à nobis idcirco commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem & Filium vnitatem hæretici mentientes, vnitatis nostrę ad Deum vtebantur exemplo, quasi nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, voluntate tantum religionis vnitis, nulla per sacramentum carnis, naturalis communionis proprietas indulgeretur.

Communio sanctorum admirabilis inter se & cum Deo, per Eucharistiæ manducationē.

11 His verbis exprimitur admirabilis vnio & communio Christianorum inter ipsos & cum Deo, cuius vinculum & nexus est caro Christi in Eucharistia sumpta, vt per hanc manducationem, omnia nostra ad vnam numero diuinitatem recapitulentur; sumpta enim dignè Eucharistia coniungimur reipsa carni Christi, in qua subsistit persona filij Dei, in quo est Pater, & in vtroque Spiritus sanctus: & ideò necessariò, omnibus diuinitatis personis reipsa, mediis accidentibus sacramētalibus, coniungimur. Vnde in nostram carnem admirabiles effectus deriuantur. Cum enim per incarnationem facta sit caro humana Christi viuificatrix, & non vt in nobis, morti & peccato obnoxia, cùm manducata Eucharistia carnem nostram attingit, eandem instaurat ad similes vitæ immortalis proprietates, vt sit omnis caro humana vnitate similium proprietatum vna. Vnde verbum Dei assumptam ex nobis carnem reddit & exhibet nobis infinitis partibus meliorem: & quia non decuit omnem carnem in vnitatem personæ assumi à verbo Dei, per hanc assumptæ carnis cum nostra coniunctionem, reuocatur omnis caro ad obedientiam spiritus, & ad immortalem vitam, à qua peccato primi parentis deciderat, sed perfectius & vberius. Nostra enim substantia carni Christi in sancta communione secundum contactum concorporata, vitæ diuinę quasi quoddam semine donatur, vnde resurrectionis ac immortalitatis capax fiat: illius nimirum sancti corporis propria energia, quod propter vnitum verbum, prius ad vitam excitatum est. quod significatur illis verbis Ioann. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die: hoc est, inquit Cyrillus, corpus, quod comedit, resuscitabit eum. quod amplius exponens lib. 4. in Ioann. cap. 14. & 15. & sequent. affirmat Christum vti ad hanc rem carne sua vt instrumento diuinitatis, non aliter quàm fecit in resuscitatione filię principis synagogæ, Matth. 9. aut vnici filij viduæ, Luc. 7. quos tactu corporis sui ad vitam restituit. quam disputationem his verbis concludit: quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, tamen participatione vitæ, ad vitæ proprietatem reformamur. oportuit enim certè, vt non solùm anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum etiam vt rude atque terrestre hoc corpus, cognato sibi gustu, tactu, ac cibo, ad immortalitatem reduceretur, sic ille. Tertullianus

Effectus vnionis Eucharisticæ.

tul. verò lib. de resurrect. car. de eadem re apertè inquit, caro nostra corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. non possunt ergo separari in mercede, hoc est resurrectione, quas opera coniungit. Hinc etiam Gregor. Nysse. in oratione Catech. magna, sapienter differit, quomodo contra illud venenum mortis, per primum peccatum in nos intimè transfusum & infixum, hoc singulare medicamentum in ipsa viscera nostra traiectum, rursus vitam immortalem donet, mortemque repellat.

12 Irenæus etiam eandem sententiam mirabili sapientia considerans, potenter conuicit veteres Saducæos, Valentinianos & alios hæreticos super carnis resurrectione ex manducata carne Christi in Eucharistia, eiusque cum nostra substantia incorporatione. Sic enim ait lib. 4. c. 34. quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. & lib. 5. non longè ab initio, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum est eius, quemadmodum Apostolus ait, de carne eius, & de ossibus eius. Non enim de spirituali aliquo homine loquitur aut inuisibili, sed de eo, qui ex carne & ossibus est, qui corpore & sanguine eius nutritur ac augetur. Dicitur autē nostra caro, Christi carne sibi cōiuncta nutriri & augeri, sine vlla mutatione, quæ carni Christi post resurrectionem omnino conuenire non potest: sicut dicitur Christus Ephes. 5. fouere & nutrire Ecclesiam. remoue itaque mutationem, & remanet perfecta nutritio & cōseruatio. Si cui autem suboriatur dubitatio de illis, qui nunquam perceperunt corpus Christi, decedunt tamen in gratia baptismali, vel in gratia per pœnitentiam, quomodo illi dicantur vnum corpus cum Christo, & quomodo resurgent ad immortalem vitam: cum tamen recta fides doceat omnes in gratia Christi decedentes ad immortalem vitam resurrecturos, duplex responsio adhiberi potest: vna, quòd in voto Eucharistiam percipiunt, & cum necessitas excludit realem sacramenti sumptionem, confert Deus effectum sacramenti per se sine sacramento, quia voluntas tunc pro facto habetur. cum autem gratia alterius sacramenti, sit inchoatio & via per se ad gratiam perfectam, quæ hoc sacramento confertur: quicumque in gratia decedit sine hoc sacramento, virtuale habet votum ad hoc sacramentum vt in gratia perficiatur.

Ephes. 5.

Effecta Eucharistiæ conferuntur dispositis, per votum sacramenti.

13 Idem dicendum est de vi resurgendi ad immortalem vitam, quam vim diximus tribui hoc sacramento, nempè quod à Deo tribuetur cuicumque decedenti in gratia, per votum implicitum huius sacramenti, cùm necessitate constringitur, ne actu sacramentum hoc percipere possit. Præterea ex scriptura potest altera responsio colligi. Triplex enim in sancta scriptura assignatur causa resurrectionis nostræ & immutationis ad immortalem vitam: prima est, potentia Dei & vox filij Dei excitantis & segregantis pios ab impiis: altera est virtus Spiritus sancti, qui nobis donatur, sicut scriptum est Romano. 8. qui suscitauit IESVM à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. ille itaque fouet membra nostra ad immortalem vitam, etiam sine reali manducatione corporis Christi in Eucharistia. Tertia causa est homogenea & coniuncta cum carne nostra reali contactu, & hæc tantum est caro Christi in Eucharistia manducata, hoc autem modo, huiusmodi contactus est causa nostræ resurrectionis ad immortalem & æternā vitam. Si quis prætereà quærat, sit ne prior natura contactus hic realis sumpta Eucharistia, quam gratiæ habitualis & Eucharisticæ infusio: respondendum videtur esse priorem natura vt causam: quia manducatio Eucharistiæ est causa gratiæ, vt est omnibus Theologis receptum, cum hæc sit actio sacramentalis & vsus, per quem suscipienti sacramentū gratia cōfertur: sed in ipsa manducatione est ille realis carnis Christi & nostræ contactus: ergo est prior natura ipsa gratiæ habitualis infusione.

Resurrectionis ad immortalē vitam triplex causa.

Contactus realis Eucharistici prior natura quam gratia infusio.

14 Idem euincunt Patrum adducta testimonia, si accuratè expendantur, cum illum

illum contactum affirment, eſſe inſtrumentum effectuum ipſius Euchariſtiæ: omnis autem cauſa, & ideo inſtrumentum, eſt prior natura ſuo effectu. Vt enim caro Adami totum hominem inficit, propagatione vnius tantum particulę, nempè ſeminis, ſic caro Chriſti in Euchariſtia, vni parti noſtræ carnis & corporis digne manducantis coniuncta, totam noſtram carnem afficit & reddit conformem carni Chriſti: hoc eſt, in hac vita iuſtitiæ inſtrumentum, & in futura participem vitæ immortalis cum Chriſto.

Contactus idẽ non imprimit corpoream qualitatem noſtræ carni.

Neque verò oportet ex huiuſmodi contactu carnis Chriſti & noſtræ, qualitatem aliquam compoream noſtræ carni imprimi, quæ habeat vim reprimendi concupiſcentiam, & reddendi nos participes vitæ immortalis: quia vt caro Adami ſine qualitate impreſſa nos peccato afficit, ſic caro Chriſti noſtram contingens illis modis afficit: & ſicut ſacramentum eſt cauſa gratiæ ſine alicuius pręuiæ qualitatis impreſſione, vt in doctrina generali de ſacramentis oſtẽſum eſt, ſic caro Chriſti, carnem noſtram inſtaurat ad immortalitatem vitæ æternæ, ſine qualitatis corporeæ impreſsione: vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur. Vt autem caro Chriſti, interiectis accidentibus ſacramentalibus, noſtrã contingit, & his effectibus exornat: ſic eiſdem accidentibus conſumptis, omnino manet eiuſdem contactus efficacia & virtus, licet non maneat contactus, quia neque caro Chriſti in nobis: cum huiuſmodi virtus carnem noſtram ad immortalem vitam reſtaurans; niſi per contrariũ peccatum aboleri non poſſit.

Idem expreſſus eſt in omni genere, doctrinæ veterũ Patrũ.

15 Quare hæreticum planè eſt, hunc cõtactum corporalem & viuificatiuum noſtræ carnis, per Euchariſtiæ manducationem, figuratè & impropriè intelligere, non autem ſubſtantialiter & reipſa: quia ſumptio & manducatio carnis Chriſti in Euchariſtia non eſt figurata, impropria aut in ſigno tantum, & hic contactus & vnio ipſa manducatione perficitur, vt ſupra oſtenſum eſt, quatenus manducata caro Chriſti, noſtram mediis accidentibus ſacramentalibus contingit. Hinc eſt quod in veteribus fidei catechiſmis, hęc ſententia fidelibus omnibus credenda proponitur, vt conſtat ex Nyſſeni catechetico maiore, ex Cyrilli Hieroſol. oratione myſtag. 4. quem morem recentiores Catechiſmi ſecuntur, atque etiam is, qui iuſſu Pij quinti, editus eſt, vt nullum ſit genus doctrinæ, in quo non ſit expreſſa, nempè in expoſitione ſanctæ ſcripturæ, in refutatione hæreſum, in catecheſi fidelium: quo triplici genere Patrum monumenta continentur. Idem etiam poſteriores Theologi docuerunt, vt D.Thom. opuſ. 58. de Euchariſtia, cap.14. his verbis, manducantem ſe Dominus ſui corporis myſtici membrum facit: & ſibi incorporans cum ſuo corpore, quod de virgine ſumpſit, quodammodo vnum facit. 1. Corint. 12. vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus, vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Auguſtinus, commẽdauit Chriſtus in hoc ſacramento corpus & ſanguinem ſuum, quod & fecit nos ipſos, nam & nos ipſi ſumus facti corpus eius: caro enim noſtra, carni eius vnita & incorporata, vnum cum illo efficitur. hæc D. Thom. in quibus expreſſit duplicem vnionem, vnam ſpiritus, quæ ad corpus myſticum pertinet, alteram ſubſtantialem, cum ait aperte nos ſumpta Euchariſtia corpori Chriſti, quod de virgine ſumpſit, incorporari. hoc autem corpus vera eſt & ſubſtantialis caro hominis, vt recta fides docet, cap. etiam 6. eiuſdem opuſcu. effecta expreſſit eiuſdem ſubſtantialis vnionis & contactus, cum ait, vnus cibus toti homini, id eſt vtrique naturæ conueniens ſpiritualis ſimul & corporalis, ſcilicet, verbum caro factum, quem ſimul ſub quodam ſacramento comedant: cuius virtute anima de præſenti miſeria, ad vitam æternæ beatitudinis perueniat, & corpus ad modicum tempus ſeruatur in terra, vt tandem glorioſè reſurgat. De hoc cibo, Ioannis 6. caro mea, id eſt caro Dei, caro humana vnita Dei verbo, verè eſt cibus, ſcilicet totius hominis valens animæ & corpori. Eadem igitur eſt D. Thomæ ſententia, & eiſdem teſtimonis ſacræ ſcripturæ, quibus à veteribus Patribus confirmata eſt. conſentiunt periti Iuriſcanonici interpretes, vt conſtat ex Turrecremata ad cap. in Chriſto Pater, de conſecrat. diſtinct. 2.

Recentiorum pro eadẽ vnione & contactu teſtimonia.

16 Reſtat aliud genus ſcriptorum, quod in refutandis hæreticis occupatum eſt,

eorum

eorum autem diligens fuit studium in asserenda eadem vnione reali carnis Christi & nostrę per Eucharistiæ sumptionem, vt constat ex Vvalden.c.95.Roffens.contra Oecolampa.lib. 4.à cap. 20.Hessel.lib. de reali Christi præsentia in Eucharistia, cap.16. & 17. Claud. Sanct. repetit. 5. de Eucharistia,cap.1.& 2. Guil. Alano de Eucharistiæ sacramento, cap.28. Sed quia hi omnes testimoniis veterum Patrũ vtuntur, eorum testimonia non erit alienum notare,vt qui voluerit vberiorem de hac re,illis ponderatis, disputationem efficere possit. Dionys.cap.3.de Eccles. hierarch. propter hãc realem vnionem affirmat Eucharistiam vocatam esse à veteribus communionem, vt explicauit Damasc. lib. 4. de fide,cap.14.Irenæus,lib. 4. cap. 34. & lib.5.multa de hac vnione contra hæreticos scripsit.Cyril.hieros.catechesi,4. mystag.propter hanc vnionem nos vocat cõcorporeos & consanguineos Christo. Cyril.Alexã.locis supra citatis nempè, lib.10. in Ioan.cap. 13.lib.11.cap.26. & 27. lib. 4. cap.14.& lib.1.dialog.de Trin.Chrysosto. hom.45.in Ioan.& hom.60.& 61. ad Pop. Antioch.hom.83.in Matt. 1.Cor.hom.24. D.Augu.lib.2.contra aduers.leg.& proph. cap. 9. explicans illud Eph. 5. erunt duo in carne vna. Theodoret. ad idem cap.5. & Cant.1.Leo Primus,serm.14.de pass. & epist.23. Theophl.ad cap.6.Ioan.Photius apud Oecumen.1.Cor.10.Nyssen. in Catechet.cap.37.Clem.Alex.lib.2. pædag. c. 2. Hilar.lib.8.de Trinit.& refertur,de conse. d.2.cap.in Christo Pater.

Veterum de eodem testimonia

Alia argumenta pro reali Christi præsentia in Eucharistia.

17 HActenus octo argumenta conclusa sunt, pro reali & substantiali Christi præsentia in Eucharistia: his adiici potest aliud, à stabili Christi existentia in altari ac pixide, acquisita per consecrationem, extra omnem vsum & perceptionem. Aliud etiam ex grauitate peccati indignæ sumptionis, quod illustrabunt Chrysost.homil.83.in Matth. & 45. in Ioan.Hesych. lib. 6. in Leuit. cap. 26. Ambros. ad cap. 10. episto. ad Hebr. Origen. in Psalm. 37.Basil. cap. vltimo de baptismo. Hieron. lib.2. contra Iouin. & in cap.1. Malach.Cyprian. lib.3 episto.15. in quo etiam argumento asserendum est, malos etiam Christi corpus sumere,vt explicat D.August.lib.2.contra lit.Petil.cap. 47.& epist.162. lib.1.contra Crescon.cap. 25. & post collat. cap. 7. Eandem etiam pręsentiam ratio propria sacrificij noui testamenti concludit, quod non potest esse aliud, quam verum & substantiale corpus Christi, vt suo loco ostendetur. Denique D.August.epist.88.ad Casul. & Cypria.de cœna Domini, proprium esse ostẽdunt noui testamenti, bibere sanguinem, cuius potum seuerè vetus testamentum prohibuit,hunc autem sanguinem constat tantùm esse corporis Christi.

Praxis & vsus Ecclesiæ eandẽ confirmat.

18 Superest aliud genus argumentorũ, quod ex vsu & praxi Ecclesiæ deducitur, eo superioribus firmius & potentius, quo maius est totius populi fidelis, quam cuiusuis vel doctissimi hominis iudicium:& eo certius, quo vniuersi orbis vsus difficilius peruerti, quam Theologorum testimonia possunt: præsertim cum generalis consuetudo fundetur in Traditione Apostolica, teste Augustino ad Ianuariũ. Prima igitur ratio in hoc genere ex cultu, omnium Ecclesiarum iudicio, probato, deducitur. semper enim in Ecclesia cultu latriæ Eucharistia adorata est. August. Episto.116. scribit Eucharistiam discerni à cæteris cibis, veneratione singulariter debita: & Epist.120.ad Honor. illud Psalmi 21. manducauerunt & adorauerunt, ad cultum huius sacramenti refert. eandemque expositionem constanter sequitur in commentariis eiusdem Psalmi, & ad illud Psalmi 38. Adorate scabellum pedum eius, inuentum esse ait, quomodo adoretur scabellum pedum eius, quod est terra, quia caro Christi ex terra est, & nemo eam manducat, nisi prius adoret; tantumque abesse vt eò peccet aut idololatra sit, vt peccemus potius non adorando. Sumpsit hoc ex Ambrosio Augustinus, qui lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. per scabellum terra inquit,per terram caro Christi intelligitur, quam hodie quoq; in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino IESV adorauerunt, neque enim diuisus est Christus. Theodoretus etiam in Polymorpho, intelliguntur, inquit, mystica symbola, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam

1. Ex adoratione asserta ab omnibus Patribus in Ecclesia catholica.

tamquam ea existentia, quæ creduntur. Cyrillus hierosolym. mystag. 5. inquit, post communionem corporis Christi accede ad sanguinem illius, non extendens manum, sed pronus adorationis in modum & venerationis, dicens cùm accipis, Amen. Chrysostomus verò populum suum paulo negligentiorem in cultu sacramenti, ita hortatur, homil.24.in 1. Ep. ad Cor. hoc corpus in presepe reueriti sunt Magi, & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. imitemur salten barbaros: illi in præsepe, tu verò non in præsepe, sed in altari. lib. autem 6. de sacerdotio summa fide narrat, cuidam diuino seni in visione concessum esse, vt oculis conspiceret angelorum multitudinem Christo in mysteriis capita inclinantium, & nos homunciones hoc non faciemus?

19 Sed maximè memorabilis est locus Gregorij Nazianzeni in Epitaphio Gorgoniæ sororis, cum ait, eam morbo vrgente, ad altare cum fide confugisse, eumque, qui super illud colitur obtestans, omnibus Dei nominibus compellasse, commonefaciens omnium rerum, quas vmquam mirificè gesserat. Deinde maximnm argumentum ducitur, ex precibus Eucharistiæ factis semper in Ecclesia catholica, præter adorationem mente aut gestu exhibitam. Sic Dionys. de Eccles. hierar. in theorica synaxeos, o, inquit, diuinissimum sacramentum, perspicuè nobis fac appareas, reuelatis operimentis ænigmatum, quę te symbolicè circundant, & intelligentiæ oculos tuo lumine comple. idem fit in liturgiis Basilij & Chrysostomi, vbi donum consecratum statim populo ostenditur, adoratur à sacerdote & diacono, & his verbis compellatur, Deus propitius esto mihi peccatori, simulque à tota plebe cum reuerentia adoratur. In eadem etiam liturgia Chrysost. verbis Centurionis Dominum in Eucharistia sic alloquitur, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Quam sententiam Origenes etiam ad cultum Eucharistiæ accommodat, homil. 5. in diuersos, & August. epist. ad Ianuarium, verè agnoscentes, Dominum substantialiter ingredi os corporis nostri, sicut olim intraturus erat domum Centurionis. quo sensu, idem Centurionis dictum, in missam Latinam translatum est. itaque cum his precibus Ecclesia Christum in Eucharistia compellat, credit Christum ibi reipsa præsentem, & vt præsentem alloquitur, non autem vt in signo aut imagine, sicuti alloquitur eundem in Cruce in Dominica passionis, & in die Parasceues. Eodem modo illud de Zacheo dictum, accepit illum gaudens in domum suam, sumentibus Eucharistiam accommodatur. omnes etiam liturgiæ præsentem Dominum ita precantur, agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere, dona pacem, dona requiem. Vnde D. Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 27. inter traditiones Apostolicas numerat Eucharistiam his verbis, inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum nobis in scripto reliquit? sunt autem ea verba, vt coniicio, quę in liturgia eiusdem Basilij commemorantur, partim illa sacerdotis panem consecratum exaltantis, sancta sanctis: partim populi respondentis, vnus Sanctus, vnus Dominus, vnus IESVS Christus in gloria Dei Patris. item ad eandem eleuationem sæpius repetitam, Chyrie eleison, & benedictus qui venit in nomine Domini, o sanna in excelsis. quæ omnia ad Eucharistiam dicta paulo ante communionem apud Antiquos, nũc apud Latinos in priorem partem missæ translata sunt, sed non obscure significatur etiã apud nos, ea maxima ex parte dici propter mox futurum præsentem Saluatorem.

2. Ex precibus

20 Aliud prætereà argumentum sumitur ex summa religione in Eucharistia sumenda, contrectanda, conspicienda, nominanda, circumferenda, reseruanda, præ omnibus aliis rebus sacris. propter præsentiam enim Domini realem & substantialem, Eucharistiæ perceptionem præcedere debet, vt inquit Paulus, 1. Corinth. 10. probatio & examen conscientiæ, non accipitur nisi à ieiuniis inquit August. Epist. ad Ianuarium, præmittitur exomologesis lib. de Eccles. dogmat. cap. 53. vnde falsò accusatus Chrysosto. de his ita pro se respondet Epist. ad Cyriacum, confingunt contra me, quod ad communionem non ieiunos receperint: & si quidem hoc feci, expungatur nomen meum, ex albo Episcoporum, & ex libro orthodoxæ fidei, & abiiciat etiam me Christus à regno suo. & hom. 83. in Matt. omnibus palã denun-

3. Ex religione & reuerentia, qua Eucharistiam contrectamus.

denuntiat, se effusurum suum sanguinem, potius quam indignum aliquem ad Dominicum sanguinem admissurum, generalemque mundiciem & animi & corporis exactam requirit, lib. 6. de sacerdotio, cũ ait, quantam integritatem exigemus ab eo, qui communem Dominum manibus pertrectat, quales manus, qualem linguã, qualia verba, qualem animam esse oporteat? Cum autem olim laici manibus sumerent Eucharistiam, quanta, Deus bone, religio in contrectanda, quanta cura ne aliquid sacramenti, scelere aut negligẽtia in terram caderet, aut ad Ethnicos perueniret, aut quouis modo profanaretur? præclara sunt de hac re testimonia Cyrilli Hierosol. mystag. 5. & Origenis. homil. 13. in cap. 25. Exodi. Augustini, homil. 26. lib. 50. hom. & serm. 252. de tempore. Hinc est quod Chrysost. in priori epist. ad Innocent. grauissimum facinus iudicet militis impij, qui sacratissimum cruorem in Ecclesia Constantin. effuderit, & in pauimenta asperserit. hinc etiam Dionys. Ecclesi. hierarc. cap. 7. & D. Tho. longo post tempore. 3. part. q. 80. art. 4. ad quartũ, admonet ab ethnicis hoc sacramentum conspiciendum non esse, & ne illis ostenderent, grauia sæpe fideles passi sunt, vt refert Beda, lib. 2. hist. gentis Angl. c. 5. & in martyrologio, 18. Calen. Septemb. sæpè etiam profanatores Iudæi grauiter sunt perculsi, & aliquo prodigio perterrefacti.

De cultu huius sacramenti varia maiorũ nostrorum consuetudines.

21 Eadem fuit nostrorum maiorum religio, & cautio, ne à fidelibus non baptizatis tangeretur, aut expressa illius doctrina eisdem innotesceret. Vnde celebratur illud Augustini dictum, tracta. 11. in Ioann. corpus Christi esse manna absconditum à catechumenis, quia IESVS adhuc non se credit illis. Hinc olim recepta distinctio inter missam catechumenorum & fideliũ, cum ab intimis sacris illi semper repellerentur: hinc locus in antiquissimis quibusque templis, actionibus liturgicis separatim accommodatus: hinc occulti illi veterum sermones, siue in dicendo, siue in scribendo de hoc sacramento, ne alienis, mysteriorum doctrina diuulgaretur. cuiusmodi sunt illi, vt prudentibus loquor: norunt fideles, norunt qui mysteriis imbuti sunt: norunt qui initiati sunt: norunt qui sacrorum doctrina digni sunt, & alia huius generis. hinc secretiora etiam nomina pro apertis corporis & sanguinis appellationibus, apud Græcos, antitypa, symbola, mysteria, apud Latinos signa, sacramenta, figuræ. Hinc denique in popularibus scriptis rarò exacta huius sacramenti institutio: quod cum non considerauerint nostri aduersarij, cum in cæteris, tum maximè in Augustini scriptis turpiter errauerunt.

22 Eadem sacra huius mysterij religio effecit, vt totus ille mos antiquus priuatim tractandi hoc sacramentum, & consuetudo seipsos communicandi, quam persecutio infidelium, occlusio templorum, & inopia ministrorum olim fecit, vt inquit Basil. in Epist. ad Cæsaream Patritiã, haberi legitimam, sublatus sit: Cæsaraugustani, Toletani primi, Braccarensis tertij, Remensis & Moguntini Conciliorum decretis. quibus etiam temporibus ad maiorem huius sacramenti venerationem, tutiorem custodiam, populique necessitatem, primùm in Episcopio, hoc est, in oratorio ædium Pontificiarum, quæ tum semper Ecclesiis quam proximè coniunctæ erant, deinde in templi sacrario, postea super summum altare in firmiter cõclusa arcula, iubente Concilio Lateranen. & aliis plurimis, reseruata est: de qua re & vniuerso cultu sacræ hostiæ extat decretum Honorij III. cap. sanè de celebr. miss. & de cõsecr. dist. 2. cap. peruenit. Vsus etiam vniuersi orbis Christiani confirmauit, in hoc vno sacramento positum esse viaticum, idest cibum itinerariũ, vel subsidium corporum & animorum, non solum in hac peregrinatione, sed in illo maximè difficili & formidabili transitu, quo in aliud sæculum emigramus. quo præcipuè tempore confirmandus est & erigendus totus homo ad immortalitatem beatam.

23 Narrat autem D. Chrysost. lib. 6. de sacerd. se audiuisse à sanctissimo viro, qui ipse diuina benignitate viderat, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si corporis Christi purè participes fuerint, cum spiritum efflaturi sunt, ab angelis eorum corpora more satellitum stipantibus, propter huiusmodi sacramentum assumptum, rectà hinc in cœlum abducantur. De eiusdem viatici necessitate & religione Dionys. Alexan. apud Euseb. lib. 6. hist. Eccles. cap. 34. & Concil. Nicæn. cap. 13. Paulinus in vita Ambrosij, referens quam magno miraculo Deus effecerit ne sine viatico suus Ambros.

De conſecratione templorũ, & aliorum ad cultum Eucharistiæ, quod in eã Christus verè ſit præſens.

broſ. de hac vita diſcederet. Ad cultũ eiuſdem ſacramenti, propter exiſtẽtem in eo reipſa Christum, confirmandum facit conſecratio templorum, altarium, veſtium, linteorũ, calicum, operimentorum, omniũq; quibus Eccleſia ad ſacram actionem vtitur. hæc enim omnia, vt inquit Hieron. ad Theop. Alexand. propter conſortium corporis ac ſanguinis Domini magna veneratione coluntur, & contaminata, vt autor eſt Optatus lib. 6. cont. Parmenianum ſacrilegos faciunt. &, quòd caput eſt, ipſa ſacerdotum, miniſtrorumq; omnium ſanctificatio, inunctio, mandata caſtitas, & totius vitæ ſanctitas non ob aliam certe cauſam, vt ait S. Siricius ep. ad Imerum cap. 7. eiuſq; æquales Hieron. cont. Iouin. & Ambroſ. 1. Tim. 3. tradunt quàm vt ſanctè tractent ſanctiſſima ſacramenta: & ipſi propter honorem corporis Dominici, magnã apud omnes fideles venerationem conſecuti ſunt. vnde D. Hieron. ep. ad Heliod. nihil de his audet dicere, quia Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: & Greg. Nazian. propter idem corpus aſſerit ſuum ſacerdotium non tantùm hominibus, ſed ipſis etiã angelis eſſe formidabile. vnde cum vehementius apud regem pro ſuis ciuibus intercederet: ego, inquit, princeps fundo ad te preces has eodem ore, quo perago ſalutis meæ myſteria.

Eiuſdem ſacramenti veneratio.

24 Plurimum etiam iuuabit ad eandem rem, intueri, quo modo ab illo tempore, quo hæreſis & profanatio huius ſacramenti per Berengarium & poſteriores hæreticos cœpta eſt, & quanto ſtudio Eccleſia catholica illis ſe oppoſuerit, & elaborauerit, ne quicquam dignitati ſummi ſacramenti & maieſtati decederet, quin potius, vt ex contraria hæreſi aliquid etiam venerationis accederet. circungeſtatur enim in publico, vt olim arca teſtamenti Ioſue 6. 1. Reg. 4. quę huius rei figuram continuerat: defertur per vicos & templa ſolemni & religioſa pompa, ad memoriam ingreſſus Domini ouantis in Hieruſalem paulò ante paſſionem, & ad recordationem omnium beneficiorum in illo corpore exhibitorũ, ad pacem & miſericordiam procurãdam, ad debitum cultum exhibendum, ad proteſtationem fidei noſtræ, omniumq; fidelium circa Euchariſtiam contra hęreticos, & perfidos Iudæos. Cœpit autem, vt exiſtimatur, hæc res primum ſolemniter fieri in ipſa vrbe Andegaueñ. vt hac religionis publica obſeruantia confunderetur eiuſdem loci Archidiaconus Berengarius: ſicut hodie in corporis feſto, & eiuſdem ſacræ ſolemnis ſupplicationis maieſtate ac ſplendore, populiq; deuotione, illa Eccleſia longe omnibus dicitur antecellere. Non multò poſt ab Vrbano IIII. ad eundem Euchariſtiæ cultum amplificandum, & hæreſim extinguendam, inſtituitur feſtum corporis Chriſti celeberrimum miris gratiis donatum, cuius officium D. Thom. eiuſdẽ Pontif. iuſſu & Spiritus ſancti afflatu conſcripſit, quo nihil vnquam venit in ſacrũ officium doctius, aut ſanctius. paſſim etiã ſancto ſacramento fiunt vota, eriguntur altaria, applicantur donaria, accẽduntur cerei, ſoluuntur orationũ penſa nocturna & diurna, exhibentur ſacræ comœdiæ, inſtituuntur ſocietates, & collegia, & reliqua innumera pietatis officia: vt planè conſtet omnem noui teſtamenti religionem corporis & ſanguinis cultu maximè contineri.

25 Vnde inconſideratè quidã huius ſacramenti cultum ad autorem Honorium Pontificẽ referunt, & multo minus referri poteſt ad concilium Tridẽtinum. quamuis in eo clarum extet in adorationis hoſtes anathema, cum tam illuſtris fuerit antiquitatis circa Euchariſtiam religio, vt D. Auguſt. tempore parẽtes Chriſtiani infantes, ſuos hoc primum in Deum obſequio imbuerent, illorum oculos in ſacramentũ dirigentes, & grauiſſima autoritate docentes, cuius corpus & ſanguis eſſet, vt conſtat ex D. Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10. Ad eandẽ rem oportet memoria repetere calicũ, ciboriorum, fiſtularum, aliorumq; inſtrumẽtorum, auro, aut argento confectorum varias formas, ad tutiorem & honoratiorem corporis ac ſanguinis aſſeruationem, oſtenſionem, adminiſtrationem, vſq; ad noſtra tempora deductorum. Duo ciboria argentea fecit Symachus Pont. temporibus Anaſtaſij Imperat. in quibus aſſeruabatur Euchariſtia ſuper altaria Silueſtri & Andreæ Romæ. alterum poſuiſſe argenteum Gregoriũ primum ſuper altare Apoſtolorum Petri & Pauli, narrat Petrus diaconus in vita eiuſdem Pontif. Gregorius etiam Turoneñ. in paſſione Polycarpi meminit turris argenteæ ad circumgeſtationem Euchariſtiæ: Ambroſius calicis aurei lib. 2. de off. c. 28. dicens infuſum auro ſanguinem. qualis

Seſſ. 13. can. 6

Inſtrumẽta ad Euchariſtiæ adminiſtrationẽ.

lis etiā relictus ante mille annos in Ecclesia Rhemensi à S. Remigio narratur, cum hac adscriptione, hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro. denique in plurimis Germaniæ antiquissimis monasteriis fatentur, quidam cānas, seu fistulas aureas ac argenteas antiquissimas adhuc extare, quibus è sacro calice ad maiorem cautelā sanguinem haurire solebant. ex eodem receptissimo Eucharistiæ cultu ingenerabatur quędam religio, teste Tertulliano animis Christianorum, quæ ad nostra vsque tempora in catholicis permansit, ne quid etiam vsitati panis, aut calicis communis, in terram laberetur.

Obiecta Christianis propter eximium Eucharistiæ cultū.

26 Vnde etiam effectum est, vt ab ethnicis propter Eucharistiæ eximium cultum, existimarentur Christiani Cereris & Bacchi cultores, inquit Aug. lib. 20. cōt. Faust. c. 13. & apud Prudētium gentilis præfectus in hymno D. Laurentij exprobat Christianis sacrificia ex sanguine humano, & antiquiores obiiciebant infanticidium, vt inquit Tertullianus c. 7. apologetici, & apud Euseb. lib. 5. c. 1. thyestæa conuiuia, & anthropophagiam. ad quas accusationes depellendas, Iustinus martyr in posteriori apologia necessarium esse existimauit, omnem nostrum religiosum Eucharistiæ cultum, clare & breuiter, quod ante eum fecerat nemo, ipsis etiam prophanis principibus & gentibus indicare. Valet etiam ad cultum eundem exprimendū esse hoc sacramentum, quod Dei in eo præsentia, vsa sit antiquitas ad effugandos dæmones. non solùm à personis, sed ab agris, ædibus & fundis, vt constat ex D. August. lib. 22. de ciuit. c. 8. D. etiam Gregorius lib. 2. dialog. c. 24. refert D. Benedictum hoc sacramento miracula quæq; maxima operatum, & alia eius generis infinita. Hactenus dictum sit de testimoniis patrum, quę, argumenta vel praxim continent, ad realē Christi præsentiam in Eucharistia constituendam, vt omnibus perspicuū sit, nihil esse in omni religione Christiana à maioribus nostris, aut exactius traditum, aut firmius creditum, aut illustrius explicatum.

Miracula per Eucharistiam effecta.

¶ *Obiectiones aduersariorū contra realē Christi præsentiā deinceps dissoluuntur.*

27 Reliquum est, ad perfectionem, & consumationem huius doctrinæ, vt aduersariorum argumenta refellamus. sunt enim in scripturis nōnulla, quædam in Patribus, quædam in ratione & argumentatione posita, quæ si verborum speciem spectes, catholico dogmati, quod confirmauimus, aliquo modo aduersa videntur, his præsertim hominibus, qui vel totos se contentioni dediderunt, vel ita ad id, quod præsens est, se accommodant, vt disputationum causas, progressus, antecessiones, consequentia, omnesq; temporum ac personarum circunstantias considerare, vel nolint, vel non possint: cùm nulla pars sit Theologiæ, quæ vacet hac difficultate, neque quicquam in omni disciplina tam certum sit, quod contrariis argumentis non impetatur. Quod quidem à pastoribus apud plebem sæpè inculcandum est, ne putet hoc singulare esse in Eucharistia, & ideò eius doctrinam dubitabilem, & indifferentem esse. sic quædam in Patribus specie tenus pro Arianismo, quædam pro Caluinismo & Pelagianis reperiuntur, quæ si diligenter & accuratè ponderētur, doctrinam catholicam potius confirmant. Ex hoc igitur triplici capite, scriptura, Patribus, ratione naturali, colligamus omnes aduersariorum obiectiones.

28 Ex scripturis primum est illud Ioan. 6. Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam: quod si non prodest, neque vere igitur, aut realiter datur in sacramentum, cùm hoc sit ad nostram salutem institutum. Ad hoc argumentum, primùm asserimus, quæ ex hoc c. Ioannis petuntur nihil hæreticis valere ad doctrinam Eucharistiæ, vel confirmandam, vel refellendam, cùm illi constanter negēt, quicquam hîc de sacramentali manducatione tractari: ex ipsis etiam catholicis permulti sunt, qui totum illum sermonē ad spiritualem manducationem referunt, quare, vt vera constet explicatio, de intelligentia totius capitis secundò differendū nobis est.

Prima obiectio

¶ *Ioannis c. 6. explicatur.*

29 Ex recentioribus igitur Caiet. Ioann. Hessels, & ante hos Gabriel, D. Augustinū in suam sententiam pertrahentes affirmāt, c. 6. Ioannis tantum esse intelligendum de spirituali manducatione, quibus accedit Iansenius in concordia c. 59. sed Caiet. ad D. Thom. 3 p. q. 80. ar. 12. hāc manducationem spiritualem absolutè intelligit, præcisam à sacramentali, & spirituali de ipso sacramento,

cramento, vt manducare spiritualiter, sit fide formata de morte; deq; sanguine Christi pro nobis effuso, Christo adhærere: sed postea in opusc. quo refutauit errores cuiusdã libri de cœna Domini, asseruit non quidẽ haberi sermonem de sacramentali manducatione, sed de sacramento, illis verbis, panis quẽ ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, & ita significauerit Dominus, ad salutem necessarium esse credere sacramentum Eucharistiæ. haberi etiam sermonem, ait, de manducatione spirituali sacramenti cũ suo effectu, & hoc Ioannẽ voluisse accuratè explicare præter alios Euangelistas. itaq; quãuis semper affirmet Caiet. sermonem illũ tantũ esse de spirituali mãducatione, prius tamen intellexit illam spiritualem absolutam, postea autem alteram spiritualem sacramenti huius propriam. Probat autẽ ex illis verbis, nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, de sacramentali mãducatione nullam eo. c. mentionem fieri: quia recta fides docet, paruulos solo baptismo salutem consequi, quod si hæc sententia de sacramentali mãducatione intelligeretur, esset hæc sententia fidei falsa, cũ generaliter significaretur necessitas sumẽdi Eucharistiam omnibus ad salutem: sicuti illis verbis, nisi quis renatus fuerit, &c. significatur baptismi necessitas. Accedit Caiet. Ruardus in ar. 15. Louanieñ. asserẽs Ioãnem locutum esse de pura spirituali manducatione, sine respectu ad sacramentũ in re, vel in voto, quę manducatio spiritualis incorporatione in Christum, & vnitate corporis mystici perficitur. adducitur in eam sententiã testimoniis Innocentij I. & Aug. & illis verbis Dñi, qui manducat meã carnem, habet vitã in se. loquitur enim Dominus de præsenti manducatione, nõ de futura: tunc autẽ cum habitus est ille sermo, nõ fuit possibilis alia manducatio, nisi spiritualis, cũ nondum esset Eucharistia instituta. Oppositam sententiam acerrimè defendit Roffensis cõtra Oecolampadiũ: caput nẽpè 6. Ioãnis intelligi de sacramẽtali mãducatione, non excludendo spiritualem, sed nullo modo intelligi de sacramẽtali tantũ.

30 Media sententia, inter has duas extremas, tutissima est, priori quidem p. capitis illius, sermonẽ esse de spirituali mãducatione, præcisa à sacramẽtali, ad illa vsq; verba panis quẽ ego dabo: ab his autẽ ad finẽ capitis, de sacramẽtali, quę continet posteriorem p. capitis, vt illa prior p. sit veluti præparatio ad posteriorẽ, & vt perfecta sacramenti mãducatio cõtinere intelligatur spirituale animæ & salutarem effectũ. Priorẽ igitur partem capitis, de illa spirituali manducatione accipiendam esse, ex verbis Dñi in ead. p. apertè euincitur, hoc est, inquit, op⁹ Dei, vt credatis in eũ, quẽ misit ille, &c; qui credit in me nõ sitiet vnquã, &c, hęc est autẽ voluntas eius, qui misit me Patris, vt omnis qui videt filium & credit in eũ, habeat vitã ęternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die: tandem ait, amẽ amen dico vobis, qui credit me habet vitã ęternã. Ab hac autẽ spirituali manducatione, tanquã à præparatione ad futurũ sermonẽ de sacramẽtali, transitionem factã esse à Dño, plurima cõcludere videntur. Primum quidem cõsuetudo Dñi, qui solet captare cõmoditatẽ & occasionẽ, vt seruata analogia quadam, orationem ad res proprias noui testamẽti trãsferat. disputat cũ Samaritana Ioã. 4. de aqua Sichẽ, & statim transit ad aquã gratię salientẽ in vitam æternam: siue ea sit aqua baptismi, vt placet Cypr. ep. 3. lib. 3. siue gratia iustificans, qua efficimur vitæ ęternæ hæredes, vt omnes theologi exponũt. de excidio vrbis Hierusalẽ disserẽs, ad orbis euersionẽ transit, & eodem sermonis cõtextu Matt. 24. se ad vtrunq; accommodat. sic prophetæ ordiuntur sæpè à ieiunio corporali, & desinũt in spirituale: incipiunt à sacrificio externo, & statim transeunt ad spirituale & internũ. Fiunt autẽ huiusmodi transitiones diuinissimè & accõmodatissimè, quando connectuntur, quę natura, vel præcepto ita sunt coniuncta, vt vnũ includat alterũ. sic sacramentalis mãducatio includit spiritualem, ieiuniũ Ecclesiæ ieiuniũ à peccatis: sacrificiũ corporis, sacrificiũ cordis: baptismus aquæ, baptismũ spiritus. sic etiã in Patribus pręsertim D. Aug. frequentes sunt huiusmodi trãsitiones, cũ id, quod est corporale officiũ religionis, ad spirituale transferũt, precipuè si sit spirituali conexum, quod ex sua natura est magis pręclarũ & salutare, quàm alterũ, cùm eius causa alterũ institutum sit. sic eisdẽ verbis etiã literaliter intellectis, pręcipitur spiritualis & sacramentalis mãducatio, tanquã duo complentia perfectã & vtilem communionem, cuius fructus est vita æterna.

Prior p. capitis de spirituali manducatione, posterior de sacramentali intelligitur.

Transitiones à corpore ad spiritum, à rebusve teris, ad res noui testamenti,

31 Hinc

31 Hinc intelligitur, quàm conuenienter assumantur Ioan. 6. illę metaphoræ, panis, cibi, potus, mãducationis. quãuis enim aliquãdo sumãtur pro bene viuẽdi pręceptis, vt in illo, operamini non cibũ, qui perit, aliquãdo pro fide incarnationis, vt in illo, ego sum panis viuus, qui de cęlo descẽdi: tamẽ ex his deinde ad Eucharistiam, siue carnẽ Christi manducatam accommodantur. vt in illis verbis, panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Itaq; ideò illę metaphoræ ad exprimendã fidem incarnationis, aut Christum incarnatũ, ad animorum vitam & sustentationẽ assumuntur: quia caro Christi re vera futura erat mãducabilis sub specie panis in sacramẽto. sicut olim Hiere. 11. propter eandẽ causam corpus Christi in cruce dicitur panis, cũ ait, mittamus lignũ in panẽ eius: & Genes. 49. sanguis effusus in cruce, propter speciẽ vini sanguinẽ Christi sacramẽtaliter continentẽ, dicitur sanguis vuæ, cũ inquit, lauabit in sanguinẽ vuę amictũ suũ. eadem ratione, quæ dicuntur eod. c. 6. de mãna, de vitę sinceritate, de tractu Dei, de necessitate credẽdi, de incarnatione, de vita, de spiritu, & similia accõmodatè nos pręparant, ad sermonis difficillimi de Eucharistia intelligentiã. Sic etiam, quia sacramẽtalis perceptio ex pręcepto Christi, habet alterã manducationem coniunctã spiritualẽ, sępè D. Aug. vt lib. 21. de ciu. c. 25. & in Ioã. tract. 25. 26. & 27. eadẽ verba seruatoris ex Ioã. 6. c. ad vnitatẽ ecclesiasticã, incorporationem, mansionẽ in Christo, & fidẽ in ipsum, æquè atq; ad sacramentum refert: ad vtrumq; autẽ pertinere eisdem locis ostendit: imò, quia spirituale illud principalius est, alterũ, quod est corporale, more sacrorũ scriptorũ, ita deprimit aliquando, vt nõ omninò requiri aut nõ omninò necessariũ esse videatur: cũ tantum velit non propter se, sed propter spirituale, quod per se necessariũ est, expetendum esse. hoc sensu inquit, tract. 25. in Ioannẽ, quid paras dẽtem & ventrẽ crede & mãducasti, quasi dicat, in re præcipua maior cura adhibenda est, quã in corporali, quæ minus præcipua est: propter alterã tamen necessaria est. Simili phrasi dixit Dñs Oseę 6. Misericordiã volo, & non sacrificiũ. non enim prohibet sacrificiũ externum, quòd sępè pręcepit, sed pręfert misericordiã, hoc est, sacrificium internum. Eodem modo spiritualiter tractat D. Aug. tract. 26. in Ioan. verba D. Pauli 1. Cor. 11. quæ tamẽ nullus vnquã dubitauit, aut dubitare potest, ad sacramentum pertinere. similiter etiã Theophilactus ipsa consecrationis verba Luc. 22. c. quare vehemẽter errant, qui propter hanc spiritualẽ manducationẽ, vel à Dño, vel ab ipsis Patribus maximè cõmendatam, negari existimant sacramentalem, aut corporalem.

Sanguis vuæ, dicitur sanguis Christi, & panis dicitur eius caro.

Explicatur D. Aug. cùm loquitur de spirituali manducatione, qua ratione non excludat sacramentalem.

Ex Aug. lib. 10. de ciu. c. 5.

32 Quod vt apertius intelligatur, spiritualis mãducatio distinguẽda est: quinq; enim modis vsurpari potest. primò per fidẽ verã & perfectam incarnationis, sine vllo respectu ad Eucharistiã: quomodo manducauerũt Iudęi & fideles omnes ante institutionẽ Eucharistiæ, nisi alicui esset reuelata à Deo. Hęc mãducatio nunquã intelligitur ab Aug. cũ tractat aliquem locũ pertinentẽ ad Eucharistiã, nisi fortè per allusionẽ, & accõmodationem verborũ. Altero modo caro Christi mãducatur spiritualiter, licet re vera, quia nõ in carnis specie & ideò est spiritualis secundũ modum manducandi, respectu eius, quẽ Capharnaitę sibi finxerũt Ioan. 6. vnde hoc secũdo modo nõ differũt sacramẽtalis, & spiritalis mãducatio. Tertio modo manducare spiritualiter est fide, & desiderio ferri in hoc sacramentũ, ac per illud re, vel voto acceptũ, incorporari Christo: vt fit cum vel digni suscipimus ipsi, vel adstamus & cõmunicamus sacerdoti ministranti. Quartus modus est, cũ quis fertur in hoc sacramentũ desiderio & voto implicito. sic percipitur ab infantibus in baptismo, quatenus ex eo ius acquirunt ad verũ corpus Christi, & eius participationẽ: quia baptismus est professio nostrę religionis, vt Christo perfectè vniamur, quod fit per hoc sacramentũ, vt supra explicauimus. itaq; desiderãt corpus Christi verũ infantes per baptismũ, vt eidẽ corpori perfectè vniantur, non aliter nec minus propriè, quàm dicuntur credere & diligere: & ideò per huiusmodi votũ implicitũ incorporantur Christo. & is effectus prouenit à baptismo non præcisè, sed vt habet ipsius susceptio, coniunctũ & implicitũ votum Eucharistię. de qua re ita disseruit D. Aug. cõt. Pelagianos, vt plerisq; existimaretur dicere, pueris ad salutẽ necessariam esse Eucharistiã: quod est per se falsum, & à cõci. Trid. sess. 13. condemnatũ, atq; Aug doctrinę cõtrarium. ipse enim li. 3. de peccat. meri. c. 4. & serm. ad infantes citato à Beda. 1. Cor. 11. expresse

Spiritualis mãducatio distinguitur.

1.

2.

3.

4.

D. Aug. explicatio de mãducatione Eucharistiæ in paruulis.

expresse asserit, eos participare carnem & sanguinē Dñi ad vitā in baptismo, nō quòd illud proficiscatur ex baptismo, vt tali pręcise, aut quòd sub præcepto manducandi carnē & bibendi sanguinem, nihil aliud iubeatur, quā baptismus, vt quidā incōsiderate asseruerūt: sed quia illud sacramentū primū ordinat infantē de spiritu Christi iam incipientē viuere, in perfectā & in corporalē coniunctionem cū Christo, vt diximus, & ideò votū Eucharistiæ in ipso implicitū inserit, vnde pascatur de altari, non minus, quam adulti, qui proprio desiderio in illud feruntur, & virtutē Eucharistiæ consequatur, licet statim à baptismo moriatur. hæc videtur esse D. Aug. sententia lib. 1. de pec cat. merit. c. 20. vbi pręceptum mādūcandi & bibēdi sanguinem, ex hoc c. 6. ad infantes pertinere, & esse aliud, quam mandatū de baptismo, & propriè spectare ad sacramētum sanctæ mensæ, ad quod nemo accedat, nisi baptizatus, perspicuè tradit: quia vbicunq; sacramenti fructus ex sacramēti voto percipitur, est quidē spiritualis perceptio, sed ad sacramentū propriè pertinens, & cōmendatur nobis iisdem locis, quibus sacramentum præcipitur.

Guilel. Alan. lib. de Euchar. sacramento c. 51.

5. Quintus modus manducandi hoc sacramentum spiritualiter est falsus, à Sacramentariis tantum vsurpatus, quo fingunt se in hoc sacramento fide comedere Christum absentem, & sibi presentem sistere, vt supra in historia Sacramentariorum explicauimus.

33 Hactenus ostendimus, priorem partem 6. c. Ioannis esse, de manducatione illa spirituali primi modi, intelligendam: & ab ea transitionem factam esse à Domino, ad alteram sacramentalem, cū qua est coniuncta, quæ secundo modo spiritualis dicta est. restat confirmandum, posteriorem p. eiusdem cap. ab illis verbis, panis quem ego dabo, de sacramentali manducatione accipiendam esse. Primum autem argumētum sit ex verborum proprietate iuxta regulam D. Aug. lib. 3. de doct. Christ. c. 10. & 11. cum ait, quod pespicuè sonat, nō est ad aliud referendum, quasi figuratè dictū sit, nisi facinus, aut flagitium aliquod præcipi videatur, vt explicant Tertullianus de carne Christi, Basil. ho. 9. in Hexaem. Epiphan. hæresi 61. proprietas verò sermonis expendenda nobis, ex vsitata & recepta loquendi consuetudine, sed dare in cibum & potum carnem & sanguinem, propriè

Posterior part. eiusdem cap. de manducatione sacramentali.

intelligimus de ea datione, quæ est in manum, & de manducatione & potu, quę oris officio perficitur: & nullum inde sequitur flagitium: quia c. illo 6. promittitur danda caro, datur autem in cœna vltima sub specie panis & vini sine vllo flagitio: & ideò flagitium conceptum à Capharnaitis, de manducanda Christi carne membratim dissecta, Dominus exclusit eod. c. 6. debēt igitur illa omnia propriè intelligi. Cōfirmatur ex Christi cōsuetudine, qui semper prędicere solebat, quæ viderentur magis insolita, & difficilia creditu. sic toties prędicitur mors & resurrectio Christi, aduentus Spiritus sancti, regnum cęlorū, vt obseruauit D. Chrys. hom. 83. in Matt. & D. Cyril. in Ioā. lib. 3. c. 37. affirmantes c. 6. prædictā fuisse sacramentalem manducationem, ne re noua & inaudita discipulos in vltima cœna obstupefaceret. Præterea caro eadem promittitur danda in cibum, quam daturus esset pro mūdi vita: quod neq; intelligi, neq; cōpleri potest nisi in manducatione sacramentali. itaq; exprimit Dñs duplicem dationem, vnam in cibum, alteram pro mundi vita: sed vtranq; vnius carnis, & modum eius, qui est in cibum non exprimit Ioā. 6. sed in vltima cœna instituit & compleuit.

Proprietas verborum in sancta scriptura.

Christus perfectiora mysteria solet prædicere.

34 Eandem proprietatem verborū confirmat collatio & antithesis vltimę cœnæ, cum iis, quæ 6. c. Ioannis de hoc sacramento præmonuit, c. 6. inquit, panis, non quem ego accipiā, sed quem ego dabo, caro mea est, in cœna accepit panē, dedit autem factum corpus & carnem suam. illic promittitur in cibū caro, quā daturus erat pro mundi vita: hîc autē offertur corpus, quod pro nobis datur: ibi dicitur caro mea verè est cibus: hîc additur consequens, manducate, hoc est corpus meū: ibi sanguis meus verè est potus: hîc adiungitur consequens, bibite ex eo omnes. est etiam vtrobiq; in personis consensio. Capharnai turbis recedentibus, soli duodecim cum Christo remanserūt, in cœna soli duodecim cum Christo recumbunt: ibi dictum est vnus ex vobis diabolus est: in cœna sathanas introiuit in Iudam vnum ex duodecim. hoc igitur est primum argumentum ex verborum proprietate deductum.

Collatio cœnæ, & 6. cap. Ioā.

35 Alterum est ex ætiologia, dictū enim & ratio omninò de eodem esse oportet, vt conclusio & ratio conclusionis. cum igitur Christus dixisset, panis quem ego dabo caro mea

ro mea est, videretq; Iudæos intellexisse de carne sua in cibum accipienda, nihil de ea intelligentia immutauit, sed eam confirmans, maxima asseueratione causam subiunxit dicens, amen amen dico vobis, nisi manducaueritis, &c. & caro mea verè est cibus. quasi ita apertius concludat: quod verè cibus est, verè manducatur, caro mea verè est cibus: ergo verè manducatur. quæ manducatio, cùm Christus post resurrectionem sit omninò impassibilis in se, non potest cadere nisi in Eucharistiam ab ipso institutam in cibum & potum. dixit autem verum cibum, excludens metaphoricum cibum & spiritualem per fidem perfectam in ipsum, de quo prius fuerat locutus. est etiam verè cibus & vera manducatio, quia naturæ nostræ, quæ ex carne & spiritu constat, valde congruens, vt manducemus similiter corpore & spiritu, & totus homo impleat manducationis officium. Confirmat eandem explicationem Domini similitudo & exemplum, sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me: sed Christus viuit propter substantiam Patris in ipso manentem: ergo nos viuere affirmat propter Christum verè & substantialiter in nobis manentem: quod tantum fit manducatione sacramentali, de hac igitur loquitur Dominus. si enim tantum dicas nos spiritu viuere propter Christum, vt dicere conuincuntur, qui totum illud 6. c. intelligunt de de spirituali tantum manducatione, conuinceris etiam cum Arrianis etiam dicere, Christum esse vnum cum Patre, spiritu & affectu voluntatis, & non consubstantialitate naturæ, vt recta fides docet. Tertium argumentum desumitur ex adiunctis per collationem panis, quem Christus promittit, cum pane, quem dedit pater. de hoc enim pane sunt hæc, non Moysen dedisse, sed Patrem, Christum in carne missum, esse hunc panem, eum, qui credit in Christum, manducare ex hoc pane: sic manducantem viuere in æternum. de pane autem suo prius dixerat Dominus, operamini cibum, quem filius hominis dabit vobis, posteà vero nomen cibi huius sic expressit, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & qui manducat hunc panem, viuet in æternum. cum igitur Pater iam det, Christus filius promittat se daturum per mãducationem suæ carnis, & hæc non possit manducari, nisi in sacramento, necessariò efficitur, sermonem Domini esse de manducatione tantum sacramẽtali in illa posteriore p. capitis.

Sot. 4. d. 12. q. 2. ar. 11.

Sand. ad c. 6. Ioan.

36 Quartum argumentum est Patrum consensus: omnes enim Græci & Latini, quicunque hoc c. fusius exposuerunt, vel obiter attigerunt, sacramento Eucharistiæ accommodarunt. non solùm autem cùm ad populum concionem habent, in qua solent multa adduci in sensu spirituali & morali, sed etiam cũ seriò exponunt sacrã scripturam, cùm hæreticos refellunt, cùm fidei dogmata confirmant: quæ omnia constat in solo sensu literali esse firma & solida. sic Origen. hom. 16. in Num. exponit carnem Dei esse verum cibum. Cyprianus de oratione Dominica illud, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & lib. 3. ad Quirin. cap. 25. & 26. Athanas. in synopsi sacræ histor. inquit eodem c. agi de mysteriis, quo nomine Græci Patres vocant Eucharistiam. Athanasium sequitur Hilar. lib. 8. de Trinit. Basil. in regulis, regula 21. Ambros. lib. 6. de sacramentis capit. 1. lib. 4. de fide cap. 5. de his, qui myst. initiantur cap. 9. in eandem sententiam adducit Algerus lib. 1. cap. 17. D. Hieronymum, & huius sententiæ fuisse patet q. 2. ad Hedibram, & ad Ephes. cap. 1. Leo primus serm. 6. mensis 7. Chrysost. Cyril. Theophil. Euthim. similiter exponunt de sacra Eucharistia. Theophil. Alexand. apud Hieron. lib. 2. Paschal. Theodoret. lib. 4. histor. cap. 11. ex hoc c. refutat Messalianos negantes fructum aliquem percipi ex eadem. Cyprianus etiam lib. 1. contr. Iud. cap. 21. ex eodem c. probat præceptum de sumenda Eucharistia: lib. autem de cœna, ostẽddit ex eodem, quantus sit fructus perceptæ Eucharistiæ. Consentiunt eisdem Theologi scholastici vtentes testimoniis ex hoc c. petitis ad doctrinam de hoc sacramento 4. sentent. dist. 11. & 12. neque ante Lutherum, quisquam ausus est negare in eodem c. disseri de sacramentali manducatione comprehendente spiritualem, aut de spirituali tantum, exclusa sacramentali, vt intelligatur à quibus initiis hæc dissensio profecta sit.

Patrum consensus de explicatione capitis 6. Ioannis.

De sententia D. Aug. supra dictum est.

Theologi.

37 Quintum argumentum sit ex conciliis, in Ephesino primo in epist. Cyrilli ad Nestorium, quam idem concilium probauit,

Concilia.

bauit: cùm Nestorius verbis huius 6. capitis ad suam hæresim abuteretur, quasi significaretur caro filij hominis manducanda, non diuinitas: & ideò impiè concluderet alium esse Christum Deum, aliũ Christum hominem. respondent Patres vltrò confitentes illic agi de Eucharistia, quam vocãt mysticam benedictionem, cùm tamen facilis esset illa responsio, ibi tantum esse sermonẽ de spirituali manducatione, si hoc verum esse existimarent: & ostendẽtes prȩtereà carnem Christi manducari in Eucharistia, non vt cõmunem, sed vt verbi propriam effectam, & viuificatricẽ, propter hypostaticam cũ verbo vnionem. Nicenum etiam secundũ concil. ad probandũ reipsa & substantialiter cõtineri Christũ, non vt in signo, adducit illa ex Ioan. 6. c. nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, &c. atq; illa, qui mãducat carnẽ meam, & bibit meũ sanguinem: & illud ex cœna Domini, accipite, edite, hoc est corpus meũ, vt apertò significaret, vtrobiq; agi de eadẽ sacramentali mãducatione. similiter adducunt multa ad Eucharistiã ex eod. 6. c. Cabiloneñ. secũdum, Senoneñ. Colonieñ.

38 Tridentinũ verò sess. 21. c. 1. definit cõtra Lutheranos, laicos & clericos non cõficientes, ex prȩcepto Dñi non adstringi ad sumptionẽ vtriusq; speciei, vt illi colligebant, nõ ex 6. c. Ioãnis, quod illi de spirituali tantũ manducatione intelligũt, sed ex institutione Eucharistiȩ. deinde cõtra Hussitas ex eisdem verbis Ioan. 6. c. colligentes vtriusq; speciei sumptionẽ omnibus esse in prȩcepto, sic definit: sed neq; ex sermone illo apud Ioã. 6. rectè colligitur vtriusq; speciei cõmunionem à Dño prȩceptã esse: vtcumq; iuxta varias sanctorum Patrũ, & doctorũ interpretationes intelligatur. quibus verbis licet nõ sit definitum, quȩ nam sit intelligẽtia eiusdẽ c. non tamẽ negauit in eodẽ agi de sacramentali mãducatione: imò verò in eodẽ sensu explicat quædam pertinẽtia ad hoc sacramentũ, vt cũ inquit sess. 13. c. 2. sumi autẽ voluit sacramentũ hoc tanquam spiritualẽ animarum cibum, quo alãtur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, ipse viuet propter me, quod testimonium desumptum esse cõstat ex eod. 6. c. Postremò cõcludamus cũ D. Aug. lib. 2. de doct. christ. c. 8. vt eligamus hanc explicationẽ, quam omnis vel penè omnis frequẽtat Ecclesia. Primũ,

Vtilitas huius explicationis.

quia non habẽt theologi aliud fundamentũ ad celeberrimã disputationem de vsu, finibus, fructibus ac effectis sacrȩ communionis, quã ex hoc c. aut enim nusquã, aut hoc c. de hac re disserunt sacri scriptores. Deinde si eod. c. nõ extat prȩceptũ cõmunionis sacramẽtalis, nõ extat certè alibi de omnibus fidelibus expressũm. Prȩtereà nõ est probabile, præceptũ manducandi per fidẽ, quod est prȩceptũ credẽdi, per se tam planũ, & aliàs tã sȩpè inculcatum, tã operose tradi, tot verborũ inuolucris, tot metaphoris, tã alienis & tã duris sermonibus inuolui, tãta obscuritate implicari, vt tã graues offensiones in animis discipulorũ excitarẽtur. Deniq; nunquã abiissent retrò discipuli, si de spirituali mãducatione, aut de credendo tantũ sermo esset habitus. Quæ omnia necessariò euincere vidẽtur, totum illum sermonẽ 6. c. licet prȩcisè non sit de Eucharistia, ad Eucharistiã tamen tẽdere, & ab illis verbis, panis quẽ ego dabo, præcisè in Eucharistiam desinere.

39 His positis de explicatione c. 6. Ioã. ad obiectionẽ ex eo petitam, contra realẽ Christi prȩsentiã in Eucharistia, quia in eo inquit Dñs, spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquã: respondendũ est primo, Christũ nõ esse locutum de sua carne, sed carnẽ appellasse crassam, animalem & carnalẽ Capharnaitarum intelligentiã, quæ nõ poterãt ad tanta mysteria assurgere, & ideò spiritu opus esse. quo sensu dicitur Ioã. 3. quod natũ est ex carne, caro est, quod natũ est ex spiritu, spiritus est, & Mat. 16. Caro & sanguis nõ reuelauit tibi. sic Tert. lib. de resurre. car. respõdet ad eos, qui ex hoc loco negabãt carnis resurrectionẽ: sic Origenes ad illud, nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. similiter Cyp. de cœna Dñi, Chrys. ho. 46. in Ioã. Cyr. Hieros. catec. myst. 4. apud quos carnẽ nõ prodesse, est, sensum hominis animalis inutilẽ esse ad mysteria perscrutãda, & proinde rationi & spiritui captiuandũ. eundẽ sensum cõfirmat, quòd Capharnaitas ibidẽ Dñs infidelitatis arguit, quodq; carnali intelligẽtiæ verba sua opponit, quȩ spiritus & vita sunt, hoc est plena mysteriorũ, vitalia & spiritualia, non accipienda secundũ occidentẽ literã, sed secundum viuificantẽ spiritũ. Secundo respõderi potest, ipsam etiã carnẽ Christi nõ prodesse affirmari, modo illo carnali, quo Capharnaitæ manducandã intelle-

Caro Christi, quo sensu dicitur nõ prodesse.

xerunt,hoc est elixam, assam ve, & in partes dissectã,sic intellexit Cypr.de cœna,& D.Aug.tract.27.in Ioã.Tertiò dici potest, caro etiã Christi in sacraméto non prodesse,vt caro est precise,sed vt spiritui & diuinitati vnita:quẽ sensum fere semper Cyril. sequitur lib.4.in Ioan.& D.Aug.lib.10.de ciu.c.24.& in Psal.38..vt si diceres, aquam perse nõ prodesse in baptismo,sed spiritũ, cuius aqua instrumentũ est. ex quibus omnibus constat,nec carnalem intelligentiã, nec modũ manducandi,quẽ infideles conceperunt,nec ipsam perse carnem sine spiritu ac diuinitate quicquam prodesse.

40 Illud autẽ, quod Dñs eidem sententię prępoſuit,hoc vos scãdalizat? si ergo videbitis filiũ hominis ascendentẽ ybi erat prius:nõ prodest aduersariis ad refutãdam eandẽ Christi præsentiam in Eucharistia. hoc enim sensu aduersarij accipiũt,nõ hoc corpus comedetis,quia illud mecum in cęlũ deferam. At vero licet hunc sensum videatur etiã D.Aug.significare,cõgruenter tamen ad priorẽ sententiam, & carnalem illam intelligentiam: vt affirmetur,nõ esse illud Christi corpus sic manducandum,vt in frusta diuidatur, cũ in ẽa specie integrũ corpus deferendũ esset in cęlum:hæc autẽ existentia corporis Christi in cælo in propria specie,nõ repugnat existentiæ eiusdẽ sacramentali in terris. Sed melior est explicatio D. Chrysost. cuius hæc sunt verba: vos offensionem accepistis à meis verbis, quòd dixi me daturũ vobis carnem & sanguinem: sed cum hoc vos tantopere scandalizet,quid dicetis,quando videbitis filiũ hominis ascendentem vbi erat prius? duo enim hoc cõmentario innuit, & minus mirum hoc esse, quod dicit & facit in dando corpore suo in cibum, quàm in ascendendo in cælum:& hæreticos,atq; infideles tunc magis offensos fore de præsentia corporis in Eucharistia,cum viderint totũ Christum sublatum in cælum.vnde hæretici in hunc vsq; diem illud habent in ore, ascendit in cælum:ergo non est in altari: vt ita Dñs notet propheticè perfidorũ perpetuũ futurũ scandalum circa hoc sacramentũ,idq; ex articulo ascẽsionis desumendũ.

Ascensio Christi non tollit veritatem corporis Christi in Eucharistia.

41 Altera obiectio aduersariorũ colligitur ex 10.c.1.Cor.quatenus significat, non aliud nos mãducare in Eucharistia, quã veteres in mãna,verba illius sunt: omnes eandẽ escam spiritualẽ manducauerũt, & omnes eundẽ potũ spiritalẽ biberunt:bibebãt autẽ de spiritali consequẽte eos petra,petra autẽ erat Christus:sed illi nõ comederunt Christũ re vera, sed in figura tantum:ergo neq; vos.respõdetur primò, collationẽ nõ fieri ipsorũ ad nos,sed ipsorũ inter se in ipsa manducatione: vt ipsi omnes siue boni vt Moyses,Aaron,Phinees:siue mali,vt murmuratores,qui prostrati sunt in deserto,eũdem Christum spiritaliter mãducauerint. Secundò,etiamsi fiat ipsorum ad nos collatio,in Christo manducato conuenimus, in modo autem minimè:quare, qui ex illo infert hoc,decipitur fallacia figuræ dictionis,à re ad modum rei: illi enim alio modo quam nos,eodẽ Christo pasti sunt. alioquin sequeretur eadem esse vetera & nostra sacramenta.eodem sensu quidam veterum asseruerunt,eundem esse cibum hominum & angelorum:inde tamen non efficietur angelos corporaliter,vel sacramẽtaliter Christum in Eucharistia manducare,sicut nos.Reliqua sanctę scripturæ testimonia,quæ ab aduersariis cõtra realẽ præsentiã afferuntur,minutiora sunt:&quę ex præcedẽtibus pro catholica sententia facilè explicari possunt,vel ex sequẽtibus,quæ ad testimonia sanctorum obseruãda sunt.

Christus idem, cibus noster & veterũ,sed alio modo.
Ex D. Aug. tractat. 26. in Ioan.

42 Alterum igitur genus argumentorũ ducunt aduersarij ex patrum testimoniis, quibus illis videtur realis præsentia omninò negari:sed vt exactè intelligãtur,quędã documenta obseruabimus.Primũ est,quæ de hoc sacramento in mystico & spirituali sensu dicũtur,quęq; ad fidẽ, deuotionem, & interiorẽ affectum pertinere videntur, nullo modo repugnare posse reali & verę præsentiæ, quæ secundũ literalem sensum asseritur & cõfirmatur.cõstat enim,ex his, quę dicta sunt 1.p.q.1.ar.10.mystici & spiritualis sensus fundamentũ esse literalem: quare imperitè aliquis ex affirmatione spiritualis sensus, conabitur tollere præsentiã realẽ,quę in literali fundetur. sic ex Origene scribentẽ ad c.26.Matth.panis iste,quẽ Deus corpus suum esse fatetur, verbũ est nutritorium animarum:inferunt aduersarij,nihil aliud esse manducare corpus Christi,quam audire verbum illius. hîc igitur Origenes spiritualem sensum sectatur,qui literalem non euertit, vt ex eodem loco colligi potest,& ex ho.16.super Num.vbi literalẽ & mysticũ his verbis coniunxit,bibere dicimur sanguinẽ Christi,& ritu sacramentorum,

mentorũ, & cũ ſermones eius recipimus.

Quæ Patres myſticè dicunt de corpore Christi in hoc ſacramento, ad modum exiſtendi, non ad rem ipſam exiſtentẽ, referẽda ſunt.

43 Alterum documentum ſit, quæ in Patribus ſpiritualem & vmbraticam præſentiam Chriſti in hoc ſacramento conſtituere videntur, non autem realem & ſubſtantialem, ea non ad rem exiſtentẽ, ſed ad modum exiſtendi referenda ſunt: modus autẽ eſt occultus & ſacramentalis, & ideò myſticus. ſic intelligendũ eſt illud Auguſt. ad Pſal.33. Chriſtus cum corpus ſuum comendaret diſcipulis, quodammodo portabat ſe manibus ſuis. inquit enim [quodammodo] non ad tollendam ſubſtantię veritatẽ, ſed ad inuiſibilem modum exprimendũ. ſimile eſt illud eiuſdem ep.23. ad Boniſac. ſecundum quendam modum ſacramentũ corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſicut ſacramẽtum fidei fides eſt. ſignificat enim Aug. quod ſicut ſacramentum fidei ſuſceptum ab infantibus, & in illis per characterem manens, dicitur illorum fides, & re vera eſt, cùm inſerat fidem, per quam conſtituuntur fideles, licet fidei adultorum comparata, dicatur fides quodammodo. ſic corpus Chriſti in ſacramento ad corpus in propria ſpecie collatũ, dicitur quodámodo corpus Chriſti, non quòd non ſit idem reipſa ſubſtantialiter, ſed quòd non ſit eodem modo, quo aliquid in propria ſpecie dicitur eſſe idem. Hinc etiam fit, vt vna & eadem res ſubſtantialiter permanens, propter modum exiſtendi diuerſum, dicatur non ipſa. ſic D. Aug. in Pſal.98. cũ corporis Chriſti realem præſentiam in Euchariſtia adorationis iudicata neceſſitate ſatis declaraſſet, tandem dicit, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinẽ, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. ſacramentũ vobis cõmendo, ſpiritualiter intellectũ viuificabit. hęc Auguſtinus, in quibus, illa, [hoc corpus, illum ſanguinem] nõ ſubſtantiam ſimpliciter denotat, ſed vna cum modo & naturali conditione exiſtendi, & ita dicatur ſpirituale, & nõ hoc ipſum, quod fuit, quia nõ eſt idẽ cum omnibus ſuis proprietatibus. Sic etiã D. Paul. eo ipſo loco, quo conatur oſtẽdere eiuſdẽ numero corporis reſurrectionẽ, 1. Cor.15. cõparans tamẽ hoc mortale ac corruptibile corpus eidẽ poſtea futuro immortali, incorruptibili, & ſpirituali, appellat corpus futurũ, ſpirituale: atq; etiã aſſerit nõ quod futurũ eſt ſeminari, ideſt, in terrã cadere, ſed Deũ daturũ eſſe corpus, ſicut vult. conſtat

Quo ſenſu dicatur corpus Chriſti ſubſtãtiale, myſticum & ſpirituale.

D. Aug. explicatio.

autẽ ſecundum rectã fidem de reſurrectione, nõ ſignificari diuerſam ſubſtantiã, ſed mirificã in exiſtendi cõditione differentiã. cõſonat etiam hęc ratio dicendi vſitato & uulgari ſermone, quo vt nobis accõmodato plurimũ vti ſolet ſancta ſcriptura. vulgo enim nomina rebus attribui non ſolẽt, niſi vulgari & vſitata cõditione exiſtãt. ſic, quia cõditiones & qualitates corruptibiles carni noſtrę cõgenitę in cęlo nõ manent, dicitur ibidem ab Apoſtolo, caro & ſanguis regnũ Dei nõ poſſidebunt: & Mat.26. me nõ ſemper habebitis, & 23. amodo nõ videbitis me: cũ tamen haberẽt & viderẽt poſt reſurrectionẽ plane ſubſtantia eundem, ſed exiſtẽdi cõditione diuerſum. Lucæ etiã vltimo colloquens cũ diſcipulis & verè præſens, ait tamen, cũ eſſem vobiſcũ. ſi igitur ex huiuſmodi differentia cõditionis in exiſtentia & conuerſatione, ſignificatur tunc nõ eſſe præſens, aut non eſſe is, qui fuerat; quanto magis ex longè maiori differentia exiſtentię in ſacramento dici poterit non eſſe idem, qui prius fuerat viſibiliter.

44 Ex hac obſeruatione, orta videtur illa diſtinctio triplicis corporis, veri, myſtici, & ſacramẽtalis: quã tamen propter latens impiũ dogma, vitandã monet Paſch. in lib. de corp. & ſang. Dñi. ſicut hęc ipſa ratio dicendi, quã in D. Aug. & aliis explicamus, & quę olim fuit ſine offenſione recepta, modò ne videamur fouere & alere Sacramẽtariorũ impium dogma, vſurpanda nõ eſt. Ex hoc etiã modo exiſtẽdi in ſpecie aliena panis & vini Chriſtũ in hoc ſacramẽto, dicitur eſſe ſignũ, figura, imago, ſymbolum, memoriale, repræſentatio, ſimilitudo: ipſum enim corpus, vt modo myſtico exiſtẽs, duplici ratione dicitur ſacramentũ, & reſpectu gratię ſacramẽtalis, quã ſignificat & efficit, vt rẽ ſacramẽti, & reſpectu ſui ipſius exiſtẽtis in forma & ſpecie naturali & viſibili: nomẽ autẽ antitypi frequẽter à Patribus Græcis Euchariſtiæ attributũ, realẽ Chriſti præſentiã perfectè exprimit: cũ antitypõ ſit res ipſa, quæ vmbræ veteris legis reſpondet, vt veritas, & ſignificat rẽ eandẽ in cęleſti patria perfectius exiſtentẽ. cõſtat autẽ, Chriſti vt exiſtẽtis in hoc ſacramẽto, plures vmbras fuiſſe, & eſſe ſignũ Chriſti exiſtẽtis in cęlo in propria ſpecie, vtrobiq; vero ſecundũ ſubſtãtiam eãdem: oẽs enim circa corpus Chriſti actiones inter cõſecrãdũ, adminiſtrandũ, diuidendũ, offerendũ,

Chriſtus qua ratione realiter in Euchariſtia exiſtẽs dicatur ſignũ, figura, ſymbolũ, &c.

Antitypon.

latenter & mysticè in hoc sacraméto peractę, repręsentăt fractũ, oblatum atq; mortuũ in cruce Dñm visibiliter. Vnde Lanfrancus contra Berengarium citat Augustinum & Gregorium, asserentes carně carnis, & sanguině sanguinis esse sacramentũ, hoc est sacrũ signũ. quin etiã D. Aug. hoc sensu ausus est ipsum Christum, in propria hominis specie existétem, appellare sacramentũ filij Dei, li. qq. 83. q. 42. propter latétem modũ existétię diuinitatis in humanitate, sicut etiã Ambr. li. de fide c. 4. ait, filiũ passum per sacramentũ corporis: & transfiguratus Dominus in monte hac ratione erat figura & repræsentatio sui ipsius, vt in gloria Patris existentis.

45 Quare non est cur offendat illud D. Aug. cõt. Adim. c. 12. nõ dubitauit Dñs dicere, hoc est corpus meũ, cùm signũ daret corporis sui: hoc est non dubitauit appellationě corporis existétis in naturali cõditione, tribuere eidě existenti sub sacramétali cõditione & specie. illud autě [non dubitauit] significat verè hanc appellationě eidě corpori competere, quòd sit substătialiter idě, licet alio modo existens. Neq; illud itě offendere potest eiusdě in Psal. 3. Iudã adhibuit Dñs ad conuiuiũ, in quo corporis & sanguinis sui figurã discipulis cõmendauit, & tradidit: figurã appellans propter modũ existědi non propter rě. Eodě sensu Grecę Liturgię sępè vocant corpus & sanguinem Christi, symbola, mysteria, & antitypa. licet enim Nicęna synodus secunda, & Damas. li. 4. c. 14. apertè doceăt his nominibus apud Gręcos appellata esse paně & vinum ante consecrationě, quomodo certè Amb. li 4. de sacr. c. 5. dixit, paně & vinum ante consecrationě, illasq; actiones oblationem antecedentes, figuras corporis & sanguinis Dñici: tamě indubiè apud veteres Gręcos eędě appellationes attributę post consecrationě, vt apertè apud Naziã. in oratione ad Funus Gorgonię sororis, iuxta interpretationě propositam, rectissimè, & cõmodissimè vsurpatę sunt.* vnde in hoc arguméto, quo frequěter sacramentarij vtũtur: est signũ sacrum, figura, exéplar Christi Eucharistia: ergò nõ est Christus, cõsecutio negãda est: quia ista non opponuntur secundũ rě & substantiã contentam, sed tantũ secundum modũ existentię, vt explicauimus. Sicut etiã non repugnat cõsubstantialitati filij Dei, quòd Hebr. 1. appelletur character & figura substătię Patris, aut quòd Colo. 1. imago Dei dicatur: vt neq; tollit humanitatě, quod Phil. 2. dicatur specie ac habitu inuentus vt homo, & in forma Dei, & in forma serui: quãuis Marciõ & Apollinaris ex his locis impiè suam heresim defenderint.

Expositio aliorum Patrum.

** Sic etiã eod. c. Damas. & illa prior explicatio videtur ab aliquo adiecta Francis. Turr in annot. defensor. ad c. 13. li. 5. Apost. cõstitut. D. Clement.*

46 Vnus est locus Tertul. li. 4. cõt. Marc. qui secundũ regulam propositam non est necessariò explicandus, licet possit. inquit enim, paně acceptum ac distributũ discipulis, corpus suum illum fecit, dicẽdo, hoc est corpus meũ, idest figura corporis mei. ex adiunctis autě constat, illã exegeticam additioně, vel exponentem particulã, cum ait [hoc est,] esse expositioně illius pronominis [hoc,] vt is sit sensus, illud fecit Christus corpus suũ in noua lege, quod figura erat corporis in veteri, nõ autě referri posse ad [corpus meũ.] conatur enim ostědere contra hereticũ, veteris & noui testaměti firmã esse consensionem, & veteris figuras in nouo impletas: atq; ideò Christũ verũ habuisse corpus, tam in sacramento, quã in cruce, & vtrobiq; verũ sanguinem: quia vtriusq; existentię, panis & vinũ figurę fuerint, quę nisi veritatis figurę esse nõ poterăt.

Tertulliani locus explicatur.

¶ *Obiectiones sacramentariorum ex ratione naturali.*

1 Reliquũ est tertium genus argumětorum, Christi realě pręsentiam in Eucharistia tollere contẽdens, quod sensu & naturali ratione nititur: quod licet locũ nõ habeat in ea re, quę sola fide percipitur, & sola omnipotẽtia miraculosè perficitur, expendendũ tamě est singilatim, ad huius doctrinę perfectioně. Obiiciunt igitur aduersarij. primò ex ipsa existẽtia Christi sacramẽtali, quòd impossibile sit Deo, vt illi volũt, quantitate minori sacraměti, magnã Christi molě includere, quasi locum possit nõ occupare corpus, aut per spatia nõ extendi: cũ tamen id Philosophi negět, & D. Aug. ep. 57. ad Dard. asserat, idě sic esse corporum proprium, vt ab eis nulla potẽtia remoueri possit: tolle, inquit, spacia locorum corporibus, & nusquã erũt, & quia nusquã sunt, nec erũt, idest omnino nõ erũt. Deinde obiiciũt ex pluralitate locorũ, fieri enim nõ posse, vt corpus aliquod simul & eodě tẽpore plura loca occupet: quod si Christus integer est in Eucharistia, necesse est corpus illius simul in pluribus locis existere, cũ in pluribus hostiis consecratis & altaribus, existat,

existat simul, & eodem tempore. Plura alia ex ratione naturali & sensibus deducta, obiiciunt, sed his adeò similia & cognata, vt his explicatis & refutatis, reliqua explicari & refutari sit necesse.

2 Vt autem apertius explicentur, primò repetenda sunt illa fidei catholicæ dogmata, quæ suprà consectariis quibusdam comprehendimus, totum nempè Christum existere in toto sacramento, & in quauis eius particula, quæ accidentia panis & vini retineat, licet quædam Christi sint in sacramēto directò, ex vi sacramēti, aut verborū: quædam autē sint ratione coniunctionis & cōcomitantię, vt ibidē explicatū est. Ex quibus constat, omnia quæ sunt in Eucharistia, siue vi sacramenti, siue concomitantiæ, siue ponantur in ratione sacramenti, siue non, existere tamen sacramentaliter: vt non tantum diuinitas, sed humanitas Christi, cum omnibus eius accidentibus, vt quantitate, colore, natiua effigie, apta membrorum inter se collocatione, sacramentaliter existant. accidentia autem omnia sacramentaliter existere nihil est aliud, quam existere ad modum eius substantiæ, in quam panis conuersus est, quemq; substantia panis prius habebat. Cùm enim accidentia illa consequuntur substantiā, quę per se primò est transubstantiationis terminus, & ideò sint in hoc sacramento, quasi per accidens, hoc est per aliud, & quod est huiusmodi, ad id quod est primò & per se, reuocari debeat, necesse est existere sacramentaliter, eo modo quo substantia existit. substantia autem sic per se existit, vt non magis in magno, quam in paruo contineatur, sicut tota substantia aeris, aquæ, vini, aut panis, non minus est in singulis particulis, quam in tota mole: & idcircò accidentia corporis Christi propria, & ipsi inhærentia, nullam habent habitudinem, nisi per substantiam, neq; ad species sacramentales, neq; ad corpora circunstantia: vt per ipsa accidentia, neq; videri corpus, nec tangi, deniq; neque sentiri, neque circunscribi, neque mensurari magno, aut paruo, sed sit ibi Christus in suo colore & specie inuisibilis, in suis dimensionibus indiuisibilis, in tota quantitate, vt ita dicam, illocatus, incircunscriptus, indefinitus. quæ tamen omnia, si haberent suum modum existendi, efficerent sanè substantiam Christi & videri per ipsa, tangi, sentiri, & loci spatiis distendi: quare non modò substantia corporis Christi, sed vniuersa quantitas ad modum substantiæ existit, tota scilicet, in tota hostia consecrata; & tota in quauis parte.

3.p.q.77.art. 5.& 4.lib.cōtra gent.c.64. Quare accidentia corporis Christi existent in Eucharistia ad modum substantiæ.

3 Quod si obiicias, hoc non esse naturæ consentaneum, cùm in generatione naturali terminus per se primò sit ipsa substantia, & tamen accidentia, quæ ipsam consequuntur, non sequuntur modum existendi substantiæ, sed potius ipsa quantitas, & cætera accidentia, quæ quantitatem requirunt, diuisibiliter existunt ad modum quātitatis: respondeo, ex diuersis causis vtriusque conuersionis, concludi diuersam existentiam accidentium. transubstantiatio enim fit virtute verborum sacramentalium in substantiam Christi immediatè, vt ea existat sacramentaliter sub accidentibus panis & vini, & ideò necessariò existunt accidentia corporis Christi ad modum substantiæ. causa verò generationis substantiæ, naturalis est, ad similis productionem naturaliter destinata, & idcircò terminatur primò ad substantiam, quæ naturaliter existat: quare accidentia existunt naturali modo & sibi proprio, non autem modo substantiæ indiuisibiliter.

4 Hanc verò accidentium Christi existentiam ad modum substantiæ, antiqui Patres docuerunt, vt constat ex Eusebio homi.5. de Pascha, & Augustino citato à Beda 1.Corinth.10. D. Ambros. in præparatione ad missam, aliisq; omnibus asserentibus, totum & integrum Christum sumi ab omnibus in singulis partibus, tantumq; esse in exiguo, quantum in toto. in huiusmodi autem existentiam redigi posse quamcunq; molem corpoream per Dei omnipotentiam, sine contradictionis implicatione, & sine interitu sui, facile credemus, si neque de proposita existentia sacramentali, neque de omnipotentia Dei dubitemus, per quam, quæ apud nos impossibilia sunt, apud Deum possibilia sunt. vnde in hoc ipso genere, de quo agimus, posset Deus traiicere camelum, mole & quantitate integrum per foramen acus, cùm in hoc ipso sancto Christi corpore similia fecerit. clauso enim vtero matris suę, traduxit corpus omnibus membris integrum: sepulchro obserato, penetrauit immeabilem lapidem: ianuis clausis, vniuersam quantitatem ac membrorum distinctionem

Eadem accidētium Christi existētia cōfirmatur testimonio Patrum, & aliis miraculis similibus.

ctionem retinens, per solidum lignum ingreditur: ipsumq; tandé cœlū, quod est, vt Philosophis placet, solidum, eadem mole corporis penetrat. in his autem omnibus locis & rebus ita extitit, vt cum omnia corporis membra integra habuerit, nullamq; quantitatem deposuerit, nulla tum loci spacia occuparit. quare si hæc omnia vera sunt, vt recta fides docet, efficitur necessariò, diuinæ omnipotentiæ impossibile non esse, ita in sacramento suum corpus constituere, cum omni mole & recta membrorū collocatione, vt tamen locum non occupet, nec per spacia extendatur. quemadmodum etiam in propositis miraculis, quantitas Christi existentis in ligno & lapide, manet distincta à quantitate ligni & lapidis, nec in ipsam versa, nec ipsam annihilās, vt imperitè asserit Beza: sic existit tota corporis Christi quantitas cum dimensionibus panis, ab eiusdem tamen verè distincta, nec se, nec ipsas interimens. de hac Dei omnipotentia contra impios & incredulos asserenda disserit D. Ambr. lib. 10. in Lucā c. 24. August. ep. 3. ad Volusianum, lib. 22. de ciuit, c. 8 D. Cyril. lib. 10. in Ioan. cap. 35. D. Hieron lib. 1. contra Iouinianum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

Inf. art 6. cor. & ad 1. & 4. d. 10. art. 1. ad 5. 6. 7. & 8 & art. 3. q 2. ad 2. & 4. cō. cap 64. fi. Et quo. 1. art. 22. ad 2.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco. Esse enim in aliquo definitiuè, vel circunscriptiuè, est pars eius quod est esse in loco. Sed corpus Christi videtur esse definitiuè in hoc sacramento (quia ita est vbi sunt species panis vel vini, quod nō est in alio loco altaris) videtur etiā ibi esse circunscriptiuè: quia ita cōtinetur superficie hostiæ consecratę, quod nec excedit nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento sicut in loco.

¶ 2. Pręterea, Locus specierum panis non est vacuus (natura enim non patitur vacuum) nec est ibi substantia panis, vt suprà habitum est, * sed est ibi solùm corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locum illum. Sed omne quod replet locū aliquem, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. *Q. præc. art. 1. 2. & 5.*

¶ 3. Præterea, Sicut dictum est, *in hoc sacramēto est corpus Christi cum sua quantitate dimensiua, & cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco, est accidens corporis: vnde & ibi connumeratur inter nouem genera accidentium. Ergo corpus Christi est in hoc sacramēto localiter. *Ar. præ. & 3. huius q.*

SED CONTRA est, quod oportet locum & locatum esse æqualia, vt patet per * Philoso. in 4. Physic. Sed locus, vbi est hoc sacramentū, est multò minor, quā corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco. *Lib. 4. Physic. tex. 30. to. 2.*

RESPONDEO dicendum, quod (sicut iam dictū est*) corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quātitatis dimensiuæ, sed magis secundū modum substantiæ. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensiuæ, inquantum, scilicet, commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensiuam. Vnde relinquitur, quòd corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ: eo scilicet modo, quo substantia continetur à dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramēto substātiæ panis: vnde sicut substātia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modū substantię, ita nec substātiæ corporis Christi, nō tamen substantia corporis Christi est subiectū illa- *ar. 3. huius q.*

rum

rum dimensionũ,sicut erat substantia panis. Et ideo substãtia panis ratione suarũ dimẽsionum localiter erat ibi: quia cõparabatur ad locũ illũ mediantibus propriis dimẽsiónibus. Substantia autem corporis Christi cõparatur ad locum illum mediãtibus dimensionibus alienis, ita ꝙ è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi cõparantur ad locũ illum mediante substãtia, quod est cõtra rationem corporis locati. Vnde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ corpus Christi nõ est in hoc sacramẽto definitiuè, quia sic nõ esset alibi, quã in hoc altari, vbi cõficitur hoc sacramentũ: cùm tamen sit & in cęlo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie sacramẽti. Simiter etiã patet, ꝙ non est in hoc sacramẽto circunscriptiuè: quia nõ est ibi secundũ commẽsurationem proprię quantitatis: vt dictũ est.* Quod autẽ non est extra superficiẽ sacramẽti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc, quòd sit ibi definitiuè, vel circũscriptiuè, sed ad hoc, quòd incepit ibi esse per consecrationem & cõuersionem panis & vini, vt suprà dictum est.*

Ar.3.& 4.huius q.

Q.præced. art. 3.& 4.

AD SECVNDVM dicendum, ꝙ locus ille in quo est corpus Christi, nõ est vacuus, neq; tamen propriè est repletus substantia corporis Christi, quæ nõ est ibi localiter, sicut dictũ est.* Sed est repletus speciebus sacramentorum: quę habẽt replere locum, vel propter naturã dimensionum, vel saltem miraculosè, sicut & miraculosè subsistunt per modum substantiæ.

In cor.ar.

AD TERTIVM dicendũ, quòd accidẽtia corporis Christi sunt in hoc sacramẽto (sicut suprà dictum est*) secundũ realem concomitantiã. Et ideo illa accidẽtia corporis Christi, sunt in hoc sacramento, quę sunt ei intrinseca. Esse autẽ in loco, est accidens per cõparationẽ ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet, quòd Christus sit in hoc sacramento sicut in loco.

Ar.præced.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, ꝙ corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramẽto. Dicit enim* Philosophus in 2. Top. quod motis nobis, mouẽtur ea, quę in nobis sunt. Quod quidẽ est verũ etiã de spirituali substantia animæ. Sed Christus est in hoc sacramento, vt supra habitum est.* Ergo mouetur ad motum ipsius.

4.d.10. ar.3. q.4. Et opusc. 11.ar. 3.4.

*Lib.2.c.3.in declaratione 24.loci, tom.1.

ar.1.huius q.

¶ 2. Pręterea, Veritas debet respõdere figurę. Sed de agno Paschali, qui erat figura huius sacramẽti, nõ remanebat quicquã vsq; mane, sicut pręcipitur Exo.12. Ergo neq; etiã si hoc sacr͞m reseruetur in crastinũ, erit ibi corpus Christi. Et ita non est immobiliter in hoc sacramento.

¶ 3. Pręterea, Si corpus Christi remaneat sub hoc sacramento etiã in crastino, pari ratione remanebit, & per totum sequens tempus: non enim potest dici quod desinat ibi esse cessantibus speciebus: quia esse corporis Christi non dependet à speciebus illis. Non autem remanet sub hoc sacramento Christus per totum tempus futurum.

Videtur

Videtur ergo, quod statim in crastino, vel post modicum tempus, desinat esse sub hoc sacramento. Et ita videtur, quod Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

Sed contra, Impossibile est idē esse motū & quietum: quia sic contradictoria verificarētur de eodem. Sed corpus Christi in cælo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod cū aliquid est vnū subiecto, & multiplex secundū esse, nihil prohibet secundū aliquid moueri, & secundū aliquid immobile permanere: sicut corpori est aliud esse album, & aliud esse magnū: vnde potest moueri secundū albedinē, & permanere immobile secundū magnitudinē. Christo autē non est idē esse secundū se, & esse sub hoc sacramento: quia per hoc quod dicimus ipsum esse sub hoc sacramēto, significatur quædā habitudo eius ad hoc sacramentū. Secundum igitur hoc esse nō mouetur Christus per se secundū locū, sed solū per accidens: quia Christus non est in hoc sacramēto sicut in loco, sicut prędictum est.* Quod autē nō est in loco, non mouetur per se in loco, sed solū ad motū eius, in quo est. Similiter autē neq; per se mouetur secundū esse, quod habet in hoc sacramento, quacunq; alia mutatione: puta, quātum ad hoc, ꝙ desinat esse sub hoc sacramento: quia illud, quod de se habet esse indeficiens, nō potest esse deficiendi principiū: sed alio deficiēte, hoc desinit esse in eo, sicut Deus, cuius esse est indeficiens & immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc, quòd creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo cū Christus habeat de se esse indeficiens, & incorruptibile, nō desinit esse sub sacramēto: neq; per hoc, ꝙ ipsum desinat esse, neq; etiam per motū localē sui (vt ex dictis patet*) sed solū per hoc, quòd species huius sacramenti desinunt esse. Vnde patet, quòd Christus per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

Ar. praeē. (margin) *Ar. praec.* (margin)

Ad primum ergo dicendum, ꝙ ratio illa procedit de motu per accidens, quoad motum nostri mouentur, ea quæ in nobis sunt. Aliter tamē, ea quæ per se possunt esse in loco sicut corpora, & aliter, ea quę per se nō possunt esse in loco, sicut formę, & spirituales substātiæ. Ad quē modum potest reduci, quod dicimus Christū moueri per accidēs secundū esse quod habet in hoc sacramento, in quo non est sicut in loco.

Ad secundum dicendū, quod hac ratione moti videtur fuisse quidā, ponentes, ꝙ corpus Christi non remanet sub hoc sacramento, si in crastinum reseruetur. Contra quos Cyrillus dicit: Insaniunt quidā, dicientes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si quę eius reliquiæ remanserint in diem subsequentem, non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed virtus benedictionis & viuificatiua gratia, iugis in eo est. Sicut etiam omnes aliæ consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis, propter quod non iterantur. Veritas autem licet figuræ respondeat, tamen figura non potest eam adæquare.

Ad tertium dicendū, quod corpus Christi remanet in hoc sacramento, non solùm in crastino, sed

ſed etiã in futuro quouſq; ſpecies ſacramẽtales manent. Quibus ceſſantibus deſinit eſſe corpus Chriſti ſub eis: nõ quia ab eis depẽdeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies, per quem modũ Deus deſinit eſſe dominus creaturæ deſinentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm corpus Chriſti prout eſt in hoc ſacramento poßit videri ab aliquo oculo, ſaltem glorificato.

Inf. ar. 8. co. et 4. d. 10. ar. 2. q. 2. ad. 3. & arti. 4. q. 1. per to. & q. 4. ar. 2. & in expo. lib. ad 1. 2. & 4.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quòd corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramẽto poſſit videri ab aliquo oculo, ſaltẽ glorificato. Oculus enim noſter impeditur à viſione corporis Chriſti in hoc ſacramento exiſtentis, propter ſpecies ſacramentales ipſum circunuelantes. Sed oculus glorificatus non poteſt ab aliquo impediri, quin corpora quælibet videat prout ſunt. Ergo oculus glorificatus poteſt videre corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento.

¶ 2. Prætereà, Corpora glorioſa ſanctorũ erunt configurata corpori claritatis Chriſti: vt dicitur Phil. 3. Sed oculus Chriſti videt ſe ipſum prout eſt in hoc ſacramẽto. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus poteſt ipſum videre.

¶ 3. Præterea, Sancti in reſurrectione erunt ęquales angelis: vt dicitur Luc. 20. Sed angeli vidẽt corpus Chriſti, prout eſt in hoc ſacramento: quia etiam dæmones inueniuntur huic ſacramento reuerentiam exhibere: & ipſum timere. Ergo parí ratione oculus glorificatus poteſt Chriſtum videre, prout eſt in hoc ſacramento.

SED CONTRA, Nihil idem exiſtẽs, poteſt ſimul ab eodẽ videri in diuerſis ſpeciebus. Sed oculus glorificatus ſemper videt Chriſtũ, prout eſt in ſua ſpecie, ſecundum illud Iſa. 33. Regem in decore ſuo videbũt. Ergo videtur, quòd nõ videat Chriſtum, prout eſt ſub ſpecie huius ſacramenti.

RESPONDEO dicẽdum, quod duplex eſt oculus, ſcilicet corporalis propriè dictus, & intellectualis, qui per ſimilitudinẽ dicitur: à nullo autem oculo corporali corpus Chriſti poteſt videri, prout eſt in hoc ſacramẽto. Primò quidẽ, quia corpus viſibile per ſua accidẽtia immutat mediũ. Accidẽtia autẽ corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento mediãte ſubſtantia, ita ſcilicet, quod accidentia corporis Chriſti nõ habent immediatã habitudinẽ, neq; ad hoc ſacramentum, neq; ad corpora, quę ipſum circunſtant. Et ideo nõ poſſunt immutare mediũ, vt ſic ab aliquo corporali oculo videri poſſint. Secundò, quia ſicut ſuprà dictũ eſt, *corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modũ ſubſtantiæ. *Ar. 1. huius q. ad 3.* Subſtãtia autẽ inquantũ huiuſmodi, nõ eſt viſibilis oculo corporali, neq; ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec etiã imaginationi, ſed ſoli intellectui, cuius obiectũ eſt quod quid eſt: vt dicitur in 3. de ani.* *Li. 3. de anim. tra. 26. to. 2.* Et ideo propriè loquẽdo, corpus Chriſti ſecundũ modũ eſſendi, quẽ habet in hoc ſacramento, neq; ſenſu, neque imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu, qui dicitur oculus ſpiritualis. Percipitur autẽ diuerſimodè à diuerſis intellectib9. Quia enim modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc ſacr̃o, eſt penitus ſupernaturalis,

turalis, à supernaturali intellectu, scilicet diuino, secundum se visibilis est, & per consequens ab intellectu beato, vel angeli, vel hominis: qui secundum participatam claritatem diuini intellectus videt, ea quæ supernaturalia sunt, per visionem diuinæ essentiæ: ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem, sicut & cætera supernaturalia. Sed nec etiam intellectus angelicus secũdum sua naturalia sufficit ad hoc intuendũ. Vnde dæmones non possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento nisi per fidem, cui non voluntariè assentiunt, sed ad eã euidentia signorum conuincuntur: prout dicitur Iac. 2. Quòd dæmones credunt, & contremiscunt.

Ad primum ergo dicendum, quod oculus noster corporeus per species sacramentales impeditur à visione corporis Christi sub eis existentis, non solùm per modum tegumenti, sicut impedimur videre id quod est velatum quocunque corporali velamine: sed quia corpus Christi nõ habet habitudinem ad medium, quod circunstat hoc sacramentum, mediantibus propriis accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramentalibus.

Ad secundum dicendum, quòd oculus corporalis Christi, videt seipsum sub sacramento existẽtẽ: non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Nec tamẽ est simile de alio oculo glorioso: quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.

Ad tertium dicendũ, quòd angelus bonus, vel malus non potest aliquid videre oculo corporeo. sed solum oculo intellectuali. Vnde non est similis ratio, vt ex dictis patet.* In cor. art.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quando in hoc sacramento apparet miraculosè caro vel puer, sit ibi verè corpus Christi.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd quando in hoc sacramento miraculosè apparet caro vel puer, nõ sit ibi verè corpus Christi. Corpus enim Christi desinit esse sub sacramento, quãdo desinunt esse species sacramentales: vt dictum est.* Sed quãdo apparet caro vel puer, desinunt esse species sacramentales. Ergo non est ibi verè corpus Christi. 4. d. 10. art. 2. q. 2. ad 3. & arti. 4. q. 2 & 3. Et opusc. 58. c. 11. Ar prac. ad 3. arg.

¶ 2. Preterea, Vbicunq; est corpus Christi, vel est ibi sub specie propria, vel specie sacramenti. Sed quãdo tales apparitiones fiunt, manifestum est, quod non est ibi Christus sub specie propria (quia in hoc sacramento totus Christus continetur, qui permanet integer in forma, qua ascendit in cælum: cum tamen id, quod miraculosè apparet in hoc sacramento, quandoq; videatur, vt quædã parua caro, quandoq; autem, vt paruus puer) manifestum est etiam, quòd non est ibi sub specie sacramenti, quæ est species panis vel vini. Ergo videtur, quòd corpus Christi nullo modo sit ibi.

¶ 3. Præterea, Corpus Christi incipit esse in hoc sacramento per consecrationem & conuersionem, vt suprà dictũ est.* Sed caro & sanguis miraculosè apparens, nõ sunt consecrata nec conuersa in verum Q. 75. ar. 2.

corpus

corpus & ſanguinem Christi. Non ergo ſub his ſpeciebus eſt corpus vel ſanguis Christi.

Sed contra eſt, quod tali apparitione facta, eadem reuerentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur. Quod quidem non fieret, ſi verè non eſſet ibi Christus, cui reuerētiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta, Christus eſt ſub hoc ſacramento.

Respondeo dicēdum, quod dupliciter cōtingit talis apparitio, qua quandoque in hoc ſacramento miraculosè videtur caro aut ſanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſsè viderēt exterius carnem vel ſanguinem vel puerum, nulla tamē immutatione facta ex parte ſacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando vni videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, aliis tamen videtur ſicut & prius ſub ſpecie panis: vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, & poſtmodū ſub ſpecie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in Magorum prꝑſtigiis, quia talis ſpecies diuinitus formatur in oculo, ad aliquam veritatem figurādam, ad hoc ſcilicet quod manifeſtetur verè corpus Christi eſſe ſub hoc ſacramento, ſicut etiam Christus, abſq; deceptione apparuit diſcipulis euntibus in Emaus. Dicit enim Augu. † in lib. de quæſtio. Euāgeliſt. quod cū fictio noſtra refertur ad aliquā ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte ſacramenti, manifeſtum eſt, quod non deſinit Christus eſſe ſub hoc ſacramēto tali apparitione facta. Quandoque verò contingit talis apparitio non per ſolam immutationem vidētium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exterius exiſtente. Et hoc quidem videtur eſſe, quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam: ſed per longum tempus ita permanet. Et in hoc caſu quidam dicunt, quod eſt propria ſpecies corporis Christi: nec obſtat quod quādoque non videtur ibi totus Christus, ſed aliqua pars carnis, vel etiam videtur nō in ſpecie iuuenili, ſed in effigie puerili: quia in poteſtate corporis glorioſi eſt, quod videatur ab oculo non glorificato, vel ſecundū totum, vel ſecundum partem, & in effigie vel propria vel aliena: vt infra † dicetur. Sed hoc videtur eſſe inconueniens, primò quidem, quia corpus Christi non poteſt in propria ſpecie videri, niſi in vno loco, in quo definitiuè continetur. Vndè cùm videatur in propria ſpecie, & adoretur in cælis, ſub propria ſpecie, nō videtur in hoc ſacramento.

Lib. 2. c. vlt. nō procul à prin. to. 4.

Non abſoluit morte præuentus, ſed vide in Sent. lib. 4. di. 44. q. 2. ar. 4.

Secūdo: quia corpus glorioſum quod apparet vt vult, poſt apparitionem cum voluerit diſparet, ſicut dicitur Luc. vltimo, quod Dominus ex oculis diſcipulorū euanuit. Hoc autē quod ſub ſpecie carnis in hoc ſacramēto apparet, diu permanet: quinimo legitur quandoque eſſe incluſum, & multorum epiſcoporum cōſilio in pixide reſeruatum, quod nephas eſſet de Christo ſentire ſecūdum propriam ſpeciem. Et ideo dicendum eſt, quod manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædā immutatio cir-

ca alia accidentia (puta figuram & colorem, & alia huiusmodi) vt videatur caro vel sanguis aut etiam puer. Et sicut prius dictũ est, * hoc non est deceptio, quia fit in figurã cuiusdam veritatis, scilicet, ad ostẽdendum per hanc miraculosam apparitionem, quod in sacramento est verè corpus & sanguis Christi. Et sic patet quod remanentibus dimensionibus, quæ sunt fundamẽta aliorum accidentium, vt infra * dicetur, remanet verè corpus Christi in hoc sacramento.

In ipsomet art.

Q. sequ. ar. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod facta tali apparitione species sacramentales quandoque quidẽ totaliter remanent in seipsis, quandoque autem secundum id quod est principale in eis: vt dictum est. *

In cor. ar.

Ad secundum dicendum, quod in huiusmodi apparitionibus (sicut dictum est*) non videtur propria species Christi, sed species miraculosè formata vel in oculis intuentium, vel etiam in ipsis sacramentalibus dimensionibus, vt dictum est.*

In cor. ar.

Ibidem.

Ad tertium dicendũ, quòd dimensiones panis & vini consecrati manent, immutatione circa eas miraculosè facta, quantum ad alia accidentia, vt dictum est.*

Q. 75. ar. 3. & 6.

Sententiæ & conclusiones quæst.

Prima conclusio: *Christus nõ est in hoc sacramento vt in loco, quia neque sub accidẽtibus sacramẽtalibus cõtinetur circunscriptiuè, aut difinitiuè, sed ad modum substantiæ.*

Consectarium ex hac cõclusione, Christus vt existens in hoc sacramento nõ mouetur per se in loco, sed ex accidenti, motis eisdem accidentibus: quia quod nõ est in loco per se, neque loco per se moueri potest.

Secunda conclusio: *Christus in hoc sacramento sentiri non potest sensu viatoris, sed fide tantum potest cognosci, & à beato visione diuinæ essentiæ. cum autem in sacramento apparet caro, sanguis, puer, id fit accidentium immutatione, & non sunt illa de substantia Christi, qui semper latet sub dimensionibus permanẽtibus, de quo disseretur q. 77. de reliquis statim.*

COMMENTARIVS.

1 Ex his primo efficitur necessariò, corpus Christi non esse in sacramento, vt in loco, cum sit admodum substantiæ indiuisibiliter: neque ratione dimẽsionũ panis aut vini, à quibus continetur, in loco esse potest. Ratio primi est, quia corpus est in loco dimensiuè ratione quantitatis, per quã totum à toto loco, & pars à parte continetur & circunscribitur: sed corpus Christi, vt probatum est, non est in Eucharistia dimensiuè, cum sit totum in toto, & totum in quauis particula: non est igitur in sacramento, vt in loco. Ratio secundi est, quia substantia panis aut vini ante cõsecrationem erat sub dimensionibus ad modũ substantiæ, tota in toto, & tota in quauis parte, & non vt in loco: sed per transubstãtiationem substantia corporis Christi succedit substantię panis & vini sub eisdem dimensionibus, sine inhærentia, vt postea constabit: est igitur sub illis dimensionibus ad modum substantiæ, & non vt in loco. Vnde poteris concludere, corpus est in loco ratione dimẽsionum quantitatis, quibus loco circunscribitur: sed corpus Christi in Eucharistia neque ratione dimensionum panis, cùm corpori Christi non inhæreant: neque ratione propriarum, cum sequantur modum existendi sustantiæ, vt probatum est, comparatur ad locum: corpus igitur Christi in Eucharistia existens, nullo modo potest esse in loco. Sed quia hæc ratio euincit, Christum in Eucharistia non esse loco circunscriptũ, facilè etiã constabit, neque loco definiri posse, vt est in eadem: quia secundũ fidem constat simul esse in pluribus altaribus, in quibus immola-

Corpus Christi non est in sacramento vt in loco

molatur,& in cælo simul est in propria specie: quod autem est in loco definitiuè, simul alibi esse non potest. qua igitur ratione existit in pluribus hostiis consecratis? sacramentaliter certè per transubstantiationem panis & vini, & non per lationem, vt supra conclusum est.

Christus nō est vbique vt volunt Brentiani

2 Scio à quibusdam Lutheranis, Christū vbique etiam affirmari existere, quia diuinitas Christi sit vbique, vnde & Vbiquistæ dicti sunt, sed imperitè & impudēter: quāuis enim Dei proprium sit vbique existere, & Christus sit Deus, non inde sequitur necessario Christum vbique existere: quia Christus est nomen diuinæ personæ filij subsistentis in duabus naturis diuina & humana: & licet humanitatē nunquam dimiserit, diuinitas tamen tribuēs subsistētiam humanitati, non conclusit in se diuinitatē, vt necessariò sit illi vbique coniuncta. itaque in Christo semper est diuinitas & humanitas, & humanitas vbicunq; est, habet sibi hypostaticè vnitā diuinitatem: sed nō contra, vbicūque est diuinitas, est etiā humanitas, cum illa sit infinita, & ideo vbiq;: hæc autem finita, & ideo vel in sacramento, vel in propria specie sedens ad dexterā Patris, & interpellans pro nobis. Consequitur autem corpus Christi quantū & existēs in propria specie, externus locus, illud definiens & circunscribens: non sequitur autē existens in sacramēto, quia nō est in sacramēto vt in loco, neque locus est accidens intrinsecū: accidentia vero intrinseca sunt, quæ ratione concomitantiæ, corpus Christi in sacramēto Eucharistię consequūtur.

Corpus Christi in aliena, & in propria specie.

3 Efficitur secundò, corpus Christi secūdum rectam fidem & in aliena specie, in sacramento Eucharistię: & in propria specie & figura in celo esse. Primū euincit pręsentia realis Christi in hoc sacramēto supra demonstrata. Secundū verò, articulus ascensionis & sessionis ad dexterā Patris. In aliena specie sacramentaliter existens, etiā ante resurrectionē, pati & lędi non poterat: in propria potuit, vt articulus passionis ostendit. Dico autē in sacramento pati non posse, vt passio inferatur corpori Christi, dum in sacramēto existit: licet id ab hęreticis & Iudæis sua perfidia & ignoratione nostræ doctrinę sæpè tentatum sit, sed vt in sacramento, existit impassibiliter, & insensibiliter. Vt enim sensio omnis, atq; etiā visio requirit contactū corporis cum medio interiecto ad obiectum vsque visibile: ita in passione requiritur contactus agentis & patiētis: contactus autem fit secūdum proprias dimensiones. Sed corpus Christi sacramētaliter existens, ad medium externum propriis dimensionibus comparari nō potest, sed dimensionibus panis & vini, quibus cōtinetur: non igitur corpus Christi, vt existit in sacramēto sentiri aut pati potest: sed ipsę species panis & vini sunt, quę sentiuntur & patiuntur. quæ ideo efficit etiam, Christū in sacramento existentem nihil externum sentire posse, ita vt qua ratione existit sacramentaliter, neque videt, neque audit: quia ab externis sensibilibus immutari nō potest, sed tantum mediis accidentibus sacramētalibus hęc dicuntur cōuenire Christo, quatenus eisdē, quibus cōtinetur Christus, illa conuenire possunt, Christo contēto non possunt. oculus autem Christi videt seipsum in sacramento existentem, modū tamen existendi non videt, neque etiam oculus beati: quia is modus solo intellectū percipi potest, quū sit ad modū substātię, hæc verò per se intelligibilis est, non sensibilis. sed quoniam est modus supernaturalis à viatore per fidē cognoscitur, à dęmone euidentia miraculorum, à beatis verò per claritatem, qua vident diuinam essentiā, & omnia fidei mysteria. Sed licet Christus vt existens in sacramento pati aut sentiri non possit: quicquid tamen in propria specie ante resurrectionem & mortem passus est, si esset Eucharistia ante mortem, ibidem similiter pateretur, cum sit omnino idem corpus secundum substantiam, modo tantum existendi diuersum. Potest autē corpus Christi deficere secūdū existētiā sacramentalē, deficientibus accidētibus à quibus cōtinetur: quia quod in se deficere non potest, deficiente alio in quo est, in eo desinit esse necessario, vt Deus desinit esse in creatura, cùm ea corrumpitur: sic & Christus in sacramento desinit esse, cum in se post resurrectionem nullo modo desinere possit esse, deficientibus accidentibus sacramenti, à quibus continetur, 3.p.q. 76.art.6.

3.p.q.81.ar.3 & 4.

Corpus Christi in sacramento sentiri aut pati non potest, neque sentire aut agere in rem externam.

3.p.q.76.ar. 7.

Q.81.ar.4.

4 Fuit autem consentaneum, hunc duplicem modum existendi Christo conuenire, vt sicuti erat, ita ratione vnius naturæ seipsum mortalē, ratione alterius immortalem repræsentaret, sic quidē pro sua voluntate ante mortem, nunc eas qualitates

 subiit,

subiit, quæ ad corruptionem & ignobilitaté, nunc eas, quæ ad gloriá & immortalitatem. Sic Luc. 4. ad indicium passibilitatis comprehensus est à Nazarenis, & vi abductus in montis supercilium: & rursus ibidé, per medium eorum intractabilis & inuisibilis, ne præcipitaretur, transiuit. Cap. verò 9. in transfiguratione, corpore gloriosus apparuit: quare mirandum non est, Dominum in sua specie mortalem extitisse, in aliena sacramenti, pati non posse. quæ auté sententia, à quibusdá veteribus ex his collecta est, Christum mortuum in cruce, viuere potuisse in sacramento, nec ibi quicquá tristitiæ ex crucifixione sensurum fuisse, visa est illis probabilis, vt Vgoni Victorino lib. 2. p. 9. cap. 2. de sacramentis, sed nó omnibus: nam illi se opposuit Iuo Carnoten. epistola ad Hamericum, & Innocent. III. lib. 4. de mysterio altaris. cap. 12. & pleriq; alij tempore Berengarij, quos omnes penè scholastici Theologi nunc secuntur, sequi autem solent semper, vbi fides non repugnat, quod est rationi maximè consentaneum. Viderunt enim intelligentiæ imprimis repugnare, vt idem corpus secundum substantiam, simul sit mortale & immortale: & quod absurdius videtur, eodem tempore mortuum & viuum existat. quamquam eorum nemo sit, qui neget, id diuinę potentiæ possibile esse, prę sertim cum est diuersus modus existendi.

Corpori Christi in sacramento conueniũt, quæcumque corpori eidem intrinsecus eueniunt, in specie propria & naturali.

5 Vnde Theologi omnes nunc hanc sententiá sequuũtur, corpus Christi in Eucharistia quoad omnia interna substátialia & accidentalia, sequitur conditioné eiusdem corporis existentis in naturali forma: & idcirco in huius sacraméti institutione Christo adhuc mortale corpus geréte, fuit etiá in sacraméto mortale corpus, & verè moriturũ in Eucharistia, si reseruatũ vel consecratũ fuisset tépore passionis: & cum eodé resurgente ad vitam similiter rediturum: reliquo verò toto Ecclesiæ tempore post resurrectionem, semper fuisse in Eucharistia exhibitũ corpus immortale, quia Christus resurgens ex mortuis, iam nó moritur: cum ad rationem sacramenti, & ad formá verborũ perinde sit, passibile an impassibile fuerit. & certè ad veritatem sacramenti realiter Christũ continétis, plurimũ refert credere, Christum in sacramento viuere, intelligere, vt in cęlo: quáuis vt in sacraméto existit, per ipsas species sacramétales neque sentire neque pati possit, quia modus existendi sacramentaliter, est omnino impassibilis, vt supra ostensum est, licet in se eadé habeat, intelligat, eodem gaudio atque beatitudine perfruatur, atq; in propria specie in cælo existens. Vnde cùm à Patribus dicitur Christum in sacramento mori & pati, id ex modo consecrationis, & vi sacramentalis significationis intelligendum est, quatenus mors & passio Dñi ipsa actione sacramentali, & modo immolationis repręsentantur, vt in doctrina de sacrificio apertius constabit. Ea verò repręsentatio verbis Domini congruit, quia in verbis institutionis, mortis ac passionis conditiones expressit dicens, quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur. hoc sensu scribit Chrysost. Dominum multa pati in sacramento, quæ in cruce perferre noluit.

Supra in conject. collectis ex doctrina transubstantiationis.

Quæ conuenire possint corpori Christi existenti in sacraméto

6 Ex his facilè deducitur responsio ad illas duas obiectiones, propositas ex vi rationis naturalis. ad priorem quidem fatemur eum esse naturæ ordinem, vt corpora in locis sint, & per quantitatem suá ad loci spacia extendantur, & hoc voluit August. illo testimonio citato, & hoc modo corpora secundum existentiam naturalem, habitudinem ad sua loca & coextensionem habent: cũ tamen existunt ad modum substátiæ supra naturam, his naturę legibus subiecta non sunt: ineptissimum autem est, illud non concedere omnipotentiæ, vt possit ea separare sine cuiusuis interitu, quę nec definitione nec vlla interiori propinquitate coniunguntur: & quorum proinde separatio conceptioni nostræ minime repugnat. locus enim extrinsecus adiungitur substátiæ, ad quem corpora secundum naturalé habitudinem ad existentiam naturalem coaptari necesse est: non tamen Deus his naturæ legibus sic se obstrinxit, vt aliud extraordinaria potentia facere non possit. imò verò nec illud in omnibus corporibus naturaliter seruatur, vt non nisi in loco cóseruentur, cum cælum supremum in loco non sit, & corpus Christi supra cælum in naturali & propria specie existens, non habet illam habitudinem ad corpus circunstans, vt illius extremitate circunfusa, tamquam loco, cótineatur. Ad posterioré obiectionem de locorum pluralitate, Dei omnipotentiæ impossibili, si ad idem numero corpus referatur, vt nos ponimus Christum simul in cælo & innumeris prętereа

Solutio prioris obiectionis.

Loco contineri & coextendi quomodo corporibus cõueniat.

Solutio posterioris obiectionis.

terea locis, ex præcedentibus constat etiá solutio. cætera enim corpora non habent nisi vnum existendi modum, in quo per suam propriam quātitatem locum vnum occupant: sed Christi corpus præter naturalem existentiam in cælo, qua secundum natiuas dimensiones in vno tantum loco existit, habet aliam existentiam supernaturalem, hoc est sacramentalem, per quam ad alienam quantitatem innumeris in locis potest existere, sicut alienæ dimensiones, quibus contineri potest, innumerę possunt esse. nec enim aliena loca sic occupat Christi corpus, nec illis adæquatur, aut cómensuratur, vt pars parti, & totum toti respondeat, vt extra esse non possit. Vnde constat, Christum verè & realiter in sacramento existentem, in eo non existere vt in loco, quo modo tantum in cælo existit, & idcirco recta fides eum vere pręsentem statuit ad species sacramentales plures, non autem ad plura loca: quare aliena est quæstio de existētia in loco à præsentia Christi in sacramento.

7 Vtrum autem per eas species & cum eis propriè in loco existat, Theologi scholastici negant, sicuti prius diximus, neque sentiri posse Christū per easdem species, sed existere in hoc sacramento insensibiliter, & sine loco. Patrum igitur & Theologorum semper fuit vna sententia, Christū existentem in sacramento in se quidem & propria specie non sentiri aut videri: sed per species sacramentales verè ipsum corpus tangi, videri, manducari. Prior pars huius sententiæ sensibus ipsis deprehenditur & recta fides docet, existentē Christi substantiam sacramentaliter, accidentibus panis & vini tectam esse: & ideo hæc tantum per se sentiri, non autem accidentia Christi corpori inhærentia. Vnde August. de consecrat. distinct. 2. sacrificium nostrum, inquit, constare visibili specie elementorum, & inuisibili Domini carne & sanguine. Altera p. significat, sic corpus Christi verè post consecratione tangi & videri, manducari & attrectari, sicut ante consecrationem ipsa panis substantia: vtrumque nempè per eadem accidentia, illud naturali iudicio rationis nostræ, hoc autem fidei directione & admonitione verbi Dei. Philosophis autem receptum est, substantiam non esse per se sensibilem, sed per accidentia: verè tamen per illa dicitur videri substantia & sentiri: & idcirco nihil refert ad veritatem sermonis sentiri substātiam per propria, vel aliena accidentia: præsertim cum hæc accidentia sacramentalia, excepta inhærentia, tam intimè sint coniuncta corpori Christi, quàm erant prius substantiæ panis & vini. Sic etiam in natura omnia corpora diaphana vt cælum, sol, non per qualitatem propriam sed per externā videntur. Hæc sententia confirmatur primò, quia est consentanea præcepto Domini, alioquin esset valde improprium, cum iubet discipulos manibus accipere, ore manducare, bibere, diuidere, demonstrando ad omnes sensus: & præsertim ad visum, hoc est corpus meū, id est hoc quod videtis, quod percipitis, quod bibitis ad hæc ipsa accidentia. Sicut absurdum esset negare Magdalenam, & alios discipulos vidisse Dominum, licet in aliena specie, vt scriptura planè affirmat Ioann. 20. Ioannes Baptista dicitur Ioan. 1. vidisse Spiritū sanctum, specie tamen columbæ: Deus verè dicitur visus in Christo, licet humana specie, & Deus in aliena forma sæpe in veteri testamento, mulieres sanctæ, Luc. vlti. dicūtur vidisse eadem ratione visionem angelorum.

Christus in hoc sacramēto non existit sensibiliter.

3.p.q.80.art.4.ad 4.

1

Vuald. tom. 2 c.55.

8 Tota antiquitas eandem rationem dicendi sine exceptione secuta est. Chrysost. hom. 47. 1. Cor. 10. ait regium corpus nobis intuendum proponi & Christum permittere, vt dentes carni suę infigamus, & pati confractionem in altari, quam nolebat pati in cruce. & 3. lib. de sacer. hæc omnia, inquit, sine vllis pręstigiis, sed intuentibus omnium circunstantium oculis, & homil. 83. in Matt. ipsum vides, ipsum tāgis, ipsum comedis. D. August. serm. 2. de verb. apost. quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter &c, (id est misticè sub aliena specię) manducatur. Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 58. iure, inquit, congregationes sunt die octauo, & foribus clausis, visibiliter simul atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: inuisibiliter quidem vt Deus, visibiliter autem in corpore: prębet enim nobis carnem suam tangendam. Gregor. homil. 22. in Euang. & refertur de consecrat. dist. 2. cap. quid sit sanguis, vno inquit, eodemque tempore rapitur in cælum ministerio angelorum, & ante oculos sacerdotis in altari ab omnibus videtur. Victorinus lib. 2. de sacramentis,

p.9.cap.13. quando, ait, in manibus sacracramentum eius tenemus, corporaliter tecum est, quãdo ore suscipis, corporaliter habes: quando manducas & gustas, corporaliter tecũ est. Præterea contraria doctrina, quæ negat hæc propriè pertinere ad ipsum corpus Christi, plurimum iuuat hæreticos, adeò vt Bertramus antiquissimus huius veritatis impugnator, cũ non auderet adhuc apertè facere quæstionem, vtrũ Christi corpus realiter esset præsens, de eo tamen fecit, an corpus Christi esset sensibiliter in sacramento, vel sola fide perciperetur. contra quem ita Paschasius in lib. de corp. & sang. Dñi, isti, qui negant hoc esse visibile atque palpabile, non ob aliud faciunt, nisi ne credant, & ne sit quod veritas ait, hoc est corpus meũ. Hac etiam de causa fecit Ecclesia Dei, Berengarium hæreticum confiteri in Cõcilio Romano, Nicolao Papa præside, manducationem, fracturam, visionem, reliquamque actionem sensibilem circa corpus Christi in sacramento, nõ constitui solùm propter motũ, fracturam, aut visum signorum, sed quia hæc admirabili modo fiunt in ipso corpore: non quidem purè & nude & in se primo, sed vt in sacramento existit, propter admirabilem coniunctionem & continentiam accidentium sacramentalium & corporis Christi. Corpus enim Christi verum frangi & diuidi post resurr. impossibile est: Primò, quia est impass. Rom. 6. Secundò, quia totum est sub quauis parte, quod est cõtra rationem eius, quod frangitur. quare fractio est in quantitate panis & vini vt in subiecto, & ideo illa fractio Christi, debet referri ad speciem sacramentalem, sub qua verè existit corpus Christi, 3.p. q. 77.art.7.

Consectarium de proprietate confessionis Berengarii.

9 Vnde cõstat, contra vulgares sciolos & doctiores quosdam scriptores, illam cõfessionem Berengarij non esse impropriè, & vehementius quam oportuit conceptam, cum non abhorreat à ratione loquendi Philosophorum, vt prius admonuimus, nec etiam à populari & vsitata in Ecclesia catholica. Dicunt enim fideles se vidisse Dominum in manibus sacerdotum, vel altari: & temporibus D. Augustini, sicut & nostris, matres grauissima autoritate docebãt infantes conijcere oculos in corpus Dñi positum in altari. Eadem ratione deligimus loca, vnde cõmodius hostiá intueamur, variaq; amouemus vidẽdi impedimẽta: & ad sacra loca veluti ad stationes studiosè imus adoratũ corpus Christi: & in via huc atque illuc gestatũ, cernere, pedibus ac oculis appropinquare certatim cõntendimus: non minus religiosè quam pusillus Zachæus conscensa arbore Christum olim mortalem videre cupiuit. Neque hîc quicquam valet argumentum ex sensibus, qui in sacramento Christum nõ possunt dignoscere, non enim discretio & iudicium de sensibili substantia sensibus concedi debet, cum non sit sensibile per se & propriũ, sed ex accidenti. sic in reliqua plebe, Ioannem & Petrum sæpè videas, licet eos non discernas. Sic Samaritana & cæcus natus, Ioan.4.& 9. locuti cum IESV videbãt eum, nesciebant tamen quis esset: inquit enim Dominus, & vidisti eũ, & qui loquitur tecum ipse est: ergo antequam fide quicquam de Christo intellexissent, corporeis oculis eum videbant. Similiter Hæreticus & Iudæus videntes hostiam consecratam, verè vident corpus Christi, licet nec credant, nec intelligant, ipsum esse Christum: sicut cum mortalis esset ab eisdem videbatur, nec tamen agnosci poterat.

Iudiciũ sensus.

Præstet fides supplementum sensuum defectui. 3.p q.75 art.5. ad 2.

Christus sacramentaliter existens per accidentia sacramẽtalia est in loco & mouetur.

10 Ostendimus quo modo Christus sit in hoc sacramento sensibiliter, idem atq; eodem sensu de existentia in loco, mediis accidentibus sacramentalibus sentiendum est. Cum enim à dimensionibus panis & vini, post consecrationem corpus Christi contineatur ad modum substãtiæ, vt supra ostẽsum est, & omne quod est in loco, per dimensiones proprias loco circũscribatur, efficitur necessariò, per easdẽ continentes dimensiones, & non per proprias, esse in loco, & ideo ex accidenti & non per se: quod autem est per aliud & non per se in loco, per aliud etiam loco moueri potest, & non per se: sic motis speciebus sacramẽtalibus, moueri Christum eisdẽ contentũ oportet. Hoc sensu Patres scribunt Christũ in hoc sacramento in pluribus locis esse, & in pluribus altaribus, in cælo & in manibus sacerdotũ, vt ait Chrysost. lib.3. de sacerd. hom. 17. in Epist. ad Heb. & hom. 24. 1. Cor. 10. quod in multis locis offeratur, plenus hîc, & plenus ibi, vt inquit Ambros. in idem c. & Greg. hom. Paschali, sicut, inquit, diuinitas implet mundum, & tamen vna est, ita innumerabilibus & multis locis consecratur, & tamen vnum corpus est. Vnum

3.p.q.76. art. 6.

igitur numero corpus, licet per alienã quãtitatem, Deus in diuersis locis constituit in hoc sacramento. Vnde probabile argumentum deducitur, etiã omnipotentiæ Dei negandum non esse, quod possit secundum propriam quantitatem, idem numero corpus in diuersis locis sistere, vt præclarè inquit Victorinus, lib.2. de sacramentis, p.8. c.11. his verbis. dices mihi, quomodo corpus vnum eodem tempore in diuersis locis esse potest? hîc est, ibi est, totum vtrobique est, & in multis locis similiter: noli mirari, qui fecit terram, fecit corpus, & fecit locũ in corpore, & corpus in loco: sed qui fecit vt vnum corpus in vno loco esset, fecit sicut voluit: & si voluisset aliter, facere potuisset: nam & quando vult, aliter nunc facit, & est semper, sicut ipse vult, &c. id certè probabile efficit, & minime repugnans, quòd naturæ non minus repugnare videatur, vnum corpus esse in pluribus locis, quàm duo occupare vnum locum: hoc tamen in pluribus miraculis effectũ esse supra ostendimus, vt in natiuitate Christi clauso vtero virginis in resurrectione clauso sepulchro, in ingressu ad discipulos post resurrectionem ianuis clausis.

QVÆSTIO LXXVII.

De remanentibus in sacramento accidẽtibus in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de accidentibus in hoc sacramento.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

Primò, vtrum accidentia quæ remanent, sint sine subiecto.

Secundò, vtrum quantitas dimensiua sit subiectum aliorum accidentium.

Tertiò, vtrum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum.

Quartò, vtrum possint corrumpi.

Quintò, vtrum ex eis possit aliquid generari.

Sextò, vtrum possint nutrire.

Septimè, de fractione panis consecrati.

Octauò, vtrum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICVLVS I.

Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc sacramento.

AD primũ sic proceditur. Videtur, quòd accidentia non remaneãt in hoc sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto, est contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit: videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere, cùm accidentia naturaliter sint signa naturæ subiecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

Suprà q. 75. art. 5. Et 1. di. 47. ar. 4. co. Et 4. di 12. q. 1 art. 1. & 4. contra c. 63. et 65. Et quol. 3. ar. 1. Et quol. 4. art. 5. Et opusc. 2. c. 8. & 1. Cor. 21. lec. 3. co. 5.

¶ 2. Præterea, Fieri non potest etiam miraculosè, quòd definitio rei ab ea separetur, vel quod vni rei conueniat definitio alterius rei (puta quod homo manẽs homo, sit animal irrationale) ad hoc enim sequeretur contradictoria esse simul: hoc enim quod significat nomẽ rei, est definitio, vt dicitur in 4. Metaph. * Sed ad definitionem accidentis pertinet, quod sit in subiecto: ad definitionem verò substantiæ, quod per se subsistat non in subiecto. Nõ ergo potest miraculosè fieri, quod in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto.

Lib. 4. Meta. tex. 28. t. 3.

¶ 3. Præterea, Accidens indiuiduatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto, non erunt indiuidua, sed vniuersalia: quod patet esse falsum quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantum.

¶ 4. Prẹterea, Accidentia per cõsecrationem huius sacramenti, nõ adipiscuntur aliquam compositionem. Sed ante consecrationem nõ erãt composita, neque ex materia

 & for-

& forma, neque ex quo est, & quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum: quod est inconueniens: quia sic essent simpliciora, quàm angeli: cùm tamen hæc accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramẽto sine subiecto.

Referlur de cõsecr. dist. 2. c. Species.

SED CONTRA est, quod Greg. * dicit in homil. Paschali, quòd species sacramentales sunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. Et ita cùm non remaneat substantia panis & vini, videtur, quòd huiusmodi species remaneant sine subiecto.

Q. 75. ar. 3. & 6.

In lib. de Trinit. ante med.

RESPONDEO dicẽdum, quòd accidentia panis & vini, quæ sensu depræhenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis & vini, quæ non manet (vt supra * habitum est) neque etiam in forma substãtiali, quę non manet: & si remaneret, subiectum esse non posset, vt patet per Boetium in lib. de Trinitat. Manifestum est etiam, quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis Christi sicut in subiecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici: neque etiã est possibile, quod corpus Christi gloriosum & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates.

Dicũt autem quidam, quòd sunt sicut in subiecto in aëre circunstãte. Sed nec hoc esse potest. Primò quidem, quia aër non est huiusmodi accidentium susceptiuus. Secundò, quia huiusmodi accedentia non sunt vbi est aër: quinimo ad motum harum specierum aër depellitur. Tertiò, quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum: vt. s. idem accidens numero, quod primò fuit in vno subiecto, postmodum fiat in alio: accidens enim numerum accipit à subiecto: vnde nõ potest esse, ꝙ idẽ numero manens, sit quandoq; in hoc, quandoque in illo subiecto. Quartò, quia cum aer non spolietur accidẽtibus propriis, simul haberet accidentia propria & aliena. Nec potest dici, quod hoc fiat miraculosè virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant: quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum. Et ideo relinquitur, quòd accidẽtia in hoc sacramento, manent sine subiecto. Quod quidem virtute diuina fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quã conseruabatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formauit in vtero Virginis sine virili semine.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nihil prohibet aliquid esse ordinatum secundum communem legem naturæ, cuius tamen contrarium est ordinatum secundum speciale priuilegium gratiæ: vt patet in resuscitatione mortuorum, & in illuminatione cęcorum: prout etiã in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex speciali priuilegio præter legem communem.

Et ita etiam, licet sit secundum cõmunem naturæ ordinem, quòd accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione secundum ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc sacramento sine subiecto, propter rationes supra inductas.† In cor. ar.

Ad secvndvm dicendũ, quod cùm ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ, ens per se sine subiecto: nec definitio accidẽtis, ens in subiecto: sed quidditati seu essentiæ substantiæ cõpetit habere esse non in subiecto: quidditati autẽ siue essentię accidẽtis competit habere esse in subiecto. In hoc autem sacramento nõ datur accidentibus, quòd ex vi suæ essentiæ non sint in subiecto, sed ex diuina virtute substentãte. Et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in iis, non actualis inhærentia: nec competit eis definitio substantię.

Ad tertivm dicendũ, quod huiusmodi accidentia acquisierunt esse indiuiduum in substantia panis & vini, qua conuersa in corpus & sanguinem Christi, remanent virtute diuina accidentia in illo esse indiuiduato, quod prius habebant. Vnde sunt singularia & sensibilia.

Ad qvartvm dicendũ, quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis & vini, non habebant ipsa esse nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea: sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habẽt esse, vnde sunt composita ex esse, & quod est (sicut in prima parte de angelis dictũ est*) & cum hoc habent compositionẽ partium quantitatiuarum. 1.p.q.5I. a. 2.& 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento quantitas dimensiua panis vel vini, sit aliorum accidentium subiectum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento quantitas dimensiua panis vel vini non sit aliorum accidentiũ subiectum. Subiectum enim accidentis non est accidens, nulla enim forma potest esse subiectum, cùm subiici pertineat ad proprietatem materiæ. Sed quantitas dimensiua est quoddam accidens. Ergo quantitas dimensiua nõ potest esse subiectum aliorum accidentium. 4.di. 12.q.1. ar.1.q.3.& 4 co.c.02.co. 2. & c 64. & 1 Cor. 11. le. 4. co.5 in fin.

¶2. Præterea, Sicut quantitas indiuiduatur ex substantia, ita etiã & alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiua panis aut vini remanet indiuiduata secũdum esse prius habitum, in quo conseruatur, pari ratione & alia accidentia remanẽt indiuiduata secundum esse, quod prius habebant in substantia. Non ergo sunt in quantitate dimensiua sicut in subiecto, cùm omne accidens indiuiduetur per suum subiectum.

¶3. Præterea, Inter alia accidentia panis & vini, quę remanẽt, depręhẽduntur etiã sensu rarũ & desum, quę nõ possunt esse in quãtitate dimensiua pręter materiã existentẽ, quia rarũ est, quod habet parum de materia sub magnis dimẽsionibus, densum autẽ, quod habet multũ de materia sub paruis dimensionibus, vt dicitur 4. Physicô.* Non ergo videtur, quod quantitas dimensiua possit esse subiectũ accidentiũ, quę Lib. 4. tex. 84 to. 2

remanent in hoc sacramento.

¶4. Præterea, Quantitas à subiecto separata, videtur esse quantitas mathematica, quæ non est subiectum qualitatum sensibilium. Cũ ergo accidentia, quæ remanent in hoc sacramento, sint sensibilia, videtur, quod non possint esse in hoc sacramẽto sicut in subiecto in quãtitate dimensiua panis & vini remanente post consecrationem.

Sed contra est, quod qualitates non sunt diuisibiles nisi per accidens, scilicet ratione subiecti. Diuiduntur autem qualitates, remanente in hoc sacramento per diuisionem quantitatis dimensiue, sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiua est subiectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quę remanent in hoc sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiua panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quãtum esse ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur. Secundò, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimẽsiua, vnde & Plato * posuit primas differentias materiæ, magnum & paruum. Et quia primum subiectũ est materia, consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum mediante quantitate dimensiua (sicut & primum subiectum coloris dicitur esse superficies) ratione cuius quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum: vt dicitur in primo Metaphys. * Et quia subtracto subiecto, remanent accidentia secundũ esse, quod prius habebant, consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimẽsiuam. Tertiò, quia cum subiectum sit principiũ indiuiduationis accidẽtium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium, subiectum, esse aliquo modo indiuiduationis principium. (Quantitas autem dimensiua est quoddam indiuiduationis principium.) Est enim de ratione indiuidui, quod nõ possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, quia non est natum esse in aliquo, & hoc modo formæ immateriales separatæ, per se subsistentes, sunt etiam per se ipsas indiuiduæ. Alio modo ex eo, quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore.

Apud Aristot. lib. 1. Met. tex. 6. & 7.

Lib. 1. tex. 19. & seq. tom. 3.

Quantum igitur ad primum, materia est indiuiduationis principiũ omnibus formis inhęrẽtibus, quia cùm huiusmodi formæ, quantum est de se, sint natæ in aliquo esse, sicut in subiecto, ex quo aliqua earũ recipitur in materia, quę non est in alio, ideo nec forma ipsa sic existẽs potest in alio esse.

Quantum autem ad secundum, dicendum est, quod indiuiduationis principium est quantitas dimẽsiua. Ex hoc enim aliquid est natũ esse in vno solo, quod illud est, in se indiuisum, & diuisum ab omnibus aliis. Diuisio autẽ accidit substantiæ ratione quantitatis: vt dicitur in 1. Phys. † Et ideo ipsa quantitas dimensiua est quodã indiuiduationis principiũ huiusmodi formis in quãtũ, s. diuersæ formę numero, sũt in diuersis partib⁹ materię. Vnde &

Li. 1. phy. tex. 15. tomo 2.

de& ipſa quantitas dimenſiua ſecũdum ſe habet quandam indiuiduationem: ita quod poſſumus imaginari plures lineas ſeparatas eiuſdẽ ſpeciei, differentes poſitione, quæ cadit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimenſioni, quod ſit quantitas poſitionem habens. Et ideo potius quantitas dimẽſiua poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium, quam econuerſo.

Ad primvm ergo dicendum, quod accidens per ſe non poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis, quia per ſe non eſt. Secundum verò quod eſt in alio, vnum accidens dicitur eſſe ſubiectũ alterius, inquãtum vnũ accidens recipitur in ſubiecto, alio mediante, ſicut ſuperficies dicitur eſſe ſubiectũ coloris. Vnde quando accidenti datur diuinitus vt per ſe ſit, poteſt etiam per ſe alterius accidẽtis ſubiectũ eſſe.

Ad secvndvm dicendum, quod alia accidẽtia etiam ſecundũ quod erant in ſubſtantia panis, indiuiduabantur, mediante quantitate dimenſiua, ſicut dictũ eſt.* Et ideo potius quantitas dimenſiua eſt ſubiectum aliorum accidentium remanentium in hoc ſacramento, quàm econuerſo. *In cor. art.*

Ad tertivm dicendũ, quòd rarum & denſum ſunt quædam qualitates cõſequẽtes corpora, ex hoc quod habent multum vel parum de materia ſub dimenſionibus, ſicut etiam omnia alia accidentia conſequuntur ex principiis ſubſtantiæ. Et ideo ſicut ſubtracta ſubſtantia, diuina virtute cõſeruantur alia accidentia, ita ſubtracta materia, diuina virtute conſeruantur qualitates materiam conſequentes, ſicut rarum & denſum.

Ad qvartvm dicendum, quod quantitas mathematica non abſtrahit à materia intelligibili, ſed à materia ſenſibili, vt dicitur 7. Metaph.* Dicitur autem materia ſenſibilis ex hoc, quod ſubiicitur ſenſibilibus qualitatibus. Et ideo manifeſtum eſt, quod quantitas dimenſiua, quæ remanet in hoc ſacramento ſine ſubiecto, nõ eſt quantitas mathematica. *Lib. 7. t. 35. tex. 3.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ſpecies, quæ remanẽt in hoc ſacramento, poſsint immutare aliquid extrinſecum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies, quæ remanent in hoc ſacramento, non poſsint immutare aliquid extrinſecum. Probatur enim 7. phyſi. quod formæ quæ ſunt in materia, fiunt à formis, quæ ſunt in materia, non autem à formis, quæ ſunt ſine materia, eò quod ſimile agit in ſibi ſimile. Sed ſpecies ſacramentales ſunt ſpecies ſine materia, quia remanẽt ſine ſubiecto, vt ex dictis patet.* Non ergo poſſunt immutare materiam exteriorem inducẽdo aliquã formam. *4. d. 12, q. 1. ar. 2. q. 1. & 2.* *Ar. 1. huius q.*

¶2. Præterea, Ceſſante actione principalis agẽtis, neceſſe eſt quod ceſſet actio inſtrumẽti, ſicut quieſcẽte fabro, nõ mouetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt inſtrumentaliter in virtute formæ ſubſtantialis tanquam principalis agentis. Cùm ergo in hoc ſacramento non remaneat forma ſubſtantialis panis & vini (ſicut ſuprà habitũ eſt*) videtur quod formæ accidentales remanentes, agere non poſſint ad immutationẽ exterioris materię. *Q. 75. ar. 2. & 6.*

¶3. Pręterea, Nihil agit vltra ſuã ſpe-

ſpeciem, quia effectus non poteſt eſſe potior cauſa. Sed ſpecies ſacramentales omnes ſunt accidentia. Non ergo poſſunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam ſubſtantialem.

SED CONTRA eſt, quod ſi non poſſent immutare exteriora corpora, nõ poſſent ſentiri. Sẽtitur enim aliquid per hoc, quod immutatur ſenſus à ſenſibili, vt dicitur, 2. de anima.†

Lib. 2. tex. 51. 74. 121. to. 2.

RESPONDEO dicẽdum, quod quia vnumquodque agit, inquantũ eſt ens actu, conſequens eſt quod vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habeat ad agere. Quia igitur ſecũdum prædicta,* ſpeciebus ſacramentalibus datum eſt diuina virtute, vt remaneant in ſuo eſſe, quod habebant, ſubſtantia panis & vini exiſtente, conſequens eſt quod etiam remaneant in ſuo agere, & ideo omnẽ actionem quã poterãt agere ſubſtãtia panis & vini exiſtẽte, poſſunt etiã agere, ſubſtantia panis & vini trãſeunte in corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde non eſt dubium quod poſſunt immutare exteriora corpora.

Artic. 1. huius quaeſt. ad 3.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſpecies ſacramentales licet ſint formæ ſine materia exiſtentes, retinent tamen idem eſſe, quod habebant prius in materia. Et ideo ſecundum ſuum eſſe aſſimilantur formis, quæ ſunt in materia.

AD SECVNDVM dicendum, quod ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtãtialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantię. Et ideo ſicut diuina virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis vt poſſint agere ſine forma ſubſtantiali, virtute Dei, à quo ſicut à primo agente dependet omnis actio formę & ſubſtantialis & accidentalis.

AD TERTIVM dicendum, quod immutatio quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit à forma ſubſtantiali immediatè, ſed mediantibus, qualitatibus actiuis & paſſiuis, quę agunt in virtute formæ ſubſtantialis. Hæc autem virtus inſtrumentalis conſeruatur in ſpeciebus ſacramentalibus diuina virtute, ſicut & prius erat. Et ideo poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter. Per quem modum aliquid poteſt agere vltra ſuam ſpeciem, non quaſi virtute propria, ſed virtute principalis agentis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſpecies ſacramentales poſſint corrumpi.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies ſacramentales corrũpi non poſſint. Corruptio enim accidit per ſeparationem formę à materia. Sed materia panis non remanet in hoc ſacramẽto, ſicut ex ſupradictis patet.* Ergo huiuſmodi ſpecies non poſſunt corrumpi.

Infr. art. 5. coi Et 4. d. 12. q. 1. art. 2. q. 3. Et 4. contra. G. 66.

Q. 75. ar. 2. & 6.

¶ 2. Præterea, Nulla forma corrumpitur niſi per accidens, corrupto ſubiecto, vnde formæ per ſe ſubſiſtentes, incorruptibiles ſunt, ſicut patet in ſubſtantiis ſpiritualibus. Sed ſpecies ſacramentales ſunt formæ ſine ſubiecto, ergo corrumpi non poſſunt.

¶ 3. Pręterea, Si corrumpuntur, aut hoc erit naturaliter aut miraculosè. Sed non naturaliter quia non eſt ibi aſſignare aliquod corru-

ptionis

ptionis subiectũ, quod maneat corruptione terminata: similiter etiã nec miraculosè, quia miracula, quæ sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quam species sacramentales conseruantur: non est autem idem causa conseruationis & corruptionis. Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt.

SED CONTRA est, quod sensu deprehenditur hostias cõsecratas putrefieri & corrumpi.

RESPONDEO dicẽdum, quod corruptio est motus ex esse in non esse. Dictum est autẽ suprà,* quòd species sacramentales retinent idẽ esse, quod prius habebant, substantia panis & vini existente. Et ideo sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis & vini existente: ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeunte. Poterant autem huiusmodi accidẽtia primo corrumpi dupliciter. vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem sicut per alterationem qualitatum, & augmẽtum vel diminutionem quantitatum. Non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui inuenitur in solis corporibus animatis (qualia non sunt substantia panis & vini) sed per additionem vel diuisionem. Nam sicut dicitur, 3. Met. per diuisionem vna dimensio corrumpitur, & fiunt duæ, per additionem autem econuerso, ex duabus fit vna. Et per hunc modum manifestè possunt corrumpi huiusmodi accidentia post consecrationem, quia & ipsa quantitas dimensiua remanens, potest diuisionem & additionem suscipere: & cùm sit subiectum qualitatum sensibilium (sicut dictum est*) potest etiã esse subiectũ alterationis earum, puta, si alteretur color aut sapor panis aut vini. Alio modo poterant corrumpi per accidens per corruptionem subiecti. & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem. Quamuis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse, quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto, quod quidem est proprium & conforme subiecto. Et ideo huiusmodi esse potest corrumpi à contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini, quæ etiam non corrumpebatur nisi præcedente alteratione circa accidentia.

Art.præc.

Ar.2.huius q.

Distinguendum tamen est inter vtrumque modum harum prædictarum corruptionum: quia cùm corpus Christi & sanguis succedant in hoc sacramento substantiæ panis & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quę non suffecisset ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non desinit corpus & sanguis Christi esse sub hoc sacramento, siue fiat immutatio ex parte qualitatis (puta, cùm modicum immutatur color aut sapor panis vel vini) siue ex parte quantitatis, sicut cùm diuiditur panis aut vinum in tales partes, quòd adhuc in eis possit saluari natura panis aut vini.

Si verò fiat tãta immutatio, quòd fuisset corrupta substantia panis & vini, non remanent corpus & sanguis Christi sub hoc sacramento. Et hoc siue ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color & sapor & aliæ qualitates panis & vini, quod nullo modo possent compati naturam panis aut vini, siue

siue etiam ex parte quantitatis, puta si puluerizetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneat species panis vel vini.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ad corruptionem per se pertinet, quod auferat esse rei, vnde in quantum esse alicuius formæ est in materia, consequens est quod per corruptionem separetur forma à materia. Si verò huiusmodi esse non esset in materia, simile tamen ei quod est in materia, posset per corruptionem auferri, etiam materia nō existēte, sicut accidit in hoc sacramento, vt ex dictis patet.* *In cor. ar.*

AD SECVNDVM dicendū, quod species sacramentales licet sint formæ non in materia, habent tamen esse quod prius in materia habebant.

AD TERTIVM dicendū, quod corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis. Præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet, quod illæ species sacramentales retineāt esse sine subiecto, quod prius habebant in subiecto, sicut & cæcus miraculosè illuminatus, naturaliter videt.

ARTICVLVS V.

Vtrum ex speciebus sacramētalibus aliquid possit generari.

Inf. ar. 8. ad secundum. Et d. 4, 12. q. 1. ar 2 q. 4. Et 4. contra cap. 66. Et quol. 9. ar. 5. ad 3. Et 1. co. 11. lec. 4. fin.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur, ex aliqua materia generatur, ex nihilo enim nihil generatur, quamuis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed speciebus sacramentalibus nō subest aliqua materia nisi corporis Christi, quod est incorruptibile. Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.

¶ 2. Præterea, Ea quæ non sunt vnius generis, non possunt ex se inuicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens & substantia differunt genere. Cum ergo species sacramentales sint accidentia, videtur quod ex eis non possit aliqua substantia generari.

¶ 3. Præterea, Si ex eis generetur aliqua substantia corporea, illa substantia non erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramentalibus, generetur aliqua substātia corporea, oportet, quod ex accidente generetur substantia & accidens, duo scilicet ex vno, quod est impossibile. Ergo impossibile est, quod ex speciebus sacramentalibus aliqua substātia corporea generetur.

SED CONTRA, est, quod ad sensum videri potest ex speciebus sacramētalibus aliquid generari, vel cineres, si cōburātur vel vermes, si putrefiāt, vel pulueres, si cōterātur

RESPONDEO dicendum, quod cum corruptio vnius sit generatio alterius, vt dicitur in primo de generatione,* necesse est quod ex speciebus sacramētalibus, aliquid generetur, cum corrumpantur, vt dictum est.† Non enim sic corrumpūtur, vt omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur, sed manifestè aliquid sensibile eis succedit. Quo modo autē ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestū est enim quod ex corpore & sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis, aut vini remaneret in hoc sacramento, vel eorum materia,

Lib. 1. tex. 17. to. 2.

Ar. præce.

teria; facilè esset assignare quod ex eis generatur illud sensibile quod succedit, vt quidam posuerunt. sed hoc est falsum, vt supra habitum est.* Et ideo quidam dixerunt, quod ea, quæ generantur, nō fiunt ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circūstāte. Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primo, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratū & corruptū apparet. Nulla autē alteratio vel corruptio prius apparuit in aere circūstante, vnde ex eo vermes vel cineres nō generantur. Secūdo, quia natura aeris nō est talis, quod ex eo per tales alterationes talia generētur. Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias consecratas cōburi vel putrefieri, nec esset possibile tantū de corpore terreno ex aere generari, nisi magna & valde sensibili inspissatione aeris facta. Quarto, quia idē potest accidere corporibus solidis circunstantibus (puta ferro aut lapidibus) quæ integra remanent post prędictorum generationē. Vnde hæc positio stare non potest: quia cōtrariatur ei, quod ad sensum apparet. Et ideo alij dixerūt, quod redit substantia panis & vini in ipsa corruptione specierum, & sic ex substantia panis & vini redeūte, generātur cineres, aut vermes, aut aliquid huiusmodi. Sed hæc positio videtur esse impossibilis. Primò quidem, quia si substantia panis & vini, conuersa est in corpus & sanguinē Christi (vt supra habitum est*) nō potest substantia panis aut vini redire, nisi corpore aut sāguine Christi iterum conuerso in substantia panis vel vini, quod est impossibile, sicut si aer sit conuersus in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis conuertatur in aerē. Si verò substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, nisi fortè dicatur redire prædicta substantia, quia Deus de nouo creat aliam nouam substantiam loco primę. Secūdò videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substātia panis redeat. Manifestum est enim ex supra dictis,* quod manentibus speciebus panis & vini, manet corpus & sanguis Christi, quæ nō sunt simul cum substantia panis & vini id hoc sacramento, secundum prę habita.* Vnde substātia panis & vini nō potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus, quia iam substātia panis & vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile: nisi fortè dicatur, quod in ipso vltimo instanti corruptionis specierum redit non quidē substantia panis & vini (quia illud idē instans est, in quo primo habent esse substantiæ generatæ ex speciebus) * sed materia panis & vini, quæ magis de nouo creata diceretur, quam rediens, propriè loquendo. Et secundum hoc posset sustineri prædicta positio. Verum quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur vel redeat, melius videtur dicendum, quod in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensiuæ panis & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est propriū materię & ideo

ex

Marginal notes: q.75.ar.2.& 6. — Q.75.artic.4. & 2. — Ar.4.huius q. & q.76.ar.6. ad 3. — Q.75.art.2. — Al. sed materia panis magis quasi de nouo creata, &c.

ex consequenti datur prædictæ quātitati dimēsiuæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis vel vini, non quidem nouo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quātitas tamen dimēsiua supplet vicem materiæ, vt dictum est. †

In cor.ar.

Ad secundum dicendum, quod illæ species sacramentales, sunt quidem accidentia, habent tamen actum & vim substantiæ, vt dictum est.†

Ibidem.

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimensiua panis & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim & proprietatē substantiæ. Et ideo potest transire in vtrumque, idest, in substantiam & dimensionem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum species sacramentales possint nutrire.

4.di.12.q.1.ar.2.q.5.& 4.contra ca.66. Et 1.Cor.11.le.4.fi.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod species sacramētales non possint nutrire. Dicit enim Ambros.* in lib. de sacramētis: Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. sed omne quod nutrit, vadit in corpus. ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

Lib.5.de sacr.c.4.in me.to.4

¶2. Prætereà, Sicut dicitur, 2.* de Generatione, ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus: Species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo nō constat, nō enim accidens est pars substantiæ. Ergo videtur, quod species sacramentales nutrire non possunt.

Lib.2.tex.50.to.2.

¶3. Prætereà, Phil. 2.* de anima dicit, quod alimentum nutrit prout est substantia quædam, auget autem prout est aliquid quantum. Sed species sacramentales nō sunt substantia. Ergo non possunt nutrire.

Li.2.tex.47.to.2.

Sed contra est, quod Apost. 1.Corinth.11. loquens de hoc sacramento, dicit, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Vbi dicit glo.* quod notat illos, qui post celebrationem sacri mysterij & consecrationē panis & vini, suas oblationes vendicabant, & aliis non cōmunicantes, soli sumebant, ita vt inde etiā inebriarentur. Quod quidem non posset contingere, si sacramentales species non nutrirent. Ergo species sacramentales nutriunt.

Glos.ord.ibid.

Respondeo dicēdum, quòd hæc quæstio difficultatem non habet, præcedenti quæstione soluta. Ex hoc enim (vt dicitur 2. de Anima*) cibus nutrit, quod conuertitur in substantiam nutriti. Dictum autem,* quod species sacramentales possunt conuerti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eandem autem rationem possunt conuerti in corpus humanum, per quam possunt conuerti in cineres vel in vermes, & ideo manifestum est quod nutriūt. Quod autem quidam dicunt, quod nō verè nutriūt, quasi in corpus humanum conuertantur, sed reficiunt & confortant quadam sensuum immutatione (sicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini) ad sensum patet esse falsum. Talis enim refectio non diu sufficit homini,

Lib.2.de anima, text.45.et 46.to.2.

Ar.prae.

mini, cuius corpus propter continuam deperditionem reſtauratione indiget, & tamen homo diu ſuſtentari poſſet, ſi hoſtias & vinum conſecratũ ſumeret in magna quãtitate. Similiter etiam non poteſt ſtare quod quidam dicũt, quod ſpecies ſacramentales nutriunt propter formam ſubſtantialem panis & vini, quæ remanet: tum, quia non remanet, vt ſupra* habitum eſt, tũ quia non eſt actus formæ nutrire; ſed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti. Vnde dicitur* in 2. de anima, quòd nutrimẽtum in principio eſt diſſimile, in fine autem ſimile.

q.75.ar.6.

Lib.2. de ani. tex.45.tom.2.

Ad primvm ergo dicendum, quòd facta conſecratione dupliciter poteſt dici panis in hoc ſacramẽto eſſe. Vno modo ipſæ ſpecies panis, quæ retinent nomen prioris ſubſtantiæ, vt Greg.* dicit in hom. Paſchali. Alio modo poteſt dici panis ipſum corpus Chriſti, quod eſt panis myſticus de cælo deſcendens Ambr.* ergo cum dicit, quod iſte panis non tranſit in corpus, accipit panem ſecũdo modo, quia ſcilicet corpus Chriſti non conuertitur in corpus hominis, ſed reficit mentem eius, non autem loquitur de pane primò modo dicto.

Refertur de cõſec.d.2.c.Species.

Loco cit. in ar.

Ad secvndvm dicendum, quod ſpecies ſacramẽtales etſi nõ ſint ea, ex quibus corpus hominis conſtat, tamen in ea conuertuntur, ſicut dictum eſt.*

In cor. ar.

Ad tertivm dicendũ, quòd ſpecies ſacramentales, quãuis non ſint ſubſtantia, habent tamen virtutem ſubſtantiæ, ſicut dictum eſt.*

Ibid.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ſpecies ſacramentales frangantur in hoc ſacramento.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur quod ſpecies ſacramentales non frangãtur in hoc ſacramento. Dicit enim Phil.* 4. Meteor. quòd corpora dicuntur frangibilia propter determinatam diſpoſitionem pororum, quod non poteſt attribui ſacramentalibus ſpeciebus. Ergo ſacramentales ſpecies non poſſunt frangi.

4.d.10.art.1. ad 1. & d.12. q.1. ar.3.q.1. & 2. Et 4.cõt. c.67. Et op.2. c.8. Et 1.co.11. lect.5.co.6. Lib 4. in ſumma 3.ca.2.ante med.

¶ 2. Pręterea, Fractionem ſequitur ſonus. Sed ſpecies ſacramentales non ſunt ſonabiles. Dicit enim Philoſ.* 2. de anima, quod ſonabile eſt corpus durum, habens ſuperficiem lenem. Ergo ſpecies ſacramentales non franguntur.

Lib.2. ex tex. 77. & 78.t.2

¶ 3. Præterea, Eiuſdem videtur eſſe manducari, frangi & maſticari. Sed verum corpus Chriſti eſt quod manducatur, ſecundum illud Ioan.6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem: ergo corpus Chriſti eſt quod frangitur & maſticatur. Vnde in confeſſione Berengarij † dicitur, Conſentio ſanctę Romanę Eccleſię, & corde & ore profiteor panem & vinũ, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem verum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, & in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Non ergo fractio debet attribui ſacramentalibus ſpeciebus.

De cõſe.d.2.c. Ego Berengarius.

Sed contra eſt, quod fractio fit per diuiſionem quanti. Sed nullum quantum ibi diuiditur, niſi ſpecies ſacramentales, quia neq; corpus Chriſti, quod eſt incorruptibile, neque ſubſtantia panis, quæ non

manet, neque substantia vini. Ergo species sacramentales franguntur.

RESPONDEO dicendum, quod apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium. Sed hoc non potest stare, quia in hoc sacramento veritatis sensus non decipitur circa ea, quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex vno fiunt multa, quæ quidē sunt sensibilia cōmunia, vt patet in lib.† de anima. Vnde alij dixerūt, quòd erat quidē ibi vera fractio, sine subiecto existente. Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum prius vnum existens, postea in multa partitum, quod quidem oportet esse subiectum fractionis. Non autē potest dici, quod ipsum corpus Christi verum frangatur. primò quidem, quia est incorruptibile & impassibile. Secundò, quia est totū sub qualibet parte (vt supra habitū est†) quod quidem est contra rationē eius, quod frangitur. Vnde relinquitur, quod fractio sit sicut in subiecto in quantitate dimēsiua panis, sicut & alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierū est sacramentum Dominicæ passionis, quę fuit in corpore Christi vero.

Lib. 2. tex. 64 & 33. to. 2.

q. 76. ar. 3.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarum & densum (vt supra dictum est†) ita etiam remanet ibi porositas, & per consequens frangibilitas.

ar. 2. huius q. ad 3.

AD SECVNDVM dicendū, quod densitatem sequitur duritia. Et ideo ex quo in speciebus sacramentalibus remanet densitas, consequens est quod remaneat ibi duritia & per consequens sonabilitas.

AD TERTIVM dicendum, quod illud quod mādücatur in propria specicie, ipsum & frangitur & masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Vnde & super illud Ioan. 6. Caro non prodest quicquam, dicit August. * Hoc est intelligendum secundum illos, qui carnaliter intelligebant: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur. Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur, nisi secundum speciem sacramentalem. Et hoc modo intelligenda est confessio * Berengarij, vt fractio & attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua verè est corpus Christi.

Tract. 27. in Ioā. inter prin. & me. to. 9.

Posita in arg. 3.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod vino cōsecrato non possit aliquis liquor misceri. Omne enim, quod permiscetur alicui, recipit qualitatē ipsius. Sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramētalium specierum, quia accidentia illa sunt sine subiecto, vt dictum est. † Ergo videtur, quòd nullus liquor possit permisceri speciebus sacramentalibus vini.

4. dist. 12. q. 1. arti. 2. q. 6. & quo. 10. art. 3.

art. 1. huius q.

¶ 2. Præterea, Si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet quod ex his fiat aliquid vnum. Sed

Sed non poteſt fieri aliquid vnum neque ex liquore (qui eſt ſubſtantia) & ſpeciebus ſacramentalibus, quæ ſunt accidentia, neque ex liquore & ſanguine Chriſti, qui ratione ſuæ incorruptibilitatis, neque additionem recipit neque diminutionem. Ergo nullus liquor poteſt admiſceri vino conſecrato.

¶ 3. Præterea, Si aliquis liquor admiſceatur vino conſecrato, videtur quod etiam ipſum efficiatur cõſecratum, ſicut aqua, quæ admiſcetur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Sed vinum conſecratum eſt verè ſanguis Chriſti. Ergo etiã liquor permixtus eſſet ſanguis Chriſti. Et ita aliquid fieret ſanguis Chriſti aliter, quàm per conſecrationem, quod eſt inconueniens. Non ergo vino conſecrato poteſt aliquis liquor permiſceri.

¶ 4. Præterea, Si duorum vnũ totaliter corrumpatur, non erit mixtio, vt dicitur in 1.* de generatione. Sed ad permixtionem cuiuſcunque liquoris, videtur corrumpi totalis ſpecies ſacramentalis vini, ita quod ſub ea deſinat eſſe ſanguis Chriſti, tum quia magnum & paruum ſunt differentiæ quantitatis, & diuerſificant ipſam, ſicut album & nigrum colorem tum etiã, quia liquor permixtus, cum non habeat obſtaculum, videtur vndique diffundi per totum, & ita deſinit ibi eſſe ſanguis Chriſti, qui non eſt ibi ſimul cum alia ſubſtantia. Non ergo aliquis liquor poteſt permiſceri vino conſecrato.

Li. 1. à tex 82 vſque ad 90. tom. 2.

Sed contra eſt, quod ad ſenſum patet, alium liquorẽ vino permiſceri poſſe poſt conſecrationẽ, ſicut & ante.

Respondeo dicendum, quod iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt ex præmiſſis.* Dictum eſt enim ſupra quod ſpecies in hoc ſacramẽto remanentes, ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modũ eſſendi ſubſtantię, ita etiam conſequuntur modum agendi & patiendi, vt ſcilicet agere & pati poſſint quicquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ibi præſens exiſteret. Manifeſtum eſt autem, quòd ſi eſſet ibi ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri. Huius tamen permixtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundum formam liquoris, & ſecundum quantitatem. Si enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum. Quod autem eſt commixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt, ſed vtrunque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum. Vnde ſequeretur, quòd vinum prius exiſtens, non remaneret, ſed ſi liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei (puta, ſi permiſceretur aqua) ſolueretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei, ſi autem eſſet eiuſdem ſpeciei liquor adiunctus (puta, ſi vinum permiſceretur vino) remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuerſitas accidentium, puta, ſi vnum vinum eſſet album, & aliud rubeum. Si verò liquor adiunctus eſſet tã paruæ quantitatis, quod nõ poſſet perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, ſed aliqua pars eius. Quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remaneret tamen eadem ſpecie, non ſolum ſi paruus

ar. 1. & 2. huius q.

liquor permixtus esset eiusdẽ speciei, sed etiamsi esset alterius speciei, quia gutta aquæ multo vino permixta, transit in speciem vini, vt dicitur in 1.* de generatione. Manifestum est autẽ ex prędictis,* quod corpus & sanguis Christi remanẽt in hoc sacramẽto, quandiu illę species manent eædem numero: consecratur enim hic panis, & hoc vinũ. Vnde si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi. Si verò fiat tã parua alicuius liquoris adiunctio, quod nõ possit diffundi per totum, sed vsq; ad aliquã partem specierũ, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

Li. 1. tex. 34. 39. & 88. to. 2.

Ar. 4 huius q. & q. 76. ar. 6. ad 3.

Ad primvm ergo dicendum, quod Innoc. III.* dicit in quadam Decret. quòd ipsa accidentia vinũ appositũ videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit: contingit igitur accidẽtia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Hoc tamen non est sic intelligendũ, quasi idem numero accidens, quod prius fuit in vino ante consecrationem, postmodũ fiet in vino apposito, sed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia, retinent actionem substantiæ secundum prædicta:* & ita immutando, afficiunt liquorem appositum.

In decret. li. 3. tit. 41. c. Cùm Marthæ. §. Quæsiuisti.

In cor. ar.

Ad secvndvm dicendũ, ꝙ liquor apposit⁹ vino cõsecrato, nullo modo miscetur substantiæ sanguinis Christi, miscetur tamẽ speciebus sacramentalibus. Ita tamẽ quòd permixtione facta, corrumpuntur prædictæ species, vel in toto, vel in parte, secundum modum quo suprà dictum est,* quòd ex speciebus illis potest aliquid generari. Et si quidem corrumpãtur in toto, nulla iam remanet quęstio, quia iam totum erit vniforme. Si autem corrumpãtur in parte, erit quidem vna dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen vna secundum modum essendi, quia vna pars eius erit sine subiecto, alia erit in subiecto, sicut si aliquod corpus cõstituatur ex duobus metalis, erit vnum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen vnum secundum speciem materiæ.

Ibid.

Ad tertivm dicendũ, quòd sicut Innoc. III. dicit in Decretali prædicta, † si post consecrationem calicis aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, neq; sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet, vndiq; circũfunditur non madidans circunfusum. Quod quidem intelligendum est, quando non fit tanta permixtio liquoris extranei, quod sanguis Christi desinat esse sub toto, tunc enim dicitur vndiq; circũfundi, nõ quia tangat sanguinem Christi secundum eius proprias dimensiones, sed secundũ dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. Nec est simile de aqua benedicta, quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio vini.

Loco citato in sol. 1. arg.

Ad qvartvm dicendũ, quod quidam posuerunt, quòd quantuncunque parua fiat extranei liquoris per-

permixtio, substantia sanguinis Christi desinit esse sub toto, & hoc ratione inducta.* Quæ tamen non cogit, quia magnum & paruum diuersificant quãtitatem dimensiuã, nõ quantum ad eius essentiam, sed quantum ad determinationem mẽsuræ. Similiter etiam liquor appositus adeo potest esse paruus, quòd sua paruitate impeditur, ne diffundatur per totum, & non solis dimẽsionibus, quæ licet sint sine subiecto, tamen obstant alteri liquori, sicut & substantia, si ibi adesset secũdum ea, quæ præmissa sunt.

In argum.

¶ *Sententiæ & conclusiones quæst.*

PRima conclusio, *quamuis accidentia panis & vini post consecrationem, permaneant sine subiecto virtute diuina: quantitas tamen vicem habet subiecti reliquorum accidentium.*

Ratio primi, *quia sensibus certò cognoscimus manere hæc accidentia & fide nõ manere subiectas illis substantias: necesse est ergo manere accidentia sine proprio subiecto, idq; virtute diuina, quæ per seipsam accidentibus præstare potest, quod subiecta substantia præstitit.*

Secunda conclusio, *hęc accidẽtia & species sacramentales id omne efficere & pati possunt, quod in subiecto proprio efficerent & paterentur, quia virtute diuina in suo esse conseruantur: itaq; afficiunt sensus, corrumpi possunt, & ex eis aliud generari, nutriri, frangi etiã quæ sunt panis, et quæ sũt vini, cõmisceri alijs liquoribus & alteri vino, & semper manebit Christus, quãdiu mãserint sine corruptione species panis, aut vini consecrati.*

COMMENTARIVS.

1 HActenus essentiam huius sacramenti, materiam, formam: efficaciam formæ in transubstantiatione, & ex ea consequẽtem realem & substantialem Christi præsentiam, refutatis aduersariorũ obiectionibus, cõfirmauimus. deinceps de accidenttbus panis & vini Christum sacramentaliter continentibus, dicendum est. de his autem est hęc recepta sententia, perfecta transubstantiatione, remanent eadẽ numero accidentia panis & vini, vt quantitas, color, sapor, & omnes proprietates, sine subiecto sed quantitas aliorum accidentiũ subiectum est. Primam p. huius sententiæ, quæ asserit remanere omnia illa accidẽtia, sensus ipsi, qui circa propria sensibilia decipi nõ possunt, indicant: & ideò nulla prætereà probatio necessaria est. cur autem oportuerit illa manere, his rationibus ostẽdi solet: primùm vt occultaretur nobis carnis humanę forma, propter horrorem, quem ex eius perceptione caperemus. sic Theophilactus & alij in c.6. Ioã. Secundò, quia caro Christi gloriosa ex immodico splendore intuentium oculos offenderet, & ne capi quidem posset: sic Aug. ad Orosium. Tertiò, vt esset fidei exercitium, dum in summo mysterio alia species obiiceretur sensibus, alia credẽda proponeretur: & idcircò Inno. III. in c. Marthę de cel. miss. vult hoc sacramentũ propriè vocari mysterium fidei. Quartò, vt res prętiosissima, sub vsitatissimis formis, ab irrisione & profanatione infideliũ, occuleretur, ex Aug. de cõs. d.2.c. vtrũ. Quinta ratio, & pręcipua est, vt corpus Christi ac sanguis, quæ siue mortalia, vt olim, siue gloriosa & immortalia, vt nunc, non essent apta per se, vel genuinas species, ad sacramentum & sacrificiũ quotidianum, neq; ad comestionem, fractionem, motionẽ, visionem, & reliquũ vsum, per illa quidem aliena accidentia illis mirificè coniuncta, omnibus vsibus suauissimè accommodantur.

De accidẽtibus sacramentalibus.

Accidentia panis & vini manent in hoc sacramento, imò verò sunt ipsum sacramentum.

2 Altera p. eiusdẽ sententię de existentia accidentiũ sine subiecto, definita est in cõcil. Constã. sess.8. cõt. VVicleffum, & ex prę cedẽtibus fidei dogmatis sic apertè colligitur. hęc accidẽtia, neq; substãtię panis, aut vini, quæ post consecrationẽ non manent, neq; corpori Christi, quod post resurrectionẽ, mutari, subiici, aut alterari non potest, neq; circũiecto aeri, qui sua retinet, & alienis, quæ ab vno in aliud subiectũ minimè præparatũ non commigrant, inhęrere possunt, sicuti, neq; cuiuis alteri substãtiæ: manent igitur sine subiecto, Deo ipsa conseruãte in suo esse. idem definitum est in aliis

Eadem accidẽtia manent sine subiecto.

conciliis, non tamen adeò expressè: in c. cum Marthæ de celebr. miss. dicitur sacramentum tantùm esse species panis & vini, siue forma & imago, quę cernũtur. c. firmiter de sum. Trin. §. vna verò est, inquit, corpus & sanguis in sacramẽto altaris sub speciebus panis & vini veraciter cõtinentur. idẽ est in Flor. in doctrina de Eucharistia, cõcil. Tridẽ. sess. 13. can. 2. quicunq;, inquit, negauerit mirabilẽ illam & singularẽ conuersionẽ totius substantię panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, anathema sit. põderandę sunt in his decretis illæ exclusiones, [tantũ, & duntaxat,] quia excludunt substantiã & subiectũ panis & vini, & idcircò necessariò intelliguntur manere accidentia sine subiecto, cùm corpori Christi sine alteratione & passione inhærere non possint: corpus autẽ Christi post resurrectionẽ pati, aut alterari extrinsecus nõ potest: manere igitur necesse est illa accidentia sine subiecto. Cum autem quicquid causa secũda efficit, possit & prima immediatè efficere, cùm non implicatur contradictio, quod erat substantiæ panis & vini ante consecrationem, nempè sustẽtare in suo esse accidentia, quæ nõ sunt, nisi in substantia existãt, id sanè Deus post consecrationem per seipsum immediatè efficit, eadem in suo esse conseruando. An verò ita conseruet, vt maneat tantum antiquum esse, sed sine subiecto, cuius vim suppleat Deus per seipsum immediatè, vel prę tereà accipiat diuina virtute nouum modum essendi substantiæ, & sicut prius fuerat quo est, modò sit quod est, nihil certè refert ad dogma fidei de manentibus accidentibus in hoc sacramento sine subiecto.

2. Alanus Anglus lib. de Euchar. sacramento c. 36. priorẽ istã sententiã, cũ subiectione Ecclesiæ asserit, posteriorem refellit.

C. 1. inquit esse Scoti, 2. D. Thomæ, sed eadem videtur esse vtriusque sententia.

3 Manere autẽ proprietates & affectiones eorundem accidentium, sensibus ipsis deprehẽdimus: color enim afficit visum, sapor gustatum, quantitas eandem partium extẽsionem retinet: imò verò, quia manet idem esse antiquum sine subiecto, & id quod est, agere & pati potest, ideò eisdem accidentibus retinentibus esse, quod prius tribuebat substantia panis & vini, conueniunt eædem operationes, vt nutrire, alterare, augere: eædem etiam passiones, vt eis corruptis possit generari aliquid, possint diuidi & frangi ratione quãtitatis. in quibus omnibus, quãdiu manent vera panis & vini accidentia, manet etiam verum Christi corpus, quia manet sacramentum Eucharistiæ: quod si non manent illa accidentia, neque Christus manet sacramentaliter, cũ non maneat sacramentum. Sentẽtia verò, asserentium has actiones nutriendi, & alterandi corpus nostrum esse à corpore Christi, vtente illis accidentibus ad illas operationes, sine sui tamen mutatione, cum admirabili tamen illorum accidentium vnione & vinculo, nobis non probatur. primò, quia noua est & Theologis inaudita: secũdò, quia esse accidentium, quod retinẽt vi diuina, satis est ad omnem illorum actionem & passionem, vt ostendimus. Multò minus probabitur nobis, illa accidẽtia assumi à Chisto ad vnionẽ hypostaticam, etiãsi illa dimittat: sicut viuens hanc vitã mortalem, noua accidẽtia assumpsit & repulit, vt varias corporis qualitates, lętitiam, gaudium, tristitias, lachrymas, splendorẽ trãsfigurationis: & quidam veteres, vt Gelasius & Theodor. incarnationem explicant ex hoc sacramento, quatenus eius accidentia corpus Christi videtur assumere: sed non placet hęc sentẽtia, quia noua, & quia Christus hypostaticè diceretur efficere per accidentia huius sacramenti, atq; etiam inebriare aliquem, quod per species fieri posse dubium non est. Sed ex his accidẽtibus quantitas aliorum subiectum ideò verè dicitur, quia vt erant prius in substantia, media quantitate, quæ est omnium accidentium materialium primum, sic modò sine substantia manent extensa per quantitatẽ, vt quantitas cætera sustentet & recipiat: quantitatem nullũ aliud sustentet, aut recipiat. cũ enim diuinitus datum sit quantitati, vt per se sit ad modũ substantiæ, & mediante ipsa, cętera accidentia existant, datur etiam consequenter, vt aliorum accidẽtium subiectum esse possit: & idcircò media quantitate cætera accidentia sustentãtur in antiquo esse, quantitatem Deus immediatè & per se sustentat.

Proprietates eorundẽ accidentium manent. 3. p. q. 77. ab ar. 3. ad 8.

Quantitas est aliorum accidẽtium subiectũ.

4 Sed his cõstitutis, tria sunt, quę exactiorẽ explicationem exigunt: qua ratione ex accidentibus sacramẽtalibus aliquid gigni possit, cũ nulla sit materia ad constitutionẽ eius, quod sit omninò necessaria: quò modo eisdem externus liquor admisceri possit: qua denique ratione caro humana, sanguisúe in eisdẽ accidentibus apparere & verè repręsentari possit. Ad primam ergo dubitationẽ respondetur, eã sententiam videri pro-

Generatio alicuius rei ex accidẽtibus sacramentalibus. 3. p. q. 77. ar. 5

ri probabiliorem, quæ efficaciæ consentit consecrationis magis accõmodatè. constat autẽ ex precedentibus post consecrationẽ effectũ esse, vt quantitas aliorũ accidentiũ panis & vini sit vice materię, & loco subiecti: quare vt materia varie præparatur, donec forma substantialis inducatur: sic quãtitas præparatur ad formã inducendam accõmodatè, quia vicẽ materię habet virtute cõsecrationis, quandiu manet sacramentũ. in primo autẽ non esse sacramenti, conuertitur diuina virtute in materiã, quę suscipit formã, cui accõmodata fuerat pręparatio: atq; ita ex accidentibus sacramẽtalibus gigni potest aliquid, cũ primò desinit esse sacramentũ. cõsentit hęc sentẽtia, cũ generatione naturali. in hac enim agens vsq; ad momentũ generationis agit in quantũ: in eo autẽ momento attingit nudam essentiã materiæ, educẽdo de illius potentia formã substantialẽ, vt substãtia cõposita fiat.

Permistio liquoris alicuius cum vino consecrato. Ead. q. ar. 8.

5 Ad alterã dubitationem de permistione liquoris alicuius cũ vino consecrato, adhibenda est hæc distinctio. Aut enim magna quãtitas externi liquoris permiscetur, eiusdẽ, vel alterius speciei, vt vinũ vino, vel aqua vino: aut exigua quantitas. primo modo non manet amplius sanguis, neq; sacramentũ: quia cum species vini ad efficiendam mistionem, eandẽ vim habeat, atque substãtia vini, si permaneret: & cũ duo permiscentur secundũ se tota, vtrumq; perit, & prodit tertium ab vtroq; diuersum, necesse est primo modo fieri tertium, diuersum à primo, idest accidentibus vini: specie quidem, si liquor admistus sit alterius speciei vt aqua: numero verò, si sit eiusdẽ speciei: sed cũ primò desinunt esse eadem numero accidentia vini consecrati, desinit in illis esse sanguis Christi: hoc igitur primo modo facta permistione non amplius erit sacramentũ. Altero modo, si liquor admistus adeò exiguus sit, vt totã dimensionẽ vini consecrati permeare non possit, ea quidem parte, qua diffundi nõ poterit, permanebit eadẽ numero species vini, & ideò sanguis Christi: ea vero parte qua liquor diffunditur, nõ manebit, quia neq; eadem species, cũm ex permistione eius partis factũ sit aliquod tertiũ, numero saltẽ à vino cõsecrato distinctũ. itaq; licet liquor appositus nullo modo sanguini Christi permisceatur, quia mistio non est sine actione & passione, & sanguis Christi post resurrectionẽ est omninò impassibilis, permiscetur tamẽ speciebus sacramẽtalibus, ita vt permistione facta, corrũpantur species, vel omninò, vel quadã ex parte: si omninò, erit totũ vniforme, & eiusdẽ esse: si autẽ ex parte, erit quidẽ vna dimensio secundũ continuitatẽ quantitatis, non tamẽ vna secundũ modũ essendi, quia vna pars erit cũ subiecto, alia sine subiecto: vt si fiat vnũ corpus ex duobus metallis, erit vnũ secundũ quantitatem, non tamen secundum speciem.

De his, quæ in hoc sacramẽto apparent.

6 Ad tertiã dubitationem propositã, de his, quę miraculosè in hoc sacramẽto apparẽt, vt caro in propria figura, sanguis, puer, ex distinctione respondendũ est. aliquãdo enim hoc apparet, ex immutatione tantũ videntis, nõ sacramenti: cuius signum est, illud quibusdã apparere, quibusdam autẽ minimè. aliquãdo vero ex immutatione sacramenti, cuius signũ est, quòd idẽ omnibus, & longiori tẽpore apparet, & cõseruatur in multis locis. tunc autẽ licet maneant eædẽ dimensiones, figura tamẽ, color, effigies mutatur, & ex ea mutatione miraculosè fit, quod apparet, caro, sanguis, aut puer, ea ratione, qua diximus ex accidẽtibus sacramentalibus aliquid fieri posse: & idcircò nõ est id quod sic apparet, Christus, vel aliquid Christi: quia constat secundũ rectã fidem, corpus Christi, vel esse definitiuè in cęlo in propria specie, vel in aliena cũ existit sacramentaliter: id verò quod apparet, ad neutrũ horum pertinere potest. adhuc tamen, licet hæc in sacramento sic mutato verè existant, manet in eodem Christus sacramentaliter, quia manet quandiu manẽt accidentia sacramentalia, in quibus potissimè sunt dimẽsiones: quare his manẽtibus, corpus Christi sacramẽtaliter manere necessariò concedendum est. Fiunt autẽ huiusmodi apparitiones, siue ex immutatione videntis & non sacramenti, siue etiã ex immutatione sacramentaliũ accidentium, sine deceptione & mẽdacio, vt ostendatur corpus Christi verè & substãtialiter in hoc sacramento existere, ad nostræ fidei cõfirmationem. cũ autem aliquid apparet, vel fingitur, etiamsi non existat, & refertur ad aliquam significationẽ, non est mendaciũ, sed figura veritatis: sicut Dominus sine deceptione & mendacio, coram discipulis in Emaus, finxit se longius ire.

QVÆSTIO LXXVIII.
De forma sacramẽti Eucharistiæ, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de forma huius sacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur sex.
Primò, quæ sit forma huius sacramenti.
Secundò, vtrum sit conueniens forma cõsecrationis panis.
Tertiò, vtrum sit conueniens forma consecrationis sanguinis.
Quartò, de virtute vtriusq; formæ.
Quintò, de veritate loqutionis.
Sextò, de comparatione vnius formæ ad aliam.

ARTICVLVS I.
Vtrùm hæc sit forma huius sacramenti, hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei.

4.d.8.q.2.ar.2.& 3. AD primũ sic proceditur. Videtur, quod hęc nõ sit forma huius sacramenti, hoc est corpus meum, &, hic est calix sanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam huius sacramenti, quibus Christus corpus suum & sanguinem consecrauit. Sed Christus antè benedixit panẽ acceptũ, & postea dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meũ (vt habetur Matth. 26.) & similiter fecit de calice. Ergo prædicta verba non sunt forma huius sacramenti.

¶ 2. Preterea, Eusebius Emissenus dicit, † quod inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in suũ corpus conuertit, dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meũ. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam huius sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem. *Refertur de cõsec. d. 2. c. Quia corpus assumptum.*

¶ 3. Præterea, In forma baptismi exprimitur persona ministri & actus ei⁹, cũ dicit: Ego te baptizo. Sed in pręmissis verbis nulla fit mẽtio de persona ministri, nec de actu eius. Ergo non est conueniens forma sacramenti.

¶ 4. Præterea, Forma sacramenti sufficit ad perfectionẽ sacramenti, vnde sacramentum baptismi quãdoq; perfici potest solis verbis formæ prolatis, omnibus aliis prætermissis. Si ergo prædicta verba† sunt forma huius sacramenti, videtur, quòd aliquãdo possit hoc sacramẽtũ perfici his solis verbis prolatis, & omnibus aliis prætermissis, quæ in missa dicuntur. Quod tamen videtur esse falsum, quia vbi verba alia prætermitterentur, prædicta verba† acciperentur ex persona sacerdotis proferentis, in cuius corpus & sanguinem panis & vinũ non conuertuntur. Non ergo prædicta verba sunt forma huius sacramẽti. *In argu. 1. posita.* *Ibidem.*

SED CONTRA est, quod Amb. *dicit in lib. de sacramentis: Consecratio fit verbis & sermonibus Domini IESV: nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem venitur, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam nõ suis sermonibus sacerdos vtitur, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramẽtum. *Li. 4. c. 4. paulo à prin. to. 4.*

RESPONDEO dicendum, quod hoc sacramentum ab aliis sacramẽtis differt in duobus, primò quidẽ, quantũ ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in cõsecratione materiæ: alia verò sacramenta perficiuntur in vsu materiæ consecratę. Secundò, quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solũ

in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quandam ſpiritualem virtutem, quę per miniſtrum, qui eſt inſtrumentum animatum, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere. Sed in hoc ſacramento cõſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa conuerſione ſubſtantię, quæ à ſolo Deo perfici poteſt. Vnde miniſter in hoc ſacramento perficiendo non habet alium actum niſi prolationem verborum. Et quia forma debet eſſe conueniens rei, ideo forma huius ſacramenti differt à formis aliorum ſacramentorũ in duobus, primò quidẽ, quia formæ aliorum ſacramentorũ importãt vſum materiæ, puta baptizationem, vel conſignationem: ſed forma huius ſacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in trãſſubſtantiatione conſiſtit: puta cùm dicitur, hoc eſt corpus meum, vel, hic eſt calix ſanguinis mei. Secundò, quia formæ aliorum ſacramentorũ proferuntur ex perſona miniſtri, ſiue per modum exercentis actum: ſicut cùm dicitur: Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo: ſiue per modum imperantis, ſicut in ſacramento ordinis dicitur: Accipe poteſtatem, &c. ſiue per modum deprecãtis, ſicut cùm in ſacramento extremæ vnctionis dicitur: Per iſtam vnctionem, & noſtram interceſſionẽ, &c. Sed forma huius ſacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquentis, vt detur intelligi quod miniſter in perfectione huius ſacramenti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc eſt multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Chriſtus, qui habebat poteſtatẽ excellẽtiæ in ſacramẽtis, abſq; omni forma verborũ hoc ſacramentum perfecit, & poſtea verba protulit, ſub quibus alij poſtmodũ cõſecrarent. Quod videntur ſonare verba Innocẽ.III.* dicentis: Sane dici poteſt, quod Chriſtus virtute diuina cõfecit, & poſtea formã expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Sed cõtra hoc expreſsè ſunt verba Euãgelij, in quibus dicitur, quod Chriſtus benedixit, quę quidem benedictio aliquibus verbis facta eſt. Vnde prędicta verba Inno. ſunt opinatiuè magis dicta, quã determinatiuè. Quidã autem dixerũt, quod benedictio illa facta eſt quibuſdã aliis verbis nobis ignotis. Sed nec hoc ſtare poteſt, quia benedictio conſecrationis nunc perficitur per recitationẽ eorum, quæ tunc acta ſunt. Vnde ſi tũc per hæc verba nõ eſt facta cõſecratio, nec modò fieret. Et ideo alij dixerunt, quod illa benedictio eiſdẽ etiã verbis facta eſt, quibus modo fit, ſed Chriſtus ea bis protulit. Primò quidẽ ſecretè ad conſecrandũ, ſecũdò manifeſtè ad inſtruendum. Sed nec hoc ſtare poteſt, quia ſacerdos conſecrat, proferens hæc verba, non vt à Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed vt publicè prolata. Vnde cùm non habeant vim huiuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione, videtur quod etiam Chriſtus manifeſtè ea proferẽs conſecrauerit. Et ideo alij dixerunt, quod Euãgeliſtæ non ſemper eundem ordinẽ in recitando ſeruauerunt, quo res ſunt geſſæ, vt patet per Auguſtinum* in lib. de cõſenſu Euangeliſtarum. Vnde intelligendum eſt ordinẽ rei geſtæ ſic exprimi poſſe: Accipiens panem benedixit,

Id habet in li. 4. de ſacro altaris myſterio, c. 6. circa fin.

Li. 2. colligitur ex c. 50. & 31. & 44. tom. 4.

xit, dicēs, hoc est corpus meum, & deinde fregit, & dedit discipulis suis. Sed idē sensus haberi potest, etiam verbis Euangelij non mutatis, nam hoc participiū, dicens, cōcomitantiam quandam importat verborum prolatorū ad ea, quę pręcedunt. Non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solùm respectu vltimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quādo dedit discipulis suis. Sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, vt sit sensus, dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit: Accipite, &c.

Ad secundum dicendū, quod in his verbis: Accipite & comedite, intelligitur vsus materiæ consecratæ: qui non est de necessitate huius sacramenti (vt suprà habitum est†) & ideo nec hæc verba sunt de substantia formæ. Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materiæ cōsecratæ vsus (sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei) ideo per omnia ista verba exprimitur tota perfectio huius sacramēti. Et hoc modo Eusebius intellexit *his verbis confici sacramentum, quantum ad primam & secundam perfectionem ipsius.

q. 74. ar. 7.

Loco citato in arg.

Ad tertium dicendum, quod in sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa vsum materiæ, qui est de essentia sacramenti, quod non est in hoc sacramento. & ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicēdum, quod quidam dixerunt, hoc sacramētum perfici non posse, prædictis verbis prolatis, & aliis prætermissis, præcipuè quę sunt in canone missę. Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambros. *supra inductis, tum etiam, quia canon missæ non est idē apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diuersa sunt à diuersis apposita. Vnde dicendum est, quod si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerētur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Grauiter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, vtpote ritum Ecclesiæ non seruans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis, defectum autem huius sacramēti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Augustinus *dicit.

In arg. Sed contra.

Tract. 26. Ibā: to. 9. Colligitur etiā ex eo quod ex Aug refertur de cons d. 4 c. Nulli.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis panis, hoc est corpus meum.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit cōueniens forma consecrationis panis, hoc est corpus meum. Per formam enim sacramenti debet exprimi sacramenti effectus. Sed effectus, qui fit in consecratione panis, est cōuersio substantię panis in corpus Christi, quę magis exprimitur per hoc verbum, fit, quàm per hoc verbum, est. Ergo in forma consecrationis deberet dici, hoc fit corpus meum.

Sup. q. 60 art. 8. cor. et q. 85. artic. 2. cor & inf. q. 83. ar. 4 ad 1. & q. 84. ar. 3. cor. Et 4. d 8. q. 2. ar. 1. q. 1. & 2. & ar. 4. q. 3. et 1. co. 11. lec. 5. co. 4.

¶ 2. Præterea, Ambros. † dicit in lib. de sacramentis, Sermo Christi hoc cōficit sacramentū, quis sermo

** Lib. 4. ca. 4. nō procul a prin to. 4.*

mo Christi? hic, quo facta sunt omnia, Iussit Dominus & facta sunt cæli & terra. Ergo & forma huius sacramenti conueniētior esset per verbum imperatiuū, vt diceretur, hoc fit corpus meum.

¶ 3. Præterea, Per subiectū huius locutionis importatur illud quod conuertitur, sicut per prędicatum importatur cōuersionis terminus. Sed sicut est determinatū id, in quod fit cōuersio (nō enim fit cōuersio, nisi in corpus Christi) ita est determinatū id quod conuertitur, nō enim cōuertitur in corpus Christi, nisi panis. Ergo sicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomen, vt dicatur, hic panis est corpus meum.

¶ 4. Præterea, Sicut id, in quod terminatur conuersio, est determinatæ naturæ (quia est corpus) ita etiam est determinatæ personæ. Ergo sicut ad determinādum naturā, dicitur corpus, ita ad determinandam personam, deberet dici, hoc est corpus Christi.

¶ 5. Prętereà, In verbis formæ non debet poni aliquid, quod nō sit de substantia eius. Inconuenienter ergo additur in quibusdā libris hęc coniunctio, enim, quæ nō est de substantia formæ.

Sed contra est, quod Dominus hac forma in consecrando est vsus, vt patet Matth. 26.

Respondeo dicēdum, quod hæc est cōueniens forma consecrationis panis. Dictū est enim,* quod hæc consecratio consistit in cōuersione substantiæ panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur. Vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi. In qua tria considerantur. s. ipsa cōuersio, & terminus à quo & termin⁹ ad quē. Cōuersio aūt pōt cōsiderari dupliciter. Vno modo, vt in fieri, alio modo, vt in facto esse. Non autem debuit significari conuersio in hac forma, vt in fieri, sed vt in facto esse. Primò quidē, quia hæc conuersio non est successiua (vt suprà dictum est*) sed instantanea. In huiusmodi autem mutationibus fieri, nō est nisi factū esse. Secundò, quia ita se habēt formæ sacramentales ad significandū effectum sacramenti, sicut se habēt formæ artificiales ad repræsentandum effectum artis. Forma autem artificialis, est similitudo vltimi effectus, in quem fertur intētio artificis, sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens. Vnde & in hac forma debet exprimi conuersio, vt in facto esse ad quod fert intentio. Et quia ipsa conuersio exprimitur in hac forma, vt in facto esse, necesse est, quod extrema conuersionis significentur, vt se habent in facto esse conuersionis. Tunc autē terminus ad quem, habet propriā naturam suæ substantiæ, sed terminus à quo, non manet secundum suā substantiam, sed solùm secundum accidentia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest. Vnde conuenienter terminus conuersionis à quo, exprimitur per pronomen demonstratiuum relatū ad accidentia sensibilia, quæ manent: terminus autem ad quem, exprimitur per nomen significans naturam eius, in quod fit conuersio. Quod quidem est totum corpus Christi, & non

Art. præce.

q. 75. ar. 7.

q. 76. art. 1. ad 2. & non sola caro eius, vt dictũ est†. Vnde hęc forma est conuenientissima, hoc est corpus meum.

Ad primvm ergo dicendum, quod fieri non est vltimus effectus huius cõsecrationis, sed factũ esse: vt dictum est.† Et ideo hoc potius exprimi debet in forma. In cor. ar.

Ad secvndvm dicendum, quod sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione, aliter tamen & aliter. Nam hic operatur effectiuè & sacramentaliter, idest, secundum vim significationis. Et ideo oportet in hoc sermone significari vltimum effectum consecrationis per verbum substantiuum indicatiui modi & præsentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est solum effectiuè, quę quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ. Et ideo in creatione rerũ exprimitur sermo diuinus per verbũ imperatiui modi secundũ illud Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux.

Ad tertivm dicendũ, quod terminus à quo in ipso facto esse conuersionis, non retinet naturam suæ substantiæ, sicut terminus ad quem, & ideo non est simile.

Ad qvartvm dicendum, quod per hoc pronomen, meum, quod includit demonstrationẽ primę personæ (quę est persona loquẽtis) sufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona hæc proferuntur, vt dictum est.† ar. pra. et ar. 1.

Ad qvintvm dicendũ, quod hæc coniunctio, enim, apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, à beato Petro Apostolo deriuatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideo non est de forma, sicut nec verba pręcedentia formam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei, &c.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamẽti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Sicut enim panis conuertitur in corpus Christi ex vi cõsecrationis, ita & vinum in sanguinem Christi, sicut ex prædictis patet *. Sed in forma consecrationis panis ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur. Inconuenienter ergo in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, & additur calix in recto, cum dicitur, hic est calix sanguinis mei. 4. d 8. q. 2. ar. 2. q. 2. & 3. Et 1. co. 11. le. 6. co. 3. 4. et 5. q. 76. art. 1. & 2.

¶ 2. Præterea, Non sunt maioris efficaciæ verba quæ proferuntur in consecratione panis, quam ea, quæ proferũtur in cõsecratione vini, cũ vtraq; sint verba Christi. Sed statim dicto, hoc est corpus meũ, est perfecta consecratio panis. Ergo statim cùm dictum est, hic est calix sanguinis mei, est perfecta consecratio sanguinis, & ita ea quæ sequũtur, non vidẽtur esse de substantia formæ, præsertim cũ pertineãt ad proprietates huius sacramenti.

¶ 3. Pręterea, Testamentum nouum pertinere videtur ad internã inspirationẽ, vt patet ex hoc quod Apostolus ad Hebr. 8. introducit verba, quæ habentur Hierem. 31. Cõsummabo super domum Israël testamen-

testamentum nouum, dando leges meas in mentem eorum. Sacramentum autem exterius visibiliter agitur. Inconuenienter ergo in forma sacramenti dicitur, noui testamenti.

¶ 4. Præterea, Nouum dicitur aliquid ex eo quòd est propè principium sui esse. æternum autem nō habet principium sui esse. Ergo inconuenienter dicitur, noui & ęterni, quia videtur contradictionē implicare.

¶ 5. Præterea, Occasiones erroris sunt hominibus subtrahende, secundum illud Isai. 57. Auferte offendicula de via populi mei. Sed quidam errauerunt, æstimantes misticè solùm esse corpus & sanguinem Christi in hoc sacramēto. Ergo in hac forma incōuenienter ponitur mysterium fidei.

¶ 6. Præterea, Suprà dictū est, * quod sicut baptismus est sacramentum fidei, ita Eucharistia est sacramētum charitatis. Ergo in hac forma magis debet poni charitas, quàm fides.

q.73.ar.2.ad 3.

¶ 7. Præterea, totum hoc sacramentum & quantum ad corpus, & quantum ad sanguinem, est memoriale Dominicę passionis, secundū illud 1. Corinth. 11. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Non ergo magis debuit in forma cōsecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi & eius fructu, quàm in forma cōsecrationis corporis, præsertim cū Luc. 22. Dominus dixerit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

¶ 8. Præterea, Passio Christi (vt suprà habitum est*) ad sufficientiā profuit omnibus, quantum verò ad efficientiam, profuit multis. Debuit ergo dici: Qui effundetur pro omnibus, aut pro multis, sine hoc quòd adderetur, pro vobis.

q.48. & 49. ar.2.

¶ 9. Pręterea, verba quibus hoc sacramentum conficitur, efficaciā habent ex institutione Christi. Sed nullus Euangelista recitat Christū hæc omnia verba dixisse. Ergo hęc non est conueniens forma cōsecrationis vini.

Sed contra est, quod Ecclesia ab Apostolis instructa, * vtitur hac forma in consecratione vini.

De celebra miss. sarum c. Cùm Martha.

Respondeo dicendum, quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ huius est hoc solū quod dicitur, hic est calix sanguinis mei, non autē, ea quæ sequūtur. Sed hoc videtur inconueniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quędā determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: vnde pertinent ad integritatem eiusdem locutionis. Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substātia formę vsq; ad hoc quod postea sequitur: Hoc quotiescunque feceritis, quod pertinet ad vsum huius sacramenti: vnde nō est de substantia formæ. Et inde est, quod sacerdos eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Luc. etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur: Hic calix nouum testamen tum est in meo sanguine. Dicendū est ergo, quòd omnia prædicta † verba sunt de substantia formæ. Sed per prima verba, cùm dicitur, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem,

Posita in arg. 1.

Ar. praec. nem, eo modo, quo dictum est † in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento. Quæ quidem ad tria ordinatur. Primò quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Hebræ. 10. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Et ad hoc designandum dicitur noui & æterni testamenti. Secundò ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem secundum illud Roma. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui ex fide est IESV Christi, & quantum ad hoc subditur, mysterium fidei. Tertio autem ad remouendum impedimenta vtriusque prædictorum, scilicet, peccata, secundum illud Hebræ. 9. Sanguis Christi emundabit conscientiã nostram ab operibus mortuis, idest, à peccatis. Et quantum ad hoc subditur: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod cùm dicitur, hic est calix sanguinis mei, est locutio figuratiua. Et potest dupliciter intelligi. Vno modo secũdum metonimiam, qua ponitur continens pro contento, vt sit sensus: Hic est sanguis meus contentus in calice, de quo fit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur, inquantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis, & ideo oportuit hoc designari per vas huic vsui accõmodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinariè intelligitur passio Christi, quę ad similitudinem calicis inebriat (secundvm illud Threnor. 3. Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me absynthio. vnde & ipse Dominus passionem suam calicem nominat, Matth. 26. dicens: Transeat à me calix iste.) Vt sit sensus, hic est calix passionis meæ, de qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore consecrato, quia separatio sanguinis à corpore fuit per passionem.

AD SECVNDVM dicendum, quod quia (vt dictum est †) sanguis seorsum consecratus, expressè passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quã in cõsecratione corporis, quod est passionis subiectum. Quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit: Quod pro vobis tradetur, quasi diceret: Quod pro vobis passioni subiicietur. *In cor. arti. & q. 76. ar. 2. ad 1.*

AD TERTIVM dicendum, quod testamentum est dispositio hæreditatis. Hæreditatem autem cælestem disposuit Deus hominibus dandã per virtutem sanguinis IESV Christi, quia vt dicitur Hebræ. 9. Vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. primò quidem in figura, quod pertinet ad vetus testamẽtum. Et ideo Apostolus ibidem concludit. Vnde nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est. Quod patet ex hoc, quod sicut dicitur Exod. 24. Lecto omni mandato legis à Mose, omnem populũ aspersit, dicens: Hic est sanguis testamẽti, quod mãdauit ad vos De⁹. Secũdò autem est exhibitus in rei veritate.

veritate. quod pertinet ad nouum testamentũ. Et hoc est,quod Apostolus ibidẽ pręmittit dicens:Ideo noui testamẽti mediator est Christus,vt morte intercedente, repromissionẽ accipiant,qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergo hic sanguis noui testamenti, quia iam nõ in figura,sed in veritate exhibetur. vnde subditur,qui pro vobis effundetur. Interna autem inspiratio ex huius sanguinis virtute procedit secundum, quod passione Christi iustificamur.

Ad qvartvm dicẽdum,quod hoc testamentum est nouũ ratione exhibitionis. Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hæreditatis,quæ per hoc testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi,cuius sanguine testamentum disponitur,est æterna.

Ad qvintvm dicendũ, quod mysterium hic ponitur, non quidẽ ad excludendam rei veritatem,sed ad ostendendam occultationem, quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento, & ipsa passio Christi occultè fuit figurata in veteri testamento.

Ad sextvm dicendum, quod dicitur mysterium fidei,quasi fidei obiectum,quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento,sola fide tenetur: ipsa etiam Christi passio per fidem iustificat. Baptismus autem dicitur sacramentum fidei, quia est quædã fidei protestatio. Hoc autem est sacramentum charitatis,quasi figuratiuum & effectiuum.

Ad septimvm dicendum, (quod sicut dictũ est *) sanguis seorsum consecratus à corpore, expressius repræsentat passionẽ Christi. Et ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi & fructu ipsius,quàm in cõsecratione corporis.

In solu. ad 11 & locis ibi citatis.

Ad octavvm dicendũ, quod sanguis passionis Christi, non solũ habet efficaciam in Iudęis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris testamenti,sed etiam in gentilibus:nec solùm in sacerdotibus,qui hoc conficiunt sacramentum, vel aliis,qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit,pro vobis Iudæis, & pro multis,scilicet Gentilibus:vel,pro vobis manducantibus, & pro multis pro quibus offertur.

Ad nonvm dicendum, quod Euangelistæ non intendebant tradere formas sacramentorum,quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas, vt dicit Dionys. † in fine Ecclesiast. hierar. sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen hæc omnia ferè verba ex diuersis scripturæ locis accipi possunt. Nam quod dicitur,hic est calix,habetur Luc.22. & 1.Corinth.11.Matth.autem 26.dicitur, hic est sanguis meus noui testamẽti,qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quòd autem additur,æterni,& iterum mysterium fidei,ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit, secundũ illud 1.Corinth.11.Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.

† c.7.eccle.hier. par.3.inter medium & finẽ.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata, effectiua consecrationis.

Inf. arti. 5. cor. Et 4. d. 1. q. 1. arti. 4. q. 2. & d. 8 q. 2. ar. 3. & d. 10 in ex pos. lit. ad 6. & 7.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod prædictis verbis † formarum non insit aliqua vis creata, effectiua cōsecrationis. Dicit enim Damas.* in 4. lib. Sola virtute Spiritus sancti fit conuersio panis in corpus Christi, sed virtus Spiritus sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horū verborum conficitur hoc sacramentū.

Ar. 2. & 3. Lib. 4. ortho. fid. c. 14. circa medium.

¶ 2. Præterea, Opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute diuina, vt in prima parte habitum est. * Sed conuersio panis & vini, in corpus & sanguinē Christi, est opus non minus miraculosum, quā creatio rerum, vel etiā formatio corporis Christi in vtero virginali, quæ quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramētum consecratur aliqua virtute creata dictorum verborum.

1. p. q. 110. art. 4.

¶ 3. Præterea, Prædicta verba * nō sunt simplicia, sed ex multis cōposita, nec simul, sed successiuè proferuntur. Conuersio autem prædicta (vt supra dictum est†) fit in instāti. vnde oportet, quòd fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

Posita in ar. 2. & 3. in arg. 1.

q. 75. ar. 7.

SED CONTRA est, quod Amb. † dicit in lib. de Sacramentis. Si tanta est vis in sermone Domini IESV, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationē, quia sermo Christi in aliud creaturam mutat.

li 4. c. 4. ante medium, to. 4.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dixerunt nullam virtutem creatam esse nec in prædictis verbis† ad transubstantiationem faciēdam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus. Quod (sicut suprà habitum est†) & dictis sanctorū repugnat, & derogat dignitati sacramētorum nouæ legis. Vnde cùm hoc sacramentum sit præ cæteris dignius (sicut suprà dictum est†) consequens est, quod in verbis formalibus huius sacramenti sit quædā virtus creata ad conuersionem huius sacramenti faciendam: instrumentalis tamē, sicut & in aliis sacramētis, sicut supra dictum est †. Cùm enim hæc verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato cōsequuntur virtutem instrumentalē à Christo, sicut & cętera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, vt suprà dictum est†.

Ar. 2. & 3. positis in arg. 1.

q. 62. art. 1. 2. 3. 4.

q. 65. ar. 3.

q. 62. art. 1. & 4.

q. 62. art. 4.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod cùm dicitur sola virtute Spiritus sancti panem in corpus Christi conuerti, non excluditur virtus instrumentalis, quę est in forma huius sacramenti, sicut cùm dicitur, solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

AD SECVNDVM dicendum, quod opera miraculosa, nulla creatura potest facere, quasi agens principale, potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanauit leprosum. Et per hunc modum verba Christi cōuertunt panem in corpus Christi. Quod quidem fieri non potuit in con-

conceptione corporis Chriſti, qua corpus Chriſti formabatur, vt aliquid à corpore Chriſti procedens haberet inſtrumentalem virtutem ad ipſius corporis formationem. In creatione etiam nō fuit aliquod extremum, in quod inſtrumentalis actio creaturæ poſſet terminari, vnde non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quod prædicta verba* quibus fit cōſecratio, ſacramentaliter operantur. Vnde vis conuerſiua, quæ eſt in formis horum ſacramentorum, conſequitur ſignificationem, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Et ideo in vltimo inſtanti prolationis verborum, prædicta verba conſequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia. Et hæc virtus eſt ſimplex ratione ſimplicis ſignificati, licet in ipſis verbis exterius prolatis, ſit quædam cōpoſitio.

Poſita in ar. 2 & 3. in argu. 1.

ARTICVLVS V.

Vtrum prædictæ locutiones ſint veræ.

4. diſt. 8. q. 2. art. 1. q. 4.

AD quintū ſic proceditur. Videtur, quod prædictæ locutiones non ſint veræ. Cum enim dicitur, hoc eſt corpus meū, ly hoc, eſt demōſtratiuum ſubſtantię. Sed ſecundum prædicta,* quando profertur hoc pronomen, hoc, adhuc eſt ibi ſubſtantia panis, quia trāſubſtantiatio fit in vltimo inſtanti prolationis verborum. Sed hæc eſt falſa, panis eſt corpus Chriſti, ergo & hæc eſt falſa, hoc eſt corpus meū.

Artic. 2.

¶2. Prætereà, Hoc pronomen, hoc, facit demonſtrationem ad ſenſum. Sed ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt in hoc ſacramento, neque ſunt ipſum corpus Chriſti neque accidētia corporis Chriſti. Ergo hæc locutio non poteſt eſſe vera, hoc eſt corpus meum.

¶3. Prætereà, Hæc verba (ſicut dictum eſt*) ſua ſignificatione efficiunt cōuerſionem panis in corpus Chriſti. Sed cauſa effectiua præintelligitur effectui. Ergo ſignificatio horum uerborum præintelligitur cōuerſioni panis in corpus Chriſti. Sed ante conuerſionem hæc eſt falſa, hoc eſt corpus meum. Ergo ſimpliciter eſt iudicandum quod ſit falſa. Et eadem ratio eſt de hac locutione, hic eſt calix ſanguinis mei, &c.

Art. præc.

Sed contra eſt, quod hæc verba proferūtur ex perſona Chriſti, qui de ſe dicit Ioan. 14. Ego ſum veritas.

Respondeo dicēdum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione, hoc eſt corpus meū, hæc dictio, hoc, importat demonſtrationem vt conceptam, & non vt exercitam, quia tota iſta locutio ſumitur materialiter, cum recitatiuè proferatur. Recitat enim ſacerdos Chriſtum dixiſſe, hoc eſt corpus meum. Sed hoc ſtare non poteſt, quia ſecundū hoc verba hęc non applicarētur ad materiam corporalem præſentem, & ita non perficeretur ſacramētum: dicit enim Auguſt.* ſuper Ioann. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramētum. Et præterea ex hoc totaliter non euitatur difficultas huius quęſtionis, quia eædem rationes manent circa primam prolationem, qua Chriſtus hæc verba protulit, quare manifeſtum eſt, quod nō materialiter ſed ſignificatiuè ſumebātur. Et ideo dicēdum eſt, quod etiā quādo proferuntur à ſacerdote, ſignificatiuè & non tantum materialiter ſumuntur. Nec obſtat quod*

Tract. 80. in Ioan. à med. to. 9.

sacerdos ea recitatiuè profert, quasi à Christo dicta, quia propter infinitam virtutē Christi, sicut ex contactu carnis suę, vis regeneratiua peruenit nō solū ad illas aquas, quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes vbique terrarū, per omnia futura secula: ita etiam ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutē consecratiuam sunt consecuta, à quocunque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Et ideo alij dixerunt, quod hæc dictio, hoc, in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum, vt sit sensus, hoc est corpus meum, idest, significatū per hoc, est corpus meū. Sed nec hoc stare potest, quia cū in sacramentis hoc efficiatur, quod significatur, nō fieret per hanc formam, vt corpus Christi sit in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo, quod est hæreticum, vt supra dictum est. † Et ideo alij dixerūt, quod hæc dictio, hoc, facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio non pro illo instanti locutionis, quo profertur hæc dictio, sed pro vltimo instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit, nunc taceo, hoc aduerbium, nunc, facit demonstrationem pro instanti immediatè sequenti locutionem, est enim sensus, statim his verbis dictis, taceo. Sed nec hoc stare potest, quia secundum hoc, huius locutionis esset sensus, corpus meū est corpus meum. Quod prædicta locutio non facit, quia hoc fuit etiam ante prolationem verborū, vnde nec hoc prædicta locutio significat. Et ideo aliter dicendum est, quod sicut prædictum est, † hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significatiuam, & non factiuam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus, nam voces sunt signa intellectuum secundum Philosophum. † Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non præsupponit rē significatā, sed facit eā, sic enim se habet verbū Dei ad res factas per verbum. Hęc autem conuersio non fit successiuè, sed in instanti, sicut dictum est. * Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum vltimum instans prolationis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conuersionis, scilicet, quod corpus Christi, sit corpus Christi, neque etiam illud quod fuit ante conuersionem, scilicet panis, sed id quod communiter se habet quantum ad vtrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Nō enim faciūt hęc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, hic panis est corpus meum, quod esset secundū intellectū secūdę opinionis: neq; hoc corpus meū est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertiæ opinionis, sed in generali, hoc est corpus meū nullo nomine apposito à parte subiecti

Q. 75. ar. 1.

In isto ar. in argu. 3. & ar. praeced. ad 3.

Li. 1. periherm. 1. lib. to. 1.

Ar. 2. huius q. & q. 75. ar. 7.

iecti

iecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, idest forma determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc dictio, hoc, demonstrat substantiam, sed absque determinatione propriæ naturæ, sicut dictum est.* (In cor.ar.)

Ad secundum dicendũ, quod hoc pronomẽ, hoc, non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiã sub accidentibus contentam, quæ primo fuit panis, & postea est corpus Christi. Quod licet nõ informetur his accidentibus, tamen sub eis cõtinetur.

Ad tertium dicẽdum, quod significatio huius locutionis præintelligitur rei significatæ ordine naturæ sicut causa naturaliter est prior effectu. Non tamen ordine tẽporis, quia hæc causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma consecrationis panis, consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini.

(4.d.8.q.2.ar.4.q.2. & d.11.q.2.ar.1.q.1.ad 4. Et 1.co.11.le. 6.co.1.)

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod forma consecrationis panis, non consequatur suum effectum, quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent suum effectum ante consecrationẽ vini, sequeretur quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi* sine sanguine, quod est inconueniens. (Alias exãgue.)

¶ 2. Præterea, Vnum sacramentum, vnum habet complementum, vnde licet in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio cõsequitur suum effectum, quousque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc sacramentũ est vnũ vt supra dictum est.* Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum sine verbis sacramentalibus, quibus consecratur vinum. (Q.73.ar.2.)

¶ 3. Præterea, In ipsa forma cõsecrationis panis, sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum, nisi prolato vltimo, sicut dictum est.* Ergo pari ratione nec verba, quibus consecratur corpus Christi, habent effectum, nisi prolatis verbis, quibus sanguis Christi consecratur. (ar.4. huius q. ad 3.)

Sed contra est, quod statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret, si nõ esset ibi corpus Christi, quia sic ad idololatriam pertineret. Ergo verba consecrationis panis, suum effectum consequuntur, antequam proferantur verba consecrationis vini.

Respondeo dicẽdum, quòd quidam doctores dixerunt, quod hæ duæ formæ, scilicet, cõsecrationis panis & vini, se inuicem expectant in agẽdo, ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam proferatur secunda. Sed hoc stare non potest, (quia sicut dictum est*) ad veritatem huius locutionis, hoc est corpus meum, requiritur prpter verbum præsentis tẽporis, quod res significata simul tẽpore sit cum ipsa significatione locutionis, alioquin si in futurum expectaretur res significata, appone- (Ar.2.& 5.huius q.)

retur verbum futuri temporis, non autem verbum præsentis, ita scilicet quod non diceretur, hoc est corpus meum, sed hoc erit corpus meum. Significatio autem huius locutionis completur statim, completa locutione horum verborum, & ideo oportet rem significatam statim adesse. Quæquidem est effectus huius sacramenti: alioquin locutio non esset vera. Est etiã hæc positio contra ritum Ecclesiæ, quę statim post prolationem verborum, corpus Christi adorat. Vnde dicendum est, quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectũ.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione videntur fuisse decepti illi, qui prædictam † positionem posuerunt. Vnde intelligendum est, quod facta consecratione panis, est quidẽ corpus Christi ibi ex vi sacramenti, & sanguis ex reali concomitantia: sed postmodum per consecrationem vini, fit ibi econuerso sanguis Christi ex vi sacramenti: corpus autem ex reali concomitantia. Ita quod totus Christus est sub vtraque specie, sicut supra dictum est. *

Positam initio corp.

Q. 76. ar. 1. & 2.

Ad secundum dicendũ, quod hoc sacramentum est vnum perfectione (sicut supra dictum est*) inquantum scilicet constituitur ex duobus, scilicet cibo & potu, quorum vtrumque per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones baptismi ordinantur ad vnum simplicem effectum. Et ideo non est simile.

Q. 73. ar. 2.

Ad tertium dicendum, quod diuersa verba, quę sunt in forma cõsecrationis panis, constituunt veritatem vnius locutionis, non autem verba diuersarum formarum. Et ideo non est simile.

Sententiæ & conclusiones quæst.

Prima conclusio: *Forma cõsecrationis panis est hæc, hoc est corpus meum: vini autem hæc, hic est calix sanguinis mei, &c. Primò, quia Christus Dominus hoc sacramentum instituens eisdem verbis consecrauit, & eisdem præcepit sacerdotes cõsecrare, dicens [hoc facite.] Secundò, quia hæc verba significant quod efficiunt in termino prolationis & significationis, & ideo [hoc] est substãtia accidentibus tecta, quæ in eodem termino est corpus vel sanguis Christi.*

Secunda conclusio: *In eisdem formis, quæ omnino & propriè veræ sunt, inest vis instrumentalis effectiua transubstantiationis, quia virtute diuina efficiũt quod significant.*

Tertia conclusio: *Effectus vnius formæ non pẽdet ab alterius formæ effectu. quia significatio vnius, per quam efficiũt, non pendet ab alterius significatione. de hac q. partite & distinctè dictum est supra q. 74. quia materiæ & formæ sacramenti cõiuncta est doctrina: & transubstãtiatio est effectus formæ, de qua q. 75. & ideo causæ, idest formæ doctrina debuit præcedere.*

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus sacramenti Eucharistiæ, in octo articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de effectibus huius sacramenti.*

Et circa hoc quęruntur octo.

Primò, vtrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundò, vtrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ.

Tertiò, vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Quar-

Quartò, vtrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quintò, vtrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

Sextò, vtrum hoc sacramentum homines præseruet à peccatis futuris.

Septimò, vtrum hoc sacramentum prosit aliis, quàm sumentibus.

Octauò, de impedimento effectus huius sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum per hoc sacramentum conferatur gratia.

Inf. art. 4. contra & 4. d. 12 q. 2. art. 2. q. 1. ad 2.

AD primũ sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramẽtũ non cõferatur gratia. Hoc enim sacramentum est nutrimentũ spirituale. Nutrimẽtum autẽ nõ datur nisi viuenti. Cũ ergo vita spiritualis sit per gratiã, non competit hoc sacramentum nisi habẽti gratiam. Non ergo per hoc sacramentum confertur gratia, vt primo habeatur: similiter etiã nec ad hoc quod augeatur, quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum confirmationis, vt dictum est * Non ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

Q. 72. ar. 1. & 7.

¶ 2. Præterea, Hoc sacramentũ confertur vt quædam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad vsum gratiæ, quàm ad gratiæ collationem. Ergo videtur, quod per hoc sacramentum gratia non conferatur.

¶ 3. Præterea, Sicut supra dictũ est, * in hoc sacramento corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animæ. Sed corpus non est subiectum gratiæ, sed anima, vt in secunda parte * habitũ est. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc sacramentũ gratia non confertur.

Q. 74. ar. 2. et 76. ar. 2. ad 2

1. 2. q. 110. ar. 4.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Ioann. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

RESPONDEO dicẽdum, quod effectus huius sacramẽti debet cõsiderari, primo quidem, & principaliter ex eo quod in hoc sacramẽto continetur, quod est Christus. Qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ (secundum illud Ioann. 1. Gratia & veritas per IESVM Christum facta est) ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, secundum illud Ioan. 6. Qui mãducat me, viuet propter me. Vnde & Cyrill. † dicit: Viuificatiuũ Dei verbum, vniẽs seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam, decebat enim eum nostris quoddammodo vniri corporibus per sacrã eius carnem & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & in vino. Secundo, consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi, sicut supra dictum est. † Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Vnde super illud, Ioann. 19. Continuo exiuit sanguis & aqua, dicit Chrysosto. * Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria cum accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Vnde & ipse Dominus dicit Matth. 26. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionẽ peccatorum.

Lib. 4. in Ioã. c. 12. & 14.

Q. 76. art. 2. ad 1. & 2. & q. 74. ar. 1.

Ho. 84. in Io. circa me. to. 3.

Tertio consideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi & potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Vnde Ambros.* dicit in lib. de sacramentis: Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrysosto.* dicit super Ioann. Præstat se nobis desiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipse Dominus dicit Ioann. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quarto cōsideratur effectus huius sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentū. Vnde August.* ibidem dicit, Dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commēdauit, quæ ad vnū aliquid rediguntur ex multis: namque aliud, scilicet panis, ex multis granis in vnum constat, aliud scilicet, vinum, in vnum ex multis acinis confluit. Et ideo ipse alibi dicit super Ioann.* O sacramentum pietatis, o signum vnitatis, o vinculum charitatis. Et quia Christus, & eius passio est causa gratiæ & spiritualis refectio, & charitas sine gratia esse non potest, ex omnibus premissis manifestum est, quod hoc sacramentum gratiam confert.

Lib. 5. ca. 4. in me. to. 4.

Ho. 45. in Ioā. à me. illius to. 3.

Tract. 26. in Io. non multū remotè à fi. t. 9.

Tracta. 26. in Ioa. inter fi. & me. illius to. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiæ sicut paruuli, sicut supra dictum est.* Vnde ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter viuificetur. Restat igitur, vt cum ipsum sacramētum realiter sumitur, quod gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorū Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo in seipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.

Q. 73. ar. 3.

Ad secundum dicendū, quod hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cū virtute charitatis. Vnde Damasc.* comparat hoc sacramentum carboni, quem Isaias vidit, Isai. 6. Carbo enim lignum simplex non est, sed vnitum igni: ita & panis communionis non simplex panis est, sed vnitus diuinitati. Sicut Grego.* dicit in Hom. Pentec. Amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud 2. Corinthio. 5. Charitas Christi vrget nos. Et inde est quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quoddammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, secūdum illud Can. 45. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

Lib. 4. ortho. fid. c. 14. à me.

Hom. 30. in Euan. non longè à princ.

Ad tertium dicēdum, quòd quia sacramenta operantur salutē,

quam

quam significant: ideo secundum quandam assimilationem dicitur, quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quãuis vtrũque ad salutẽ vtriusque operetur, cum sub vtroque totus sit Christus: vt suprà dictum est.* Et licet corpus non sit immediatum subiectũ gratiæ, ex anima tamẽ redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in pręsenti membra nostra exhibemus arma iustitiæ Deo (vt habetur Romano. 6.& in futuro corpus nostrũ sortietur in corruptionem & gloriam animæ.

Q. 76. art. 1. & 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod effectus huius sacramenti non sit adeptio gloriæ, effectus enim proportionatur suæ causæ. Sed hoc sacramentum competit viatoribus, vnde & viaticum dicitur. Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriæ, videtur quod hoc sacramentum non causet adeptionem gloriæ.

Inf. q. 80. art. 2. ad 1. & Io. 6.

¶ 2. Prætereà, Posita causa sufficienti, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc sacramentũ, qui nũquam peruenient ad gloriam: vt patet per August.* 21. de Ciuit. Dei. Non ergo hoc sacramẽtum est causa adeptionis gloriæ.

Lib. 21. c. 25. in fi. to. 5.

¶ 3. Prætereà, Maius non efficitur à minori, quia nihil agit vltra suam speciem. Sed minus est accipere Christum sub specie aliena, quod fit in hoc sacramento, quàm frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causat adeptionem gloriæ.

SED CONTRA est, quod dicitur Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sed vita æterna est vita gloriæ. Ergo effectus huius sacramenti est adeptio gloriæ.

RESPONDEO dicẽdum, quòd in hoc sacramento potest considerari & id, ex quo habet effectũ, scilicet ipse Christus contentus, & passio eius repræsentata, & id per quod habet effectum, scilicet vsus sacramenti, & species eius. Et quãtum ad vtrumque competit huic sacramento, quod causet adeptionẽ vitæ æternæ. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, secundum illud Hebr. 9. Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis. Vnde & in forma huius sacramenti dicitur, Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis & vini, habentur quidẽ in pręsenti, sed imperfectè, perfectè autẽ in statu glorię. Vnde Aug.* dicit super illud, Ioann. 6. Caro mea verè est cibus, Cùm cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi est cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate sanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atque perfecta.

Tracta. 26. in Euan nõ multum remotè à fi. to. 9.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut passio Christi, in cuius virtute hoc sacramẽtum operatur, est quidem causa sufficiens gloriæ, nõ tamẽ ita, quod statim per ipsam introducamur in gloriã, sed opor-

tet vt prius simul compatiamur, vt postea simul glorificemur (sicut dicitur Romano.8.) ita hoc sacramẽtum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutẽ perueniendi ad gloriam, & ideo viaticum dicitur. In cuius figuram legitur. 3. Reg. 19. quod Elias comedit & bibit, & ambulabit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Oreb.

AD SECVNDVM dicendũ, quod sicut passio Christi non habet suũ effectum in his, qui se ad eam non habent, vt debent: ita & per hoc sacramentum non adipiscuntur gloriã qui indecenter ipsum suscipiũt. Vnde Aug.† dicit super Ioan. expo nẽs illa verba: Aliud est sacramentum, & aliud virtus sacramẽti. Multi de altari accipiunt, & accipiẽdo moriuntur. Panem ergo cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Vnde nõ est mirum, si illi, qui innocentiam non seruant, effectum huius sacramenti non consequuntur.

Tract. 26. in Ioan. parum à med. to. 9. & glos. ord. super illud. 1. Cor. 11 Probet.

AD TERTIVM dicendum, quod hoc quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumentaliter agit. Nihil autẽ prohibet causam instrumentalem producere potiorẽ effectũ, vt ex supra dictis *patet.

Q. 77. ar. 3. ad 3. arg.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

4. di. 9. ar. 3. q. 2. cor si. & d. 12. q. 2. ar. 2. q. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis: dicitur enim in quadam Collecta, Sit hoc sacramentum ablutio scelerum. Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

¶2. Prætereà, Hoc sacramentũ agit in virtute passionis Christi, sicut & baptismus. Sed per baptismum dimittuntur peccata mortalia, vt supra † dictum est. Ergo & per hoc sacramentum, præsertim cum in forma huius sacramenti dicatur, Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Q. 69. ar. 1.

¶3. Prætereà, Per hoc sacramẽtum gratia cõfertur vt dictum est. * Sed per gratiam iustificatur homo à peccatis mortalibus, secundum illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiã ipsius. Ergo per hoc sacramentum remittuntur peccata mortalia.

Ar. 1. huius q.

SED CONTRA est, quod dicitur, 1. Corinthio. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Dicit autem glos. ibidem, quod ille manducat & bibit indignè, qui in crimine est vel irreuerenter tractat, & talis manducat & bibit, sibi iudicium, * id est damnationem. Ergo ille qui est in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc sacramentum, magis accumulat sibi peccatum, quã remissionem sui peccati consequatur.

Glos. interlinear. ibi.

RESPONDEO dicendum, quod virtus huius sacramẽti potest considerari dupliciter. Vno modo secundum se, & sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendũ quæcũque peccata ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum.

Alio modo potest cõsiderari per cõparationẽ ad eũ, qui recipit hoc sacramentum, prout in eo inuenitur vel non inuenitur impedimentum percipiendi huius sacramenti effe-

effectum. Quicunque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentū percipiendi effectum huius ſacramēti, eo quod non eſt conueniēs ſuſceptor huius ſacramenti, tum quia non viuit ſpiritualiter, & ita non debet ſpirituale nutrimētum ſuſcipere, quod nō eſt niſi viuentis: tum quia nō poteſt vniri Chriſto (quod fit per hoc ſacramentum) dum eſt in affectu peccādi mortaliter. Et ideo, vt dicitur in lib. * de Eccleſiaſticis dogmatibus, ſi mens in actu peccādi eſt, grauatur magis Euchariſtiç perceptione, quàm purificetur. Vnde hoc ſacramentum in eo, qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, nō operatur remiſſionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis primo iuſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum nō habet. Fortè enim primò nō fuit ſufficienter contritus: ſed deuotè & reuerēter accedens, conſequetur per hoc ſacramētum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.

Ca. 53. parum à priu. to. 3. inter opera Aug.

Ad primvm ergo dicendum, quod petimus vt hoc ſacramentum ſit ablutio ſcelerum, vel eorū, quorum conſcientiā non habemus (ſecundum illud Pſal. 18. Ab occultis meis munda me Domine) vel vt cōtritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſſionem, vel etiam vt nobis robur detur ad ſcelera vitanda.

Ad secvndvm dicendum, quod baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, quç eſt mutatio de non eſſe ſpirituali in eſſe ſpirituale, & datur per modum ablutionis. Et ideo quantum ad vtrunque, non inconuenienter accedit ad baptiſmum, qui habet cōſcientiā peccati mortalis. Sed per hoc ſacramentum homo ſumit in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimēti, quod nō competit mortuo in peccatis. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad tertivm dicēdum, quod gratia eſt ſufficiens cauſa remiſſionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale, niſi cum primò datur peccatori. Sic autem non datur in hoc ſacramento. Vnde ratio non ſequitur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum per hoc ſacramentum remittantur peccata venialia.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quod per hoc ſacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim ſacramentum, vt Auguſt. * dicit ſuper Ioann. eſt ſacramentum charitatis. Sed venialia peccata non contrariantur charitati: vt in ſecunda parte † habitum eſt. Cum ergo contrarium tollatur per ſuum cōtrarium, videtur, quod peccata venialia per hoc ſacramentum non remittantur.

Inf. q. 87. ar. 3. cor. & 4. d. 12. q. 2. ar. 1. q. 1. cor. & ar. 2. q. 1. per totū

Tract. 26. in Ioan. à me. to. 9. Et refertur de Conſec diſt. 1. ca Hoc ſacramentum.

1. 2. q. 88. ar. 1. & 2.

¶ 2. Præterea, Si peccata venialia per hoc ſacramentum remittantur, qua ratione remittitur vnū, remittuntur & omnia. Sed non videtur, quod omnia remittantur, quia ſic frequenter aliquis eſſet abſque omni peccato veniali, cōtra id quod dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatū non habemus, ipſi nos ſeducimus. Non ergo per hoc ſacramētum remittitur aliquod peccatum veniale.

¶3. Præterea, Contraria mutuò se expellunt. Sed peccata venialia non prohibẽt à perceptione huius sacramenti, dicit enim August.* super illud Ioan.6. Patres vestri manducauerũt mãna in deserto, & mortui sunt. Innocentiam, inquit, ad altare apportate, peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera. Ergo neque peccata venialia per hoc sacramentum tolluntur.

Tracta. 26. in Ioan. parum à me. t. 9.

Sed contra est, quod Innoc. III.* dicit, quod hoc sacramẽtum venialia delet, & cauet mortalia.

In lib. 4. de sacro mysterio altaris, c. 44. ante med.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento duo possunt cõsiderari, scilicet ipsum sacramentum, & res sacramenti. Et ex vtroque apparet, quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionẽ venialium peccatorum. Nam hoc sacramẽtum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimẽtum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis, vt in secunda parte * habitũ est. Et ideo competit huic sacramento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Ambro.† dicit in libro de sacramentis, quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem huius sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitũ, sed etiam quãtum ad actum, qui excitatur in hoc sacramẽto, per quod peccata venialia soluuntur. Vnde manifestũ est, ꝙ virtute huius sacramẽti remittuntur peccata venialia.

2.2.q.24, ar. 10.

Lib. 5. c. 4. à med. to. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia, & si non contrariantur charitati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei, quãtum ad feruorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, ratione cuius peccata venialia tolluntur.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitã istam sancti non ducũt sine peccatis venialibus.

Ad tertium dicendũ, quod maior est virtus charitatis, cuius est hoc sacramentum, quàm venialium peccatorum. Nam charitas tollit per suum actum peccata venialia, quæ tamen non possunt totaliter impedire actum charitatis. Et eadem ratio est de hoc sacramẽto.

ARTICVLVS V.

Vtrum per hoc sacramentum tota pœnæ peccati remittatur.

AD quintũ sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur. Homo enim per hoc sacramentum suscipit in se effectum passionis Christi (vt dictum est*) sicut & per baptismum. Sed per baptismum percipit homo remissionem omnis pœnę, virtute passionis Christi, quæ sufficienter satisfecit pro omnibus peccatis, vt ex suprà dictis *patet. Ergo videtur, quòd per hoc sacramentum homini remittatur totus reatus pœnæ.

4.d.4.q.2.artic.1.q.2.ad 3.& d.12 q.2 ar.2.q.3.

Ar.1.& 2.

Q.69.art.2.

¶2. Præterea, Alexander Papa dicit,* Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Sed per sacrificia veteris legis, homo satisfaciebat ꝑ peccatis suis, dicitur enim Leuit.4. & 5. Si peccauerit homo, offeret hoc vel illud pro peccato suo, & remittetur

Alex. I. in ep. ad omnes ortho. post med. illius.

tur ei. Ergo multò magis hoc sacramentum valet ad remissionem omnis pœnæ.

¶3. Prætereà, Constat quod per hoc sacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur, vnde & in satisfactione, aliquibus iniũgitur, quod pro se Missas faciāt celebrari. Sed qua ratione vna pars pœnę dimittitur, eadem ratione & alia: cum virtus Christi, quæ in hoc sacramento continetur, sit infinita. Ergo videtur, quod per hoc sacramentum tota pœna tollatur.

SED CONTRA est, quod secundum hoc non esset homini alia pœna iniungenda, sicut nec baptizato iniungitur.

RESPONDEO dicendum, quod hoc sacramentum simul est sacrificium & sacramentum. Sed rationē sacrificij habet, inquantum offertur, rationem autem sacramenti, inquantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum autē sacrificij in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Si igitur consideretur vt sacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex vi sacramenti, alio modo quasi ex quadam concomitantia, sicut & circa continentiam sacramenti dictum est. *Ex vi quidem sacramenti directè habet illum effectum, ad quē est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciēdum, sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Christum & ad membra eius, sicut & nutrimentum vnitur nutrito. Sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionē non solũ culpæ, sed etiã pœnę, inde est quod ex cōsequenti per quandā concomitantiam ad principalē effectũ, homo consequitur remissionē pœnę, non quidem totius, sed secundum modũ suę deuotionis, & feruoris. Inquantum verò est sacrificiũ, habet vim satisfactiuã. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit, Luc. 21. de vidua, quæ obtulit duo ęra, quod plus omnibus misit. Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamē fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suę deuotionis, & non pro tota pœna.

Q.76. ar. 1. & 2

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sacramentum baptismi directè ordinatur ad remissionem pœnæ & culpæ, non autē Eucharistia, quia baptismus datur homini quasi commorienti Christo: Eucharistia autem quasi nutriendo & perficiendo per Christum. Vnde nō est similis ratio.

AD SECVNDVM dicendum, quod alia sacrificia & oblationes non operabantur remissionem totius pœnę, neque quantum ad quãtitatem oblati, sicut hoc sacrificiũ, neque quantum ad deuotionem hominis, ex qua contingit, quod etiã hic non tollitur tota pœna.

AD TERTIVM dicendũ, quòd hoc, quod tollitur pars pœnæ, & nō tota pœna per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu deuotionis humanæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum per hoc sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris.

4.d. 12. q. 2. ar. 2. q. 2. ad 1. & d. 45. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramē tum

tum non præseruetur homo à peccatis futuris. Multi enim dignè sumentes hoc sacramentum, postea in peccatum cadunt. Quod non accideret, si hoc sacramentum præseruaret à peccatis futuris. Non ergo effectus huius sacramenti est, à peccatis futuris præseruare.

¶2. Prætereà, Eucharistia est sacramentum charitatis, vt supra * dictum est. Sed charitas non videtur præseruare à peccatis futuris, quia semel habita potest amitti per peccatum, vt in secunda parte * habitū est. Ergo videtur, quod nec hoc sacramentum præseruet hominem à peccato.

Ar. 4. huius q. ad 3.

2.2. q. 24. ar. 11.

¶3. Prætereà, Origo peccati in nobis, est lex peccati, quæ est in mēbris nostris, vt patet per Apost. Roma. 7. Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effectus huius sacramenti, sed magis baptismi. Ergo præseruare à peccatis futuris, non est effectus huius sacramenti.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Ioan. 6. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, nō moriatur. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur, quod hoc sacramentum præseruet à morte spirituali, quæ est per peccatum.

RESPONDEO dicēdum, quod peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Vnde hoc modo præseruatur aliquis à peccato futuro, quo præseruatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Vno modo, in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua: & sic, præseruatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc quòd munitur contra exteriores impugnationes, & sic præseruatur per arma, quibus munitur corpus. Vtroq; autem modo hoc sacramentum præseruat à peccato. Nam primo quidem per hoc quod Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus & spiritualis medicina, secundum illud Psal. 103. Panis cor hominis confirmat. & Aug. * dicit super Ioann. Securus accede, panis est, non venenum. Alio modo, inquantum est quoddam signū passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Vnde Chrysosto. † dicit super Ioann. Vt leones flammam spirantes, sic ab illa mēsa discedimus terribiles effecti diabolo.

Tract. 26. in Ioan. à med. to mo. 9.

Homil 45. in Ioan. à me illius, to. 3.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod effectus huius sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem, sicut contingit de qualibet causa actiua, quòd eius effectus recipitur in materia secundum modum materiæ. Homo autem in statu viæ est huius conditionis, quod liberū arbitrium eius potest flecti in bonum & malum. Vnde licet hoc sacramentum quātum est de se, habeat virtutem præseruatiuam à peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

AD SECVNDVM dicendum, quod etiam charitas, quantum est in se, præseruat hominem à peccato, secundum illud Roman. 13. Dilectio proximi, malum non operatur. Sed ex mutabilitate liberi arbitrij cōtingit quòd aliquis post habitam charitatem peccat, sicut & post

post susceptionem huius sacramenti.

Ad tertium dicendũ, quod licet hoc sacramentum nõ directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitẽ ex quadam consequentia, inquantum auget charitatem. quia sicut August. *dicit in lib. 83. Quæstionum, Augmentum charitatis est diminutio cupiditatis. Directè autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiã præseruatur homo à peccato.

Q. 36. paulo à prin. to. 4.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hoc sacramentum prosit aliis, quà sumentibus.

Suprà q. 78. ar. 3 ad 8. & præsenti q. ar. 5 corp. Et 4. d. 12. q. 2. ar. 2. q. 2. ad 4. & d. 45. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 3. & Ro. 6. lec. 6 fi.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramẽtum non prosit nisi sumenti. Hoc enim sacramentum est vnius generis cum aliis sacramentis, vtpote aliis condiuisum, sed alia sacramẽta non prosunt nisi sumentibus, sicut effectum baptismi non suscipit nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest aliis nisi sumẽti.

¶ 2. Prætereà, Effectus huius sacramenti est adeptio gratiæ & gloriæ, & remissio culpæ ad minus venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in aliis, quàm in sumentibus, posset cõtingere, quod aliquis adipisceretur gratiã & gloriam & remissionem culpæ, absq; actione & passione propria, alio sumente vel offerente hoc sacramentum.

¶ 3. Prætereà, Multiplicata causa, multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodesset aliis, quàm sumẽtibus, sequeretur quod magis prodesset alicui, si multi sumerent hoc sacramentum, multis hostiis in vna Missa consecratis. Quod non habet Ecclesiæ consuetudo, vt scilicet multi cõmunicent pro alicuius salute. Non ergo videtur, quod hoc sacramentum prosit nisi sumenti.

Sed contra est, quod in celebratione huius sacramẽti fit pro multis aliis deprecatio. Quod frustrà fieret, nisi hoc sacramentum aliis prodesset. Hoc ergo sacramẽtum non solũ sumentibus prodest.

Respondeo dicendum, quod (sicut prius *dictum est) hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. Inquantum enim in hoc sacramento representatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo (vt dicitur Ephes. 5.) habet rationem sacrificij, inquantum verò in hoc sacramento traditur inuisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic ergo hoc sacramentum, sumentibus quidem prodest & per modum sacramenti, & per modum sacrificij, quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in canone Missæ: Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificij, inquantum pro salute eorum offertur. Vnde & in Canone Missæ dicitur, Memento Domine famulorum famularũque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Et vtrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens Matth. 26. & Luc. 22. Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis

Ar. 5. huius q.

multis, scilicet aliis, effundetur in remissionem peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc sacramentum præ aliis habet, quod est sacrificiũ. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpę, & adeptionem gratiæ & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem, ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem & charitatem. Vnde & August.* dicit ad Renatum: Quis offerat corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi? Vnde & in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiã, illis tamen prodest plus vel minus secundum modum deuotionis eorum.

In lib. de anima, & eius origine, c. 9. to. 7.

Ad tertium dicẽdum, quòd sumptio pertinet ad rationẽ sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificij. Et ideo ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod iuuamẽtum. Similiter etiã ex hoc quod sacerdos plures hostias consecrat in vna Missa, non multiplicatur effectus huius sacramenti, quia non est nisi vnum sacrificium. Nihil enim plus est virtutis in multis hostiis consecratis, quam in vna, cum sub omnibus & sub vna non sit nisi totus Christus. Vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas hostias consecratas sumat, participabit maiorẽ effectum sacramẽti. In pluribus verò Missis multiplicatur sacrificij oblatio. Et ideo multiplicatur effectus sacrificij & sacramenti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

Ad octauũ sic proceditur. Videtur, quod per veniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augu. *super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerũt mãna, &c. Panẽ cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata, etsi sunt quotidiana, non sint mortifera. Ex quo patet quod venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur, spiritualẽ manducationem non impediunt. Sed spiritualiter mãducantes, effectum huius sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius sacramenti.

4. dist. 12. q. 2 art. 1. q. 3. & ar. 2. q. 1. ad 2.

Tract. 26 in Ioa. post. med. to. 9. & habetur. de consec. d. 2. c 64.

¶2. Prætereà, Hoc sacramentũ nõ est minoris virtutis, quã baptismus. Sed effectũ baptismi (sicut supra* dictũ est) impedit sola fictio: ad quã non pertinent peccata venialia: quia sicut Sap. 1. dicitur, Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictũ. Qui tamen per peccata venialia nõ fugatur. Ergo neq; effectum huius sacramẽti impediũt peccata venialia

Q. 69. art. 9.

¶3. Prætereà, Nihil quod remouetur per actionem alicuius causæ, potest impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediũt eius effectum.

Sed contra est, quod Damas. *dicit in 4. lib. Ignis eius, quod in nobis est desiderij assumens eã quę ex carbone, id est ex hoc sacramento ignitionem, comburet nostra peccata, & illuminabit corda nostra

Lib. 4. ortho. fid. c. 14. à me.

stra

ſtra, vt participatione diuini ignis, igniamur & deificemur. Sed ignis noſtri deſiderij vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt feruorẽ charitatis: vt in
1.2.q.81. art. 4.& 2. 2. q. 24.ar.10. ſecunda parte † habitum eſt. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius ſacramenti.

Respondeo dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt. Vno modo, prout ſunt præterita, alio modo, prout ſunt actu exercita. Primo quidẽ modo peccata venialia nullo modo impediũt effectum huius ſacramenti. Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa, deuotè accedat ad hoc ſacramentum, & plenariè huius ſacramenti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius ſacramenti effectum, ſed in parte: dictum eſt
Ar.1.& 2.huius q. enim, * quòd effectus huius ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiã quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum per peccata venialia mente diſtractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.

Ad primvm ergo dicendum, quod ille, qui cũ actu venialis peccati ad hoc ſacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter. Et ideo habitualem effectum huius ſacramẽti percipit, nõ autẽ actualẽ.

Ad secvndvm dicendum, quod baptiſmus non ita ordinatur ad actualem effectum, id eſt, feruorem charitatis, ſicut hoc ſacramentum. Nam baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quæ eſt habitus vel forma. Hoc autẽ ſacramentum eſt ſpiritualis mãducatio, quæ habet actualem delectationem.

Ad tertivm dicendũ, quòd illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc ſacramentum tolluntur.

Sententia & concluſio quæſt.

Concluſio quæſt. effecta Euchariſtiæ ſunt, gratia qua ſpiritualiter reficimur, & Chriſto vnimur, adeptio gloriæ, remiſſio peccati mortalis peccati ex accidenti, venialis per ſe, pœnæ remiſſio pro deuotione ſuſcipientis, præſeruatio à futuris peccatis: & hæc quidem in ſuſcipiente: aliis autem prodeſt vt ſacrificiũ. Sed illa effecta non impediuntur peccatis venialibus, etiam actu exercitis, niſi quantum ad ſpiritualem dulcedinem. de hac q. & ſingulis eius partibus commodius diſſeretur ſequenti q.80. vt ibidem apertius conſtabit.

QVÆSTIO LXXX.

De vſu ſeu ſumptione huius ſacramenti in communi, in duodecim articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de vſu ſiue ſumptione huius ſacramẽti. Et primo quidem in communi, ſecundo, quomodo Chriſtus eſt vſus hoc ſacramẽto.

Circa primũ quęrũtur duodecim.

Primò, vtrum ſint duo modi manducandi hoc ſacramentum, ſcilicet ſacramẽtaliter & ſpiritualiter.

Secundò, vtrum ſoli homini cõueniat mãducare ſpiritualiter hoc ſacramentũ.

Tertiò, vtrum ſolius hominis iuſti ſit mãducare ſacramentaliter.

Quartò, vtrũ peccator manducans ſacramentaliter peccet.

Quintò, de quantitate huius peccati.

Sextò, vtrum peccator accedens ad hoc ſacra-

sacramentum sit repellendus.
Septimò, vtrũ noturna pollutio impediat hominem à sumptione huius sacramenti.
Octauo, vtrum sit solum à ieiunis sumendum.
Nono, vtrum sit exhibendum non habentibus vsum rationis.
Decimo, vtrum sit quotidie sumendum.
Vndecimo, vtrũ liceat omnino abstinere.
Duodecimo, vtrũ liceat percipere corpus sine sanguine.

ARTICVLVS I.

Vtrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

Infr. ar. 2. & 3. cor. & 4. d. 9. ar. 1. q. 1. ad 1: & q. 3. per totũ. Et Io. 6. le. 7. col. 1. & 2. & 1. Cor. 11 le. 7. c. 3. fi. Et opus. 58. c. 17. 18. 19. & 20.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet sacramentaliter & spiritualiter. Sicut enim baptismus est spiritualis regeneratio (secundum illud Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c) ita etiã hoc sacramentum est spiritualis cibus, vnde Dominns de hoc sacramento loquens, dicit Ioann. 6. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet sacramentalis & spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

¶2. Prętereà, Ea, quorum vnum est propter alterum, non debent ab inuicem diuidi, quia vnum ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem, sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritualem diuidi.

¶3. Prętereà, Ea, quorũ vnũ nõ potest esse sine altero, non debent contra se diuidi. Sed videtur, quod nullus possit manducare spiritualiter, nisi etiam sacramentaliter mãducet, alioquin antiqui Patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent, frustra etiam esset sacramentalis manducatio, si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur conuenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio, scilicet sacramẽtalis & spiritualis.

SED CONTRA est, quod super illud, 1. Corint. 11. Qui manducat & bibit indignè, &c. dicit glos.* Duos dicimus esse modos manducandi, vnum sacramẽtalem, & aliũ spiritualem. *Glo. ordin. ibid.*

RESPONDEO dicẽdum, quod in sumptione huius sacramẽti duo sunt consideranda, scilicet ipsum sacramentum & effectus ipsius, de quorum vtroque iam supra * dictũ est. *Q. praced.* Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramẽtum, est quando aliquis ita hoc sacramẽtum suscipit, quòd percipit eius effectum: contingit autem quandoque (sicut supra dictum est*) quod aliquis impeditur à percipiendo effectu huius sacramenti. *Q. præc. ar. 3. 7. & 8.* Et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta. Sicut igitur perfectum cõtra imperfectum diuiditur: ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, diuiditur cõtra spiritualem manducationem, per quã quis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo cõiungitur per fidem & charitatem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod etiam circa baptismũ & alia huiusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur. Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam

quidam verò sacramentum & rem sacramenti. In hoc tamen differũt, quia cùm alia sacramenta perficiã tur in vsu materiæ, percipere sacramentũ, est ipsa perfectio sacramenti, hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiæ; & ideo vterq; vsus est cõsequens hoc sacramentum. In baptismo etiã & in aliis sacramentis characterẽ imprimẽtibus, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquẽ spiritualem effectum, scilicet characterẽ, quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur vsus sacramentalis à spirituali, quàm in baptismo.

Ad secundum dicendum, quod sacramẽtalis mãducatio, quæ pertingit ad spiritualem, non diuiditur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spiritualem diuiditur, quæ effectum non cõsequitur: sicut imperfectũ, quod non pertingit ad perfectionem speciei, diuiditur contra perfectum.

Ad tertium dicendũ, quòd (sicut suprà dictum est*) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quãuis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ: ita etiã aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum antequam sacramentaliter sumãt. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter desiderium sumẽdi ipsum sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari & manducare spiritualiter & non sacramentaliter, illi qui desiderãt sumere hæc sacramẽta iam instituta. Alio modo propter figuram: sicut dicit Apostolus 1. Cor. 10. Quòd antiqui patres baptizati sunt in nube & in mari, & quod spiritualem escam manducauerunt, & spiritualem potum biberunt. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis mãducatio: quia plenius inducit sacramenti effectũ ipsa sacramenti susceptio, quàm solũ desideriũ: sicut suprà circa baptismum dictum est†.

q.66.artic.11. q.68.art.2. q.73.ar.3.

†*q.69.ar.4. ad 2. q.66.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam angelorum. Quia super illud Psal. 77. Panem angelorum mãducauit homo, dicit gloss. id est corpus Christi, qui est verè cibus angelorum. Sed hoc nõ esset, si angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo angeli spiritualiter Christũ manducãt.

ar.11. & 12. 4. d.9. ar.2. q.3. & 5. Et 1. co. 11. lect.7. co.3

¶ 2. Pręterea, Aug.* dicit super Ioan. Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & mẽbrorum suorum, quod est Ecclesia in prędestinatis. Sed ad istam societatem nõ solũ pertinent homines, sed etiam sancti angeli. Ergo sancti angeli spiritualiter manducant.

Tract. 26. in Ioan. to. 9.

¶ 3. Præterea, Augůst.* in lib. de verbis Domini dicit: Spiritualiter manducandus est Christus, quoniã ipse dicit: Qui manducat meã carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed hoc cõuenit non solũ hominibus, sed etiã sanctis angelis: in quibus per charitatem est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur, quod spiritualiter man

ducare, nõ solum sit hominum, sed etiam angelorum.

Tra. 25. in Ioã. parũ post med. tom 9. refertur de conse. d. 2. c. Pane de altari.

SED CONTRA est, quod Aug.* dicit super Io. Panem de altari spiritualiter mãducare, innocentiam ad altare portare. Sed angelorũ nõ est accedere ad altare tanquam aliquid inde sumpturi. Ergo angelorũ nõ est spiritualiter manducare.

RESPONDEO dicẽdum, quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, nõ quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Vno modo prout in sua specie consistit. Et hoc modo angeli manducãt spiritualiter ipsum Christum, inquantũ ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius sacramenti: inquantum, scilicet, aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramẽtum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter mãducare hoc sacramentum, quod nõ competit angelis. Et ideo licet angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter mãducare hoc sacramentum.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ sumptio Christi sub hoc sacramẽto ordinatur, sicut ordinatur ad fruitionem patriæ sicut ad finẽ eo modo, quo angeli eo fruuntur. Et quia ea, quæ sunt ad finem, deriuantur à fine: inde est quod ista manducatio Christi, qua eũ sumimus sub sacramento quodammodo deriuatur ab illa manducatione, qua angeli fruũtur Christo in patria. Et ideò dicitur homo mãducare panem angelorum, quia primo & principaliter est angelorum, qui eo fruuntur in specie propria: secundariò autẽ est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

AD SECVNDVM dicendum, quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines & angeli, sed homines per fidẽ, angeli autem, per manifestam visionem. Sacramẽta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo & in ænigmate. Et ideo propriè loquẽdo, non angelis, sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

AD TERTIVM dicendũ, quod Christus manet in hominibus secundum præsentem statum per fidẽ, sed in angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dictum est †.

In sol praced. arg. 1. & 2. in isto ar.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

4. d. 9. ar. 2. q. 1 & 2. & art. 3 q. 2. c fin. Et d. 12. q. 1. ar. 2 q. 2. co.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod nullus possit mãducare Christum sacramentaliter nisi homo iustus. Dicit enim Aug. *in lib. de remedio pœnit. Vt quid paras dentem & ventrem, crede, & mãducasti: credere enim in eũ, hoc est panẽ viuũ manducare. Sed peccator non credit in eũ, quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum: vt in secunda parte habitum est.* Ergo peccator non potest mãducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

Tra. 25. in Io. parũ ante med. tom 9. refertur de cons. d. 2. ca. Vt quid paras.

2. 2. q. 4. ar. 5.

¶ 2. Prętcrea, Hoc sacramentũ maximè dicitur esse sacramentum charitatis,

q. præ... 4. ad 3. arg.

charitatis, vt supra dictum est.† Sed sicut infideles priuantur fide: ita omnes peccatores priuãtur charitate. Infideles autẽ non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cùm in forma huius sacramenti dicatur mysterium fidei. Ergo pari ratione, neq; aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

¶ 3. Præterea, Peccator magis est abominabilis Deo, quàm creatura irrationalis: dicitur enim in Psal. 48. de homine peccatore, Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (puta mus, aut canis) non potest sumere hoc sacramentum: sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur, quod pari ratione, neq; peccatores hoc sacramentum manducent.

Sed contra est, quod super illud Ioã. 6. Patres vestri mãducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, dicit Aug.† Multi de altari accipiunt, & accipiẽdo moriũtur: vnde dicit Apo. Iudiciũ sibi mãducat & bibit. Sed non moriuntur sumẽdo, nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

Tra. 26. in Io. parũ à medio; super illud: Ego sum panis vitæ, to. 9.

Respondeo dicendum, quod circa hoc quidã antiqui errauerũt, dicentes quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quam cito labiis peccatoris contingitur, tã cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum, derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut supra dictum est†) quod manentibus speciebus corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quandiu substantia panis maneret, si ibi adesset, vt supra dictum est.* Manifestum est autem quod substãtia panis assumpta à peccatore, nõ statim esse desinit, sed manet quandiu per calorem naturalem digeratur. Vnde tãdiu corpus Christi sub speciebus sacramẽtalibus manet à peccatoribus sumptis. Vnde dicendum est, quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

q. 76. ar. 6. ad 3. & q. 77. ar. 8.

q. 77. ar. 5. & 8. (t) [illegible] eiusdem q.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa & similia sunt intelligenda de spirituali manducatione, quę peccatoribus non cõuenit. Et ideo ex prauo intellectu horum verborum videtur prædictus error processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalẽ & spiritualem manducationem.

Ad secundum dicendũ, quod etiam, si infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Vnde manducat Christum sacramentaliter, si ly sacramentaliter determinat verbum ex parte mãducati. si autem ex parte mãducantis: tunc propriè loquẽdo, non manducat sacramentaliter: quia non vtitur, eo quod accipit, vt sacramẽto, sed vt simplici cibo: nisi fortè infidelis intẽderet recipere illud quod Ecclesia confert, licet nõ haberet fidẽ veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacr̃m.

Ad tertium dicendum, quod etiam si mus, vel canis hostiã consecratam manducet, substantia corporis Christi nõ desinit esse sub speciebus, quandiu species illę manent: hoc est, quandiu substantia pa-

nis maneret ſicut etiamſi proiicere tur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentũ dignitatis corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi abſq; diminutione ſuæ dignitatis, præſertim cum mus, aut canis non tangat ipſum corpus Chriſti, ſecundum propriam ſpeciem, ſed ſolum ſecundum ſpecies ſacramentales. Quidam autẽ dixerunt, quòd ſtatim, cùm ſacramẽtum tangitur à mure, vel cane, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti. Quod etiam derogat veritati ſacramenti, ſicut ſupra dictum eſt.* In cor. ar.

Nec tamen dicendum eſt, quod animal brutũ ſacramentaliter corpus Chriſti manducet: quia non eſt natum vti eo, vt ſacramento. Vnde non ſacramentaliter, ſed per accidens corpus Chriſti manducat, ſicut mãducaret ille, qui ſumeret hoſtiam conſecratam, neſciens eam eſſe conſecratam. Et quia id quod eſt per accidens, non cadit in diuiſione alicuius generis: ideo hic modus mãducandi corpus Chriſti, nõ ponitur tertius præter ſacramentalem & ſpiritualem.

¶ *Sententiæ & concluſiones quæſt.*

PRima concluſio, *perfecta manducatio Euchariſtiæ eſt, qua ſacramentum cum effectu: ſed ſacramẽtalis, qua ſacramentũ tantùm ſine effectu: ſpiritualis, qua effectũ ſine ſacramento. quidam enim dignè ſumũt: quidam indignè: quidam deſiderant ſuſcipere, & non ſuſcipiunt. ad primos pertinet perfecta: ad ſecundos ſacramentalis: ad reliquos ſpiritualis.*

Secunda concluſio, *ſolus homo percipit ſacramẽtum ſpiritualiter: angeli & beati Chriſtum: ſed homo iuſtus & verè contritus.*

COMMENTARIVS.

HIs explicatis, quæ ad eſſentiam ſacramenti pertinent, ſiue ex materia, ſiue ex forma, eius efficacia ad tranſubſtantiationem, remanentibus accidentibus panis & vini ſine ſubiecto, in quibus tamen, realiter Chriſtum continentibus, ratio huius ſacramẽti poſita eſt, de vſu & ſumptione ipſius, que catholicis communicatio dicitur, ſicut ipſum ſacramentum communio, dicendum nobis eſt. ſed quia ſumptionẽ præparatio debet præcedere, & ſumptionem effecta ſacramenti in ſumente conſequuntur, primò de præparatione, deinde de ſumptione, tertiò de effectis diſſerendum eſt. Sumptionem autem Theologi diſtingunt in ſpiritualem & ſacramẽtalem: ſpiritualis eſt, qua effectus ſacramenti percipitur, vel ex voto & deſiderio implicito, vt per baptiſmũ etiã paruulorũ, vel ex voto explicito & expreſſo: in figura quidẽ in vet. teſt. ſicut ſcriptum eſt, 1. Corin. 10. quod omnes veteres eandem eſcam ſpiritualem mãducauerunt: in nouo autem, propter deſiderium non figuræ Chriſti, aut Chriſti in figura ſignificati, ſed ipſius ſacramenti iam inſtituti, & realiter Chriſtum continentis. ſicut mãducant Chriſtum ſpiritualiter, qui verè & ex animo contriti, Chriſto coniungi deſiderant: non tamen coniunguntur per realem ſacramenti ſumptionem, vel quia impediuntur, vt quidam ægroti, vel quia non vacat, aut non tenentur ex præcepto. diximus de aliis modis ſpiritualis manducationis ſupra, cum reſponderemus ad argumenta aduerſariorum contra realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. Sacramentalis manducatio eſt realis huius ſacramenti ſumptio, quæ aliquando eſt perfecta, quia inducit ſuum effectum, in dignè ſuſcipientem: aliquando imperfecta, quæ non inducit, ex impedimento peccati ſuſcipientis: ideò illa dicitur digna manducatio, hæc indigna: nobis autem agendũ eſt de præparatione ad dignã manducationẽ. Sed mãducari Chriſtũ in patria à beatis angelis & hominibus, metaphoricè dicitur, quia eodem reficiuntur ſpiritualiter & ſatiantur, ſicut ſcriptũ eſt. Luc. 22. & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo. Sed hi beati aliter manducãt ſpiritualiter, quàm viatores: illi quia ſatiantur,

Ordinis ratio.

Manducatio ſpiritualis.

Sacramentalis

ſatiantur,& nihil aliud expetunt: hi verò, quia deſiderant, & ſpiritu per charitatem Chriſto coniunguntur.

De præparatione ad dignam Euchariſtiæ mãducationem.

2 De præparatione ergo ad dignam huiuſmodi manducationem,quædam Domini facta & dicta rectè accõmodantur. Ex inſtitutione enim Dñi Ioã. 13. ad hoc ſacramentum accedere non licet,niſi lotis pedibus, ideſt, affectibus & perturbationibus mũdis &moderatis.ex parabola regis inuitantis ad nuptias Matt.22.nõ licet accedere,niſi ornatũ veſte nuptiali,ideſt,charitate,& ſpiritus innouatione. præcepto etiam Dñi Matt.5.nõ licet offerre munus ad altare,niſi deponamus odiũ fraternũ,reconciliationẽ expetamus:idq; confirmat hoc ſacramentum, quatenus eſt pacis & amoris pignus.Deinde expreſſum eſt præceptum Dñi à D.Paul.1.Cor.11.probet autem ſeipſum homo,& ſic de pane illo edat,& de calice bibat:qui enim manducat & bibit indigne,iudiciũ ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi.hoc eſt, vt exponit D.Aug. tract. 62. in Ioan.diſcernamus ab aliis cibis veneratione ſingulariter debita. Sed apertius & exactius conc. Trid. ſeſ.13. c.7.eccleſiaſtica conſuetudo declarat,eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſq; præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.Quod à Chriſtianis omnibus, etiã ab his ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta ſynodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit:modò non deſit illis copia cõfeſſoris:quod ſi neceſſitate vrgente,ſacerdos abſq; præuia cõfeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur.hæc concil. ex quibus conſtat damnari eorum ſententiã, qui exiſtimauerunt contritionem ſufficere cum propoſito confitendi.

3 Excipitur tantum is, qui celebraturus ex neceſſitate paſtoralis officij, vel ingreſſus celebrationem diuini ſacrificij,cũ propter ſcandalum ſacrificium incœptum intermittere non debeat,& illi non ſit copia ſacerdotis,poteſt ſola contritione & confitendi propoſito,cumprimũ dabitur occaſio, complendo, ſacram communionem ſumere & miniſtrare. Si enim non decet ad vllius ſacramẽti adminiſtrationem, vel ſuſceptionẽ accedere cum voluntate peccandi,certè quò maior eſt ſanctitas & diuinitas huius ſacramenti, eò diligentius cauendum eſt,ne abſq; magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiẽdum accedamus. Nam præter rationem ſacramenti violati, ſi cum peccati mortalis conſcientia accedatur,vnde ſacrilegij reatum incurrimus, hoc eſt profanationis rei ſacræ & diuinæ, in ipſam Chriſti perſonã corporaliter præſentem,ſicut Iudas,cùm tradidit,& crucifixores cùm occiderunt,iniqui ſumus & ſcelerati.quare Apoſtolus eod.c.11. ab hoc ſacrilegio fideles terret exemplis multorũ: quos iam tum, vel graui ægritudine, vel etiam morte per diuinam vltionẽ narrat affectos,cùm ait,ideò inter vos multi infirmi & imbecilles,& dormiunt multi.ex horum ſimilitudine idem cẽſent theologi de laico, quem conſcientia, aut ſcrupulus peccati mortalis grauat, cùm proximè ad ſumptionem Euchariſtiæ accedit,niſi recepta ſit conſuetudo, tunc etiam præmittendi confeſſionem ſacramentalem, vel ſine ſcandalo confiteri poſſit,vt ſi pauci interſint. Vnde cõſtat huiuſmodi Paulinam probationem & diſcuſſionem cõſcientiæ, non ſolùm eſſe fidei noſtræ probationem, vt Lutherus & Caluinus docent,ſed etiam veram de mortalibus peccatis pœnitentiã & confeſſionem,vt omnes Patres docuerunt. Cypr.lib.1.ep.3.lib.3.ep.5.14.15.& ſequentibus.Chryſoſt.hom.10.in Matth. & hom.30.in Gen.& hom.de Saulo. Auguſt. ep.118.vt alios omnes prætermittam.qui,licet non ſemper de confeſſione loquantur, tamen de reconciliatione ac pœnitentia, quæ ſine confeſſione nunquam fuit,agunt apertè.quare conc.Trid.ſeſſ.13. can.11.primũ cõtra Proteſtantes & ſacramẽtarios ſic definit: Si quis dixerit ſolam fidẽ eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramẽtum,anathema ſit.Deinde contra exiſtimantes,ſatis eſſe conſcium peccati mortalis habere contritionem,neque confeſſionem ſacramẽtalem eſſe neceſſariam,adiũgit: Declarat ſancta ſynodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, neceſſariò præmittendã eſſe confeſſionem ſacramentalem:ſi quis autẽ contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit,eo ipſo excommunicatus exiſtat. Conſcientia peccati mortalis dicitur, vel certa,

Cypr. etiam de laps. reprehendit communicãtes ante expiata delicta, & ante exomologeſin factam.

Caiet. Adr. q.3. de confeſſ fuerunt in hac ſententia,diſſentiũt ab his omnes alij Theologi 4.ſent.d.9.& 17.

vel probabiliter dubia, vt sciat, vel dubitet se commisisse peccatum mortale, de quo sacramentalis confessio necessaria sit. & ideò dignè accedit, qui probabiliter existimat, se contritum & confessum, quamuis re vera cōtritus non sit. dignè autem dico, quatenus accedendo non peccet. digne autem simpliciter accedit, qui iustificatus est.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet.

Infra art. 7. & 8. cor. & 4. d. 9. ar. 3. q. 1. & 2. & ar. 4. q. 2 cor. Et 1. Cor. 11. lect. 7. co. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter non peccet. Nō enim est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti, quā sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria, nō peccabant, quin etiā veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice, & Matt. 14. dicitur: Quicunq; tetigerunt fimbriā vestimenti eius, salui facti sunt. Ergo nō peccant, sed magis salutem consequūtur, sacramētum corporis Christi sumendo.

¶ 2. Præterea, Hoc sacramentū, sicut & alia, est quædam spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutē: secundū illud Mat. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habētibus. Infirmi autem, vel malè habētes spiritualiter, sunt peccatores. * Ergo hoc sacramentum absque culpa sumere possunt.

Al. Ergo sacramentum corporaliter, absque culpa sumi potest.

¶ 3. Preterea, Hoc sacramentū, cum in se Christū contineat, est de maximis bonis. Maxima autē bona (secundū Aug.† in li. de libe. arbi.) sunt, quibus nullus malè potest vti. Nullus autem peccat, nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacr̄m peccat.

Li. 2. c. 19. non lōgè à pri. to. 1.

¶ 4. Preterea, sicut hoc sacramētum sentitur gustu & tactu, ita & visu. Si ergo peccator ex eo, quòd sumit hoc sacramentū, peccet, videtur etiam quod peccaret videndo. Quod patet esse falsum, cū ecclesia omnibus hoc sacramentū videndū & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc sacramentum.

¶ 5. Preterea, Contingit quandoq;, quod aliquis peccator nō habet conscientiā sui peccati, nec tamen talis peccare videtur, corpus Christi sumēdo: quia secundū hoc omnes peccarēt, qui sumunt, quasi periculo se exponētes, cū Apostolus dicat 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Nō ergo videtur, quod peccatori cedat in culpam, si hoc sacramentum sumat.

SED CONTRA est, quod Apostolus dicit 1. Cor. 11. Qui mādućat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, id est, condēnationem. Dicit autē glossa ibidē, quòd indignè mādućat & bibit, qui in crimine est, vel irreuerēter tractat. Ergo qui est in peccato mortali, si hoc sacramētum accipiat, damnationem acquirit mortaliter peccans.

RESPONDEO dicēdum, quod in hoc sacramento sicut in aliis, id quod est sacramentum, est signum eius, quod est res sacramenti. Duplex autē est res huius sacramenti, sicut supra dictum est.* Vna quidē, quæ est significata & contenta, scilicet ipse Christus, alia autem est significata & non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicunque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo vnitum, & membris eius incorporatum.

q. 73. ar. 6.

ratum. Quod quidem fit per fidem formatã, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifeſtũ eſt, quòd quicunq; cũ peccato mortali hoc ſacramentum ſumit, falſitatem in hoc ſacramento committit, & ideo incurrit ſacrilegiũ, tanquã ſacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.

Ad primvm ergo dicendum, quod Chriſtus in propria ſpecie apparens, non exhibebat ſe tangendũ hominibus in ſignũ ſpiritualis vnionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumẽdus in hoc ſacramẽto. Et ideo peccatores eũ in propria ſpecie tangẽtes, nõ incurrebant crimen falſitatis circa diuina, ſicut peccatores ſumẽtes hoc ſacramentum. Et prætera Chriſtus adhuc gerebat ſimilitudinẽ carnis peccati, & ideo conueniẽter ſe peccatoribus tangendũ exhibebat. Sed remota ſimilitudine carnis peccati per gloriã reſurrectionis, ſe tãgi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipſum patiebatur, ſecundũ illud Ioan. 20. Noli me tangere, nondũ enim aſcẽdi ad Patrẽ meum, ſcilicet in corde tuo: vt Auguſ.* exponit. Et ideo peccatores, qui defectũ fidei formatę patiũtur circa Chriſtũ, repelluntur à contactu huius ſacramẽti.

Tract.121. in Ioan. à medio illius innuitur, tom.9.

Ad secvndvm dicendũ, quod nõ quęlibet medicina cõpetit ſecũdum quẽlibet ſtatum infirmitatis. Nã medicina, quæ datur iã liberatis à febre ad confortationẽ, noceret, ſi daretur adhuc febricitãtibus. Ita etiam baptiſmus & pœnitentia ſunt quaſi medicinę purgatiuę, quę dãtur ad tollendã febrem peccati. Hoc autẽ ſacramentum eſt medicina confortatiua, quæ non debet dari, niſi liberatis à peccato.

Ad tertivm dicendum, quòd maxima bona intelligit Aug.† virtutes animæ, quibus nullus malè vtitur, quaſi principiis mali vſus. Vtitur tamẽ eis aliquis malè, quaſi obiectis mali vſus: vt patet in his, qui de virtutibus ſuperbiunt. Ita & hoc ſacramẽtum quantũ eſt ex ſe, nõ eſt principiũ mali vſus, ſed obiectũ. Vnde Aug.† dicit: Multi indignè accipiunt corpus Chriſti, per quod docemur, quã cauendũ ſit malè accipere bonum. Ecce enim per bonũ factũ eſt malũ, dum malè accipitur bonũ: ſicut è cõtra Apoſtolo per malũ factum eſt bonũ, cũ benè accepit malũ, ſcilicet, cũ ſtimulum ſatanæ patienter portauit.

Loco in ar. citato.

Tracta.62. in Ioã. circa prin. & tract.6. ad c.1. Ioan. to.9. de conſ. di.2. c. 66.

Ad qvartvm dicẽdum, quod per viſum nõ accipitur ipſum corpus Chriſti, ſed ſolũ ſacramentum eius, quia ſcilicet non pertingit viſus ad ſubſtantiã corporis Chriſti, ſed ſolũ ad ſpecies ſacramentales, vt ſupra dictũ eſt,* Sed ille, qui mãducat non ſolũ ſumit ſpecies ſacramẽtales, ſed etiã ipſum Chriſtum, qui eſt ſub eis. Et ideo à viſione corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit ſacramentũ Chriſti cõſecutus, ſcilicet baptiſmũ. Nõ baptizati autẽ non ſunt admittendi etiã ad inſpectionẽ huius ſacramẽti, vt patet per Dion.* in li. Eccle. hier. Sed ad manducationẽ non ſunt admittẽdi, niſi ſoli illi, qui non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam realiter ſunt Chriſto coniuncti.

q.76. ar.7.

c.7. Eccle hier. par. 3. paulo à principio.

Ad qvintvm dicendũ, quod hoc quod nõ habet aliquis conſciẽtiam ſui peccati, poteſt cõtingere dupliciter. Vno modo per culpam ſuã, vel quia per ignorantiam iuris, quę nõ excuſat, reputat nõ eſſe peccatũ, quod eſt peccatum, puta, ſi ali

quis fornicator reputaret simplicē fornicationē non esse peccatū mortale) vel quia negligēs est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit 1.Cor.11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & calice bibat. Et sic nihilominus peccat peccator sumēs corpus Christi, licet nō habeat conscientiā peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest cōtingere sine culpa ipsius: puta cū doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu nō peccat sumēdo corpus Christi: quia homo per certitudinē scire non potest, vtrū sit verè contritus. Sufficit enim si in se signa cōtritionis inueniat, puta si doleat de prętetitis, & proponat cauere de futuris. Si verò ignorat hoc quod fecit, esse actū peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat (puta si accessit ad non suam, quā credebat esse suā) non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiamsi totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis cōtritio, vt infra dicetur.† Vnde iam non est dicendus peccator.

Non compleuit morte prauitus

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc sacramentum cū conscientia peccati, sit grauißimum omnium peccatorum.

4.d.9.ar.3.q.3. Et 1.Cor.10. le.5.co.3.

AD quintū sic proceditur. Videtur, quod accedere ad hoc sacramentum cum cōscientia peccati, sit grauissimum omnium peccatorū. Dicit enim Apostolus 1.Corint.11. Quicunq; manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. glos. ibidē.* Hoc est, ac si Christum occiderit, punietur. Sed peccatum Christum occidentium, videtur fuisse grauissimū. Ergo & hoc peccatum, quo aliquis cū cōscientia peccati ad mēsam Christi accedit, videtur esse grauissimū.

Glos. inter line. ibim sententia.

¶ 2. Præterea, Hier. dicit in quadam epistola: Quid tibi cum fæminis, qui ad altare cū Deo fabularis? dic sacerdos, dic clerice, qualiter eisdem labiis filiū Dei osculularis, quibus osculatus es labia meretricis: Cum Iuda, osculo filium hominis tradis. Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedēs peccare, sicut Iudas peccauit, cuius peccatū fuit grauissimum. Sed multa alia peccata sunt grauiora, quā peccatum fornicationis, & præcipuè peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad mensam Christi accedentis peccatum est grauissimum.

¶ 3. Præterea, Magis est abominabilis Deo immunditia spiritualis, quā corporalis. Sed si quis proiiceret corpus Christi in lutum, vel sterquilinium, grauissimum reputaretur eius peccatum. Ergo grauius peccat, si ipsum sumat cum peccato, quod est immūditia spiritualis. Ergo hoc peccatū est grauissimū.

SED CONTRA est, quod super illud Ioā.15. Si non venissem, & locutus eis nō fuissem, peccatū non haberēt. dicit Aug.* hoc intelligendum esse de peccato infidelitatis, quo tenentur cūcta peccata. Et ita videtur, hoc peccatum non esse grauissimum, sed magis peccatum infidelitatis.

Trac.89. in Io. inter medium, & princ. to.9.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut in 2. parte dictū est*) dupliciter aliquod peccatū potest dici grauius alio: Vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem secundum

1.2.q.73. ar. 6. & 2.2.q. 73.ar.3.

cundum rationem suæ speciei, quę attenditur ex parte obiecti. Et secū dū hoc, quantò id, cōtra quod peccatur, est maius, tāto peccatum est grauius. Et quia diuinitas Christi est maior humanitate ipsius, & ipsa humanitas est potior, quā sacramēta humanitatis, inde est qđ grauissima peccata sunt, quę cōmittuntur in ipsam diuinitatē: sicut est peccatū infidelitatis & blasphemiæ. Secundariò autē sunt grauia peccata, quæ cōmittuntur in humanitatem Christi. Vnde & Matth. 12. dicitur: Qui dixerit verbū contra filium hominis, remittetur ei: qui autē dixerit verbum cōtra Spiritū sanctum, nō remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Tertiò autē loco sunt peccata, quę cōmittuntur contra sacramēta, quę pertinent ad humanitatē Christi. Et post hæc sunt alia peccata cōtra puras creaturas. Per accidens autē vnum peccatum est grauius alio ex parte peccantis, puta, peccatū, quod est ex ignorantia, vel infirmitate, est leuius peccato, quod est ex contēptu, vel ex certa sciētia. Et eadē ratio est de aliis circunstātiis. Et secundū hoc istud peccatū in quibusdā potest esse grauius, sicut in his, qui ex actuali contēptu, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt. in quibusdam vero minus graue: puta in his, qui ex quodā timore, ne deprehendantur in peccato, cū conscientia peccati ad hoc sacramentū accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum est multis aliis grauius secundum suam speciē, non tamen est omnium grauissimum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum indignè sumentiū hoc sacramentum, cōparatur peccato occidentium Christum, secūdum similitudinem (quia vtrunque cōmittitur contra corpus Christi,) nō tamen secundum criminis quantitatē. Peccatum enim occidentiū Christum, fuit multo grauius. Primò quidem, quia illud peccatū fuit cōtra corpus Christi in specie propria: hoc autē peccatum est contra corpus Christi, in specie sacramenti. Secundò, quia illud peccatū processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum.

Ad secundum dicendum, quod fornicator accipiens corpus Christi, cōparatur Iudæ Christum osculanti, quantū ad similitudinem criminis (quia vterq; ex signo charitatis Christū offendit) non tamē quantum ad criminis quantitatē, sicut etiā prius dictum est.* Hæc tamen criminis similitudo nō minus competit aliis peccatoribus, quàm fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur cōtra charitatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum, & tanto magis, quanto peccata sunt grauiora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramēti, inquantū, scilicet, per hoc peccatū spiritus maximè carni subiicitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen ponderat impedimentū ipsius charitatis, quā feruoris eius. Vnde & peccatū infidelitatis, quod funditus separat hominē ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter loquendo, maximè hominē ineptū reddit ad susceptionē huius sacramenti, quod est sacramentū Ecclesiasticæ vnitatis, vt supra dictū est. † Vnde & grauius peccat infidelis

In sol. praeced.

q. 73. art. 1. & q. 73. ar. 4.

accipiens hoc ſacramentum, quàm fidelis peccator, & magis contẽnit Chriſtum, ſecundum quòd eſt ſub hoc ſacramẽto, pręſertim ſi nõ credat Chriſtũ verè ſub hoc ſacramẽto eſſe, quia quantum eſt in ſe, diminuit ſanctitatẽ huius ſacramẽti, & virtutẽ Chriſti operantis in hoc ſacramento, quod eſt contẽnere ipſum ſacramentũ in ſeipſo. Fidelis autẽ, qui cum conſciẽtia peccati ſumit, contemnit hoc ſacr̃m non in ſeipſo, ſed quantũ ad vſum, indignè accipiens. Vnde & Apoſtolus 1. Corinth. 11. aſſignans rationem huius peccati dicit: Non diiudicans corpus Domini, ideſt, non diſcernens ipſum ab aliis cibis, quod maximè facit ille, qui non credit Chriſtum eſſe ſub hoc ſacramento.

AD TERTIVM dicendũ, quod ille, qui proiiceret hoc ſacramentũ in lutum, multo grauius peccaret, quã ille, qui cum cõſcientia peccati mortalis ad hoc ſacramentũ accedit. Primò quidem, quia ille hoc faceret ex intentionẽ iniuriã faciẽdi huic ſacramento, quod non intendit peccator indignè corpus Chriſti accipiens. Secundò, quia homo peccator eſt capax gratię, vnde etiã magis eſt aptus ad ſuſcipiendũ hoc ſacramentũ, quã quæcunq; alia irrationalis creatura. Vnde maximè inordinatẽ vteretur hoc ſacramento, qui proiiceret ipſum canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum conculcandum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſacerdos debeat denegare corpus Chriſti peccatori petenti.

Inf. q. 81. ar. 2. cor. & ad 2. & 4. d. 9. ar. 5. q. 1. per to. & q. 2. corp. Et quo. 5. ar. 12.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdos debeat denegare corpus Chriſti peccatori petenti. Non enim eſt faciẽdum contra Chriſti præceptum propter vitandum ſcandalum, vel infamiã alicuius. Sed Dominus præcepit Matt. 7. Nolite ſanctum dare canibus. Maximè autem datur ſanctum canibus, cum hoc ſacramentũ peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum ſcandalum, neq; propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc ſacramẽtum peccatori petenti dari.

¶ 2. Præterea, De duobus malis minus malum eſt eligendum. Sed minus malum eſſe videtur, ſi peccator infametur, vel etiã ſi ei hoſtia non cõſecrata detur, quàm ſi ſumens corpus Chriſti, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius eſſe eligẽdum, quod vel infametur peccator petẽs corpus Chriſti, vel etiam quòd detur ei hoſtia non conſecrata.

¶ 3. Præterea, Corpus Chriſti interdum datur ſuſpectis de crimine, ad eorum manifeſtationem: legitur enim in Decr.† 2. q. 4. Sæpè contingit, vt in monaſteriis monachorum furta perpetrentur, idcirco ſtatuimus, vt quando ipſi fratres de talibus expurgare ſe debent. Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex pręſentibus fratribus, & ſic expleta Miſſa, omnes communicentur in hæc verba: Corpus Domini ſit tibi hodie ad probationem. & infra. *Si Epiſcopo, aut presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, pro ſingulis Miſſam celebrare debet & communicare, & de ſingulis ſibi imputatis, innocentem ſe oſtendere. Sed peccatores occultos non oportet manifeſtari. quia ſi frõtẽ verecũdię abiecerint, liberius peccabunt, vt Aug. dicit in lib.

In decr. 2. q. 4. ca. 24. Sæpè cõtingit.

Cap. 29.

lib.de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Chisti dandum, etiam si petant.

Sed contra est, quod super illud Psa.21.Mãducauerunt,& adorauerunt omnes pingues terræ, dicit Aug.† Non prohibeat dispensator pingues terrę, idest, peccatores, mensam Domini manducare.

Refertur de cõsec.d.2.c. Non prohibeat, to.9

Respondeo dicendum, quod circa peccatores distinguendũ est. Quidam enim sunt occulti, quidã verò manifesti, scilicet per euidentiã facti, sicut publici vsurarij, aut publici raptores: vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum, vel seculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari. Vnde Cypr.* scribit ad quendam: Pro dilectione tua cõsulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis suę dedecore perseuerat, an talibus sacra communio cũ cæteris Christianis debeat dari: puto nec maiestati diuinę, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tan turpi & infami contagione fœdetur. Si verò non sunt manifesti peccatores, sed occulti: non potest eis petẽtibus sacra cõmunio denegari. Cũ enim quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei ius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Vnde super illud 1.Corinth.5.Si is, qui frater nominatur inter vos,&c. dicit glos. August.* Nos à cõmunione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico, vel seculari nominatum, atq; cõuictum. Potest tamen sacerdos, qui est cõscius criminis, occultè monere peccatorẽ occultũ, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Dñi accedant, antequã de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconciliẽtur. Nã post pœnitentiã & reconciliationẽ, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipuè in articulo mortis. Vnde in concilio Carthagin.† legitur: Scenicis, atque histrionibus, cæterisq; huiusmodi personis, vel apostatis conuersis ad Deum, reconciliatio non negetur.

Lib.1.ep.10.in princ.

In li.de medicina pœnitentiæ, c.3.in med.to.9.

In conc.Carth. can.35.

Ad primum ergo dicendum, quod sancta prohibentur dari canibus, idest, peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publicè puniri, sed sunt diuino iudicio reseruanda.

Ad secundum dicendum, quod licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumẽdo corpus Christi, quã infamari, tamen sacerdoti ministrãti corpus Christi, peius est peccare mortaliter infamando iniustè peccatorẽ occultũ, quàm quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale cómittere, vt aliũ liberet à peccato. Vnde Aug.* dicit in li.Q.super Gen. periculosissimè admmittitur hęc cõpensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malũ faciat. Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quã indignè ad mensam Dñi accedere. Hostia tamẽ non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ, quia sacerdos hoc faciẽs quantũ in se est, facit idololatrare illos, q cre dũt esse hostiã cõsecratã, siue alios pręsentes, siue etiã ipsum sumentẽ, quia vt Aug.† dicit, nemo carnem Christi

In q.42.to.4.

In Psal.98.circa me, expositionis Ioan.8.

Christi mãducet, nisi prius adoret. Vnde extra de celebratione missarũ,* c. de homine dicitur: Licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat irreuerenter ad illud, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare.

In Decre li. 3. tit. 41. ca. 7. in fin.

AD TERTIVM dicendũ, quòd decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorũ Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa,* Ferri candentis, vel aquæ feruẽtis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet sacri canones non concedunt, Spõtanea enim cõfessione, vel testium approbatione, publicata delicta commissa sunt regimini nostro iudicare, occulta verò & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorũ hominum. Et idem habetur extra de purgationibus* c. ex tuarum. In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio, vnde sine peccato fieri nõ possunt. Et grauius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Vnde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

Refertur 2. q. 4 c. 21. Consulusti.

In Decr. lib. 5. ti. 34. c. 8. Ex tuarum.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius sacramenti.

2. 2. q. 154. ar. 5. & 4. d. 9. ar. 4 q. 2. Et ver. q. 28. art. 3. ad 6.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod nocturna pollutio non impediat aliquem à sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur à sumptione corporis Christi, nisi propter peccatũ. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Augus.* 12. super Gen. ad literam, ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm expressa fuerit in visione somniantis, vt inter illã & verã coniunctionem corporũ non discernatur, continuo mouetur caro, & sequitur quod eũ motũ sequi solet, cùm hoc tã sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilantibus dicitur, quod vt diceretur, proculdubio cogitatum est. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab eius sacramenti sumptione.

Li. 12. c. 15. in med. tom. 3.

¶ 2. Præterea, Greg.* dicit in ep. ad Aug. episcopum Anglorum: Si quis sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed tantũ procreandorũ liberorum gratia vtitur, ille profecto, siue de ingressu Ecclesię, siue de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquẽdus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere. Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilãtis, si sit sine peccato, non prohibet hominem à sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

In fin. lib. 12. Registri ad 10. interrogatione. Aug ca. 10. nõ longè à fin. & habetur 33. q. 5. c. 7. post medium.

¶ 3. Præterea, Nocturna pollutio videtur solã immunditiam corporalẽ habere. Sed aliæ immunditię corporales, quę secundũ legem impediebant ab ingressu sanctorũ, in noua lege non impediunt à sumptione huius sacramenti, sicut de muliere pariẽte, vel mẽstruata, vel fluxũ sanguinis patiẽte, scribit beatus Gre.* Aug. Anglorũ episcopo. Ergo videtur, quod neq; etiam nocturna pollutio impediat hominẽ à sumptione huius sacramenti.

Loco nunc dicto parum ante medium, c. 10.

¶ 4. Præterea, Peccatum veniale non impedit hominẽ à sumptione

ne

ne huius sacramenti, sed nec etiam peccatũ mortale post pœnitentiã. Sed dato quod nocturna pollutio prouenerit ex aliquo peccato præcedenti (siue crapulæ, siue turpium cogitationũ) plerunq; tale peccatum est veniale: & si aliquando sit mortale, potest cõtingere, quod de mane pœnitet, & peccatum suum confitetur. Ergo videtur, quod non debeat impediri à sumptione huius sacramenti.

¶ 5. Preterea, Grauius peccatũ est homicidij, quàm fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare, aut furtũ, aut quodcunq; aliud peccatum, nõ propter hoc impeditur à sumptione corporis Christi. Ergo videtur, quod multò minus fornicatio somniata cũ pollutione subsequẽte, impediat à sumptione huius sacri.

SED CONTRA est, quod Leuit. 15. dicitur: Vir, de quo egreditur semen coitus, immũdus erit vsq; ad vesperũ. Sed immundis non patet aditus ad sacramẽta. Ergo videtur, quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur à sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Vnũ quidẽ, ratione cuius ex necessitate impedit hominem à sumptione huius sacramenti. Aliud autem, ratione cuius non ex necessitate impedit hominẽ ab huiusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruẽtia. Ex necessitate quidem impedit hominem ab huius sacramenti perceptione solum peccatũ mortale. Et quãuis nocturna ipsa pollutio secundũ se cõsiderata, peccatũ mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoq; habet peccatũ mortale annexũ. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnę. Quandoq; enim prouenit à causa extrinseca spirituali, scilicet, ex dæmonũ illusione, qui sicut in 1. parte habitũ est*, phãtasmata cõmouere possunt, ex quorũ apparitione pollutio interdũ subsequitur. *q. 111. art. 3.* Quandoq; verò prouenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet, ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate siue debilitate naturæ, siue etiam ex superfluitate cibi, vel potus. Quęlibet autẽ harum triũ causarum potest & sine peccato & cũ peccato veniali, vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cũ peccato veniali, nõ ex necessitate impedit sumptionẽ huius sacramẽti, ita scilicet, quod homo sumẽdo sit reus corporis & sanguinis Dñi. Si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoq; prouenit ex præcedenti negligentia pręparationis ad† deuotionem, quę potest esse & mortale & veniale peccatũ. *†Alias, deuotionem & orationem.* Quandoq; verò prouenit ex sola nequitia dœmonũ, volentiũ impedire hominẽ à sumptione huius sacramenti. Vnde legitur in collationibus patrũ, quod cùm quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, seniores cõperto, quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreuerũt quod propter hoc à communione non cessaret: & ita cessauit illusio dæmonũ. Similiter etiã præcedentes cogitationes lasciuę, quandoq; possunt esse omnino sine peccato,

peccato, puta, cùm aliquis causa lectionis, vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestę. ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex autoritate Aug.* supra inducta. Quandoq; verò precedêtes cogitationes sunt ex concupiscentia & delectatione: & si adsit consensus, erit peccatum mortale, si autē desit, erit veniale. Similiter etiā, & causa corporalis, quandoq; est sine peccato, puta, cū est ex infirmitate naturę. Vnde & quidā etiā in vigilando absq; peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiā si sit ex superfluitate naturę, sicut enim contingit sanguinem fluere absq; peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis, secūdum Philosophū.* Quandoq; verò est cum peccato, puta, cū prouenit ex superfluitate cibi, vel potus, & hoc etiā potest esse peccatum veniale, vel mortale, licet frequētius peccatū mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatē consensus, quā circa sumptionē cibi & potus. Vnde & Greg.† scribēs Aug. Anglorū Episcopo dicit, cessandū esse à cōmunione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit, non autē quando prouenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pullutionis cōsiderari potest, vtrū nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem huius sacramenti. Ex quadam verò congruentia impedit quātum ad duo, quorū vnum semper accidit, scilicet, quędam fœditas corporalis, cùm qua propter reuerentiā sacramenti, nō decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid sacrū, manus lauant) nisi fortè talis immūditia sit perpetuo, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autē est euagatio mētis, quę sequitur pollutionem nocturnā, pręcipuè quando cū turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentū, quod ex congruitate prouenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, vt Gregor.* dicit, cùm fortassè, aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

In arg. 1.

Li. 1. de gener. animaliū c. 18. à med. & c. 19. parū à princ.

Loco citato in ar. 1. & 2. c. 11 & habetur 33. q. 4. c. Vir cum propria.

Loco iam nunc dicto ad interrog. 11. Augu. c. 11.

Ad primum ergo dicendum, quod ex necessitate quidem nō impeditur homo à sumptione huius sacramenti, nisi propter peccatum mortale, sed ex quadam conuenientia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est.† In cor. ar.

Ad secundum dicendū, quod coitus coniugalis si sit sine peccato (puta, si fiat causa prolis generādæ, vel causa reddendi debitū) non alia ratione impedit sumptionē huius sacramenti, nisi sicut dictum est* de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet, propter immūditiam corporalē & mentis distractionē. Ratione cuius Hier.† dicit super Matt. Si panes propositionis, ab his qui vxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cęlo descendit, nō potest ab his, qui coniugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari, atq; cōtingi? nō quod nuptias cōdēnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni mādu caturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Sed quia hoc secundum congruitatē, & nō secundū necessitatē est

In cor. ar.

Refertur 33. q. 4. c. Scitis.

Loco citato in argu. & habetur 33.q.4.c. Vir cũ propria. est intelligendũ, Greg.† dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si verò non amor procreãdæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Gregor. subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum.

Ad tertivm dicendũ, quod sicut Greg.* dicit in epistola supra dicta ad August. Anglorum episcopũ in veteri testamento aliqui polluti dicebãtur figuraliter, quod populus nouæ legis spiritualiter intelligit. *In fi. registri ad interrogat. 10. à med.* Vnde huiusmodi corporales immunditiæ, si sint perpetuæ, vel diuturnæ, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediebãt accessum ad sacramenta figuralia. Si verò citò transeant (sicut immunditia pollutionis nocturnæ) ex quadam congruentia impediunt sumptionẽ huius sacramenti, per illum diem, quo hoc accidit. Vnde & Deuter. 23. dicitur: Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & nõ reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua.

Ad qvartvm dicẽdum, quod licet per cõtritionem & confessionem auferatur reatus culpæ, nõ tamen aufertur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consecuta.

Ad qvintvm dicendũ, quod somnium homicidij non inducit corporalem immunditiam, nec etiã tantam distractionem mentis, sicut fornicatio somniata propter delectationis intentionem. Si tamẽ somnium homicidij proueniat ex causa, quæ est peccatum, præsertim mortale, impedit à sumptione huius sacramẽti, ratione suę causę.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm cibus, vel potus præassumptus impediat sumptionem huius sacramenti.

Ad octauũ sic proceditur. Videtur, quod cibus vel potus præassumptus non impediat sumptionem huius sacramenti. *Inf. art. 9. cor. Et 2.2.q.174. art.6.ad 2. Et 4.d.8 q.1. ar. 4.q.1. & 2. Et 1.co.11.lec. 4.co.4.* Hoc enim sacramentum est à Domino institutum in cœna. Sed Dominus postquam cœnauit, hoc sacramentũ discipulis suis tradidit, sicut patet Luc.22. & 1.Cor.11. Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

¶ 2. Præterea, 1.Cor.11. dicitur: Cùm conuenitis ad manducandũ, scilicet corpus Domini, inuicẽ expectate, si quis autem esurit, domi manducet. Et ita videtur quod postquam aliquis domi manducauerit, possit in Ecclesia corpus Christi manducare.

¶ 3. Pręterea, In cõci. Carthag. legitur, & habetur de cons. dist.1.* *In conc.3. Cartha. can 29. & habetur de cons. d.1.c. Sacramenta altaris.* Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Ergo saltẽ illa die aliquis potest corpus Christi post alios cibos sumere.

¶ 4. Præterea, Sũptio aquæ vel medicinæ, vel alterius cibi, vel potus in minima quantitate, vel reliquiarium cibi in ore manẽtium, neque ieiunium Ecclesiæ soluit, neq; sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reuerenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta nõ impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti.

¶ 5. Pręterea, Quidam de nocte profunda comedunt, aut bibunt, &

forte totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mysteria nõdum plenè digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis, si in mane parum comederet, & postea circa nonam sumeret hoc sacramentum, cùm etiã sit quandoq; maior distãtia temporis. Ergo videtur, quod talis cibi præassumptio non impediat hominem ab hoc sacramento.

¶ 6. Præterea, Non minor reuerentia debetur huic sacramento iã sumpto, quàm ante sumptionẽ. Sed sumpto sacramento licet cibũ, aut potum sumere. Ergo & ante sumptionem.

SED CONTRA est, quod Aug. *dicit in lib. respõsionum ad Ianuarium, Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi.

Epist. 118. ca. 6. ante med. to. 2.

RESPONDEO dicendum, quod aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter. Vno modo secundum se: sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, vt suprà dictum est *. Alio modo propter prohibitionẽ Ecclesiæ. Et sic impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti post cibum & potũ assumptum, triplici ratione. Primò quidem, sicut Aug. † dicit in honorem huius sacramenti, vt scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo, vel potu infectum.

Ar. præced. & art. 4. huius q.

Epi. 118. ca. 6. ante med. to. 2.

Secundò propter significationẽ, vt scilicet detur intelligi, quod Christus (qui est res huius sacramẽti) & charitas eius, debet primò fundari in cordibus nostris, secundum illud Matth. 6. Quærite primum regnum Dei. Tertiò, propter periculum vomitus & ebrietatis, quę quãdoq; cõtingunt, ex hoc quod homines inordinatè cibis vtũtur, sicut & Apostolus dicit 1. Corin. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim cõmunicandi sunt etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant: quia necessitas legem non habet. Vnde dicitur de cons. * dist. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.

De cõs. d. 2. ca. Presbyter.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut Aug. * in eodẽ lib. dicit: Neq;, quia post cibos Dominus dedit, propterea prãsi, aut cœnati fratres ad hoc sacramentum accipiendum conuenire debent, aut mensis suis miscere. sicut faciebant quos Apostolus arguit & emẽdat. Nãq; Saluator, quo vehementius cõmendaret mysterij illius altitudinẽ, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorũ. Et ideo nõ pręcepit, quòd deinceps tali ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc modum.

Epi. 118. c. 6. in med. tom. 2.

AD SECVNDVM dicendum, quod illud verbum in glos. sic exponitur: † Si quis esurit, & impatiens non vult expectare alios, mãducet domi cibos suos, idest, pane terreno pascatur, nec post Eucharistiam sumat.

Ex glo. interlinea. ibi. colligitur.

AD TERTIVM dicendum, quod capitulum illud loquitur secũdum consuetudinem aliquando apud aliquos obseruatam, vt in repręsentationem Dominicæ cœnæ illo die à non ieiunis corpus Christi sumeretur. Sed nunc hoc abrogatum est, nam sicut August. * in lib. prædicto dicit:

In epi. 118. c. 6 ante med. to. 2.

dicit, per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur, vt ſcilicet corpus Chriſti à ieiuniis ſumatur.

Ad qvartvm dicendũ, quod (ſicut in ſecũda parte habitũ eſt*) duplex eſt ieiunium. Primum eſt ieiunium naturæ, quod importat priuationem cuiuſcunque præaſſumpti per modum cibi vel potus, & tale ieiuniũ requiritur ad hoc ſacramentũ propter prædicta.* Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ vel alterius cibi aut potus, vel etiã medicinæ, in quantumcumque parua quantitate, licet hoc ſacramentum accipere. Nec refert vtrũ aliquid huiuſmodi nutriat vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi vel potus. Reliquiæ, tamen cibi remanentes in ore, ſi cauſaliter transglutiantur, non impediunt ſumptionẽ huius ſacramenti, quia non traiiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Et eadem ratio eſt de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quãtitate, ſed permixtæ ſaliuæ, quod vitari non poteſt. Aliud autem eſt ieiunium Eccleſiæ, quod inſtituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prędicta non multũ nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur.

2.2.q.147. ar.6. ad 2. arg.

In cor.ar.

Ad qvintvm dicendũ, quòd cùm dicitur, quod hoc ſacramentum priùs, quàm alij cibi, debet in os Chriſtiani intrare, non eſt intelligendum abſolutè reſpectu totius temporis: alioquin qui ſemel comediſſet vel bibiſſet, nunquam poſſet poſtea hoc ſacramentum accipere, ſed eſt intelligendum quantum ad eundem diem. Et licet principium diei ſecundum diuerſos diuerſimodè ſumatur, nam quidam à meridie, quidam ab occaſu, quidam à media nocte, quidam ab ortu ſolis, diem incipiunt: eccleſia tamen Romana diem à media nocte incipit. Et ideo ſi poſt mediã noctẽ aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi vel potus, nõ poteſt eadem die hoc ſumere ſacramentum: poteſt verò, ſi ante mediam noctem: Nec refert vtrum poſt cibum vel potum aſſumptum dormierit, aut etiã digeſtus ſit, quantum ad rationem pręcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomneitatem vel indigeſtionẽ. Ex quibus ſi mẽs multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem huius ſacramenti.

Ad sextvm dicendum, quod maxima deuotio requiritur in ipſa ſumptione huius ſacramenti, quia tunc percipitur ſacramenti effectus, quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia, quam per ſequentia, & ideo magis eſt inſtitutum quod homines ieiunẽt ante ſumptionem huius ſacramenti, quam poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem huius ſacramenti & reliquos cibos. Vnde & in Miſſa, oratio gratiarũ actionis poſt communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas priuatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum fuit à Papa Clemente (vt habetur de conſecr. diſt.2.*) Si mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunẽt miniſtri, qui eam ſumpſerunt, & ſi 3. vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperum. Antiquitus enim rarius Miſ-

De conſe.d.2. c. Tribus gradibus.

Oo ſarum

sarum solennia celebrantur, & cũ maiori præparatione, nunc autem qui oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili obseruari, & ideo per cõtrariam consuetudinem est abrogatum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum non habentes vsum rationis, debeant suscipere hoc sacramentum.

4.d.3.ar.5.q.3.& 4. & d.23.q.2.ar.2.q.4.cor.& Io.6.lect.7.co. 1.

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod nõ habẽtes vsum rationis, non debeant hoc sacramẽtum suscipere. Requiritur enim quod aliquis ad hoc sacramentum cum deuotione, & præcedenti sui examinatione accedat, secundum illud 1. Cor. 11. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Sed hoc nõ potest esse in his, qui carent vsu rationis. Ergo non debet eis hoc sacramentum dari.

¶ 2. Prætereà, Inter alios qui carent vsu rationis, sunt etiam arreptitij, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inspectione huius sacramenti arcentur, secundum Dionys.* in lib. Eccl. Hierarc. Ergo carentibus vsu rationis, hoc sacramẽtum dari non debet.

c. 3. Eccle. hie. par. 2.

¶ 3. Prætereà, Inter alios carentes vsu rationis, maximè pueri videntur esse innocentes. Sed pueris hoc sacramentum non exhibetur. Ergo multo minus aliis carentibus vsu rationis.

SED CONTRA est, quod legitur in Concilio Arausicano* (& habetur in Decret. 26. q. 6. c. qui recedunt.) Amentibus, quæcunq; pietatis sunt, conferenda sunt. Et ita est eis conferendum hoc sacramentum, quod est sacramentũ pietatis

In Arausicano Conc. can. 3 habetur de cõsec. d. 2. c. Qui recedunt.

RESPONDEO dicendum, quod aliqui dicuntur non habere vsum rationis dupliciter. Vno modo quia habent debilẽ vsum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam deuotionem huius sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter vsum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt vsum rationis, sed sic à natiuitate permanserunt. Et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit huius sacramenti deuotio. Aut non semper caruerunt vsu rationis & tunc si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis deuotio huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentũ exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus vel expuitionis. Vnde in Concilio Carthaginensi legitur *(habetur in Decret. 26. q. 2. is qui in infirmitate si pœnitẽtiam petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.

In Conc. 4. Carthag. c. 76. & habetur 26. q. 6. ca. Is qui in infirmitate.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod carentes vsu rationis possunt deuotionem ad sacramẽtum habere, quantum ad aliquos quidẽ præsentem, quantum ad alios autem præteritam.

AD SECVNDVM dicendum, quod Dion. * loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus scilicet, nondum est vis dæmonis

Loco citato in arg.

dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immũdis spiritibus vexantur, est eadem ratio, & de aliis amentibus. Vnde Cassianus dicit, Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.

Ad tertium dicendũ, quòd eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquã habuerunt vsum rationis, vnde talibus non sunt sacra mysteria danda. Quamuis quidam Græci contrariũ faciant, propter hoc quod Dion. 2. * Cælest. hierar. dicit, baptizatis esse sacram communionem dãdam, non intelligentes quod Dion. ibi loquitur de baptismo adultorũ. Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit, Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, quia sicut Augnst.* scribit Bonifacio: Tunc vnusquisque fidelium, corporis & sanguinis Domini particeps fit, scilicet spiritualiter, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, tũc potest eis hoc sacramentum conferri.

Cap. 2. in par. 2. in fin.

Refertur de cõsec. d. 4. c. Nullis.

Sententiæ & Conclusiones quæst.

Prima cõclusio: *Licet peccator indignus sumẽs Eucharistiã, nẽ pecõscius peccati mortalis, de quo non est contritus, graue peccatum committat, & nõ omnium grauissimum: sacerdos tamen peccatori petenti & occulto negare non potest, publico potest & debet.*

Ratio primi: *Quia is peccator sacrilegium committit, cũ significet se Christo vniri per sumptionem, cui tamen vniri nolit propter affectum peccati.*

Ratio secundi: *Quia ex obiecto grauius peccatũ est blasphemia & infidelitas*

Ratio tertij: *Quia Christianus iure petit hoc sacramentum, & occultus peccator detegendus non est: & publicus prius pœnitere tenetur.*

Secunda conclusio: *Nocturna pollutio, cibus & potus præassumptus, amẽtia, sunt aliquando impedimenta sacræ communionis, aliquando non sunt: quod ex sequenti disputatione apertissimè constabit.*

COMMENTARIVS.

1 Haec igitur est necessaria præparatio ad dignã Eucharistię sumptionem, recta fides de omnibus credendis, & specialiter de hoc sacramento, nullius peccati mortalis cõsciẽtia: quia hoc modo cibus eucharisticus discernitur ab aliis cibis prophanis, vt D. Paulus pręcepit: in peccato autẽ mortali continetur etiã nocturna pollutio, si ex causa mortali prouenerit, potest enim ex veniali tantũ aut nulla culpa prouenire: quibus modis non necessariò, sed ex quadã decẽtia impedit, nisi ex impugnatione dęmonis volentis prohibere sumptionẽ huius sacramenti, contingat: vt de quodã monacho in collationibus Patrum, apud Cassianũ legitur. Ratio illius decẽtię est euagatio mentis, & fœda cogitatio, quę ex nocturna pollutione excitari solet, atq; etiam fœditas, & immundicies corporis. qua etiam ratione voluerũt Patres, vt debitum coniugale pręstitum impediret sumptionem huius sacramenti, etiamsi contingeret sine peccato, vt ostendit D. Hieron. in Matth. ex panibus propositionis veteris test. quos manducare non poterãt, qui vxores tetigerãt. quod si ex necessitate præcepti aliquis ad sumptionem huius sacramẽti teneatur, vt sacerdos ex debito pastoralis officij sacrificaturus, vel laicus in Pascha te communicaturus, vel imminente probabili mortis periculo, non debent propter huius-

Præparatio ad sumptionẽ Eucharistiæ ex decentia quadã.

Infra cum disseritur de effectibus huius sacramenti, examinatur, an deuotio & dilectio actualis sit necessaria præparatio ad consequendum effectus huius sacramenti.

huiusmodi decentiam, quæ in se aut nullũ aut veniale peccatum est, à sacra communione abstinere, vt colligitur ex D.Gregorio in Epist.ad Augu. Anglorũ Episcopũ.

Impedimenta sacræ communionis.

2 Impedit etiam necessario sumptionẽ huius sacramenti, cibus aut potus præassumptus, ex præcepto Ecclesiastico. est enim ab Ecclesia præceptum (quod olim non fuit in vsu, cum plerique semper post cœnam ex imitatione Domini communicarent: quidã in die anniuersario, quo cœna Domini celebratur,) vt sacra communio à ieiunis naturæ ieiunio, vt loquuntur, tantum sumatur. ieiunium autem Ecclesia computat quotidie à media nocte, in alterius diei mediam noctẽ, & ideo indigestio, aut insomnem fuisse, ex necessitate præcepti, Eucharistiæ sumptionem non impedit: quare nulla vrgens necessitas debet impellere sacerdotem, ad conficiendum hoc sacramentum post prandiũ. Et quia sumptio cibi aut potus impedit eodẽ die sumptionem sacramẽti huius, reliquiæ cibi aut aquæ & vini assumptæ non impedient, quia non ad modum cibi aut potus, vt cum saliuã deglutimus, vel os abluimus.

Cibus & potus.

Quin etiam post sumptam Eucharistiã debet aliqua mora intercedere, ad refectionem vsque corporalem: nõ quidem ex necessitate alicuius præcepti, sed ex reuerentia corporis Domini assumpti, & proinde in Missæ celebratione post communionẽ dicuntur quædam orationes, quas etiam in more habent omnes laicè cõmunicantes.

Amentia.

3 Hinc etiam amentibus, qui nunquam habuerũt vsum rationis, vel si aliquãdo cũ haberent, non erat in eis huius sacramenti deuotio, etiã in periculo mortis non debet dari hoc sacramentũ: illis quidem, quia cibum Eucharisticum ab aliis discernere nõ possunt: his autẽ propter periculũ indignæ sumptionis. quod si in his deuotio præcesserit, conferendum est hoc sacramentũ in periculo mortis imminenti, nisi probabiliter timeatur vomitus aut expuitionis periculũ. Sic definit Concil. Carthagin. vt refertur 26.q.2. de his, qui in ægritudine obmutuerint, vel in phrenesim inciderint, si deuotionis illius ad hoc sacramentum, & pœnitentiæ dederint testimoniu m, qui eum audierunt. Itaque si constet de signis contritionis & deuotionis huius sacramenti, etiãsi ægrotus non fuerit sacramentaliter confessus, neque possit confiteri, recipiet tamen sacram Eucharistiam. an verò sacramentaliter sit absoluendus, ad doctrinã de sacramento Pœnitentię, definire pertinet. & constat sine cõfessione alicuius peccati venialis aut mortalis voce aut signo expressa, impendi non posse sine magno sacrilegio sacramentalem absolutionẽ: cum non possit forma sacramentalis coniungi, nisi propriæ materiæ: sacramenti autem Pœnitentiæ materia, sunt peccata confessa, contrita & satisfactioni exposita. Satis autem fuerit in discrimine & periculo mortis constitutis, aliquod peccatum confiteri veniale aut mortale, vt plena ab omnibus peccatis absolutio conferatur, si cætera confiteri non possint. Eadem ratio seruari debet in paruulorum cõmunicatione ante vsum rationis, ne illis scilicet detur sacra Eucharistia, nisi ea ætate & iudicio, qua possint cibum hũc sacramentalem ab aliis cibis discernere, vt præcepit D. Paulus. iudicium autem de hac ætate, quæ non est in omnibus eadem, prudenter fieri debet à parentibus & confessariis, quibus ingenia & mores puerorum noti & explorati esse debet.

Aetas paruulorum.

4 Ab hac regula & præcepto Ecclesiastico, de ieiunio necessario ante sumptionem Eucharistiæ, excipiuntur ægroti, qui statim communicandi sunt etiam post cibum aut potum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine viatico decedant: quia maior est obligatio & necessitas præcepti de sumendo hoc viatico, quam præcepti Ecclesiastici de huiusmodi ieiunio. sic præceptum est de consf.d.2, presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur. Existimat autem D.August. epist.118. cap.7. ex traditione Apostolica dimanasse, non nisi ieiunos admittendos esse ad sacram communionem, & veteres quidam triduanum ante ieiunium requirebant. Neque enim quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad hoc sacramentum accipiendum conuenire debent, aut mensis suis miscere, sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat. namque saluator, quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum: & ideo non præcepit quod tali ordine deinceps sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. In antiquis etiam longior mora

De ieiunio præcedente & sequente sacram communionem apud antiquos

mora intercedebat, post sumptam Eucharistiam, ad corporalem refectionem, quàm modo sit in vsu. Statutum enim legimus à Clemente Papa, de conf. d.2. vt qui mane Dominicam portionem ederent, vsque ad sextam ieiunent: qui autem tertia vel quarta hora, ieiunent ad vesperum. Olim prætereà multis fuit in vsu infantes communicare, vt constat de temporibus Dionysij Areopagitæ, cap.7. Ecclesi. Hier. & Cypriani serm.5. de lapsis, atque etiam Augustini. Græci quidam & Armeni, vt D. Thomæ & Vvaldensi placet, id necessarium iudicauerũt ad salutem infantium, quod & Boemi Hussitæ in hunc diem sequuntur: & ideo pane & vino temperatam Eucharistiam paruulis administrãt, ex illo testimonio Ioann.6. decepti, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed de legitimo sensu huius loci, & sententia D. Augustini de paruulorum communione, dictum est à nobis suprà, cũ responderemus ad obiectiones aduersariorum contra realem Christi præsentiam.

De infantum communione.

5 Antiquitas tamen, quæ communicauit infantes, nunquam existimauit hanc communionem esse illis ad salutem necessariã, vt definiuit Conc. Trid. sess.21.c.4. & ideo Can.4. eiusd. sess. anathemate damnat asserentes, paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ cõmunionem. Aliam itaque sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illorum temporũ ratione habuerunt, vt dicitur eod. c. 4. vel quia incredibiliter affecti dulcedine illius cibi, nolebant paruulos propter innocẽtiam ex baptismo verè mundos, maiore gratia sacramentali carere, quam ex sacra communione proculdubio perciperent: sicut & nunc, si aliquis minister, vel sua, vel Ecclesiæ voluntate vellet administrare, vel vt suos à mensa dęmoniorum abduceret: quia tunc temporis partẽ idolothyti, etiam infantibus in os, impij ingerebant. Iustiores tamen & maiores causas, tum ex natura sacramenti & reuerẽtia, tum ex longiori rerum Christianarum obseruatione, secuta est nostra Ecclesia, quæ aliquot sœculis vetuit dari infantibus: morionibus aut insanis, aliisque similibus, qui aut se dignè probare, aut corpus Domini rectè iudicare non possunt. Sacra etiã scriptura magis prohibet, quàm præcipit communionem infantum: tum quia in his elementis hoc sacramentum instituit, quæ recens nati magna ex parte percipere non possunt: tum quia probare se non possunt, vt sic de illo pane edant, vt scriptum est, 1. Corinth. 11. & præsertim, quia non indigent eo cibo, quibus spiritualis virtutis nihil ex carnis & spiritus pugna perit, quod sumptione sacri cibi reparandum sit.

Infãtibus quare prohibita sacra communio.

6 De peccato autem accedentium ad hoc sacramẽtum indignè, hoc est, cum cõscientia peccati mortalis, vel cum tanta negligentia in probatione sui, vt non pœnitere de peccato sibi imputari possit, grauissima est illa sententia D. Pauli proposita, iudicium sibi manducat & bibit. vnde colligunt omnes Patres & Theologi, esse grauissimum peccatum sacrilegij, quia res sacratissima prophanatur, & sic indignè sumens mendacem se Christo Domino exhibet, dum ipsa sumptione, se per hoc sacramentum velle vniri & incorporari Christo profitetur, interius tamen, peccatum, cuius sibi conscius est, eidem vnioni præfert: cum repugnet Christi membrum esse, & in peccato mortali perseuerare. & idcirco veteres Patres hoc peccatum, peccato quidem crucifigentium Christum comparauerũt: quia vtrumque in ipsum corpus Christi sanctissimum committitur: sed hoc longè grauius est, quia in ipsum Christum in propria specie, ex nocendi intentione commissum esse cõstat. hoc sensu accipienda sunt Patrum de hac re testimonia. Cypria. de lapsis inquit, vis infertur corpori eius & sanguini, & plus modò in Dominum, manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negauerunt. Basil. lib.2. de baptismo, cap.3. ita ad sancta accedamus, vt iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, fugiamus, propterea quod quisquis ederit panem & biberit poculum Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Chrysosto. Homil.45. in Ioan. & 61. ad popul. Antioch. qui immunda conscientia corpus Domini accipiunt, idem supplicium subeunt, quod qui eum clauis cruci affixerunt. Similiter Theodoretus exponit illud, 1. Corinth. 11. reus erit corporis & sanguinis Domini: vt enim Iudas tradidit ipsum, & ipsi insultarunt, opprobiis & conuiciis affecerunt Iudæi, ita cum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimũ eius corpus immundis manibus accipiunt,

Peccatum indignè accedentis ad sacramEucharistiam. 3.p.q.80. ar. 4.& 5.

Ex Patribus.

& in pollutum & in cestum os immittunt. plurima alia huius generis leguntur in Patribus, quæ omnia significant, & crucifixores Christi, & indignè sumentes sacram Eucharistiam in ipsummet Christi corpus peccare: quamuis illi, vt ostensum est, grauius peccent.

Ex obiecto.

7 Quod si ex obiectis, vt oportet, grauitatem peccatorum expendamus, blasphemia in ipsam diuinitatem, omnium grauissimum est, deinde in ipsam Christi humanitatem, tertio in ipsa sacramenta, quæ virtutem Christi nobis communicant. quare qui indignè sumit sacram Eucharistiam, per se his modis videtur peccare, cùm ea verum Christi corpus contineat, in ipsa verbi diuini persona subsistens. Habet etiã hoc peccatũ & illud grauius cæteris, quòd licet omnia charitatem violent, hoc tamẽ specialius, quia in ipsummet charitatis & vnionis Christianę signum efficax; & ideo si quis cũ peccato infidelitatis implicatur, hoc sacramentum sumit, grauissimè peccat: quia infidelitas omnino separat hominem ab vnitate Ecclesiæ, quam tamẽ vnitatem hoc sacramentum perficit. infidelis autem vt hæreticus, ineptum maximè se constituit ad participationem huius vnitatis, præsertim si non credat Christum verè præsentem esse in hoc sacramento. Vnde qui ipsum bestiis conculcandum & comedendum, vel in locum immundum pedibus conterendum exponeret, omnium grauissimè peccaret in hoc sacramentum: & multò grauius quàm indignè sumentes: quia hæc omnia ex intentione inferendi iniuriam sacramento deriuantur. Ex cęteris autem peccatis, hoc habet fornicatio, & omnis immundicia proprium, quòd ex spiritu carni subiecto reddit hominem valde ineptum, ad innouationem spiritus, quę hoc sacramento, cohibitis carnis immoderatis perturbationibus, perficitur.

Ex dignitate et efficacia sacramenti.

8 Sed hactenus de præparatione necessaria ad dignam huius sacramenti sumptionem, quæ solum, impeditur necessariò conscientia peccati mortalis. Est alia pręparatio ad melius percipiendum fructum huius sacramenti: cuius contemptus paulatim solet deducere ad indignam illam sumptionem. expedit igitur per pias meditationes & preces, ad hoc tantum sacramentum seipsum præparare: attenta præsertim consideratione charitatis Christi, qua seipsum in mortem, sacrificium, & cibum dedit: vt eidem arctissima quadam vnione copulati, eius membra effecti, vitam & sanctitatem capitis nostri semper represen taremus. Hinc est, quod olim Ecclesia decreuit, dæmoniacos & publicè pœnitentes, nunc etiam publicos vsurarios, meretrices, histriones, omnesque excommunicatos arcere à sacra cõmunione. Publicos autem dico peccatores, quia occultos admonere poteris & debes vniuersaliter, ne crimen detegatur, ne ad sui perniciem accedant. repellere tamen non licet, quoniam ex baptismo suscepto ius habet petendi, & sacerdos repellendi vim non habet, nisi ex crimine mortali, quod tamen quandiu occultum est, ex iure naturæ detegi non potest. repellitur igitur sine detectione criminis secreta admonitione, precibus, suasione. in publico autẽ conuentu, & sacramẽti administratione publica repelli non potest, & parochus ipsi petenti etiã soli, ex debito pastoralis officij negare non potest: alius sacerdos, quia non tenetur, negare poterit. euidenti autem & publico peccatori etiã parochus negare tenetur: tum ne ministrando fiat particeps criminis indignè sumentis, tum etiã vt sit fidelis sacramentorũ dispensator, iuxta præceptum Dñi, qui indignos prohibuit suo pręcepto & admonitione à sacra communione: Iudam tamen publicè non prohibuit, si vera est sententia asserentium, cum sacris mysteriis in vltima cœna, cum cæteris Apostolis participasse.

Præparatio ad digniorem sacramenti sumptionem.

Sacra communio quibus ab Ecclesia interdicitur.

De cõs. d. 2. c. pro dilectione tua, & c. non prohibeat.

De peccatore accedente ad sacram communionem.

9 Quis autem sit publicus peccator, sic quis erret, sic intelligendum est. publicũ in iure, idem est quod notorium. hoc autem à fama & manifesto sic distingunt iuris pontificij doctores, vt fama sit illæsæ dignitatis status, moribus & vita comprobatus: manifestum autem quod ex scientia & certo autore procedit, & probari potest. Notoriũ autẽ facti duplex est, vel facti, quod ita in oculos omnium vel plurium incurrit, vt nulla tergiuersatione celari possit: vel facti, quod indicatum est & conuictum in iudicio: quodue aliquis in eodem confessus est. Est etiam notorium, quod secundum iurispræsumptionem cõuincitur, vt paternitas, filiatio. in notorio facti, plures illos certo numero personarũ describunt: sed certè id potius debet expendi iudicio prudentis iuxta populi frequentiam, & rei vel criminis manifestationem.

Peccator publicus.

c. vestra de cohab. cleric. verbo notorium. c. tua nos, & c. quæsitum.

nem.D.Thomas,vtitur regula & verbis iuris,vt id dicatur publicum & notorium, quod nulla tergiuersatione celari possit propter facti euidentiam.quamobrem crimen aut factum testibus probari posse, aut rumore & infamia diuulgatum esse, non facit peccatorem publicum vel notorium: sed ius tantum inquisitionis tribuit, vt is qui laborat infamia, vel conuincatur, vel purgetur, vt constat ex titulo depurgat. can. quamuis autem non faciat contra iustitiam,qui confessum aut conuictū de crimine in iudicio,alibi vbi illud notum non est, diuulgat, quia iuste priuatus est bono nomine,& ideo non tenebitur sic diuulgans ad restitutionem:facit tamen contra charitatem,quia fieri potest vt sic conuictus resipuerit:sed neq; faceret cōtra iustitiā, qui nō conuictum iudicio,sed euidētia facti, alibi diuulgaret.Et ideo hic videtur à sacris repelli non posse quibusdam, eo loco vbi factum & crimen non est euidens:quod si crimen alibi euidens est, vel vbi notum non est,pœnitentia nō sit emēdatum,& sit contagiosum,videtur ob eam causam plerisque à sacris repellendus: sed aliis non videtur,hoc secundum.

Q. 81. ar. 9. tertiū 3.p.

Omnes Theologi.4.d.9.

Sot.

10 Concludamus igitur publicos peccatores vel euidentia facti, vel iuris, à sacra mensa repellendos esse,donec publicè satisfecerint toti populo,quem malo exemplo offenderant, & omne scandalum vitetur.Sit autem satisfactio secundum iuris regulas, non autem his,qui iure prohibentur modis, vt constat ex titulo de purgat. neque vnquam detur publico peccatori hostia non consecrata pro consecrata tum quia peccatum sumētis indignè, nō prohibetur:tum quia erit occasio idololatriæ,cū adoretur prius Eucharistia,quam sumatur ex veteri more Ecclesiæ.Quod autē dictū est de peccatore publico expellēdo à sacra cōmunione,idē intelligatur de publicè suspecto de mortali crimine:nō quidē suspicione temeraria, nec vt cumq, probali,sed quę dicitur violenta &maximè conuincēs.

Alen.4.q.49 memb.2.ar.1. Ricar.4.d.9. ar.& q.3.

11 Hęc de peccato mortali,quod absolutè indignum constituit eū,qui ad hoc sacramentū accedit.de peccato veniali dubitatio est,non quidē de pręterito,quod multis modis expiari potest,& sola deuotione &feruore charitatis,quo accedētes ad hoc sacramentū incenduntur,expellitur,sed de pręsenti,quo nempè inficitur accedens, cū vel ex negligentia, vel mentis euagatione non accedit attētè ad sacrā mensam, sicuti decebat.Est autem non leuis illa ratio dubitandi,quod idem actus humanus simul esse bonus & malus in eodē, aut meritorius & demeritorius non potest, vt ostensum est.1.2.q.20.ar.6.bonus autē actus nō potest esse,qui nō benè fit secundū omnes circunstātias:quod si actus accedētis ad sacrā mēsam,peccato veniali inficitur,nō bene fit,vt cōstat:quare bonus esse nō potest aut meritorius, & ex consequenti peccatū veniale impedit effectū huius sacramēti,nēpè gratię infusionē.Et certe si peccatū veniale sit ex fine illicito actionis,vt vanagloria, dubium esse non potest,quin illi actioni nullum pręmiū respondere possit, & idcirco neque gratia, cui præmium gloriæ necessariò respondet,cū eidem potius respondeat suppliciū,sicut scriptū est. Matt. 6.attendite ne iustitiā vestram faciatis corā hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedē non habebitis.Si verò ex affectu charitatis illa actio procedat,& propter bonum finem,sed ex negligentia vel mentis distractione adiungatur peccatum veniale,melioribus Theologis visum est,non esse impedimentum gratiæ sacramentalis & habitualis, licet actualis illa refectio spiritualis,ex feruore charitatis prouenies,peccato veniali vt sibi cōtrario extincta,sentiri non possit.itaq; sic accedens augmentum gratiæ recipiet,non autem actualē charitatis dulcedinem:quoniā peccatum veniale actuali charitatis feruori contrariū est,non autē gratiæ & charitati habituali, & cōstat nullum contrariū expelli nisi à suo contrario.Idem etiam confirmari potest ex efficacia sacramenti. non enim hæc gratia habitualis sic accedenti confertur ex opere operantis,sed ex opere operato, id est virtute sacramenti, cui peccatum veniale nō opponit obicem,sicut etiam accedens ad baptismum propter vanam gloriā, quæ sit peccatū veniale, nihil omnino ex ea meretur apud Deum, vt ex verbis Dñi probatū est,recipit tamē effectū sacramenti,& regeneratur,quia hic effectus nō repugnat peccato veniali:cū solum mortale efficaciam sacramēti impedire possit.de quo erit propria consideratio in doctrina de effectibus huius sacramenti:sed prius,posita præparatione sumptionis sacramentalis, de eadem sumptione nobis differendum est.

An peccatum veniale effectū huius sacramēti impedire possit. 3.p.q.79.ar. 8.

D Th.ar.citato,dissentientibus Bonau.Durando,Paludano,4.d 12, & Caietano.

ARTICVLVS. X.

Vtrum liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

4.d.12.q.3.ar.1.Et 1.Cor.11,le.7.co.5. AD decimum sic proceditur Videtur, quod nõ liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus repræsentat Dominicam passionem ita & hoc sacramentum. Sed non licet pluries baptizari, sed semel tantum, quia Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, vt dicitur 1.Petr.3. Ergo videtur quòd non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

¶2. Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed agnus Paschalis, qui fuit figura præcipua huius sacramenti (vt supra dictum est*) Q.73.ar.6. non manducabatur nisi semel in anno. Semel etiam in anno Ecclesia celebrat Christi passionem, cuius hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur quod non liceat quotidie sumere hoc sacramentum, sed solum semel in anno.

¶3. Prętereà, Huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reuerentia debetur. Ad reuerẽtiam autem pertinet, quod aliquis ab hoc sacramento abstineat. Vnde & laudatur Centurio, qui dixit Matth.8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: & Petrus, qui dixit Luc.5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Ergo nõ est laudabile, quod homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

¶4. Præterea, Si esset laudabile, frequenter hoc sacramentum accipere, quantò frequentius sumeretur, tanto esset laudabilius. Sed maior esset frequentia, si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile, quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet Ecclesiæ consuetudo. Nõ ergo videtur esse laudabile, quod aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

¶5. Prætereà, Ecclesia intendit suis statutis fidelium vtilitati prouidere. Sed ex statuto Ecclesiæ fideles tenentur solum semel communicare in anno, vnde dicitur* extra de pœnit. & remis. Omnis vtriusq; sexus fidelis suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha Eucharistię sacramentum, nisi fortè de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tẽpus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Non ergo est laudabile, quòd quotidie hoc sacramentum sumatur. In decre.lib.5. di.38.c. Omnis vtriusque est c.8.

SED CONTRA est, quod Aug. *dicit in lib. de verbis Domini: Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. In serm.28.pa rum ante me. tom.10.

RESPONDEO dicẽdum, quod circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius sacramẽti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambros.* dixit in lib. de Sacramentis, Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Lib.4.c.8.a med.to.4.de cons.di.2.c.4. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est quod quotidie sumat. Vnde August.* cum dixisset, Accipe In serm.28.de ver.dom.parũ ante me.to.10.

cipe quotidie vt quotidie tibi prosit, subiungit, sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multocies in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animę non est vtile omnibus hominibus quodie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescunque se ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde in lib. de Ecclesiast. dogmatibus † dicitur, Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.

Ca. 53. in prin. habetur liber hic inter opera Aug. tom. 3. habetur de con sec. dist. 2. cap. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod per sacramentum baptismi configuratur homo morti Christi, in se suscipiens eius characterem. & ideo sicut Christus semel mortuus est, ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentũ non recipit homo Christi characterẽ, sed ipsum Christũ, cuius virtus manet in æternum. Vnde Heb. 10. dicitur, Vna oblatione cõsumauit in sempiternũ sanctificatos; & ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentũ suscipere. Et quia præcipuè baptismus est spiritualis regeneratio, ideo sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci per baptismum, vt Aug. † dicit super illud Ioã. 3. Quo modo potest homo nasci, cũ sit senex. Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis, vnde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita & hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Vnde Dñs Luc. 11. docet petere, Panem nostrũ quotidianũ da nobis hodie. In cuius expositione Aug. * dicit in lib. de verbis Domini, Si quotidie accipis, scilicet hoc sacramentum, quotidie tibi est hodie, tibi quotidie Christus resurgit, hodie enim est, quando Christus resurgit.

Trat. 9. in Euãge. Ioann. non multum ante med. to. 9.

In serm. 28. de verb. do. à me. tom. 10.

Ad secundum dicendum, quod agnus Paschalis præcipuè fuit figura huius sacramenti, quantũ ad passionẽ Christi, quæ repræsentatur per hoc sacramentũ. Et ideo semel tantũ in anno sumebatur, quia Christus semel mortuus est, & propter hoc etiã Ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Et ideo quantũ ad hoc significatur per manna, quod quotidie dabatur populo in deserto.

Ad tertium dicendũ, quòd reuerentia huius sacramenti habet timorẽ amori coniunctum (vnde timor reuerentiæ ad Deum, dicitur timor filialis, vt in secunda parte * dictũ est) ex amore enim prouocatur desideriũ sumẽdi, ex timore autem consurgit humilitas reuerẽdi. Et ideo vtrũq; pertinet ad reuerentiã huius sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur. Vnde Aug. * dicit. Si dixerit quispiã non quotidie accipiendã Eucharistiã, alius cõtra, faciat vnusquisq; quod secundũ fidem suã pie credit esse faciendũ. Neq; enim litigauerunt inter se Zacchęus, & ille Centurio: cũ alter eorũ gaudẽs suscepit Dominum, alter dixit, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo Saluatorem honoricantes, quamuis non vno modo. amor tamen & spes, ad quę semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori. Vnde & cum Petrus dixisset, Exi à me Dñe, quia homo

1. 2. q. 67. ar. 4. ad 2. & 2. 2. q. 19. ar. 9. & aliis.

Ep. 118. ca. 3. to. 2.

homo peccator sum, respondit IESVS. Noli timere.

AD QVARTVM dicendũ, quod quia Dominus dicit, Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie, non est pluries in die communicandũ, vt saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, repræsentetur vnitas passionis Christi.

AD QVINTVM dicendũ, quòd secundum diuersum statum Ecclesiæ, diuersa circa hoc statuta emanauerunt. Nam in primitiua Ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus Papa *dicit, Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt & sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodum verò diminuto fidei feruore. Fabianus Papa* indulsit, vt si non frequentius, saltem ter in anno, omnes cõmunicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter. *etiam Papa in cœna Domini dicit esse communicandum, vt habetur in Decret. de consecra. dist. 2. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. *vt saltẽ semel in anno, in Pascha fideles communicent. Consulitur tamen in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, *omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

In ep. sua 1. in med. illius, & habetur de cõs. d. 1. c. Episcopus.

De cõs d. 2 c. Et si non frequentius.

In ep. ad Epis. Italiæ, de cõs. d. 2. c. In cœnâ

Inn. III. in cõcil. Late. c. 2.

Cap. 53. circa princ. habetur lib. hic inter opera Aug. to. 3.

ARTICVLVS XI.

Vtrum liceat omnino à communione cessare.

4 d. 12. q. 3. art. 2.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quod liceat cessare omnino à communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit Matthæi, 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meũ. Cui comparatur ille, qui reputat à communione sibi esse abstinendũ, vt dictum est.* Cum ergo nunquã legatur Christum in eius domum venisse, videtur quod liceat alicui toto tẽpore vitæ suæ à communione abstinere.

Ar. præ. in argu. 3.

¶2. Prætereà, Cuilibet licet abstinere ab his, quæ nõ sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentũ non est de necessitate salutis, vt supra dictũ est.* Ergo licet à sũptione hui⁹ sacramẽti omnino cessare.

Q. 73. ar. 3.

¶3. Præterea, Peccatores nõ tenẽtur cõmunicare. Vnde Fabianus Papa* cũ dixisset, Ter in anno omnes cõmunicent, adiunxit, nisi forte quis maioribus criminibus impediatur. Si ergo illi, qui non sunt in peccato, tenentur cõmunicare, videtur quod melioris conditionis sint peccatores, quã iusti, quod est inconueniens. Ergo videtur, quod etiã iustis liceat à cõmunione cessare.

Habetur de cõse. d. 2. c. Et si non. frequẽtius

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut supra † dictum est) duplex est modus percipiẽdi hoc sacramẽtum, scilicet spiritualis & sacramẽtalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari, vt supra † dictum est. Spiritualis autẽ manducatio includit votũ seu desideriũ percipiẽdi hoc sacramentũ, vt supra † dictũ est. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentũ, nõ potest homini esse salus. Frustra autem esset votum,

Ar. 1. huius q. & q. 73. ar. 3 ad 1.

Q. 73. ar. 3.

Ibidem.

tum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestũ est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis. Luc.22. Hoc facite in meam commemorationem. Ex statuto autem Ecclesiæ* sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.

Ca. Omnis vtriusque sexus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregor.* dicit in pastorali, Illa est vera humilitas, cum ad respuendum quod vtiliter præcipitur, pertinax non est. Et ideo non potest esse laudabilis humilitas, si cõtra præceptum Christi & Ecclesię aliquis omnino à communione abstineat, neque enim Cẽturioni pręceptum fuit, vt Christum in sua domo reciperet.

In 1.p.c.6. circa princ.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum dicitur nõ esse necessitatis sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi: quantum verò ad adultos, vtrunq; est necessitatis.

Ad tertium dicẽdum, quod peccatores magnum detrimẽtum patiuntur, ex hoc quod repelluntur à perceptione huius sacramenti, vnde per hoc non sunt melioris cõditionis. Et licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc à transgressione præcepti, pœnitentes tamen, qui, vt Innocen.† dicit, secundum consilium sacerdotis abstinent excusantur.

Inn. in Conc. Latera can.21.et habetur lib.5. decret.tit.38. c.12.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

Inf.q.82.art.4.& 4.d.12.q.3.ar.1.q.2

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod non liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa,† & habetur de consecrat. distinct. 2. Comperimus, quod quidam sumpta tãtummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinent, qui proculdubio, quoniã nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramẽta percipiant, aut ab integris arceantur. Non ergo licet sumere corpus Christi sine eius sanguine.

De cons.d.2.c. Comperimus.

¶2. Præterea, Ad perfectionem huius sacramenti concurrit & mãducatio corporis & potatio sanguinis, vt supra habitum est.* Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum perfectum, quod ad sacrilegium pertinere videtur. Vnde ibidem Gelas.* subdit, Quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio prouenire nõ potest.

Q.74.ar.1.& 76.ar.2.ad arg.1.

Loco cit. in arg.1.

¶3. Præterea, Hoc sacramentũ celebratur in memoriam Dominicæ passionis (vt supra dictum est*) & sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quàm in corpore, sanguis etiam pro salute animæ offertur, vt supra habitum est.* Potius ergo esset abstinendum à sumptione corporis, quam à sumptione sanguinis. Ergo accedentes ad hoc sacramentum, non debent sumere corpus Christi sine eius sanguine.

Q.74.ar.1.& 76.ar.2.ad 1

Q.76.ar.2. ad.1.

Sed contra est, multarũ Ecclesiarum vsus, in quibus populo cõmunicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

Respondeo dicẽdum, quod circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumẽtium. Ex parte quidem ipsius sacra-

sacramenti conuenit, quod vtrunq; sumatur, scilicet & corp⁹ & sãguis, quia in vtroque consistit perfectio sacramenti. Et ideo, quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterij. Quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidem si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et quia creuit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes & iuuenes & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius sacramenti adhibeant, ideo prouidè in quibusdam Ecclesiis obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solum à sacerdote sumatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Gelasius loquitur quantum ad sacerdotes, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent. Vt enim legitur in Cõcilio Toletano,* Quale erit sacrificiũ, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur.

Conc. Tolet. 12 c. 5. de cons. di. 2. c. Relatum.

AD SECVNDVM dicendũ, quod perfectio huius sacramenti non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat vtrunque.

AD TERTIVM dicẽdum, quòd repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine cõsecrari. Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt suprà habitum est.

Sententia & conclusiones quæst.

PRima conclusio: *Si quis quotidie dignè accedere possit ad hoc sacramentum, vtile esset quotidie communicare: ecclesia autem varia tempora definiuit communicandi, & tandem semel saltem quotannis in Paschate. Nec enim ex præcepto Domini licet à communione omnino abstinere, sed Ecclesia tempus præscripsit.* Q. 76. ar. 2.

Secunda conclusio: *Sacerdotes non consecrantes, & populus cõmunicare debent sub vna tantum specie panis: consecrantes verò sub vtraque, panis scilicet & vini.*

COMMENTARIVS.

IN his sententiis tria contineri video de sacra cõmunione, species sub qua communicandum sit, tempus, præceptum. de primo primum, de reliquis postremo disseremus. Est autẽ duplex hæc sacramentalis sumptio, vt est duplex species sub vna specie panis, qua nunc laici vtũtur, & sacerdotes non sacrificãtes, altera sub vtraque specie panis & vini, sacrificantium propria: cũ horũ intersit sacramentum perficere & sacrificare, sacramenti autẽ perfectio & sacrificij, ex vtroque necessario cõstat: quia vna sine altera consecrari non potest: illis autẽ satis est totum Christum sumere ad refectionem spiritualẽ, totus autem Christus, sub alterutra continetur specie. 3. p. q. 80. ar. 12.

Quæstio Prima, An sit necessaria & in præcepto diuino toti populo communio sub vtraque specie.

1 SEd quia aduersarij hoc tempore, vtriusque speciei sumptionem, omnibus etiã laicis contendũt ad salutẽ necessariã esse, quòd sit omnibus à Dño precepta, de hac re productis etiã illorũ argumẽtis, vberius & exactius hoc loco differendũ est,

est. Argumenta igitur illorũ, ad confirmandam sumptionem vtriusque speciei omnibus esse necessariam ad salutem, hęc sunt.
1 Primum ex verbis institutionis huius sacramẽti colligunt. Christus enim instituta Eucharistia, pręcepit, accipite, manducate, bibite ex eo omnes, item hoc facite in meã commemorationem: quod non tantum conuenire vni, sed vtrique etiã speciei, colligitur ex D. Paulo, 1. Cor. 11. cum ait, quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Adiũ
2 gunt etiã illa ex Ioan. 6. nisi manducaueritis, nisi biberitis, non habebitis vitam in vobis: quia in his exprimi videtur necessitas vtriusque speciei. Non obscurè etiam Paulũ significare vsum vtriusq; speciei apud Corinthios, & illum semper à veteri Ecclesia retẽtum: & si quando vnius tantũ, vt panis fiat mentio, per synedochẽ vtramque intelligi: cũ aliter propriè non intelligatur Eucharistia, quę vtraque specie constat. ad hæc ferè reuocantur alia argumenta, quę à plerisque congeruntur. Deinde ostendunt ex alterius speciei sumptione, nõ parẽ neq; æqualem fructũ prouenire, & ideo vtramque populo administrandã esse, ne defraudetur fructu integro Eucharistię.

Roffen. c. 3. cõtra capt. Babil. Tiletan in Trident. sess. 13.

3 Efficit enim in animã Eucharistia, quod cibus corporalis in corpus, potus etiã aliud efficit, vt hic sitim, ille famẽ sedat. Prętereà, non mi-
4 nus est efficax Christus in sanguine suo sub vini forma, quã in corpore sub panis specie: & cũ sacramentũ gratiam conferat ex opere operato, erit suus effectus calicis, & augebit gratiã acceptam ex corpore in forma panis. quamuis enim sub quauis specie sit totus Christus, operatur tamen in vnaquaque secundum propriam eius significationẽ: quia sacramentũ nouę legis confert gratiã, quã significat; quare vbi maior est & plenior significatio, necesse est pleniorem esse & maiorẽ effectum, alioquin inutiliter esset institutus sanguinis potus, sub vini specie. Hęc sunt aduersariorũ argumenta, contra receptam Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, de administranda populo Eucharistia sub panis tantum figura.

2 Sed vt omnis hęc cõtrouersia apertius explicetur, ponẽda sunt duo. vnũ de Ecclesię potestate in sacramẽtorũ administratione, salua eorũ substãtia: alterũ est de vsu veteris Ecclesię in sumptione Eucharistię, sub altera vel vtraque specie. De primo est hęc sententia Concilij Trident. sess. 21. c. 2. in Ecclesia semper fuit potestas, vt in sacramentorum dispẽsatione, salua eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quę suscipientiũ vtilitati, seu ipsorum sacramentorũ venerationi, pro rerũ, temporũ & locorum varietate, magis expedire iudicaret. quæ sentẽtia colligitur à Patribus ex illo 1. Cor. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispẽsatores mysteriorũ Dei, id est œconomos administrationis sacramentorum. qua potestate Apostolus in multis aliis, & in hoc sacramẽto, ordinatis nonnullis circa illius vsum, cętera inquit, 1. Cor. 11. cũ venero disponam. Causas verò, quibus adducitur Ecclesia ad vsum huius potestatis, expẽdam⁹. Prima est necessitas, cui omnia iura cedunt. ex ea Christus in Sabbato curauit ęgrotos, Apostoli vellebant spicas, Dauid panes propositionis mãducauit, cũ eorũ esus laicis esset interdictus. Sic olim sancitũ fuit Can. 50. Apost. vt trina mersione omnes baptizarẽtur: & deponitur Episcopus aut presbyter aliter baptizãs, vt professioni trium personarum diuinitatis, trina mersio responderet. Vnde etiã Pelagius de cons. d. 4. c. multi sunt, ait esse Euangelicũ præceptum. & tamen D. Cypr. lib. 4. ep. 7. baptismum sola aspersione aquæ administratũ, ratũ habet, & id frequenti vsu Ecclesiæ probatũ & receptũ est, propter eos, qui vt personas, sic diuinitatẽ diuidebant. Toletan. 4. Can. 5. Gregor. lib. 1. epist. 41. ad Leandrum.

Potestas Ecclesiæ in sacramẽtorum dispensatione, salua eorum substantia.

3 Altera causa est herefis, cũ enim rectã fidẽ profiteri oporteat, nõ solum verbis ad Ecclesię catholicę sensum cõceptis, sed etiã factis, ne videretur Ecclesia factis externis cõuenire cũ hereticis, receptos ritus externos plerũque mutauit: ne sit Christi cõuentio cum Belial, aut lucis cũ tenebris, aut esse videatur. Sic Christus neglexit manuũ lotionẽ ante prandium, & congressum peccatorũ non vitauit, vt factis duos pharisęorũ errores redargueret, quia existimabant se peccatorum consortio contaminari, & manuũ lotione expiari. Paulus Galat. 2. arguit Petrum, quòd eo tempore, quo Iudæi vrgebant legis obseruantiam, vitaret ipse cibum & consortium Gentilium, & circuncisionem defenderet: propter tamen falsos fratres & hæreticos noluit Titum circũcidere, cũ alioqui Timotheũ circuncidi

cidi voluisset. Similiter, quoniam Tatiani Manichęi & Priscilliani omnino à carnibus abstinebant, & die Dominico ieiunabant: & in Domini natiuitate Ecclesia prohibuit, ne quisquam his diebus ieiunaret: cũ tamen prius plerique Christiani totam vitam à carnibus abstinerent, & semper ieiunarent, vt colliges ex D. August. Epist. 86. ad Casulanum. Tertia causa est periculum & scandalum. sic Apostoli principio nascentis Ecclesiæ Christianæ, à sanguine suffocato & idolothytis abstinebãt. Moyses concessit Libellum repudij: Ezechias serpentem Aeneum, iussu prius Domini conflatum, comminuit: Paulus iuniores viduas nubere vult, quamuis dicat melius esse continere. Infinita sunt huius generis ab Ecclesia sancita & statuta. quare constat semper fuisse in Ecclesia potestatem ad disponendum externam sacramentorum administrationem, salua eorum substantia, vt est in omni repub. bene instituta potestas disponendi omnia, quæ pro ratione circunstantiarum magis expedire videntur.

De consuetudine veteris Ecclesiæ in communione alterius vel vtriusque speciei.

4 Deinde accipiendum est, quæ nam fuerit consuetudo veteris Ecclesiæ de cõmunione sub altera vel vtraque specie, ea vero colligenda est ex sacra scriptura, & probatis historiis. colligetur autẽ hec sententia: vetus Ecclesia sensit semper, indifferentem esse alterius vel vtriusque speciei sumptionem, & neutrã esse à Domino omnibus fidelibus præceptam cum exclusione alterius: & ideo interdum altera species, interdum vtraque fuit in vsu. primum ex his definitum est in Conc. Trident. sess. 21. cap. 1. cum asserit, ex nullis verbis Domini concludi posse, omnes fideles adstringi ad communionem sub vtraque specie: quia neque ex illis, hoc facite, neq; ex illis Ioã. 6. nisi manducaueritis, nisi biberitis, non habebitis vitam in vobis: quamuis ex primo illud Lutherani concludant, ex secundo Calixtini: quæ omnia erunt manifesta in futura disputatione. nunc ostendamus alterum, quod proposuimus, de more & consuetudine veteris Ecclesiæ, quod erit sequentis doctrinæ accommodatum principium. asseritur autem eadem sess. 21. cap. 2. olim non infrequentem fuisse vtriusque speciei sumptionem & alterius tantum.

5 Primò igitur legimus, Christum, Luc. vltimo, fregisse panem Cleophæ & socio, paulò post resurrectionem, in Emaunte, & ex ea fractione agnitum Dominum à discipulis, quibus verbis significatur dispensatam à Domino Eucharistiam, in vna tantum panis specie, vt colligitur ex verbis contextus, & veterum Theologorum explicatione. ex verbis quidem Euangelij constat, omnem illam actionem Christi Eucharisticæ consecrationi simillimã fuisse. inquit enim Euangelista, accepit panẽ, benedixit, fregit, porrexit illis. in his autem verbis non fuisse vulgarem mensæ benedictionẽ, ex his colligitur. Primùm, quia nusquam hunc morem benedicendi mẽsam à Christo Domino seruatũ constat: cum tamen frequentissimè & inimicorũ Iudęorum, & fideliũ amicorum, sanctarũque fœminarum & discipulorũ conuiuiis interesset, Luc. 5. 7. 10. 14. 19. Ioann. 2. 12. 21. Marc. vltimo. apud Ioannem quidem & Marcum, cap. 6. vtriusque Euangelij in miraculum panum & piscium multiplicatorum, simili fere benedictione vsus est: sed in cõmuni mensæ benedictione nihil tale reperitur. Preterea, si benedictio mensæ esset, cùm primum accumberet, fieri debuit indifferenter super omni cibo & potu proposito, idq; more Iudaico à Patrefamilias, non à peregrino. itẽ non fuisset tam memorabile, vt ab Euangelista tam seriò narratum esset. Insueta est etiam in medio cœnæ talis benedictio, & super panem tantũ: inquit enim Lucas, factum est, dum recũberent, accepit in manus panem, & cum benedixisset, fregit solenniter, quod adeo proprium est actionis sacramentalis, præsertim apud Lucam, vt is non solum hoc loco, sed etiam in Actis Aposto. dispensationem huius sacramenti fractionẽ vocet. & Paulus 1. Cor. 11. panis quem frangimus, dixit. Accedit his, quod Dominus sua manu fractum panẽ presentibus distribuebat: quæ solet esse prærogatiua panis sacramentalis, cũ cætera cibaria de mensa sumantur, vt obseruauit autor operis imperf. in Matt. hom. 17. inter opera Chrysost.

Christus dispẽsat Eucharistiã sub specie panis tantum.

6 Denique veteres benedictionẽ intelligunt sacramentalem consecrationẽ. Augu. lib. 3. de consens. Euang. c. 25. & in sermon. ser. 2. & 3. festi Paschalis, Epist. 59. ad Paulinum, & ipse Paulinus Epist. præcedenti. Beda ad eundem locum Lucæ: autor imperfecti, homil. citata, Theophil. vnde

Beda

Beda colligit, neminem poſſe cognitionẽ Chriſti habere, niſi in corporis ſui, hoc eſt Eccleſiæ vnitate, cuius hoc eſt ſacramentum. & ideo mirum non eſt, tam multas ſectas hodie ſumma cæcitate laborare, cùm omnes hoc ſacramentum repudient, in quo totius religionis lux & ſenſus continetur. faxit Deus, vt omnes rectè ſentiamus, ne tandem pluribus reddatur Chriſtus ignotus. Aduerſariorum autem expoſitiones de fractione panis, neque cũ phraſi ſcripturæ, neque ſecum conſentiunt. quidam accipiunt pro conuiuio, quidam pro tenui victu, quidam pro vulgari refectione, quidam pro ſingulari Chriſti modo, quo nemo alius vteretur, in frangendo pane, & aliis diſtribuendo. Denique quidam volunt, fractionem panis eſſe eleemoſynam, & ideo diſcipulos ex fractione panis agnouiſſe Chriſtum, quod propter miſericordiam, quam in peregrinum conuiuio exceptum effecerant, ab ipſo viciſſim oculorum apertione compenſati ſunt. quaſi verò dubium eſſe poſſit, fractionem iſtam non fuiſſe actionem Cleophæ, aut ſocij recipientis Dominum, ſed ipſius Domini inuitati. videntur captaſſe occaſionem huius fraudulentæ expoſitionis ex eo, quod Beda & alij laudent in his diſcipulis charitatem & hoſpitalitatem, cuius merito factum ſit, vt Dominus ſe illis manifeſtauerit. quod fecit quidem, ſed per corpus ſuum in ſacramento exhibitũ, vt iidem autores affirmant. Quod ſi dicat aduerſarius, ex his non poſſe conſtanter concludi, Dominum ſub vna tantùm ſpecie panis Euchariſtiam diſpẽſaſſe, quia in eadem menſa vinum conſecrare potuit, licet id non legatur: ex teſtimonio enim negatẽ nihil efficitur: certè vinum non fuiſſe conſecratum ex Euangelio conſtat, quia cumprimùm fractione panis cognitus eſt, ſtatim euanuit: & vbi ſenſus eſt adeò planus, figuræ & tropi admittendi non ſunt, quaſi nomine panis, per ſynedochem intelligatur vtriuſque ſpeciei ſacramentum.

Fractio panis quid ſit aduerſarus.
Claud. Sanct. repet. 10.c.1.

5 Idem etiam vſus Euchariſtiæ ſub vna panis ſpecie colligitur ex Actis Apoſtolicis, cap. 2.20.27. inquit enim ſcriptura, primos illos Chriſtianos perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, communicaſſe in fractione panis & orationibus: idque potiſſimum vna Sabbathi, ideſt die Dominico, & noctu ſiue tempore antelucano, & per domos. communicatio enim illa, vel eſt eadem cum fractione panis, vel eſt bonorum oblatio ad indigentium alimenta, olim fieri ſolita: vnde tractum eſt nomen & conſuetudo offertorij. Fractionem vero panis fuiſſe Euchariſtiæ diſpenſationem ſub ſpecie panis, multa oſtendunt. primum, dies Dominicus, quo offerebatur ſacrificium, & quo fiebat cœtus Chriſtianorum ad frangendum panem. ſi enim cõmunis panis eſſet fractio illa panis, quid oporteret narraſſe Lucam, primos Chriſtianos ſolitos fuiſſe die Dominico veſci pane communi in priuatis domibus? idẽ amplius confirmant adiunctæ orationes, hoc eſt proſeuxæ, quas Aug. ep. ad Paulinum, 59. vult ex vſu Eccleſiaſtico propriè pertinere ad illud genus precum & votorum, quo Eccleſia in conſecratione huius ſacramenti vti ſolet. Deinde, ſi vſum D. Pauli in deſcribenda Euchariſtia conſulamus, illa certè communicatio non poteſt, niſi de hoc ſacramento intelligi: cùm dicat D. Paulus, 1. Corint. 11. panis quem frangimus, nonne communicatio eſt corporis Chriſti? ſolitos autem fideles congregari die Dominico, teſtis eſt Iuſtinus Apol. 2. & Act. 21. legitur Paulũ manſiſſe Troade ſeptem diebus, expectantem vnam Sabbathi, vt in ea multò ante lucem, fideles conuenirent in magno cœnaculo lampadibus copioſiſsimè illuſtrato, ad frangendum panem, & inſtitutionem myſteriorum fidei noſtræ. Vnde D. Auguſt. Epiſto. 86. ad Caſulanum, Paulus, inquit, hic frangebat panem in Dominica, ſicut frangitur in ſacramento corporis Chriſti: habuitque, & ante & poſt celebrata ſacramenta, ſermonem ad populum.

Fractio panis in Act. Apoſt.

Cõuentus ante qui Chriſtianorum antelucani, ad frangendum panẽ, & inſtitutionem religionis.

6 Eiuſdem conſuetudinis teſtes ſunt Tertul. in Apolog. c. 39. & lib. ad vxorem: minutius Felix in Octauio, Athenag. in legat. ad Antoninum. ſolebant etiam in eiſdẽ antelucanis cœtibus, poſt Euchariſtiæ ſumptionem, commune cõuiuium inſtruere, quod deinceps agapis & charitatis nomen retinuit: quòd ad charitatem retinẽdam & agendam, plurimum valeret. id videtur ſignificari Acto. 2. illis verbis, frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis. quamuis autẽ aliquãdo nomine panis frugalitas notetur, cum tamen addũtur illę circũſtantię diei Dñici, precum, cõuentus fidelium,

fidelium, certè non potest nisi ad Eucharistiæ dispensationem, sub specie panis referri. fractio igitur panis, erit Eucharistiæ in figura panis communicatio, cibus autē est communis. quamuis enim fractio panis ad totam actionem sacramētalem, quæ consecrationem & distributionem complectitur, referri videatur: propriè tamen distributionem, non confectionem significat. nec est, quòd ex hac dispēsatione sub vnica tantum specie, concludat aliquis, & tunc sacrificium sub vna tantum specie perficere, moris fuisse recepti: quoniam licet vtraque specie conficeretur, populo tamen sub vnica distributum significatur. Videtur etiam antiqui Patres sæpius pluribusque in locis, hoc sacramentum dispensasse, quàm confecisse: in tanto præsertim communicantium numero, & ministrorū paucitate, cum preter Apostolos nulli ferè sacerdotes essent, atque ideo in specie panis reseruatum fuisse, & fractionem panis fuisse vel sacramenti tun confecti, vel ante consecrati. vnde dimanasse videtur consuetudo Græcorū vtentium presanctificatis, tēpore præsertim quadragessimæ. Ab antiquis autem, cùm dicitur fractio panis, intelligitur corpus Christi sub vna tantum specie quia sacramentum retinet nomen rei consecratæ.

Alteri⁹ speciei sumptio indifferens fuit antiquis.

7 Eiusdem sumptionis sub vna tantum specie, & sub vtraque indifferentis, plurima reperiemus exempla, in reliquis Ecclesiæ ætatibus, post Apostolorum tempora, vt constet falsissimum esse, quod aduersarij fingūt, cōmunionis sub altera tātum specie mille primis Ecclesię annis, nullum monumentum extitisse: imò verò constabit, nusquam esse memoriæ proditum vbi hoc genus cōmunionis ab aliquo Ecclesiastico fuerit reprehensum, eo tantum nomine quod vnius speciei esset. Pro vnius cuiusq; igitur Ecclesiæ, in qua aliquis versaretur, more, pro personarum ac temporū ratione, vel altera, vel vtraque species commendatur: & idcirco harum variarum consuetudinum origines semper ignotę fuerunt, nec ad certum aliquē autorem referri possunt. quod firmissimum argumentum est liberæ traditionis Apostolicę, circa rem indifferentem, pro sapientia Ecclesiæ alterutro modo constituendam. Antiquorum igitur hæc indifferentia hoc primùm modo colligatur. In omnibus penè Ecclesiis veterum reseruatum fuisse sacramentum, vel quia superesset aliquid extra sacrificiū ad fidelium communionem, obseruamus Can. 14. Concil. Nic. vel ad ægrotantium & morientium viaticum: 13. Can. eiusdem, vel ad priuatam & domesticam communionem, cum plerique fideles sacramenti partem domi reseruarent, præsertim tēpore persecutionis, cum Ecclesias tutò adire non poterant, vt autor est Tertul. lib. de orat. & lib. 2. ad vxorem: Cypria. serm. 5. de lapsi. Hieron. in Apol. pro libris suis contra Iouinianum, & permansit hic mos ad Bedæ tempora, vt constat ex eius lib. 4. histor. Anglorum, c. 24. reseruatam etiam legimus Eucharistiam ab his qui solitariam vitā ab Ecclesiis & vrbibus remotissimam degebant, vt quando vellent, sumerent: vt inquit Basil. in Episto. ad Cæsaream Patritiam, multos in Egypto sacramenti plurimum semper domi habuisse. Seruabatur etiam ad deferendum vt tutamen in periculis itinerum, terra marique faciēdorum, vt colligitur ex historia Satyri fratris Ambrosij ab ipso Ambrosio descripta, & Tharsitij Martyris à Beda in Martyrologio ad 15. August. legimus etiam reseruatam ad communionem publicam siue sacerdotū, siue laicorum, certis quibusdam ieiuniorū diebus, quibus ex more Ecclesiastico sacrificium peragi non solebat, & ideo neque consecrari: quia sacrificium est actus lætitiæ, & idcircò temporibus publici luctus non fiebat. Prætereà de asseruatis Eucharistiæ particulis Matiscon. 2. Can. 6. & Euag. lib. 4. cap. 35. Niceph. lib. 17. cap. 25. Euseb. lib. 6. cap. 35. in quibus nulla est calicis mentio.

Eucharistia reseruato ad varios fidelium vsus.

8 Vnde Græci in Quadragessima nō cōsecrabant, nisi duobus septimanæ diebus, Dominica & Sabbatho, reliquis diebus sumebant de præsanctificatis, & appellabatur liturgia proigiasmenon, pręsanctificatorū, vt colligitur ex Can. 52. Constāt. Conc. Hierosolymitani etiam, teste Leone IX ad Michaelē Imper. Constantinop. si quid Eucharistiæ superfuerat, reseruabant in pixide ad proximæ diei communionem. Latinæ insuper Ecclesiæ omnes, teste Innocētio I. Episto. ad Eugub. Episcopum, id ex apostolica traditione obseruant, ne illo biduo parasceues & Sabbathi Sancti, cùm Apostoli in mœrore fuerunt, sacramenta celebrent: sed ex præsanctificatis communicent,

Laica communio & peregrina, olim sub specie tantum panis, Agathen. cap.1.& 5.

nicent, quòd in hunc vsq; diem seruari videmus. Asseruabatur etiam olim in Rom. Eccles. teste Euseb.lib.5.hist.cap.24. vt in symbolum pacis & communionis ecclesiasticæ, solemniter transmiteretur externis Episcopis, & presbyteris catholicis, ad vrbem religionis iuuandæ causa venientibus. Deniq; ad cultum, ad solemnes supplicationes, ad miraculorum & sanitatū operationes, ad abigēdos dæmones, aliisq; plurimis de causis, aliquot sæculis asseruatam Eucharistiam, omnium ecclesiarum monimenta testantur.

Reseruatio Eucharistiæ in qua specie.

9 Perse etiam indifferens est, nec quicquam interest, in qua specie asseruetur. apud Chrysost. in epist. priori ad Innocentium legimus asseruatam in Ecclesia Constantinop. in specie sanguinis. apud Hieronymum in epist. ad Rusticum, seruatam & gestatam in vtraq; specie, cum ait, nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portabat in vitro. narrat etiam Iustinus apol. 2. aliquid de pane & calice absentibus delatum. Frangebantur etiam olim particulæ sacramenti ad communicandum, vt de Serapione apud Euseb.lib.6.c.36. quod nisi de specie panis intelligi non potest. Sed asseruatio in vnica specie panis multo communior inuenitur, quæ ad sacramenti reuerentiam semper commodior visa est. siue enim domi diutius seruabatur, sicut in persecutione, siue ad longa itinera, siue ad vsum eremitarum, siue ad communionem Græcā quadragessimalem, quæ quinq; continuis diebus ex præsanctificatis fiebat, non nisi in panis specie esse potuit: cum vinū modicum consecratum facillimè, vel ęstu, vel frigore, vel motione corrumpi, & variis ex causis effundi possit, nedū ad multos menses, quod eremitę faciebāt, vel aliquot dies asseruari possit.

10 Deniq; mos ille Græcorum in quadragessima vtentium præsanctificatis in vna tantum specie panis, aliis autem diebus in vtraque, apertè conuincit indifferentiam communionis sub altera, vel vtraque specie. Mos etiam Latinorum biduo illo hebdomadæ sanctæ vtentium præsanctificatis euincit, reseruatam ab illis esse vnam tantum panis speciem, licet ad sacrificandum adiungant alteram. Idem confirmant Patrum testimonia citata, quæ vel exprimunt solum corpus reseruatum, vel necessariò de eo tantum intelligi possunt, vt ostendi. sic à D. Hieron. quod asseruaretur à fidelibus domi, dicitur corpus Christi: à Cypriano, dicitur sanctum Domini in arca: ab Ambrosio, quod circunferebatur à Satyro fratre, dicitur inuolui in orario, & ad collum alligari: à Beda, quod portabatur à Tharsytio martyre, sic dicitur componi in eius veste, vt reperiri ab ethnicis non potuerit. quæ omnia & alia pleraq; intelligi non possunt, nisi de specie panis.

De Eucharistia madefacta.

Obseruamus etiam in primitiua Ecclesia tantam fuisse libertatem & indifferentiam in vsu specierum, vt cum propter ariditatē oris, aut imbecillitatem, ab his, qui in extremis erant, Eucharistia sicca percipi, aut deglutiri non potuerit, tum madefacta, vel communi vino, vel consecrato, ori infunderetur, vel admodū offulæ perciperetur. sic enim concil. Carthagineñ.4.c.76. præcipit ori ægrotantis infundi Eucharistiam, Tolet.11.c.11. talibus haustum sacri calicis ad salutem sufficere definit. Difficile autē est diiudicare in antiquitate, an hęc infusa, quæ legitur Eucharistia, sit species sanguinis, vel panis potius infuso aliquo externo liquore, vel vino consecrato, vt cōmodius perciperetur. sed quicquid sit, satis est non fuisse vtranque speciem sub specie cibi & potus: quam vrgent aduersarij, vt necessariam ex diuino Domini præcepto: præsertim, cùm madefieret non propter alterius speciei necessitatem, sed propter deglutiē di commoditatem. sic accipiendum est, quod legimus apud Euseb.lib.6.c.44. Serapioni seni parum Eucharistiæ transmissum, vel infusum, puer, qui detulit, præbere, vt ori eius instillaret: quibusdā enim species panis madefacta cōcedebatur, aliis sanguis reseruatus est propter huiusmodi deglutiendi difficultatem. sic etiam intelligimus, quod narrat Prosper.lib.4.prædict. dimid.temp.c.6. Eucharistiam tinctam in ecclesia Carthagineñ. datam puellæ demoniacæ, cuius guttur ita obsederat Satan, vt 82.dies corpore sano & valido, nihil omninò deglutire potuerit. vbi etiam apellatur eadem Eucharistia tincta, pars sacrificij, & salutari calice admoto per pontificē, puella transglutiuit sacramentum, quod adhuc ore gestabat.

In sumptione Eucharistiæ, quædam vetera abrogata.

11 Ex quibus omnibus constat, in antiquitate indifferens & liberum fuisse, magnam vel paruam sacramenti partem, vnā

vel alteram, simul vel seorsum, mixtim vel separatim species sacramentales sumere, in orientali, vel occidentali Ecclesia, cũ ex vtraq; exempla produxerimus, siue cõferret Eucharistiam & administraret presbyter, diaconus, laicus, aut fœmina sibi, aut aliis, vel etiam puer deferens. quod tamen posteà abrogatum est, vt constat ex Remensi conc. de cons. d. 2. c. peruenit. in Cæsaraugustano etiam decretum est, ne aliquis extra ecclesiam à seipso sumendã deferat Eucharistiam, vt prius in vsu fuerat. similiter hodie non valentibus siccam Eucharistiam deglutire, non madefit à ministrante, sed infusa ori aqua, aut vino, siccam Eucharistiam prius sumptam madefacit, vt commodius deglutiri possit.

Publica antiquitatis cõmunio sub vna tãtum specie.

12 Leuia sunt, quæ aduersarij ad hæc antiquitatis testimonia respondent, se non posse diffiteri, quin aliquando communio sacra peracta sit vnica tantum specie, sed in extraordinariis cõmunionibus, vt in priuatis ędibus, in mari, in cryptis, in siluis: at publicè in ecclesiis, id vnquam factũ fuisse pernegãt: & ideò hoc sacramentũ à Græcis mysteria pluraliter dici, quòd duplici tãtum specie eius vsus ordinarius cõstare debeat. Sed certè his respõderi potest verbis D. Hieron. in apolog. contra Iouinianum, an alius in publico, alius in domo Christus est? quod in ecclesia non licet, nec domi licebit. sacramenta enim, quæ olim Apostoli per domos administrabant, non fuerunt alia, quàm quæ postea in ecclesiis publicè dispensata sunt. diuini etiam præcepti obligatio eadem manet priuatim & publicè: aut oportet saltem huius discriminis expressionem factam esse ab ipsomet præcepti autore Deo, vel scripto, vel traditione. sic videmus iuris diuini esse materiam & formam sacramẽti, & proinde nihil de his publicè, aut priuatim mutare licet. quare cũ Christus non destinauerit aliud sacramentũ priuato, aliud publico vsu, constat hanc responsionem aduersariorũ fingi, sine vlla probabili ratione, si sibi ipsis velint constare, asserentes diuino præcepto omnes fideles teneri ad sumptionem vtriusq; speciei. hoc autem sacramentum pluraliter dicitur mysteria, etiam de altera specie, quia continet Christum, in quo est omnis thesaurus scientiæ & mysteriorum Dei. & in hoc sacramento conficiendo, plura miracula fiunt, vt transubstantiatio, existentia Christi sub accidentibus sacramentalibus, Christus vt cibus & potus, & alia his coniuncta. Præterea, antiquitatis plurima sunt exẽpla de communione ordinaria & publica sub altera specie. Vnum est quod ex Prospero retulimus. id enim factum dicit in ecclesia Carthaginen. in publico conuentu, in ecclesia S. Stephani in matutino & summo sacrificio: in eo tamen exemplo primùm communi more puellæ data est Eucharistia in specie panis: sed posteà propter imminentem necessitatem transgluttiendi, pontifex dicitur admouisse calicem salutarem. Alterum exemplum est Cypriani, serm. de lapsis, vbi refert, in suę vrbis publica ecclesia solum sanguinem administratum, seipso præsente. ex eodem loco, & aliorum monimentis constat, in ecclesiis per Africam diutissimè infantibus administratam Eucharistiam: & manifestum videtur esse, non alia quàm sanguinis specie administrari potuisse.

13 Hic rursus hæretici tergiuersantur, id infantibus concessum fuisse, non autem toti populo: quasi verò ex hoc publico vsu non concludatur, quid licitum fuerit in huius sacramenti administratione. videtur etiam manifestum plures ecclesias vna tãtum specie olim publicè communicasse, & ea panis, vt colligitur de Anglicana ex Beda lib. 2. histor. Angl. c. 5. de Constantinopolitana ex Sozomeno lib. 8. c. 5. & Niceph. lib. 13. c. 7. hist. ecclesiast. in communione mulieris sectæ Macedonianæ. Guilielmus Abbas idem factum esse insinuat lib. 1. de vita Bernardi in monasterio Clarauallensi. Quod etiam ratione colligere licet manifesto: quî enim fieri potuit, vt omnes commodè sub specie vini communicarent in vna vrbe amplissima? cùm ferè non esset, nisi vna ecclesia, & in ea penè non nisi vnum sacrum, vt placet etiam aduersariis: qui priuatas, seu minores missas, in primitiua Ecclesia non agnoscunt: præsertim cùm fuerit ingens communicantiũ numerus, & communicationis ad singula sacra quotidianus ferè & frequentissimus vsus. quo modo igitur vna consecratione tanta sanguinis copia efficeretur, quæ posset numerosæ plebi sufficere? & quo vase debuit consecrari? certè in omni historia ecclesiastica, non nisi ex calice manibus tractabili, vnde & bibi honste posset, vnquam confectum sanguinem legimus.

neque

neque enim decuit, neque licuit, neque institutioni Christi, aut mori ecclesiastico congruebat, vt ex doliis, aut aliis similibus vasis vinariis conficeretur.

Calices antiqui

14 Supersunt adhuc in quibusdam Germaniæ monasteriis, primorum eius gentis Apostolorum calices valde parui, ex quibus aliquot millia hominum, vel tantillum degustare non poterant. Calices etiam aurei & argẽtei à Constãtino ecclesiæ donati, pendebant singuli libram vnam, vt ex vita S. Siluestri apud Damasum constat, pocula certè valdè minuta, & ad ingentem multitudinem communicandam, omninò inepta. neque solebant duo, aut plura pocula consecranda in vno altari collocari, quod acceperimus, cùm id Christi institutioni & verbis non conueniat. Et cùm id primum alicubi fieri cœptum est, à Gregorio III. epistola ad Bonifacium, vt Christi exemplo repugnans, qui vnum tantum calicem accepit, castigatum & reprehensum est. multo minus licuit bis in vno sacro consecrare, vt ita priori calice exhausto nouus propinaretur. Denique nos non assequimur, neque hæretici ostendere possunt, quo modo religione nostra amplificata, in maximis parochiis, populus vniuersus, festis præsertim solemnibus, vt Paschatis, in quibus ex præcepto maiores ad communicandum conuentus fiebant, potuerit commodè ex sanguine communicare: cum præsertim Innocent. III. cap. ex parte, de celebrat. miss. dicat, decens non esse, tantum sanguinem conficere, vt vel in vno amplo monasterio, qui libet religiosus de mero calice bibat. Adhuc tamen, quid aduersarij pondere testimoniorum & rationum victi, liberè comminiscantur, dicam. calices, inquiunt, licet tam parui essent, & in singulis altaribus singuli, nec repeti consecratio in eodem sacro posset, hac ratione omnibus satis esse potuerunt, si semel euacuatum poculum, iterum, & tertiò & ita deinceps impleretur. nec opus esse vt vinum secundò infusum consecretur, quia omne vinum eo ipso, quod in cœna dominica sumitur, verbo Domini in eius sanguinem, consecratum sit. sic illi. Sed hæc responsio ipsa sui absurditate refellitur: & ex præcedenti doctrina de consecratione & transubstantiatione exactè reiicitur: cùm ostensum sit ex verbo Domini hoc sacramentum consecratione perfici; idest, dominicorum verborum ad ipsa elementa applicatione, vsum autem & sumptionem sacramento sic confecto extrinsecus omninò accidere.

Aduersarij nõ consecrant, sed ipso vsu volunt perfici consecrationem.

15 Obiiciunt tandem decretum Gelasij, ex epistola ad Maioricum & Ioannem Episcopos, relatum de consecratione d. 2. his verbis: comperimus quosdam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinere, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. hactenus decretum. D. Thomas respondet intelligi hoc de solis sacerdotibus conficientibus, iuxta illud concilij Tolet. 12. quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? putatq; sacerdotem teneri ad sumptionem sacramenti sub vtraque specie, non autem alium. quo etiam sensu Gratianus idem decretum cum hac inscriptione proposuit: corpus Christi sine sanguine sacerdos non debet accipere. Sed recentiores, causas huius decreti, ex antiquitate inuestigãtes, sic respondent, decretum factum esse contra sectatores Manichæorum Priscillianistas, qui tunc passim vigebant per Africam, Hispaniam, & reliquas vicinas prouincias. hi autem, autore D. Augustino hæresi 46. cùm execrarentur vinum, & ab eo in vniuersum abstinerent, tanquam à felle principis tenebrarum, nedum in vsum religionis & sacramenti admitterent, & ideò à pastoribus & populo notati essent, quod poculum dominicum recusarent, non solum in perceptione, sed etiam in sacrificio, si qui sacerdotes essent, cùm adhuc frequens esset & libera populo sanguinis perceptio, iubentur à pontifice, aut integra sacramenta sumere, aut nullam eorum partem attingere. Vt intelligatur, hîc eos tantum damnari, qui ex hac hæresi & superstitione calice abstinuerunt: non autem eos, qui nulla falsa persuasione imbuti, ad maiorem sacramenti honorem ab eodem abstinebant. illi in vniuersum calicem in hoc mysterio damnabant, quem tamen Christus instituisset: catholici vtramq; speciem agnoscunt, & in vtraq; Christum adorãt: sed pro tempo-

Gelasij decretũ de cons. d. 2. c. comperimus exponitur.

3. p. q. 80. art. 12. ad 1.

Can. 5. Tol. 12.

temporum ratione, & ecclesię præscriptione, vel alterã, vel vtramq; religiosè & pacificè sumunt. Voluit itaq; Gelasius omnem populum Christianum vtramq; speciem sumere, vt ea ratione impij illi & superstitiosi Abstemij discernerentur, & pro Manichæis damnarentur. hæc etiam est expressa Leonis I. contra eosdem sententia serm. 4. de quadragessima. est etiam in eos adhuc in Hispania perseuerantes canon. 1. cõcilij III. Braccareñ.

Manichæi & Priscillianistæ superstitiosi Abstemii.

16 Neque verò hoc nouum est in Ecclesia catholica, sed in multis aliis receptum, vt quæ per se licita sunt, fiant ex prohibitione propter coniunctum aliquando errorem illicita: & ideò damnantur multa à Patribus, non quòd fiant, sed quia ex superstitione, aut hæresi fiant. sic olim licebat, vt ostendimus, intinctam Eucharistiã sumere, postea prohibitam legimus eod. can. 1. propter Priscillianistas, qui vt vitarẽt ex sua hæresi vinum, intinctam Eucharistiam sumebant. & rectè quidem, ne sacramentum, quod vnitatis & pacis symbolum est, dissidij & perturbationis, propter quorundam superstitionem, occasio sit. Ostendimus apud antiquos indifferẽtem, & liberam fuisse alterius, vel vtriusque speciei sumptionem, pro consuetudine cuiusque ecclesiæ: tempore etiam D. Thomæ in multis ecclesiis vna, in aliis vtraq; communicatum esse ipse testis est 3. p. q. 80. ar. 12. his verbis, prouidè in quibusdam ecclesiis obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à sacerdote sumatur. perfectio enim huius sacramenti, vt inquit, eod. art. ad 2. non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ: & ideò nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat vtrumq;: & quia in ipsa consecratione est repræsentatio dominicæ passionis, ideò non debet corpus sine sanguine consecrari: & quia hunc sacerdos sumit & offert in persona omnium, non sequitur aliquod detrimentum, præsertim cum sub quauis specie totus Christus contineatur. deinde post tempora D. Thomæ, consuetudine immemorabili, cuius nullus autor extat, confirmatus est alterius speciei tantũ vsus, longè ante Basiliense & Constantieñ. Concilia, vt ex decretis latinorum constat.

Licita propter errorem adiunctum fiunt illicita.

17 Tempore autem horum Conciliorũ, vnius speciei sumptio cœpta est repræhendi à Vuicleffo, Hieronymo Pragensi, & Husso, vel à Petro Dresensi, & Iacobello, vt scribit Æneas Siluius de Origine Bohemorum. sed hi omnes damnati sunt in Basilien. sess. 30. in Constantien. sess. 13. & propter eundem errorem renouatum Lutherus, Caluinus, & cæteri similes, in conc. Trident. sess. 13. c. 2. Confirmauimus hactenus duo illa, quæ in explicatione huius controuersiæ posuimus firma esse oportere, Ecclesiæ potestatem in dispensatione sacramentorum salua eorum substãtia: & vsum vnius, vel duplicis speciei indifferentem & liberum fuisse in tota antiquitate, vt nunquam ecclesia senserit, alterutrã esse à Domino præceptam. Oportebit etiam hîc meminisse expositionis supra à nobis propositæ in 6. c. Ioannis, cùm responderemus ad obiectiones contra realem Christi præsentiam in hoc sacramento. Ad explicationẽ propositæ controuersiæ, his statutis, ponamus, more nostro, quasdam conclusiones.

Hæretici cõtra sumptionem vnius speciei.

Prima sit, sacerdos sacrificans, & conficiens hoc sacramentum, iure diuino tenetur vtramq; speciem panis & vini consecrare & sumere: non sacrificans autem sacerdos, alij clerici & laici non tenentur eodem iure diuino sumere vnquam vtramque speciem: sed positiuo & ecclesiastico tenentur seruare ritum suæ ecclesiæ, nempè, vt in Ecclesia catholica receptum est, sub vna tantum specie panis Eucharistiam sumere. Prior pars huius sententiæ, de communione sacerdotis sacrificantis confirmatur ex verbis Domini instituentis hoc sacramẽtum: inquit enim, hoc facite in meã commemorationem: quibus verbis ex recepta patrum interpretatione dedit ipsis Apostolis potestatem similiter offerendi & consecrandi, atque ipse obtulit & consecrauit. referunt autem Euangelistæ & D. Paulus, seipsum sub vtraq; specie panis nis & vini obtulisse & consecrasse: & ipsis consecratum manducandum & bibendũ dedisse: & quia omnibus sacerdotibus eadem datur offerendi & consecrandi potestas, omnes sanè eodem diuino præcepto sub vtraq; specie offerre & consecrare tenentur. Sic can. 9. Apost. pręceptum est, vt facta oblatione, presbyter communicet: similiter Tole. 12. cã. 5. iuxta illud. 1. Cor. 10. nõne qui edũt hostias, participes sunt altaris. idem potest etiam confirmari ex Basilien.

Prima cõclusio

Sacerdos conficiens hoc sacramẽtum vtramque speciem sumere tenetur.

lien.sess.30.Cōstantieñ.sess.13.Trid.sess.21. c.1.vbi definitur laicos & clericos non conficientes, non adstringi iure diuino ad sumptionem vtriusque speciei. Videtur enim innuere, clericos conficientes eodem iure teneri ad vtramq; speciem sumendam.

18 Accedit his ratio D.Thomæ theologica, quæ sic concludi potest: perfectio huius sacramenti consistit in vtraque specie: quia sic est institutum, & tunc perficitur, cum suæ institutioni consentit, cùm inde habeat vim suam & substantiam: sed sacerdotibus conuenit sacramenti perfectio: quia debent esse institutioni conformes: sacerdotum igitur est propria vtraque species, non tantum, vt offerant in memoriam passionis Christi, sed vt oblata percipiant, cùm oporteat eos esse altaris participes. Tota hæc argumentatio institutione Christi nititur, quare & iure diuino, ad quod institutio pertinet. Scio quibusdam theologis olim visum esse, non esse iuris diuini cōsecrationem & sumptionem calicis, etiam sacerdoti offerenti, vt Alexand. Aleñ, in cōpendio theologiæ, quem sequitur Biel in canon.lect.53.& Alberto Magno, quem sequitur Adrianus q.6.de Eucharistia: quia altera tantum specie panis recolitur & significatur passio Domini, & ad id tantum teneri sacerdotes conficientes hoc sacramentum. eosdem sequuntur alij recentiores. Osius & Hessels de communione sub altera specie meminerunt sententiæ Alb. nec improbāt. Claud.sanct.de Euch.repet. 10.c.3.Guilel.Alañ. de Euchar. sacramento c.45.licet non audeat asseuerare. Addētes se moueri exemplis Christi & Apostolorum, quos consecrasse vnam tantum speciem, & Luc.24.& in Actis, nihil vetat, & facto Innocentij IIII.quem Raph.Volaterr.refert dispensasse cum Noruegis, vt panem tantum consecrarent, quia ob nimiū frigus, vinum neq; apud se natum habent, neque aliunde allatum ab accedine libere possunt. Confirmant etiam ex eo, quòd apud nos sine vini specie verè fit, licet non ritè sacramentum: vt si sacerdos ex inaduertentia aquam in calice pro vino posuerit, aut si graui errore putet se calicem consecrasse, quem non consecrarit: aut si repererit aquam pro vino in calice, cùm vinum ad complendum calicem & sacrificiū nullo modo haberi possit, quæ omnia sæpè accidere possunt. Hæc tamen sententia nobis non probatur, neque dispensatio nisi hæc historia certa videtur: neque Christi & Apostolorum exemplum conuincit: quia Christus legibus ordinariis de administratione sacramentorum, non obligauit se ipsum: & Appostoli, suggerente Spitu sancto, potuerunt efficere, quod nobis non licet, contra legem communem, & præceptum, ecclesiastica cōsuetudine receptum de consecranda simul vtraque specie. sic enim plerisq; etiam videtur, Apostolos ex quadam dispensatione, in nomine tantum Christi baptizasse, sine aliarum personarū expressione, quòd tamen nobis nullo modo licet. sic apud Indos occidentales, nunquam permisum est, sacrificium confici sine calicis consecratione, licet in ea regione nullum esset vinum. ex his autem, quæ non rectè fiunt, non licet argumentum firmum ducere: esset enim tunc imperfectum sacrificium quantum ad modum institutum à Christo, licet res oblata Christus esset eadem sub altera tantum specie, cùm vnius speciei consecratio, nō pendeat ab alterius consecratione.

19 Altera p. conclusionis de laicorum & clericorum non conficientium communione sub altera tantum specie, expressè definita est eisdem conciliis, & à nobis supra praxi & vsu Ecclesiæ omninò confirmata. Teneri autem vnumquemq; suę ecclesiæ ritum seruare in sacramenti administratione, & receptione constat, quia aliter pax Ecclesiæ perturbaretur. si quis autē voluerit contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei, vt inquit D. Paulus. sic de fermentato & azimo vltima sess. cōcilij Florentini, vt ecclesia vnaqueq; suam consuetudinem retineat. Ecclesiam autem ex iustissimis causis sustulisse illam veterum indifferentiam in communione vnius, vel duplicis speciei, confirmata secunda conclusione, commodius explicabitur, quoniam ex vtraq;, deducendæ sunt illæ causæ.

20 Sit ergo secunda conclusio. sacramenti æqualis est gratia perse in sumptione alterius, atque vtriusque speciei. Perse intelligo ex opere operato sacramenti, posita æquali & sufficienti dispositione subiecti: quæ autem gratia prouenit ex maiori subiecti dispositione, ea non est sacramenti perse, quia neque ex opere operato, sed ex opere operantis. Quamuis autem plus

gratiæ consequeretur ab vtraq;, quàm ab altera specie, nõ tamẽ esset iusta querimonia plebis de alterra specie denegata: quia ex illa vnica specie non defraudatur gratia sufficiẽti & necessaria ad salutẽ, præsertim cum hoc quicquid esset abundantioris gratię, cõpensaretur reuerentia quadam Christo & sacramento inde exhibita: quia id quod fit in bonũ superioris, nũquam cedit in iniuriam inferioris. vt Ecclesia non sinit hoc sacramentum conferri homini patiẽti vomitũ, vnde fit vt hac sacramenti gratia sępè priuetur: id tamẽ non est vnquam ab aliquo Christiano reprehẽsum, quia cedit in honorem sacramẽti & Christi, quòd homini Christiano defuit. Quare sapientissimè Concil. Trid. sess. 21. c. 1. definiuit, dubitari non posse salua fide, quin alterius speciei communio ad salutẽ sufficiat, & apertius c. 3. nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciẽ solã accipiunt. idq; confirmauit ex verbis Domini, qui Ioan. 6. vt dixit de vtraque specie, nisi manducaueritis carnẽ & biberitis sanguinem, nõ habebitis vitam, (hoc est gratiam, per quã anima viuit Deo): ita dixit de altera specie, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. rursus, qui dixit, qui mãducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternam, dixit etiam de solo pane, panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita. deniq;, qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo, dixit nihilominus de vno, qui manducat hunc panem viuet in æternum.

Ex sumptione vnius tantum speciei populus non priuatur gratia ad salutem necessaria.

21 Hæc autẽ verba huius capitis de hoc sacramento intelligenda esse, supra ostendi, cum responderem ad obiectiones contra realem Christi præsentiam in hoc sacramento, & apud aduersarios plurimum vrgentes communionem sub vtraque specie ex eodẽ c. 6. magnam vim habere debent, si sibi constare velint. Sed nunc illud alterum, quòd sancta synodus tacuit, & nos tamen hac secunda conclusione comprehendimus, confirmandum est, æqualem nempè gratiam conferri vna atque vtraque specie, ne plebs, aduersariorum suasu, male secum agi putet, si vlla commoditate spirituali ex diuiso sacramento priuetur. Argumentum est huiusmodi, sacramenta nouæ legis semper significando efficiunt, tantumq; efficiunt quantum significant: sed idem & totum, panis specie, atque vini significatur, & in quauis, quod in vtraq;, licet expressius in vtraque, quàm in vna: idem est ergo vtriusque effectus, æqualis gratia. Tota enim refectio spiritualis, vel cibo, vel potu distinctè representatur, licet expressius in vtraq; specie exprimatur: neque eo maior est gratia, quo est significatio expressior: quia sacramenta cõferunt gratiam, quam significant ex institutione Christi, & non maiorem ex significatione manifestiori: vt constat ex baptismo, cuius ęqualis est gratia perse, siue fiat trina, siue simplici mersione, fluminis, fontis, aut aquę perfusione, & tamẽ expressior est significatio in trina quã in simplici, fluminis quã aquæ perfusione. alioquin quo aliquis esset acutior & doctior ad rerũ similitudines percipiendas, eo maiorem gratiã signis sacramẽtalibus perciperet. sed in Eucharistia idem apertè sic ostendetur. Tria præcipuè præter corpus Christi & sanguinẽ in hoc sacramento representantur, commemoratio mortis Dominicę, vnio fideliũ inter se & cũ Christo, animarum refectio, atq; nutritio: hęc autẽ omnia vna tantũ specie representari ex Euangelio deducitur. Lucas enim Euãgelista ad primã solam speciẽ mortis suæ memoriã instituisse narrat, hoc est, inquit, corpus meũ, quod pro vobis datur, hoc facite in meam cõmemorationẽ. & Paul. 1. Cor. 10. vtriq; parti separatim passionis significationẽ adiũgit: & c. 10 ex vnius panis participatione, fideles vnũ corpus fieri cũ Christo docet, quę erat secũda significatio: calicis ad eã rem, nec in nostra vulgata editione, nec in plerisque aliis, vlla mẽtione habita. Nã illud c. 10. mortem Dñi annuntiare, debet separatim referri ad manducationẽ panis, & potũ calicis Domini. Et in dominica oratione, constat pane omne alimentũ & totam corporis refectionẽ significari: quod in hoc sacramẽto ad tertiam illam significationẽ pertinet. & vnaquęq; species quatenus effecta ex diuersis cõiunctis, panis ex granis, & vinum ex vuis, vnionẽ populi fidelis cùm Christo significat. In vet. etiã test. totum hoc sacramentum sæpissimè vna tantum similitudine adumbratum est, vt mannę, panum propositionis, agni Paschalis, panis Eliæ, dupli ci autẽ panis & vini oblati à Melchisedech. Vt igitur particula quauis sacrificij olim oblati, reddebatur quisque totius sacrificij etiam

Aequalis gratia ex sumptione alterius, atque vtriusque speciei.

1. *Sacramenti maior & apertior significatio non confert maiorẽ sacramenti effectum.*

2.

3.

etiam ex variis rebus constantis particeps: vt inquit Paulus eod. c. 10. sic nostræ Eucharistiæ & perfectissimi sacrificij, qui alteram tantum illius speciem sumit, sicuti de manna dictum est Exod.16. qui plus parauerat, non habuit amplius, neque qui minus, plus reperit. idem videtur significare Cyprianus lib. de cœna his verbis, potus & esus ad eandem rationem pertinent, quibus sicut corporea nutritur substátia & viuit, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur. Denique si Christus idem in vna atque in duplici specie offertur, licet expressius in duplici, modus oblationis in cruce repręsentetur: erit sane idem effectus sumentis vnam speciem, atq; duas: quia eundem recipit oblatione vnica repręsentatũ.

22 Hæc dicta sunt, si signa solùm in hoc sacramento considerentur: eadẽ vero apertius confirmantur, si res ipsa contenta consideretur, hoc est Christus Dominus, diuinitate, anima, corpore, & sanguine, ac cæteris partibus integer & viuus, sub quauis specie existens, vt supra ostensum est: quare si hæc omnia, neque re, neque operatione à quauis specie separantur, sequitur planè eundem esse effectum sumptionis Christi in vna, atque in vtraq; specie. Neque verò si vt sacramẽto, ita re vera separata essent, vel sic variam gratiam producerent: siquidem, nec in cruce aliã vim habuit meriti, aut satisfactionis, aut efficiẽtiæ corpus mortuum, aliam sanguis effusus, cùm vtrumq; esset diuinitati hypostaticè coniunctum. Neque enim, vt aduersarij fingunt, ea sola in hoc sacramento operantur, quæ adsunt ex vi sacramenti & virtute verborum directò, & nihil efficiunt, quæ adsunt per concomitantiam: quia Dominus contrarium affirmat Ioan. 6. tribuens plus spiritui, quẽ dicit viuificare in hoc sacramento, quàm carni, cùm ait, spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam: cùm tamen spiritus adsit per concomitantiam, siue diuinitatem, siue animam significet: caro verò ex vi sacramenti, quam sine spiritu ad gratiam sacramenti nihil conferre denuntiet. Idem etiam constat ex decretali epistola Ephesini Concilij contra Nestorium, qua docent plurimum interesse ad vim sacramenti, vt fideles confiteantur, corpus existens in sacramento esse vnitum verbo, & non esse meri hominis carnem: at si ea, quę per concomitantiam adsunt, nihil efficerent, cuius hominis corpus, aut sanguis esset nihil, referret. Denique omnes veteres Theologi metiũtur effectus & fructus huius sacramenti potius ex cõcomitantibus, quàm ex ipso corpore & sanguine, in quibus ratio sacramenti propriè existit. Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 23. corpus hoc, inquit, non est Petri, aut Pauli, aut cæterorum, sed ipsius vitæ, Saluatoris nostri IESV: & hoc corpus viuificat, quia in ipso plenitudo diuinitatis inhabitat. quamuis enim corpus & sanguis immediatè & directò hîc existant sacramentaliter: tamen actus, operationes & effectus sunt personæ diuinæ, quæ corpore vt instrumento coniuncto, & specie sacramenti vt separato, ad effectum sacramenti vtitur.

23 Vnde si aliquis obiiciat, operari quidem personam verbi per species sacramentales instrumentaliter, & cum vnaquęque propriè habeat rationem sacramenti, erit etiã cuiusq; proprius effectus, & ideò maior vtriusq;, quã vnius tantum speciei: alioquin inaniter sacerdotes posteriorẽ speciẽ sumerent, cùm ex priori totum effectum consequuntur: respõdẽdum erit, illas quidem esse sacramentum, sed vnà cùm re cõtenta gratiam conferre, & cùm hæc deriuetur ex Christo contento, repetitione signi & speciei, non datur noua gratia: quia in duabus speciebus non sunt duo sacramẽta, sed in vtraque vnũ integrum & completũ. Quum autem à sacerdote nõ compleatur actio sacramentalis & sumptio, nisi in posteriori specie percepta, tunc videtur conferri effectus sacramenti, licet quidam affirment in priori, & possit contingere in posteriori, si in priori fortassis non erat suscipientis accommodata præparatio: sed hoc ex accidenti euenire potest, perse vero effectus sacramenti est in completa actione sacramentali: sicuti cùm vnius speciei sumptione completur, statim sacramenti effectus consequitur. simile est, cùm trina mersione, vel vnica tantùm, sacramentum baptismi perficitur. Quin etiã Christus in plurimis operibus nunc vno tantũ, nunc pluribus instrumẽtis vsus est: Lazarũ voce tantũ excitauit à mortuis Ioan. 11. verbo & tactu filiam Iairi Marc. 5. & Lucæ. 8. cœco restituit visum sputo & luto Ioan. 9. aliis alio modo. sic igitur eadem actione sacramentali, licet duobus signis completa, idem est gratiæ effectus, atque vno tantum: sa-

Sacerdos ex duplici specie æqualem gratiam quando percipiat.

cramenta vero integra repetita augent, aut renouant gratiam.

24 Quare concludamus in diuersis sacramentis esse diuersa signa formaliter & materialiter: quia & res & significatio diuersa sunt, & ideò repræsentantur & efficiuntur diuersi gratiæ effectus. in Eucharistia autem sunt diuersa signa materialiter non formaliter, quia vnumquodque repræsentat Christum pro nobis oblatum, & perfectam refectionem nostri. Quin etiã
5. sancta scriptura eadem effecta tribuit corpori & sanguini Christi. dicitur enim Christus peccata nostra tulisse super lignum in corpore suo: dicimur sanati liuore corporis eius: dicitur vulneratus in corpore propter iniquitates nostras: attritus propter scelera nostra: dicitur etiam lauisse nos in sanguine suo à peccatis: dicitur sanguis eius emundare conscientiam nostram: erit igitur idem effectus corporis sub vna specie panis, & sanguinis sub specie vini, siquidem idem tribuitur vnicuiq; per se. Prætereà,
6. in effectu spirituali, nõ differunt cibus & potus, odoratus, tactus, vt Euangelij prædicatio dicitur à D. Paulo potus, odor, fulgor, lumen: & sapiens nunc vocat sapientiã panem, cum ait, cibauit illum pane vitæ & intellectus: nunc præterea aquam, subiungens, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum: vt obseruauit D. Aug. tract. 99. in Ioãnem. rectè igitur externa signa cibi & potus in hoc sacramento ad eundem effectũ spiritualem significandum accommodantur. Denique vt in vet. lege pluribus signis
7. eadem populi ex Ægypto liberatio repræsentata est, vt phase, oblatione primitiarũ & esu: sic etiam Christus Dominus, duo signa eiusdem redemptionis factæ in cruce, in hoc sacramento instituit, ad eundẽ omninò & æqualem effectum, sumptione alterius participandum. sic D. Aug. lib. 20. contra Faust. c. 18. inquit, Christianos sacrificij, quod in cruce Christus obtulit, memoriã celebrare sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi. & Concil. Ephes. in ep. ad Nestor. annuntiantes mortem vnigeniti filij Dei incruentam celebramus in ecclesiis sacrificij seruitutẽ, & sic ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes effecti pretiosi corporis & sanguinis Christi.

25 Hęc igitur omnia quę diximus, & adhuc multò plura atque grauiora Ecclesia Dei animaduertens: sciens verũ sacramentũ alterutra specie percipi, & integrũ Christũ sub quauis particula existere, idẽ vtroq; signo significari, nõ maiorem gratiam ex vtraq;, quã ex altera dari, vtrumq; cõmunicandi ritũ, & sacramẽti institutioni, Christi, Apostolorum ac Patrũ exemplis ecclesiarumq; omniũ vsui consentire: videns rẽ esse per se liberã, & proinde ad substãtiam sacramenti non pertinere: memoria tenens se esse dispensatricẽ mysteriorũ Dei, & in hoc in primis sacramento autore D. Aug. ad Ianuar. quo deinceps ordine sumeretur moderatricẽ constitutã, suggestione Spiritus sancti, & longo rerum vsu animaduertens, quanta pericula, scãdala, errores, contẽptus, prophanationesq; rei omnium sacratissimæ ex calice promiscuè concesso oriri queant: videns in populo numerosissimo, & magis ac magis fide labascente, indeuoto, grauissimos casus in dies necessariò accidere, vsque etiam ad effusionem, dum trãsfunditur, aut bibitur, sępissimeq;, aut humi, aut vestibus, aut barbis, aut mappis aspergi, vel necessariò accipi, cùm vix ac ne vix quidem in summa, præ reliqua multitudine, celebrantium sacerdotum paucitate, seuerissimis legibus summaq; obseruantia satis caueri possint huiusmodi: videns pretereà plurimos non nisi magno nauseæ periculo vnquam bibere vinum: videns aliquot gentes, & maxima regna vinum non habere, & vix importatum posse seruari: reliquaq;, quæ infinita sunt, sapientissimè obseruans, tandem posteriorum conciliorum decretis statuit, vt cum alterius, vel vtriusque speciei sumptio libera esset, in posterum plebi, atque etiam clero non celebranti, in vna tantum panis specie dispensaretur, quod & ęternum esse voluit, nisi illud rursus eadem ecclesiastica autoritas, probabili ratione rerum ac temporum, quibusdam remitteret.

Cur Ecclesia catholica sustulerit indifferentiam vtriusque speciei, & populo vnam tantũ, sacerdoti sacrificanti duas concesserit.

26 Scimus hæc omnia aduersariis ridicula videri, qui vtcumq; aliquid rei consecratæ dilabatur, aspergatur humi, aut euomatur, conculcetur, aut à canibus lingatur, nihil tamen in corpus, aut sanguinem Domini committi dicunt. sed hoc illi suo errori congruenter faciunt. Lutherani quidem, quia Christum tantùm volunt esse pręsentem, cùm sumitur, Sacramentarij autem nunquam. Ecclesia verò ex vera & indubitata

dubitata Christi præsentia in hoc sacramento statim post consecrationem, cuncta moderatur, & ideò semper exquisitissimam curam adhiberi voluit in huius sacramenti administratione. Scimus etiam olim his locis, vbi sanguis distribuebatur plebi & non conficientibus, quibusdam rationibus & modis, his periculis effusionis & irreuerentiæ occursum esse: vt fistulis argenteis & aureis, quibus hauriri posset sanguis è calice sine effusione, quibus etiam sum. Pontif. in missa solemni vtitur, vbi ministri cardinales, aut illustriores personæ communicant sub vtraque specie. Sed ad totam plebem impedita valdè & minimè accommodata videtur hæc instrumenta: & ideò neque videntur fuisse in vsu, nisi in sacris Cardinalium, canonicorum, monachorumq; conuentibus, cùm hodie etiam in antiquioribus monasteriis Præmonstratensis ordinis reperiantur: & verisimile est consuetudinem communicandi sub vtraque specie, magis inter religiosos & illustres clericos, quàm cæteros laicos extitisse. Longo igitur rerum vsu & animaduersione Ecclesia iudicauit, propter populi Christiani multitudinem, & irreligiositatem multo procliuiorem ad hæc pericula gignenda, his scandalis hac vnius speciei sumptione occurrendum esse. olim in vitro & ligno consecratum est, nunc nullo modo licet. olim infantibus hoc sacramentum dispensatum est, sed notata tandem ex effusione & vomitu, qui frequens & facilis in illa ætate est, magna irreuerentia, & opinione necessitatis penitus sublata, illa omnis consuetudo sanctissimè in posteriori ecclesia cessauit. hactenus de secunda conclusione.

De concessione calicis.

27 Tertia conclusio. expedire potest, vt alicui populo, aut nationi, vsus calicis concedatur. constat enim ex præcedentibus, indifferentem esse alterius, vel vtriusque speciei sumptionem; & in Ecclesia esse potestatem ad instituendum, quod magis expedire iudicauerit, cùm neutra sumptio vnius, vel duplicis speciei, sit à Domino præcepta. sic sanè significat Concilia supra citata Constantien. & Basilien. & apertius Trident. in fine sess. 22. hoc refert ad prudentiam summi Pontif. Admonent autem Theologi prudentiores à petentibus calicem illa sex fideliter credenda & seruanda esse. Primò, communionem sub vtraque specie non esse omnibus præceptam à Domino: secundò, laicos communicantes sub vna tantum specie, non peccare: tertiò, nihil amplius sub duplici, quàm sub vna tantum specie sumi: quartò, sub vna tantum specie Christum totum contineri & sumi: quintò, laico petenti vnam tantum speciem, negandam non esse, ne scilicet videantur ministri ipsa negatione profiteri vtriusque speciei sumptionem ad salutem necessariam esse: sextò, vt maxima cura adhibeatur per vtramq; potestatem ecclesiasticam & sæcularem, nequa sacramento irreuerentia fiat. quæ omnia eò spectant, ne vsus calicis, erroris fomentum & causa sit: his præsertim, qui huiusmodi erroribus priùs infecti fuerant, vt Calixtinis. his cautionibus Pius IIII. calicis vsum illis concessit: sed plerique ex illis malunt in veteri errore perseuerare, quàm calicis vsum cum erroris detestatione admittere. Reliquum est, vt argumenta aduersariorum principiò huius controuersiæ proposita, quibus videntur sibi efficere cõmunionem vtriusque speciei, omnibus esse ad salutem necessariam, paucis dissoluamus, ne aliquid sit, quòd veritati catholicæ repugnare videatur.

Ruard. ar. 15.

Plura prudenter Claud. sanct. repet. 10 c. 6.

Ad primam obiectionẽ aduersariorum principio huius controuersiæ propositam.

Ad primum ergo desumptum ex institutione Christi in vtraq; specie, vt ex institutione, vtriusq; vsus similiter concludatur, respondemus longe illa esse diuersa, neq; vsum ex institutione constanter concludi secundum vsum sanctæ scripturę: res omnes primò Deus condidit, sed non prescripsit omnibus earum vsum: vinum efficiendum curauit, vini vsum non omnibus mandauit. in lege etiam plurimis sacrificiis vinum adiungitur, sed vini vsus non precipitur: matrimonium instituit, sed noluit omnes matrimonio copulari, imò verò ipsis etiam coniugatis licet de communi cõsensu continere. Deinde, licet vsus vtriusque speciei præceptus esset, non tamen omnibus iuxta regulam D. Augustini lib. 3. de doctrina christiana cap. 17. alia communiter in sancta scriptura omnibus præcipi, alia singulis quibusq; generibus personarum. quare licet esset præceptus vtriusque speciei vsus, satis esset à quibusdam præstari, vt sacerdotibus sacrificantibus: & idcircò, licet Christus promiserit se cum fidelibus bibiturum in regno Patris & Ecclesia genimen vitis, idest, vinum consecratum

Institutio & vsus sacri sunt longe diuersa, præsertim cum Eucharistia nõ sit sacramentũ ex vsu, sed ex consecratione.

secratum Luc. 22. satis est à quibusdam in cœtu Christianorum id fieri, vt promissio impleatur.

28 Sed vrgent præterea aduersarij eandem rem illis verbis, manducate & bibite ex eo omnes, quæ vim præcepti habent. fateor, sed hic iussus ad præsentes tantū Apostolos pertinuit, & nō ad alios Christianos, neq; præsentes, neq; futuros. Lucas enim exposuit, quod alij Euangelistæ dixerunt, bibite, illis verbis, diuidite inter vos: & Marcus, inquit, biberunt ex eo omnes, nempè, quos bibere præceperat. Confirmatur necessariò hæc explicatio, quia illa verba [bibite omnes] præcedunt institutionem cœnæ & Eucharistiæ permansuræ in tota ecclesiæ Christianæ posteritate: nō igitur potuit præcepisse prius posteris calicis vsum, cuius consecrandi potestatem nondū concesserat, donec subiungeret [hoc facite.] quod si non esset additum, tantum constaret in præcedentibus priuatum quoddam factum & colloquium cum Apostolis habitum, qualia multa leguntur familiariter cum Apostolis trāsacta. Sed instant adhuc aduersarij ex eisdem verbis [hoc facite:] quia debent apponi vtrique speciei, vt apponuntur 1. Corint. 11. & ideò eisdem pręcipi vtriusque speciei vsum: inquit enim Paulus de corpore primùm, hoc facite in meam commemorationem: deinde de calice, hoc facite, quotiescūq; bibetis in meā commemorationem.

Manducate, bibete.

29 Sed respondetur, non semper in sancta scriptura verbis imperantibus contineri præcepta omnibus imposita, sed aliquādo potestatem, vt in illis, crescite & multiplicamini: aliquando collationem doni, vt in illis, accipite Spiritum sanctum: aliquando permissionem, aut exhortationé, vt in illis, vade, vende omnia quæ habes, vouete, & reddite. sic ergo verbū [facite] continet potestatem datam Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus ad consecrandum, & administrandum populo Eucharistiam, sed nihil de vsu populi præceptū est. hæc est sententia Conc. Tridét. sess 22. c. 1. vbi loqués de verbis Domini ad Apostolos in vltima cœna inquit: quos tūc nou. test. sacerdotes instituebat, & eisdem eorūq; in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, vti semper catholica Ecclesia intellexit & docuit. id

Verba imperantia in sacra scriptura.

verò sic apertius constabit. in illis verbis, hoc facite, continetur & factum Christi & Apostolorum, quasi dicat Dominus, facite vos deinceps, quod ego & vos ipsi fecistis: Christus autem consecrauerat panem, & vinum in corpus & sanguinem suum, Deo Patri obtulerat gratias agens, sumpserat & Apostolis distribuerat: Apostoli verò manducauerant & biberant distributa à Domino. sicut in phase veteris immolatione, erat oblatio & manducatio agni. ratione primi quod Christus gessit, verbum, facite, tantùm pertinet ad Apostolos & futuros sacerdotes: ratione secūdi, quòd Apostoli gesserūt, pertinet ad omnes Christianos. in illo primo, verbum, facite, pro offerre intelligunt Dyonis. c. 3. ecclesiast. hierar. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Ambr. lib. 4. de sacramentis. Chrysost. hom. de proditione Iudæ, Damascen. lib. 4. de fid. c. 14. ad secundum alludunt Basil. in regul. moral. c. 3. Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 58.

Facere in commemorationem

30 Quod si assumas, in illo primo non præcipit omnibus, essent enim omnes similiter sacerdotes ad consecrandum instituti, vt impiè Lutherus fingit, & iis, qui verè sunt sacerdotes, solet Ecclesia potestatis ad consecrandum vsum inhibere & suspédere: poteris sanè de secundo concludere: ergo similiter poterit Ecclesia potestatem datam sumendi corpus & sanguinem sub vtraque specie moderari, & aliquando vnius, aliquando vtriusq; speciei sumptionem concedere, vt pro ratione temporum & personarum viderit expedire. similiter 1. Corinth. 11. cùm inquit, hoc facite, quotiescunque bibetis, intelligitur concessa potestas ad sumendum: at non præcipitur vsus, sed modus, vt fiat in commemorationem Domini. Quod verò quidam asserunt de panis specie absolutè dictum esse, hoc facite, quasi ad omnes pertineret sub ea specie manducare corpus Domini: de vini autem specie non absolutè, sed sub illa restrictione, quotiescumque bibetis, quasi non sit præcepta omnibus, sed bibentibus, vt bibant in commemorationem Domini, nobis non probatur. similis enim determinatio vtrique speciei apponi potest, & non est magis pręceptū de sumēda panis specie, sed tantū vt in memoriā fiat, quādo sumitur. Illud etiā quod subiungitur eod. c. 11. quotiescunq; māducabitis & bibetis, &c. probet seipsum homo, & sic de pane illo

Manducare & bibere in cōmemorationem.

illo edat, & de calice bibat, quamuis copulatè dicatur, disiunctè tamen intelligi oportere ipsemet Paulus significat, cum subiungit, qui enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, quia ratio hæc præcedentis sententiæ, in eodem sensu, atque ipsa sententia accipienda est: quem sensum disiunctum Ecclesia catholica probauit, vsum indifferentem alterius, vel vtriusque speciei admittens olim, vt supra ostensum est. vel certè loquitur D. Paulus de vsu vtriusque speciei apud Corinthios recepto, sed non omnibus præcepto, vt ostendimus.

Ad secundam obiectionem.

31 Ad alteram obiectionem desumptã ex illo Ioan. 6. nisi manducaueritis, & biberitis, respondeo aduersarios nihil planè efficere, cùm nolint eodem 6. cap. sermonem haberi de sacramentali manducatione, vt dictum est, cum illud cap. explicaremus, respondentes ad obiectiones contra realem Christi præsentiam in hoc sacramento. neque etiam apud catholicos eadem obiectio quicquam efficit, cùm asseramus in qualibet specie corpus & sanguinem sumi. hîc autem non agitur de signis & formis continentibus Christum sacramentaliter, sed de rebus contentis: & non semper cum de sacramento, aut re sacramenti sumenda, sermo est, statim de sacramentali modo, seu in vna, seu in vtraq; specie fiat, cogitandum est. Alioquin infantes baptizati, non haberent vitam, nisi bibendo & comedendo in suis speciebus. ista verò perceptio coniuncta comminationi, cùm sit generalis, implenda est: quod sæpè docet D. August. in infantibus, qui tamen neutram speciem sumunt: impletur autem per baptismum, quatenus eius perceptio, est votum implicitum Eucharistiæ recipiendæ, & hoc est illis manducare carnem & bibere sanguinem Christi, quod mysticè Christo incorporari, qui est huius manducationis effectus. Quod si de sacramentali manducatione illa sententia intelligatur, designatur res contenta caro & sanguis Christi, idest, Christus in cruce immolatus, sumi ad vitam & refectionem spiritualem: modus autem sumendi sub altera vel vtraq; specie nõ designatur. sub quauis autem specie carnem & sanguinẽ, idest Christum immolatum sumimus, vsque ad participationem, & refectionem spiritus

1.

Ioã. 6. nisi mãducaueritis, nisi biberitis.

2.

quæ nómine manducationis & potus ideò exprimitur, quia ex vtroq; corporalis refectio perficitur, & ideò designat perfectam spiritus refectionẽ. sic D. Aug. tract. 27. in Ioan. edere etiam tribuit sanguini, cũ ait, hoc totum ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnem & sanguinẽ Christi, nõ edamus tantũ in sacramẽto, quod & multi mali faciũt, sed vsq; ad spiritus participationẽ manducemus & bibamus. Hinc est quod Dominus manducare carnẽ & bibere sanguinem, conuertit in manducare tantum: sicut enim dixerat, nisi manducaueritis, nisi biberitis, sic postea addit, qui manducat me, ipse viuet propter me. deniq; cibus iste hac ratione est potus, & potus est cibalis, vt de lacte inquit Paul. 1. Cor. 3. quòd datur in potũ, & c. 9. in cibũ, cũ ait, qui pascit gregẽ, de lacte gregis manducat. Quamuis etiam eisdem verbis, mãducandi sub vtraq; specie, obligatio imposita esset, non tamen esset omnibus, vt supra ostẽdimus ex D. Augustino, lib. 3. de doct. Christ. c. 17. 3.

32 Ad tertium, de vsu veteris ecclesiæ & Corinthiorum, & quòd non semper locũ habeat synecdoche, vt ex vna panis specie vtraque intelligatur, sed semper fuerit varius & indifferens vsus satis suprà dictũ est. Ad quartum & quintum de efficacia alterius & vtriusq; speciei, dictum est ad confirmationem secundæ conclusionis. Vnde conficitur, non omnia seruanda esse in legitima huius sacramẽti administratione, quę in eius institutione & vsu Dominus in vltima cœna fecit. Dominus enim ministrauit hoc sacramentum non ieiunis, quod nobis non licet, nedum necessarium sit. Christus consecrauit in pane azimo, vt supra probauimus, postea Ecclesia vniuersa aliquãdiu confecit in fermentato, ad Iudaicę superstitionis comdemnationẽ. Christus etiam in communibus ædibus, in vulgaribus vestibus, in prophana aliorum ciborum mensa, ad vesperum diei, post pocula & epulas, in vno pane, posteà in particulas frangendo, cũ numero discipulorum certo, idest, duodenario, exclusis aliis familiaribus, mulieribus atq; etiã matre, consecrauit. Christus præterea inter panis & calicis consecrationem, aliquam partem cœnæ, & iustum tẽporis interuallum, gratiarumq; actionem, vt videtur, aut sermonem interposuit. Christus distribuit priorem speciem, antequam alteram cõsecraret: Christus cõmunicauit, cum

Nõ omnia, quæ Christus in vltima cœna fecit, nobis in exemplum proposita sunt.

cùm consecrauit simul omnes præsentes. quæ omnia nunc nobis non licent, qui actione continua vtramque speciem consecramus, & peracto sacrificio aliis quibusdam, non omnibus, aut nulli omninò dispensamus.

33 Cur autè, quę Christus gessit, nobis nō liceat, ex persona Christi, loco & aliis adiūctis, colligi potest. res tum postulauit, vt ad legis impletionem & immutationē, sacramentum corporis sui continuò post esum agni Paschalis institueretur & distribueretur, id verò in Ecclesia locum non habet. Apostolis, qui de sacrificio & vsu instituebantur, vtramq; speciem dari oportebat, ne iudicarent illum calicem ad potum nō parari, aut sacrificium ritè peragi, sine communione rerum oblatarum. Præterea, nos tantum conficimus & percipimus hoc sacramentum, Christus autem instituit & sacramētum, dedicauit etiam atque instituit sacerdotum noui testamenti, & ipso opere fecit communicātes sacerdotes. quare vbi diuersitatis tam multiplices rationes extāt, non est exemplis solis nitendum. Imò verò de omnibus sacramentis administrandis non eadem ratio, aut idem modus teneri potest, neque constat qualis fuerit institutionis: quia origines sacramentorum administrationis ex scriptura non omninò constant, sed in vsu Ecclesiæ catholicę vera administratio polita est. Quis enim demonstrauerit, quomodo Apostoli & reliqui discipuli confirmati sint? quomodo ipsi alios cōfirmarint? quo modo Christum Ioannes, quo modo, & quibus verbis baptizarint discipuli Christi, cùm plures baptizarunt, quàm Ioānes? quo modo Philippus Eunuchum, Petrus Cornelium? tincti ne fuerint, an aspersi tantum, sicut nunc passim, an etiam planè immersi ac loti? nam Ioannes nō baptizabat, nisi vbi erat copiosa aqua, nec isti baptizabantur, nisi cū descenderant in aquas.

Origo administrationis sacramentorum & modus, ex sacra scriptura non constat.

34 De confectione chrismatis materieq; multiplicis vnctionis variorum sacramentorum nihil dico. nihil de illo, quòd incertum sit, an ipsi Apostoli post præscriptam iam baptismi formam ab ipso Christo, illā tamen ad tēpus opportunè mutarint. Sunt alia innumera, quæ in sacramentorum administratione ad rei substantiam non pertinent, sed accidentaria sunt, & propterea à Christo, vel Apostolis vsitata, posteris exempli, aut præcepti necessitatem non inducunt. Vnde de his, quę ad Eucharistiam pertinent, Paulus apud Corinthios multa abrogauit, & Ecclesia catholica multa, vt nunc sunt mores, mutauit, vt sæpè in præcedentibus obseruauimus. quęcunque igitur fuerit Ecclesię circa vsum varietas, non attingit substantiam sacramenti, & idcircò facta veterum in exemplum proponere non licet in administratione sacramentorum, & ritibus, quæ temporibus, locis & personis variè accommodata esse ab eodem Spiritu sancto Ecclesiam catholicam gubernante, animaduertimus. Hactenus de sumptione huius sacramenti sub altera vel vtraq; specie dictum sit.

35 De adiuncto tempore statim dicendum est, vt constet, quo tempore teneantur fideles ad huius sacramenti perceptionem. est autem duplex consideratio: vna communis omnium fidelium, alia sacerdotum propria: de priori constat, præcepto diuino omnes fideles ad huius sacramenti sumptionem teneri: tum quia verbum illud Domini, hoc facite, vt paulò ante ostēdimus, & pertinet ad sacerdotes conficientes, vt ipsi sumant, & aliis distribuant, quare simul alij obligantur ad recipiendum: tum etiam, quia Ecclesia catholica semper definiuit tempora huius sumptionis, sentiens diuini præcepti executionem aliquo tempore præscribendam esse, vt de aliis sacramentis statuisse constat, nempè baptismo, pœnitentia. Deinde, hoc sacramentum ex Domini institutione est cibus animæ, vt ostendimus in explicatione 6. cap. Ioannis supra posita: tenemur igitur diuino præcepto sumere, vt cibi ad vitam corporalem sumptio necessaria est. Vnde præceptum diuinum de communione huius sacramenti colligunt Patres, ex illo Ioan. 6. nisi manducaueritis, nisi biberitis, & ex illis Matth. 26. hoc facite in meam commemorationem: quia licet pertineant maximè ad potestatem sacerdotalem ad consecrandū & sacrificandum: tamen 1. Cor. 11. refertur ad sumptionem, siue laicorum, siue sacerdotum, vt refert Cyril. in Ioan. lib. 12. cap. 58. & Basil. in regul. moral. Reg. 21. cap. 3. simile mandatum est, de faciendo Phase Num. 9. Exod. 12. pertinens ad oblationem & esum agni Paschalis, & in vtroque est signum Eucharistiæ. Præterea, si in huius sacramenti digna perceptione,

3 p. q. 80. ar. 11

ceptione, propter effectum ex ea consequentem vnionis perfectæ cum Christo Domino, religionis Christianæ perfectio posita est:& ideò in baptismi susceptione est eius votum implicitum, vt D. Augustinum asseruisse paulò ante admonuimus: certè negari nõ potest de eo esse diuinum Christi præceptũ,quo omnes fideles obligãtur:alioquin liceret homini,quod implicitè vouet, explicitè,& nunquã adimplere. Idem confirmat Ecclesiæ cõsuetudo,quæ semper ab aduentu Spiritus sancti in Apostolos frequentes ad sumptionem huius sacramenti,& sacrificium peragendum, conuentus habuit, etiam ante lucanos, cùm ab infidelibus crudeliter vexarentur. Sic etiã meliores theologi censent,vt D. Tho. 3.p.q.80.artic.11.si enim spiritualis manducatio,qua Christo incorporamur,est homini ad salutem necessaria,& ea includit votum sacramentalis manducationis,certè si ne huiusmodi voto homo saluus esse non potest:votum autẽ cõstat superuacaneum esse, nisi tempore aliquo opportuno impleretur.

Viaticũ ex præcepto Domini.

36 Constet ergo de sumptione huius sacramenti esse diuinum præceptum.Sed de tempore exequendi diuinum præceptum, nisi imminente periculo mortis, nullum Domini præceptũ Ecclesia habet. de hoc autem habere,traditio Ecclesię confirmat, quæ hoc sacramentum viaticum necessarium semper sensit esse discessuris ex hac vita,vt appellat Concilium Nicęnum c.de iis 26.q.6.& ita receptum est in vsu Ecclesiæ.quæ ideò neque existentibus in publica pœnitentia,in articulo mortis hoc sacramentum negat c.quod in te, de pœnit. & rem.Improbè igitur aduersarij fidelibus infirmis negant Eucharistiam, nisi commoditas celebrandi sacrum in ipsorum ędibus existat, iubentes eos esse contentos sola memoria communionis publicæ: quasi in eorum potestate sit firmam Ecclesiæ consuetudinem ad salutem fidelium conuellere,vt suum errorem,de non deferenda Eucharistia solemniter, confirmẽt,& in aliorum perniciem defendant.idem sentit Innocent.III. lib. 4. de myster.missæ c.42. necessariò,inquit, sumendus est agnus, vt à vastante angelo protegamur:neque exire possumus de Ægypto, nisi celebrando Phase, Paschalem agnum edamus. quod etiam confirmat historia Serapionis apud Euseb.lib.6.histor.c.34. cùm sensit se detineri,ne mori posset, quòd sacrum viaticum non sumpsisset. effectus etiam huius sumptionis ad dęmonis impugnationes repellendas,admirabilis est,& plerunque hominem in gratiam primam restituit,vt cõstabit in doctrina de effectibus illius.quare probari non potest ea consuetudo, quæ damnatis ad mortem sacrum viaticum denegat,cùm nulla fiat irreuerentia sacramẽto,si à dignis suo tempore & loco, quales hi possunt esse,Eucharistia sumatur.intelligimus autem obligari ad hoc sacramẽtum in articulo mortis suscipiendum, omnes adultos rationis compotes: vel qui paulò ante fuerint,etiamsi posteà in amentiã,vel phrenesim inciderint,modò nullum adsit periculum vomitus,aut expuitionis,vt supra admonuimus.ij verò,qui pręætate imbecilla,aut perpetua amẽtia, hunc sacrum cibum à prophanis discernere non possunt,neque diuino præcepto ad sumendũ obligantur.

Tempora definita ab Ecclesia ad sacram communionem

37 Extra periculum probabile mortis, tempus exequendi diuinum præceptum de sumptione huius sacramenti, variis modis definiuit Ecclesia catholica, vtens sua illa potestate circa dispensationem sacramentorum salua illorum substantia,ad ædificationẽ fidelium.Primis Ecclesiæ temporibus omnes etiã laici quicunq; præsentes aderant sacrificio, communicabant,idque quotidie:sæpè etiam ad absentes,tempore præsertim persecutionis,diaconi, postquã præsentes percepissent,sacramentum deferebant,vt D.Iustin.apol.2. commemorat.idem significatur illis verbis Act.2.perseuerantes quotidie in communione fractionis panis,& tẽporibus Dionysij Areopagitæ,vt constat c.3.ecclesiast.hierar. ad singula sacra omnes his verbis inuitabantur,[venite fratres ad cõmunionem:]&in epi.Ignatij ad Ephes.[festinate fratres ad communionem.] deinde, fidelibus nõ ita feruentibus,aut temporum necessitate, & morum ratione,non aliud postulante, variis decretis Ecclesia catholica ad frequentem vsum communionis fideles excitauit. etenim can.10.Apost. omnes fideles conuenientes in solemnibus sacris, si non cõmunicauerint,&vsq; ad missam peractã in oratione perseuerauerint, communione priuantur. idem statuit de iis,qui Episcopo sacrificanti ministrant,Anaclet. epist.1. sed

ſed Fabianus epiſt. 3. ad Hilarium illa ſolemnia ſacra contrahit ad Paſcha, Pentecoſtem, natalem Domini. idem repetitum eſt in concil. Eliber. ad finem, & refertur de conſecrat. diſt. 2. cap. omnis homo. in concilio Antiocheno can. 2. omnis, qui ingreditur Eccleſiam, & audit ſacram hiſtoriam præcipitur communicare. hinc eſt, quod diaconi iubentur ad altare ieiuni ſemper accedere cap. 19. Altiſiodoren. concil. vnde profectum eſt, quod hodie Romæ, vbi veſtigia plurima antiquitatis ſanctæ ſeruantur, Papa ſolemniter celebrante, Cardinales etiam aſſiſtentes & miniſtri communicent. hinc etiã ſocordiores factos pleroſq; omnes ſic Chryſoſt. arguit hom. 61. ad popul. Antioch. homil. 3. ad Epheſ. & oratione in martyrem Philogonium, quotidianum ſacrificium in caſſum fit, nemo accedit, & quæ ſequuntur. Vnde tandem ab Innocent. III. in concilio generali tempus ſacræ cõmunionis ad tempus Paſchatis contrahitur.

3. p. q. 80. art. 10.

Frequẽns cõmunio an laicis expediat.

38 An verò expediat ſæpius laicos communicare, ex parte quidem ſacramenti, ſemper promouentis refectionem ſpiritualem dubium non eſt, ex parte ſumentium ſi digni ſint, & impedimenta deuotionis retinendæ ad hoc ſacramentum, nõ vrgeant, etiam vtile eſſe nemo dubitat. ſed quia de his, vt nunc ſunt mores, certa regula præſcribi non poteſt, ideò neque de frequentiori communione, vnum & commune conſilium retineri poteſt. veteres quidem frequenter admonent, quotidianum eſſe panem, & ideò non eſſe, nec poſt menſes accipiendum. Ambroſ. lib. 4. de ſacramentis cap. 4. accipe, inquit, quotidie, quod quotidie proſit. Auguſt. ſerm. 28. de verbis Domini, quotidie peccas? quotidie ſume, & rurſum, ſic viue, vt quotidie poſſis ſumere. Tertullianus lib. de oratione, Cyprian. ſerm. 6. de oratione, & epiſt. 6. lib. 4. Hieron. contra Pelagianos ex verbo, quotidianum, in oratione Dominica communionem frequentem plebi commendarunt. Nõ quòd iudicatum ſit vnquam neceſſarium, quotidie percipere, ſed quòd natura huius ſacramenti in alimento animorum poſiti, ita videatur exigere quotidianam ſumptionem ad cibum ſpiritus, ſicut corporale nutrimentum, ad corporis neceſſariam refectionem frequentiſſimè expeti videmus. licet ſimilitudo vndiquaque non quadret: quia non ſic animus hoc vno viuit ſacramento, ſicut ordinariè corpus ſolo alimento. Cauendum eſt etiam ab alia extrema illorum ſententia, qui vnica ſumptione in tota vita illi præcepto ſatiſfieri putant, niſi manducaueritis, &c. ſicut præcepto ſimili de baptiſmo Ioan. 3. vnico baptiſmo ſatiſfacimus: quoniam verborum vtriuſque præcepti eadem eſt forma, ſed rerum, de quibus agitur natura, magnum diſcrimen inducit: cum ſemel naſci, vt ſimus, ſatis ſit, ſæpius autem comedere, vt viuamus, neceſſariũ ſit. Vt autẽ nunc ſunt res, fortaſſis generaliter non eſſet conſentaneum quotidie communicare, cum temporibus ſuis Auguſt. multo melioribus illud in totum, nec laudet, nec reprehendat, vt refertur de conſ. d. 2. c. quotidie.

39 Sed certum eſt, conſultius multò eſſe ſæpius communicare, quàm ex lege illa eccleſiaſtica tenearis, licet eius obſeruatio populum laicũ ab omni peccato mortali liberet, non imminente probabili mortis periculo. vtrum autem ſingulis menſibus, hebdomadibus, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt. Fortè religioſi & ſacerdotes minime implicati negotiis ſæcularibus, quotidie commodiſſimè poſſent: ſtudioſi & benè informati omnes, qui in liberalibus ſcientiis educãtur, & in ocio honeſto in vrbibus cœlibes viuunt, ſingulis feſtis poſſent: homines negotioſi, vt mercatores, coniugati, & id genus alij, ſingulis opinor menſibus: ſtupidiores, vt ruſtici, qui hæc myſteria perfectè capere nõ poſſunt, deberent diutius abſtinere. de coniugatis autem præceptum eſt ad finem concilij Elibertini, tres dies ante ſacram communionem minimùm à ſuis vxoribus abſtinere, cùm huiuſmodi etiam licita coniunctio, à rebus ſpiritualibus maximè hominem auocet, ſicut etiam ſæcularium negociorum occupatio. Qui verò cum concupiſcentia & peccatis adhuc colluctãtur, & interdũ ſuperantur, interdum ſuperãt, & vincũt, quos Philoſophi morales incõtinentes vocãt, viri pij & prudentis cõſilio renouantes continendi propoſitũ, ſepè accedere ad ſacram cõmunionem oporteret, diligentius ſeipſos probãtes & examinãtes, vt ex animo peccatis abſtinere velint. eſt etiã

hic

hic sacer cibus sæpissimè sumendus, etiam tum, cùm te, vel tepiditate, vel spiritus torpore laborare senseris: etiam tum, quando non tantopere expetis, quantum expetere deberes: etiam nonnunquam, cùm vel timiditate tua, vel demonis arte aduersi scru puli iniecti videntur: quoniam hoc alimen tum neque habet ex nimio vsu fastidium, sicut corporalis cibus, sed quò frequentius & attentius sumis, eò ardentius expetis: vitaq; erit tibi magis vitalis, & gustus Domini in dies magis ac magis suauis, & conscientia multò pacatior. hæc de laicorum frequenti communione.

Laica & peregrina cõmunio.

40 Cleri autem & populi cõmunionis, ab ipsis Apostolorum temporibus, quædã distinctio cœpit esse. populi enim commu nionem, laicam appellarunt, non quòd fuerit semper vnius speciei, vt modò est, sed quod populus extra locum sacratiorem sa crificij, vbi solus sacerdos cum ministris conficiens, vel clero communicabat, separatim percipiebat. quæ loci in communione distinctio adeò tum pertinebat ad clericorum dignitatem, vt in grauibus pœnis censeretur, expelli ab illo loco sacratiori, ad eum, in quo plebs communicabat: & ideò laica communio dicta est. de qua Eu seb. lib. 6. histo. c. 34. Cõcilia, Ancyranum, Elibertinum, Sardicẽse & Toletan. 4. Eadem videtur dici aliquando peregrina, cũ ad eam aliquãdo præsbyteri relegati sint, vt cõstat ex c. 2. conc. Agatheñ. Sed vtraq; siue populi, siue cleri communio, semper potuit esse loco & tempore separata à sacrificio, vt constat ex communione presan ctificatorum in quadragessima apud Grecos, ex continua reseruatione, ex delatione ad absentes, ad ægrotos, ad morientium viaticum. sed de clero in vniuersum satis.

3.p.q.82.art.10.
Sacerdotũ communio.

41 Sacerdotum autem conficientiũ hoc sacramentum, non est simplex perceptio: quidam enim sunt parochi, quibus animarum cura commissa est: alij verò sunt sacerdotes, quibus nulla huiusmodi pascendi gregem cura committitur. illos verò cõ stat teneri ad sacrificãdum pro populo, & sacramenta ministrandum: quare quibus diebus populus sacris interesse, vel cõmunicare tenetur, eisdem parochi Eucharistiam conficere, & vtranq; speciem sumere tenentur. omnes enim sacerdotes conficientes, iure diuino quoties consecrant cõmunicare tenentur: vt ostensum est in disputatione de communione sub altera specie. sed etiam sacerdotes, qui pastores non sunt, ex potestate consecrandi & sacrificãdi, tenentur sæpius quàm laici communicare: quia acceperunt potestatem, quam non exercere, est in vacuum recepisse, cõtra illud D. Pauli 2. Cor. 6. hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. præterea, sacerdotis est sacrificium offerre, & sacrificio communicare: tenetur igitur sæpius communicare, quàm populus. hoc autem [sæpius] quidam contrahunt ad festa præcipua, quibus populus olim communicare solebat, alij ad plura: sed in his certa ratio teneri & præscribi non potest. illud vehementius est, consuetudinis ecclesiasticæ, quæ est optima legum interpres, semper fuisse, vt sacerdotes ab altaris sacrificio paucis diebus abstinerent: & aliter suo munere non rectè fungi censentur. si enim in vet. lege reprehenduntur sacerdotes, qui sacrificia contemnunt, vt constat 2. Machab. 4. quid censendum est de sacerdotibus noui test. quos constat veteribus perfectiores esse oportere? Vnde sacerdotum peccata eò ipso grauiora redduntur, quòd ad sacrificandũ apti nõ sunt. quod si ob crimen aliquod, absolute, vel ad tempus per sententiam Ecclesiæ, sacerdos executione ordinis priuetur, sacrificandi obligatio tollitur. eandem executionem ægritudo, aut debilitas superueniẽs aufert: vel omninò, vt si priuetur oculis, digitis, aut vsu linguæ: vel saltem propter imminens periculum, vt si patiatur morbum caducum, vel quamcumq; aliam mẽtis alienationem: vel denique propter fœditatem, vel turpitudinẽ, vt si lepra inficiatur: is enim publicè saltem celebrare non debet, occultè poterit: nisi fortè exesis membris impotens ad sacrificandum reddatur. c. dolentes de celebrat. miss. sacerdotibus, qui missam quater in anno vix celebrant, suspensionis pœna imponitur, quod est signum peccati mortalis. Cùm autem constet, Episcopum & pastorem esse gregis sibi commissi, & in statu sacerdotum perfectiori, vt doctrina & moribus cæteris prælucere possit, erit certè maior eius, ratione vtriusque, ad sæpius cõmunicadum & sacrificandum obligatio: vnde c. vltimo de priuileg. lib. 6. dicitur de missa celebranda, vel audienda ab Episcopis: sine qua eos transire non decet absque causa rationabili vllam diem.

Sacerdotis impedimenta ad sacrificandum.

42 Sumptio-

Effecta sacræ communionis. 42 Sumptionẽ huius sacramenti, de qua hactenus dictum est, sumptionis effecta tã dem consequuntur, quę hac sententia continentur. Eucharistia in sumentibus perse efficit vnionis gratiam, & gloriæ æternæ adeptionem: venialia peccata, & pœnam temporalem peccatis respondentem remittit: præseruat à futuris peccatis: ex accidenti aliquando primam gratiam infundit & iustificat. *3. p. q. 79. ar. 1 & sequētibus.* Prima p. sententiæ de effectibus perse, ex vi sacramenti, & secundum eius institutionem. primum effectum recenset gratiam vnionis, idest, qua intimè Christo capiti cõiungimur: & quia hęc gratia est vita, quæ cibo reficitur, conseruatur & augetur, Dominus sæpè huic sacramento vitam, vt proprium effectum attribuit *Gratia vnionis.* Ioã. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: & rursum, qui manducat me, viuet propter me. Si enim omnia sacramenta noue legis, vtcũq; in vilissimis ac infirmissimis perse elementis constituta, vel eo solo nomine, quòd facta sint, singulari quadam ratione, passionis Dominicæ instrumenta, gratiã conferunt rectè accipientibus, quantò magis hoc diuinissimum sacramentum ipsum Christum omnis gratię fontem continens, omni benedictione celesti & gratia participãtes imbuet ac replebit? aduentus namq; Christi in mundum per incarnationem effectus, est gratia & veritas, vt ait Ioannes c. 1. & ex vnione verbi facta est eius caro viuificatiua: ea igitur in hoc sacramento sumpta gratiam communicando viuificabit, vt inquit Conc. Ephesin. in ep. ad Nestorium. Deinde, si passio Christi dedit mundo vitam, & huius passionis vera representatio est hoc sacramẽtum, cõtinens ipsummet Christum immolatum, illud certè nobis ad participationẽ eiusdem vitæ & gratiæ confertur. Sed hactenus gratiam conferri hoc sacramento, ex speciali & propria ratione ostendimus. eam verò gratiam esse vnionis, qua mirabiliter nos Christo coniungit, ex signis sacramentalibus & modo sumptionis apertè colligitur. Hæc enim signa vnũ aliquid repręsentant, quod ex multis constat, vt panem ex multis granis, vinum ex multis vuis: quare cum sacramenta efficiãt, quod significant, efficient proculdubio in nobis eximiam quandam cum Christo capite, & aliis membris vnionem: de qua diximus in disputatione de reali præsentia Christi in hoc sacramento. Modus autem sumptionis est cibi & potus: quod enim facit in corporali vita alimentum, quod fecit in deserto, deficienti populo, manna, quod mel de petra, quod subcineritius panis Eliæ, quod lignũ vitę in paradiso, quod aqua vitæ Samaritanæ indicata, quod panes propositionis esurienti Dauidi: quicquid illa omnia prẽstabant in corpore roborando, viuificãdo, sustentando, reparando, confirmando, augendo, recreando, exhilarando, hoc totum & incomparabiliter maius quiddam, & excellentius operatur hic cibus in spirituali vita ac gratia procuranda, atq; amplificanda. imò cogitet quisque secum, quid & quantum capiant animæ & angeli in cælo beati ex præsentia ac fruitione verbi diuini, & humanitatis vnitæ personaliter: quantum Ecclesia ex passione Christi, resurrectione, ascensione, tantum profectò pro ratione huius status, in quo adhuc permanemus, à sanctissimo hoc sacramento percipimus. vt sit plane cælum vtriusq; Ecclesiæ, sit cuiq; passio dominica applicata & attẽperata, sit resurrectionis nostræ semen, sit manna abscõditum, sit certissimum pacis, atq; reconciliationis nostræ signum & pignus, sit vita, vt loquitur D. August. sit omne bonum, vt Chrysost. sit deniq; planè nobiscum Deus. Concil. Trident. sess. 13. c. 2. de effectibus sacræ communionis, inquit, in illius sumptione colere nos sui memoriam, pręcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. 1. Sumi autem voluit sacramentum hoc tãquam spiritualem animarum cibũ, 2. quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquam antidotũ quo 3. liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus pręseruemur: pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & 4. perpetuæ fœlicitatis: adeoq; symbolum 5. vnius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuiq; nos tãquam membra, arctissima fidei, spei & charitatis cõnexione astrictos esse voluit: vt idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. Floret. etiam concil. sess. vlt. in doctrina de sacramentis, effecta huius sacramenti in dignè sumẽte, inquit esse, adunationem hominis ad Christũ, & membra eius per gratiã, eiusdẽ gratiæ augmentũ: & omne illud spiritualiter, quod corporalis cibus in corpore efficit.

43 Sed quia hanc vnionis gratiam, effectum per se huius sacraměti diximus, intelligendum est, hoc sacramentum viuentiũ per se sacramentum esse ex vi suę institutionis, cũ sit cibus & potus, quæ nisi viuētibus prodesse non possunt: & ideo de præparatione, vt dignè & sine conscientia peccati mortalis sumatur, plura dicta sunt ex sententia D. Pauli. illa verò gratia vnionis per se effecta ab hoc sacraměto, est gratię augmentum, cum hoc speciali effectu admirabiliter nos vniendi Christo: quia gratia cuiusque sacramenti propria habet specialem quendam effectum in vita spirituali, vt explicatum est in doctrina generali de effectu speciali sacramentorum nouæ legis, & specialis effectus huius sacramenti est hęc admirabilis vnio & coniunctio, de qua diximus probantes realem Christi pręsentiã in hoc sacramento. Vnde colligitur excellentia huius sacramenti supra alia omnia. res enim contenta, idest Christus, ex se vim habet gratiæ collatiuam, cuius proinde instrumēta gratiæ sunt reliqua sacramẽta, & ea ratione fons est & origo omnis gratiæ sacramentalis; & quicunque aliud sacramentũ suscipit, hoc ipsum saltem voto implicito suscipere conuincitur, sicuti appetẽs riuulum aquæ, multò magis appetere conuincitur fontem vnde riuulus manat & deriuatur.

Effectum per se huius sacramenti & ex accidenti, in augmento gratiæ.

44 Hanc autẽ gratiã vnionis per se efficit hoc sacramentum ipsa sumptione: quia huic à Domino tribuitur effectus, cùm ait Ioan.6. nisi manducaueritis, non habebitis vitã in vobis: &, qui manducat me, viuet in æternum: itaque sumptionis, quæ manducatione & potu exprimitur, proprius est hic effectus per se. ex accidenti autẽ, nempè propter maiorem recipientis dispositionem fieri posse multi existimãt, vt sumptũ hoc sacramentum, vberiorem adhuc gratiam producat: quia Christus manẽs sacramentaliter semper operabitur pro subiecti dispositione, & ipsum excitabit, vt maiori affectu Christo coniungatur, vt si sumpto sacramento, sancta meditatione, fide & amore circa Christi Domini mortẽ, eiusque erga nos charitatẽ occuperis, & ex eo accendaris desiderio iustitiæ Dei plenius participandæ. quod autẽ quidam affirmãt, sacramentũ, quod ipsa sumptione ex indispositione subiecti non confert gratiã, consequenti tempore, quo manẽt sumptę species sacramentales, gratiã per se conferre, si illis manentibus, subiectũ perfectè disponatur, & existimata ante cõtritio fiat vera cõtritio, quia sumptio Eucharistiæ nõ solũ sit ipsa mãducatio aut potus, sed ipsa sacramẽti perseuerãtia, manẽtibus signis sacramẽtalibus: hęc inquã sentẽtia nulla probabili ratione niti videtur, cũ sancta scriptura manducationi tantũ & potui huius sacramenti effectũ tribuat, & inauditum est manducationem vocare permanentiam sacramenti, postquam manducatum est.

Ruar. in ar.15 Louan.

45 Alterum effectum per se huius sacramenti, est adeptio vitæ æternæ, id verò cõstat, quia Christus immolatus, qui sacramẽtaliter sumitur, aperuit nobis & aperit aditũ vitæ æternæ, sicut scriptum est, Heb.9. & ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionẽ æternę hæreditatis: & ideo dicitur calix noui & æterni testamenti. ipsa etiam refectio & vnio effecta ab hoc sacramento imperfecta quædam est participatio æternæ vitæ, quam perfici post mortem speramus. Idem etiam confirmat quod ostendimus de vnione effecta per hoc sacramentum, confirmantes realem Christi præsentiam in hoc sacramento, nẽpè esse in nobis semen & vim quandam ad resurgendum in vitã immortalem. vndè & viaticum dicitur, quia confert virtutem perueniẽdi ad vitam, sicut Elias. 3 Reg. 19. comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montẽ Dei Oreb. Dicitur tertiò, hoc sacramentum remittere peccatum veniale, & pœnas temporales peccatis respondentes: quia illud peccatũ feruorem charitatis minuit, quem sacramẽtũ accendit, & auget non solũ habitum, sed etiam actum charitatis, vt sicut cibo corporali reficimus, quod continua caloris naturalis actione amissum fuerat, sic hoc sacramento accẽditur feruor charitatis, quẽ peccata venialia imminuerant. ideo Patres vocãt hoc sacramentũ panẽ quotidianum, quia quotidianæ infirmitatis, quam inducunt peccata venialia, medicamentum est. Ex eodẽ effectu accendendi charitatem, remittit etiam pœnas peccatorũ: quia feruor charitatis nõ solũ remittit culpã, sed etiam pœnam, non quidem totam, sed deuotioni & feruori charitatis proportionalem. De remissione autem, quam efficit vt sacrificium est, ratione satisfa-

Eucharistia remittit venialia & pœnas peccatorum temporales per se.

 ctionis

ctionis, in doctrina de sacrificio commodius differetur.

Præseruat à peccatis.

46 Dicitur quarto hoc sacramentũ preseruare à peccatis, quia cibus est & refectio spiritualis, cibus autem præseruat corpus à cõtrariis lædentibus. itaque hoc sacramento fortiores amplificata gratia effecti, facilius cupiditati, & externis impugnationibus resistimus, ipsa etiam innata carni cupiditas noxia, comprimitur cõtactu sacramẽtali carnis Christi, & ea ratione necesse est nos præseruari à peccatis. vnde D. Chrysos. super Ioan. vt leones, inquit, flammam spirantes, ab illa mensa discedamus, terribiles effecti diabolo. Concludamus igitur, hoc sacramento conferri gratiam vnionis, peccata venialia remitti, fomitem & cupiditatẽ imminui, pœnas etiam debitas vel ex se, vt est satisfactorium sacrificium, vel ex adiuncto deuotionis feruore, exoluere.

Quæstio secunda, An sacra communio primam gratiam conferat?

47 AN verò sancta etiam communione prima gratia tribuatur, obicem non apponenti, & remittãtur peccata mortalia, si quæ fortè oblita, vel ex præcedente confessione propter insufficientem dispositionem non remissa extiterint, vel ex attritione, quæ probabiliter sit existimata contritio, etiam in eo, qui debet sacrum facere, cum non est copia confessoris, non est certum ex verbo Domini, vel ex huius sacramenti institutione, cum per se sit viuentium vitam charitatis: meliores tamen Theologi non dubitauerunt asserere, in his casibus, hoc sacramento & omnibus aliis ex accidenti, cõferri primam gratiam. Quare affirmandum est, conferre ex accedenti primam gratiam, vt Ecclesia in quadam prece Ecclesiastica post communionem, his verbis innuit, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, &c. Itaque omnia sacramenta nouæ legis perse conferant gratiam preparatis accommodate, sed quædam per se primam & iustificantem, quòd sint mortuorum sacramenta, vt ad vitam, quam gratia confert, adducantur: quædam per se præexistentem gratiam augeant, illa sunt Baptismus, Pœnitentia: hæc autem sunt reliqua: omnia tamen ex accidenti aliquando conferre primam gratiam Theologis valde probabile est: quia fieri potest vt aliquis accedat ad sacramẽtum cum affectu peccati mortalis, & aliquando sine affectu, sed sine sufficienti cõtritione, quam tamen probabiliter existimat sufficientem esse. Primo modo nouũ peccatum sacrilegij committit, qui ad hoc sacramentum accedit, quia indignè rem sacratissimam contingit, & iudicium sibi manducat, vt inquit D. Paulus: altero modo ex efficacia sacramenti perfectam contritionem assequetur, & infusa gratia iustificabitur. idem dicendum est de confirmatione, Ordine, Extrema vnctione, & Matrimonio.

Præparatio sufficiẽs ad sacramenta dignè percipienda.

3. p. q. 79. art. 3.

48 Ad Baptismum & Pœnitentiam, alia distinctio prætereà adhibenda est. quamuis enim ad Baptismum satis sit non esse in affectu peccati, vt quis per eum iustificetur, etiamsi paruum dolorem de peccatis cognoscat se concepisse: ad pœnitentiam tamen maior dolor requiritur, & discussio conscientiæ, vt vel existimet pœnitens se contritum, vel saltem tantum dolorem de peccatis concepisse, vt proximè ad cõtritionem accedat, vt per sacramentum perfici & iustificari possit. itaque nullum sacramentum confert gratiam apponenti obicem insufficientis præparationis: sed affectus peccati mortalis est obex in omnibus sacramentis: in baptismo satis est exuere ex animo hunc affectum, in pœnitentia oportet prætereà perfectè conteri, vel proximè ad contritionem accedere, in Eucharistia & aliis requiritur per se quidem contritio, & ex accidenti attritio quæ probabiliter existimetur vera contritio: denique in Eucharistia debet prẹcedere confessio sacramentalis, si adsit copia confessarij vt supra de præparatione diximus: & idcircò obex gratiæ in cæteris sacramentis præter baptismum, est non solũ affectus peccati mortalis, sed etiã defectus attritionis vel existimatæ verẹ cõtritionis post discussionem conscientiæ, vt in Eucharistia, Ordine, Matrimonio, Confirmatione, vel non existimatæ, proximè tamen accedentis ad contritionem, vt in Pœnitentia. quicumque autem nullum huiusmodi obicem apponit sacramentis nouæ legis vel per se, vel ex accidenti, recipit gratiam & iustificatur, vt explicatum est: & idcirco anathema indicitur in Concil. Trident. Session. 7. Can. 6. asserentibus

bus ſacramenta nouæ legis, non conferre gratiam non ponentibus obicem.

Quæſtio tertia, An poſſit aliquis Euchariſtiam ſine peccato, & ſine vllo gratiæ effectu recipere.

49 SEd quæſtio ſtatim exiſtit, fieri ne poſſit, vt aliquis accedat ad ſacram Euchariſtiam ea præparatione, vt nec conſequatur gratiam, nec nouum peccatum in accedendo propter inſufficiẽtem præparationem committat? Quidam exiſtimant hoc medium plerumque contingere poſſe, quia magna eſt in diſcutienda conſcientia latitudo, & de diuina liberalitate & miſericordia ſperandum eſt, illa media diſpoſitione poſita, noui peccati mortalis reatum nõ induci: ſed potius per eam paulatim deduci hominem ad veram contritionem, & verum diuinę iuſtitiæ deſiderium, vt tandem alia deinceps conſequenti communione, gratiam iuſtificantem cõſequatur. pia quidem ſententia, ſed nulla ratione, vel in ſpeciem probabili, cõfirmata. Eſt enim expreſſum Domini illud præceptum, probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat: ſubiungit autem, qui accedit indignè, iudicium ſibi manducat: vt intelligatur, eam probationem eo pertinere, vt dignè accedat: qui autem accedẽdo ad tantum ſacramentum, neque ex accidenti iuſtificatus eſt, non videtur ſeipſum iuxta præceptum Domini probaſſe: & ideo, ſi neque virtute ſacramenti perfectè cõtritus eſt, fictè videtur accedere: quare indignè accedendo, nouum peccatum committere. itaque licet media illa diſpoſitio ex parte hominis diſtingui & contingere poſſit, non tamen videtur ex parte ſacramenti admittenda: cum illud vel per ſe augeat gratiam præexiſtentem, vel ex accidenti primam infundat. tertium illud, in quo neutrum fiat, & nullum accedentis ſit peccatum, Patribus & Theologis pluribus inauditum eſt, & ſua nouitate ſuſpectum. Prẹterea, ſi ex diuino iure tenetur accedẽs ad hoc ſacramentũ, ſeipſum accuratè examinare, ne accedat indignè, vel vincibili ignorantia, vel inuincibili non diſcutit ſeipſum: ſi primo modo, conſtat accedẽdo peccare, cũ ſit ipſa ignorantia culpabilis: ſi altero modo, conſtat ſufficientẽ eſſe diſcuſſionẽ, & ex conſequenti recepta prima gratia iuſtificabitur: vt igitur non eſt mediũ inter ignorantiã vincibilẽ & inuincibilẽ: ſic neq; mediũ eſſe poteſt inter eũ, qui accedendo ad hoc ſacramentũ, vel recipit augmentũ gratię per ſe, vel ex accidẽti, recepta prima gratia iuſtificatur. Recipiet ne tãdẽ omnes huiuſmodi effectus per ſe, reliquos nempè, excepta prima gratia, quæ ex accidenti quibuſdã confertur, is qui verè contritus eſt, etiamſi in ipſa ſacramenti perceptione mente diſtrahatur, veniali diſtractione & euagatione: an præter illam contritionem veram requiratur actualis quædam deuotio & feruor charitatis? quidam affirmant ſine hac deuotione actuali nullum eſſe effectum, cum ſumitur hoc ſacramẽtum, poſteà verò accedente deuotione redire omnes effectus: & idem eſſe de attrito recipiẽte ſacram communionem, quam probabiliter exiſtimauit contritionem eſſe, redire ſcilicet omnes effectus accedẽte contritione. Sicut affirmant omnes Theologi, recedente fictione eius, qui fictus baptizatur, redire omnes baptiſmi effectus. Confirmãt hanc ſententiam primò, quia adulti nõ ſanctificantur niſi per proprium actum liberi arbitrij, ex D. Tho. 3. p. q. 34. ar. 3. qualis actus in hoc ſacramento erit illa deuotio actualis, dilectio & amor erga Chriſtum ſibi ad ſalutem & refectionem animæ conceſſum. Secundò, quia hoc ſacramentum eſt cibus & potus animæ: actione igitur vitali, hoc eſt actuali deuotione tantùm prodeſſe poterit, vt aſſeruit D. Tho. 4. d. 12. q. 2. art. 1. Tertiò, quia ſacerdotum quotidie ferè communicantium magnum eſſet gratiæ incrementum, quod non deprehendimus in eorum actionibus: cùm tamen charitas Dei, quæ ſimul cum gratia augetur, ocioſa eſſe non poſſit, ſed ſi magna eſt, operatur etiam magna. De phreneticis autem, quibus hoc ſacramentum conferri debere ſupra oſtendimus, aliam rationem eſſe aſſerunt, ideoque in illis actualem deuotionem exigendam non eſſe: nempè quia datur illis vt viaticum ad repellẽdam vim dæmonis, qui poſitos in diſcrimine vitę vehementius impugnare ſolet, nõ autem ad refectionem ſpiritualem, vt cæteris.

50 Cum verò D. Th. 3. p. q. 79. art. vltim. aſſerit veniali peccato, qualis eſſet indeuotio actualis, non impedire augmentũ gratiæ ſecundum habitum, ſed ſecundũ actũ: vel

Caiet. Bonauẽ.

An ſit neceſſaria actualis deuotio ad conſequendũ effectũ huius ſacramẽti.

vel significat, dicunt iidē autores, non quidem augeri habitum gratiæ & charitatis, sed potius esse in huiusmodi suscipiente habitum consequendi effectum sacramenti, eo tamen tempore, quo per actualem deuotionem accommodate disponatur. Vel significat eum, qui ad hoc sacramētum accedit, deuotè erga quædā, & erga alia mente distractus per peccatum veniale, & ideo partim deuotè, partim indeuotè, sēper quidē recipere augmentū gratię habitualis, nō tamē semper refectionē spiritualis dulcedinis: sicut in Christo sumēte hoc sacramentum in vltima cœna fuit refectio spiritualis sine gratiæ augmento. Sed hæc sentētia ab aliis Theologis refellitur: quia sacramentū nouæ legis confert gratiam omnibus non apponentibus obicem: peccatū autem veniale non est obex gratiæ, cum illi non repugnet contrariè: alioquin, qui recipit sacramentū cum peccato veniali, peccaret mortaliter, quia teneretur non apponere huiusmodi obicem gratiæ sacramentali. Et certè D. Tho. illo articulo vltimo, sententiam priorem quarti sententiarū recantauit, planè asserens, vt explicauimus suprà de præparatione ad hoc sacramentum disserētes, in sumentibus hoc sacramentū cum peccato veniali, augeri quidem habitum gratiæ & charitatis, non autem actum. & de phreneticis certum est, illis conferri hoc sacramentum ad eadem effecta, quibus cæteris confertur: neque ratio viatici arguit in illis specialem effectum, sed tantū esse subsidium discessuris ex hac vita, vt refecti spiritualiter, constantiores sint in dilectione Dei & fide. Illud verò accuratè considerandum est, quod D. Basilius scribit de sumentibus hoc sacramentum sine actuali recordatione passionis Christi. Nō solùm, inquit, horrendam conditionem habet is, qui inquinamēto carnis & spiritus indignè accedit, accedens autem fit reus corporis & sanguinis Domini: sed etiam qui otiosè & inutiliter manducat, & bibit, propterea quod non per memoriam Domini nostri IESV Christi, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, manducat & bibit. Videtur autem hæc sententia colligi ex illis verbis Domini, hoc facite in meam commemorationem, vt cum precepto faciendi & sacrificandi, voluerit Dominus coniunctam passionis eius commemorationem, non tantum ipsa sacrificali actione, sed ipsa etiam actione interna sacrificantis.

51 Argumenta alterius sententiæ facilè refutantur: Primum quidem quia D. Tho. loquitur de sanctificatione & iustificatione adulti sine sacramēto. cōstat enim, adultū homine sine affectu peccati mortalis, etiāsi actu veniali peccato implicatū, baptismo iustificari, & tamē cū baptizatur nullū actum habet, quo iustificaretur sine sacramento, sed satis est prius exuisse affectum peccati mortalis, cum proposito suscipiendi sacramentum religionis Christianæ. Secundum etiam argumentum refellitur, quia nutritio animæ spiritualis, quam efficit sacra communio, duplex est, habitualis & actualis, & alterutram semper recipit, vel vtramque, qui digne accedit ad hoc sacramentum. Tertium denique, quia si illi sacerdotes dignè sumunt hoc sacramentū & sæpè, magnum proculdubio gratiæ augmentū consequentur, & apparebit in officiis, quæ exercent, effecturi maiora si occasio daretur: sed in accedentibus indeuotè minus est gratiæ incrementum: & quotidianis venialibus constat in his feruorem charitatis imminui, & ideo non apparet in illis tanta charitatis amplificatio. Hactenus de communione huius sacramenti & eius effectibus, tam per se, quàm ex accidenti.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo quo Christus vsus est hoc sacramento, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de vsu huius sacramenti, quo Christus vsus est in prima sui institutione.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Secundò, vtrum Iudæ dederit.

Tertiò, quale corpus sumpserit aut dederit, vtrum scilicet passibile vel impassibile.

Quartò, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reseruatum, aut consecratum.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

Inf.q.84.ar.7.ad 4, & 4.11.q.3.ar.1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Christus nõ sumpserit corpus suum & sanguinem. Non enim de factis Christi & dictis asseri debet, quod autoritate sacræ Scripturæ non traditur. Sed in Euangeliis non habetur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc asserendum.

¶ 2. Prætereà, Nihil potest esse in seipso, nisi fortè ratione partium: prout scilicet vna pars eius est in alia, vt habetur *4. Phys. Sed illud quod manducatur & bibitur, est in manducate & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

Lib.4.tex.34 tom.2.

¶ 3. Præterea, Duplex est sumptio huius sacramenti, scilicet spiritualis & sacramentalis. Sed spiritualis non competebat Christo (quia nihil à sacramento accepit:) & perconsequens nec sacramentalis, quæ sine spirituali est imperfecta, vt supra † habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramẽtum sumpsit.

Q.pra.ar.11.

SED CONTRA est, quod Hier. *dicit ad Lesbiam, Dominus IESVS Christus ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.

Q.2.ad Hadibiã.to.4.refertur de cons.d.2.c. Nec mores.

RESPONDEO dicẽdum, quod quidam dixerunt, quòd Christus in cœna corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur conuenienter dici, quia Christus ea, quæ ab aliis obseruãda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit, quàm aliis baptismũ imponeret, secundũ illud Actuum 1. Cœpit IESVS facere, & docere. Vnde & primo ipse corpus suũ & sanguinem sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit. Et hoc est quod Ruth. 3. super illud, Cumq; comedisset & bibisset, &c. dicit gl.* quod Christus comedit & bibit in cœna, cùm corporis & sanguinis sui sacramentũ discipulis tradidit. Vnde quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.

Glo.ord.ibid.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in Euangeliis legitur, quod Christus accepit panem & calicẽ, non est autem intelligendum quòd accepit solum in manibus, vt quidã dicunt, sed eo modo acceperit, quo aliis accipiendum tradidit. Vnde cùm discipulis dixerit, Accipite, & comedite, & iterum, Accipite & bibite, intelligendum est, quod ipse accipiẽs comederit & biberit. Vnde & quidam metricè dixerũt, Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena, Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

AD SECVNDVM dicendũ, quod (sicut supra* dictum est) Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum, non secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium, ita quod in quocunque loco, vbi sunt illæ species, est ipse Christus. Et quia species illę potuerũt esse in manibus, & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore. Nõ autem hoc potuisset esse, secundum quod cõparatur ad locum per proprias dimensiones.

Q.76.ar.5.

Q.79.ar.1. Ad tertium dicedum, quod (sicut supra * dictum est) effectus huius sacramenti est nõ solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quãuis autẽ Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramẽti, habuit tamen quandam spiritualem delectationem in noua institutione huius sacramenti Vnde ipse dicebat Luc. 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, quod Eusebius exponit de nouo mysterio noui Testamẽti, quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter manducauit, & similiter sacramentaliter, inquantum corpus suum sub sacramẽto sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit & disposuit. Aliter tamen quam cæteri sacramentaliter & spiritualiter sumant, * qui augmentum gratię suscipiunt sub sacramentalibus signis, quibus indigent ad veritatis perceptionem.

Alias, qui augmentum gratiæ suscipiunt, & sacramentalibus signis indigent, &c.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus dederit Iudæ corpus suum.

4.d.11.q.3.ar.2.q.1.& 2. Et Io.13.le.3.co.4.h.& le.4 co.3.fi.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Christus Iudę non dederit corpus suum. Vt enim legitur Matth. 26. Postquam dedit Dominus corpus suum, & sanguinem discipulis, dixit eis, Non bibã amodo de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouũ in regno Patris mei. Ex quo videtur, quod illi quibus corpus suum & sanguinem dederat, cùm eo essent iterum bibituri. Sed Iudas postea cum ipso non bibit. Ergo non accepit cùm aliis discipulis corpus Christi, & sanguinẽ

¶2. Præterea, Dñs impleuit ꝙ præcepit, secundũ illud Act. 1. cœpit IESVS facere & docere. Sed ipse præcepit Matt. 7. Nolite sanctũ dare canibus. Cũ ergo ipse cognosceret Iudam esse peccatorem, videtur quod ei corpus suũ & sanguinẽ non dederit.

¶3. Præterea, Christus specialiter legitur Iudæ panem intinctum porrexisse, Ioan. 13. Si ergo corpus suum ei dedit, videtur quod sub buccella ei dederit, pręcipuè cũ legatur ibidẽ, quod post buccellam introiuit in eum Satanas. Vbi Augu. *dicit, Hinc nos docemur, quam sit cauẽdum malè accipere bonum: si enim corripitur qui non diiudicat, idest nõ discernit corpus Domini à cæteris cibis, quomodo non damnabitur, qui ad eius mensam fingẽs se amicum, accedit inimicus? Sed cum buccella intincta non accepit corpus Christi, vt enim August. *dicit super illud Ioan. 13. Cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ: non vt putant quidam negligenter legentes. Tunc Iudas corpus Christi accepit.

Tract.62. in Io. circa prin. to.9.

Tract.62. in Io. in med. t.9.

SED CONTRA est, quod Chry. *dicit, Iudas particeps existens mysteriorum, conuersus non est. Vnde fit scelus eius vtrinq; immanius, tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria, tum quia adiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

Homil. 46. in Io. a non remetè ante fi. to.3.

RESPONDEO dicẽdum, quod Hilarius * posuit super Matthæum, quod Christus Iudæ corpus suum & sanguinẽ non dedit. Et hoc quidem conueniens fuisset, cõsiderata malitia Iudæ. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum iustitiæ, non conueniebat eius magisterio, vt Iudam occultũ peccatorẽ, siue accu-

Canone 30. in Matth. circa med.

accuſatore & euidenti probatione ab aliorũ communione ſepararet, ne per hoc daretur exẽplum Prȩlatis Eccleſiæ, ſimilia faciendi, & ipſe Iudas exaſperatus, inde ſumeret occaſionem peccandi. Et ideo dicendum eſt, quòd Iudas cum aliis diſcipulis corpus Domini & ſanguinem ſuſcepit, vt dicit Dionyſ.* in lib. Eccleſ. Hier. & Aug. ſuper † Ioann.

Dion. c. 3. Eccle. hier. par. 3 non longè à princ.
Aug tract. 62 in Euang. Io. to. 9.
Loco citato in cor. ar.

Ad primvm ergo dicendum, quod illa eſt ratio Hilar.* ad oſtendendum quod Iudas corpus Chriſti non ſumpſit. Non tamẽ cogit, quia Chriſtus loquitur diſcipulis, à quorũ collegio Iudas ſe ſeparauit, non autem Chriſtus eum excluſit. Et ideo Chriſtus, quãtum eſt in ſe, etiã cum Iuda vinum in regno Dei bibit, ſed hoc conuiuium ipſe Iudas repudiauit.

Ad secvndvm dicendũ, quod Chriſto nota erat Iudæ iniquitas, ſicut Deo, non autem erat ſibi nota per modum, quo hominibus innoteſcit. Et ideo Chriſtus Iudam nõ repulit à cõmunione, vt daret exemplum, tales peccatores occultos non eſſe ab aliis ſacerdotibus expellendos.

Ad tertivm dicendum, quod ſine dubio Iudas ſub pane intincto corpus Chriſti nõ ſumpſit, ſed ſimplicem panem. Significatur autem fortaſſis (vt Aug.* ibidẽ dicit) per panis intinctionem fictio Iudæ: vt enim inficiantur nonnulla intingun tur. Si autem bonum aliquid hic ſignificat tinctio (ſcilicet dulcedinẽ bonitatis diuinæ, quia panis ex intinctione ſapidior redditur) idem bonũ ingratũ non immerito eſt ſecuta damnatio. Et propter hanc ingratitudinẽ id quod eſt bonum, factum eſt ei malum, ſicut accidit circa ſumentes corpus Chriſti indignè. Et ſicut Auug.* ibidem dicit, intelligendum eſt, quod Dominus iã antea diſtribuerat omnibus diſcipulis ſuis ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, vbi & ipſe Iudas, erat, ſicut Lucas narrat. Ac deinde ad hoc ventum eſt, vbi ſecundũ narrationẽ Ioannis Dominus per buccellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit proditorem.

Tractá. 62. in Io. circa me, to. 9.
Ibid.

ARTICVLVS III.

Vtrum Chriſtus ſumpſerit & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſſibile.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus ſumpſerit, & diſcipulis dederit corpus ſuũ impaſſibile. Quia ſuper illud Matt. 17. Trãsfiguratus eſt ante eos, dicit quædam gloſ.* Illud corpus quod habuit per naturam, dedit diſcipulis in cœna non mortale & paſſibile. Et Leuit. 2. ſuper illud, Si oblatio tua fuerit de ſartagine, dicit gloſ.* Crux ſuper omnia fortis, carnem Chriſti, quæ ante paſſionem non videbatur eſui apta, pòſt aptã fecit. Sed Chriſtus dedit corpus ſuum vt aptum ad manducandum. Ergo dedit tale quale habuit poſt paſſionem, ſcilicet impaſſibile, & immortale.

4. d. 11. q. 3. art. 3. & d. 12. q. 1. ar. 3. q. 1. cor.
Glo. ordi. ibid.
Ibidem.

¶ 2. Prætereà, Omne corpus paſſibile, per contactum & manducationẽ patitur. Si ergo corpus Chriſti erat paſsibile, per contactum & commeſtionem diſcipulorum paſſum fuiſſet.

¶ 3. Præterea, Verba ſacramentalia non ſunt modò maioris virtutis, quando proferuntur à ſacerdote in perſona Chriſti, quàm tunc quando fuerũt prolata ab ipſo Chriſto.

ſto. Sed nunc virtute verborum ſacramentalium, in altari conſecratur corpus Chriſti impaſſibile & immortale. ergo multo magis tũc.

SED CONTRA eſt, quod ſicut Innoc. III.* dicit, tale corpus tunc dedit diſcipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus paſſibile & mortale. Ergo corpus paſſibile & mortale diſcipulis dedit.

In lib. 4. de ſacro myſte. altaris c. 12. post med.

RESPONDEO dicendum, quod Hugo de ſancto Vict. poſuit, quod Chriſtus ante paſſionem diuerſis tẽporibus quatuor dotes corporis glorificati aſſumpſerit ſcilicet ſubtilitatem in natiuitate, quando exiuit de clauſo vtero Virginis, agilitatem, quando ambulauit ſiccis pedibus ſuper mare, claritatem in tranſfiguratione, impaſſibilitatẽ in cœna, quando corpus ſuum diſcipulis tradidit manducandum, & ſecundum hoc dedit diſcipulis ſuis corpus ſuum impaſſibile & immortale. Sed quicquid ſit de aliis (de quibus ſupra dictum eſt,* quid ſentiri debeat) circa impaſſibilitatem tamen impoſſibile eſt eſſe quod dicitur. Manifeſtum eſt enim, quod idẽ verum corpus Chriſti erat quod à diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie ſacramenti inſumebatur. Non autem erat impaſſibile, ſecundum quod in propria ſpecie videbatur, quinimo erat paſſioni paratum. Vnde nec ipſum corpus Chriſti, quod in ſpecie ſacramenti dabatur impaſſibile erat. Impaſſibili tamen modo erat ſub ſpecie ſacramenti, quod in ſe erat paſſibile, ſicut inuiſibiliter quod in ſe erat viſibile. Sicut enim viſio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circunſtans medium viſionis, ita paſſio requirit contactum corporis, quod patitur, ad ea quæ agunt. Corpus autem Chriſti ſecũdnm quod eſt ſub ſacramento (vt ſupra dictum eſt*) non comparatur ad ea quæ circunſtant, mediãtibus propriis dimẽſionibus, quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis & vini. Et ideo ſpecies illæ ſunt quæ patiuntur & videntur, non autem ipſum corpus Chriſti.

Q. 28. ar. 2. ad 3. & q. 54. ar. 1. ad 1.

Q. 76. ar. 4. 5. & 6.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Chriſtus dicitur in cœna non dediſſe corpus ſuum mortale & paſſibile, quia non dedit mortali & paſſibili modo. Crux autem fecit carnem Chriſti aptam manducationi, inquantum hoc ſacramentum repræſentat paſſionem Chriſti.

AD SECVNDVM dicendum, quod ratio illa procederet, ſi corpus Chriſti ſicut erat paſſibile, ita ſibili modo fuiſſet ſub ſacramẽto.

AD TERTIVM dicendũ (quod ſicut ſupra dictum eſt*) accidentia corporis Chriſti ſunt in ſacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi ſacramenti, ex qua eſt ibi ſubſtãtia corporis Chriſti. Et ideo virtus verborum ſacramentalium ad hoc ſe extendit, vt ſit ſub ſacramento corpus Chriſti, ſcilicet quibuſcunque accidentibus realiter in eo exiſtentibus.

Q. 76. ar. 4.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſi hoc ſacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum vel conſecratum, ibi moreretur.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod ſi hoc ſacramẽtum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatũ in pixide, vel ab aliquo Apoſtolorum conſecratum, nõ ibi moreretur. Mors enim Chriſti accidit

4. d. 10. ar. 2. q. 1. co. & d. 11. q. 3. contra c. 64. Et quol. 5. nu. 11. ad 1. & Io. 6. lec. 6. fi. & 1. Cor. 11 lec. 6. ic. 3. fin.

dit per eius passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat in hoc sacramēto. Ergo nō poterat mori in hoc sacramento.

¶2. Præterea, In morte Christi separatus fuit sanguis eius à corpore. Sed in hoc sacramēto simul est corpus Christi & sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

¶3. Præterea, Mors accidit per separationē animæ à corpore. Sed in hoc sacramento continetur tā corpus quā anima Christi. Ergo in hoc sacramento non poterat Christus mori.

Sed contra est, quod idem Christus, qui erat in cruce, & fuisset in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in sacramento cōseruato moreretur.

Respondeo dicendum, quod corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento & in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie, contingit circunstantia corpora per proprias dimensiones, non autē prout est in hoc sacramento, vt supra dictum est.* Et ideo quicquid pertinet ad Christū secundum quod in se est, potest attribui ei & in propria specie & in sacramento existenti, sicut viuere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, & cætera huiusmodi. Quæcunque verò conueniūt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento, sic irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cætera huiusmodi. Vnde & quidam metricè dixerūt, fixide seruato poteris sociare dolorē, Innatum, sed non illatus conuenit illi.

Ar. præce. & q. 76. ar. 4. 5. & 6.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut dictum est*) passio conuenit corpori passo per cōparationem ad agēs extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati nō potest, potest tamen mori.

In cor. ar.

Ad secundum dicendum, quod (sicut supra dictum est*) sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis, sanguis autē sub specie vini. Sed nunc quidem, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab eius corpore, ex reali concomitantia & sanguis Christi est sub specie panis simul cum corpore, & corpus sub specie vini simul cū sanguine. Sed si tēpore passionis Christi, quādo realiter sanguis fuit separatus à corpore Christi, fuisset hoc sacramentum consecratū, sub specie panis fuisset solū corpus, & sub specie vini fuisset solum sanguis.

Q. 76. ar. 1. ad 1.

Ad tertium dicēdum, quòd (sicut supra dictū est*) anima Christi est in hoc sacramēto ex reali cōcomitātia, quia nō est sine corpore, non autem ex vi consecrationis. Et ideo si tunc fuisset hoc sacramentū consecratum vel peractum, quando anima erat à corpore realiter separata, non fuisset anima Christi sub hoc sacramento, non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

In solu. præce. & loco ibi citato.

Conclusio quæstionis.

Christus suū corpus & sanguinem in cœna sumpsit sacramentaliter: Apostolis & Iudæ distribuit passibile quidē in se, sed modo impassibili & inuisibili: & ideo si conseruaretur consecratum, ad triduū vsque mortis, in sacramento similiter atque in cruce moreretur.

Ratio primi: *Quia Christus actione prius expressit, quod aliis faciendū præcepit: & percepto sacramento, spirituale delectationē admisit, non gratiæ augmentū.*

Ratio secundi: *quia corpus quod videbatur exterius, illud idem percipiendū Apostolis dedit, vt omnino daret corpus suum, quod erat passibile: & Iudas peccator occultus repelli non debuit à communione publica.*

Ratio tertij: *Quia cum dederit Christus suum corpus, quæcumq; eidem vt est in se conueniunt, eadem conueniunt existenti in hoc sacramento, non verò quæ conueniunt ratione corporum extrinsecus adiacentium, cum hic cōtineatur modo sacramentali, & ideo impassibile & insensibili ab externis. illius exēpla sunt, mori, dolere, animatum esse aut inanimatum, huius irrideri, conspui, flagellari, crucifigi.*

COMMENTARIVS.

Quomodo Christus hoc sacramento sit vsus.

1 EX his autem omnibus colligitur, Christum Dominū in vltima cœna, seipsum sacramentaliter sumpsisse, mortalem & passibilem sub vtraq; specie; & similiter dedisse Apostolis, quos instituit noui testamenti sacerdotes, vt deinde similiter conficerent, & distribuerent hoc sacramentū. Prior pars huius cōsectarij constat, quia huiusmodi exemplo Christi sæpè vsi sumus in præcedentibus, ad confirmanda multa de communione huius sacramenti præsertim in sacerdotibus: & eādem partē colligunt Patres ex illis verbis, Luc. 22. desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. loquebatur enim de suo Paschate & sacramento sui corporis, cùm legalia non esset cur tā vehementer expeteret. & supra ex illis verbis Marc. 14. iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei: manducauerat igitur & biberat Christus seipsum sacramentaliter, cum de vtraque sacramēti specie realiter ipsum continente, loqueretur. Quamuis autem modus existendi sacramentaliter sit impassibilis respectu rei contentæ, vt ostendimus differentes de corpore Christi in propria, & in aliena sacramenti specie, Christus tamen existens in hac aliena specie, cum sit idem atque existens in propria, eadem vtrobique agat & patiatur necesse est: quare cum in vltima cœna fuerit mortalis, & seipsum ad mortem obtulerit, necesse est etiam in sacramento extitisse mortalem & passibilē, & nunc impassibilis existat, vt in cælo, vt ostendimus in consect. deductis ex doctrina transubstantiationis. Confirmatur eadem Christi cōmunio: quia nisi ipse prius sumeret non allicerentur Apostoli ad potum sanguinis lege prohibitum, & multò minus ad manducationem carnis humanæ, etiam sub aliena specie: neque esset verum quod sæpe Patres & Ecclesia vsurpāt, in illa Christi cœna, eundem fuisse conuiuam & conuiuium, vt inquit Hier. ad Hedibiam, q. 2 Chrysost. Hom. 83. in Matth. Isichius, lib. 2. in Leuit. cap. 8. appellans sanguinem intelligibilem, ratione modi sacramentalis, i. est mysticum sub figura & specie vini. Solemne etiam erat sacrificanti sacerdoti hostia oblata participare: Christum autem in vltima cœna verè seipsum sacrificasse recta fides docet, vt statim constabit. Consueuit etiam Christus semper non solùm doctrina, sed etiam exemplis & factis alios instituere, sicut scriptum est, Act. 1. cœpit IESVS facere & docere: sic prius voluit baptizari, quam baptismi præceptum imponeret, & prius sacramentum à se institutum sumpsit, quam aliis distribueret, signa quidem sacramentalia ipsi sumenti signa fuerunt, sed non tecta & velata, vt nobis, cum apertè videret modum existendi in sacramento, de quo supra disseruimus.

Theologi omnes 4. Sent. d. 9. 11. & 12. Alen. 4 p. q. 44. memb. 1. & 2.

2 Apostolos verò à Christo accepisse hoc sacramentum, adeò ab Euangelistis expressum est, vt nullo modo dubitare liceat. referunt enim omnes excepto Ioanne, tradidisse Dominum post prolata verba consecrationis, corpus suum & sanguinem, vel ipsa simul proferendo, & præcipiendo dixisse, manducate & bibite; Marcus autē ait, & biberunt ex illo omnes: & idem semper sensit Ecclesia catholica, vt Patrum testimoniis cōsentientibus constat. ipsos autē Apostolos cōsecrandi potestatē à Dn̄o accepisse illis verbis, hoc facite in meā cōmemorationē, omnes etiā affirmāt, & concilia definiunt,

definiunt,& idcircò noui testamenti sacerdotes constitutos esse. Trident. sess. 22. cap.1.inquit, Christum Dominum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tũc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, vti semper catholica Ecclesia intellexit & docuit. Sed quia Iudam proditorem plerique asserunt, non accepisse à Domino sacram communionem, de hoc exactius disserendum est.certè Clemens Papa,lib.5.constit.Apost. cap.13. nomine Apostolorum scribit: cum autem tradidisset nobis antitypa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui absente Iuda, egressus est in montem Oliueti: & ideo aperte inquit Iudam non participasse sacris mysteriis. eiusdem sententiæ est Hilar.Can.30.in Matth.cùm ait, postquam Iudas proditor indicatur, sine quo Pascha, accepto calice & fracto pane, conficitur: dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Sed Iudam cum cæteris Apostolis communicasse eisdẽ mysteriis, autores sunt Chrysost.& August.

An Iudas proditor sacrã Eucharistiã à Domino, cum cæteris Apostolis, sumpserit.

3 Cuius autẽ sententiæ fuerit Dionysius non est omnibus similiter receptum, quia verba illius cap.de communione non vno modo exponũt:inquit enim, & ipse autor symbolorum iustissimè subtrahit eum,qui non sanctè,neque pari morum similitudine sacra concœnauerat, docens sanctè & vt Deum decebat, quod verus secundum virtutem ad diuina accessus præstat accedentibus communionem cũ simili ipsis, is qui concœnauerat Iudas intelligitur:& sacra illa his non sunt mysteria corporis & sanguinis Domini, sed typica & legalia agni & azymorũ, quæ dicuntur sacra, quia sacrificia, vt loquitur scriptura Exod.12. & Num.9. alioquin subducendo Iudam, non doceret Dominus, quis dignus esset sancta communione, sed constabat Domino Iudam esse indignũ,& ideo eum repulit, dicunt autores huius sententiæ.Idque confirmant,quia Matthæus & Marcus ante institutionem Eucharistiæ narrant dixisse Dominum,qui intingit mecũ manum in paropside, vel in catino, quod non est aliud, quã quod Lucas post institutionẽ scribit his verbis, verùm ecce manus tradentis me, mecum est in mensa:atque ideo volunt Lucã narrasse post institutionem, quod ipsam præcessit:& quia Dñs dedit ad designandũ proditorẽ intinctũ panem siue buccellam,&ea accepta, vt scribit Ioannes, continuò Iudas exiuit, & illa buccella est idem atq; intingere manũ in catino, concludũt Iudam non interfuisse Eucharistiæ institutioni: licet interfuerit lotioni pedum, & idcircò neque sacris mysteriis participasse.

4 Sed nobis probatur magis sententia Chrysost.& August.quam etiam existimam is esse Dionysij, vt illa sacra, quę dicit cõcœnasse Iudam, sint mysteria corporis & sanguinis Domini.Primum quidem, quia cœna illa typica agni præcessit lotionẽ pedum, cũ ab illa peracta surgens Dominus, pedes Apostolorum abluerit, deinde sedẽs instituerit & distribuerit Apostolis Eucharistiam, tandem cœnam communem perfecerit.quod si Iudas, vt omnes affirmant, ablutioni pedum interfuit, & buccella accepta, vt constat ex narratione Euangelistæ, non fuit Eucharistia, vt etiam scribit Iulius Pontif.& Concil. III. Bracaren. c. 1. certè non accepit bucellam in cœna typica, sed in ipsa Eucharistiæ institutione, vel paulo ante: & ideo cum aliis sacram Eucharistiam Apostolis sumpsit, vt omnes Euangelistæ narrant excepto Ioanne, qui tantum meminit buccellæ. qua accepta continuò de cœna exisse, non est ante Eucharistiam institutam, sed ante sermonem: quoniam statim exorsus est Dominus, & cui cæteri Apostoli interfuerunt.

5 Accedit testimonium Eugenij Pontif. in cap.Sacerdos de offic.ordin. vbi præcipit sacerdoti non remouere nominatim à sacra communione, quem secretò scit reũ esse, quia non vt iudex scit, sed vt Deus: quia, inquit, neque Christus Iudam à communione remouit. quod verò alij dicunt, hoc non dixisse Pontificem vt iudicem, sed vt interpretem, leuissima depulsio est grauissimi testimonij: cum totũ Pontificis decretũ huic interpretationi nitatur, quare si hæc firma non est, neque esset ipsum decretum:præsertim cùm decreta Pontificũ ex diuinæ scripturæ interpretationibus colligantur. Neque sanè decebat occultũ pecca-

peccatorem, & paucis à Domino secretò detectum, ab aliorum communione separare, vt concludunt omnes Theologi, quibus nostra sententia probatur: idem enim liceret cæteris huius sacramenti dispensatoribus exemplo Christi, quod tamen non licet, vt ab Eugenio Pontif. diximus definitum esse.

3.p.q.81.ar.2 & 4.sent.d.11 Alē.4.p.mēb.4.q.44.

QVÆSTIO LXXXII.

De ministro huius sacramēti, in decem articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ministro huius sacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur decem.

Primò, vtrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdotis.

Secundò, vtrum plures sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.

Tertiò, vtrum dispensatio huius sacramēti pertineat ad solum sacerdotem.

Quartò, vtrum liceat sacerdoti consecrāti à communione abstinere.

Quintò, vtrum sacerdos peccator possit cōficere hoc sacramentum.

Sextò, vtrum Missa mali sacerdotis minus valeat quàm boni.

Septimo, vtrum hæretici schismatici vel excommunicati possint conficere hoc sacramentum.

Octauo, vtrum degradati.

Nono, vtrum peccent, à talibus communionem recipientes.

Decimo, vtrum liceat sacerdoti omninò à celebratione abstinere.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis.

4.d.13.2.q.1 ar 1.q.1. & d 17.q.3.ar.3 q.1.cor. & di. 24 q.2 ar 1. q.2.cor.co 2. & ar.3. ad 2. Q.78.ar.4.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod consecratio huius sacramenti non sit propria sacerdotis. Dictum est enim * supra quod sacramentum cōsecratur virtute verborum, quæ sunt forma huius sacramenti. Sed illa verba non mutantur, siue dicantur à sacerdote, siue à quocunque alio. Ergo videtur, quod non solus sacerdos, sed etiam quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

¶2. Prætereà, Sacerdos hoc sacramentū conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est vnitus Christo per charitatem. Ergo videtur quòd etiam laicus possit hoc sacramentum conficere. Vnde & Chrysost. * dicit super Matt. quòd omnis sanctus est sacerdos.

Chrys. ho. 43 in Matt. in opere imperf. non remotè à prin. to.2.

¶3. Prætereà, Sicut baptismus ordinatur ad hominū salutem, ita & hoc sacramentum, sicut ex supradictis patet. * Sed etiam laicus potest baptizare, vt suprà dictum est. * Non ergo est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

Q.79.

Q.67.ar.

¶4. Prætereà, Hoc sacramentū perficitur in consecratione materiæ. Sed alias materias consecrare, scilicet chrisma & oleum sanctum, & oleum benedictum, pertinet ad solum Episcopum, quarū tamen consecratio non est tantæ dignitatis, sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius Episcopi, hoc sacramentū conficere.

Sed contra est, quod Isidor. * dicit in quadam Epistola, & habetur in Decret. dist. 25. ad presbyterum pertinet hoc sacramentū corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere.

In decret d.25 c. Perlectis. & dicitur Isidor. id habere in ep. ad Ludifredū.

Respondeo dicendum, quod (sicut supradictum est*) hoc sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicunque autem aliquid agit

Q.78.ar.1. & 4.

agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatē ab illo concessam. Sicut autem baptizato cōceditur à Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cùm ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum cōsecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino: hoc facite in meam commemorationē. Et ideo dicendum est, quòd proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod virtus sacramentalis in pluribus consistit, & non in vno tantum, sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, & in aqua. Vnde & virtus consecratiua non solùm consistit in ipsis verbis, sed etiam in potestate sacerdoti tradita in sua consecratione & ordinatione, cùm ei dicitur ab Episcopo, accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium, tam pro viuis quam pro mortuis. Nam & illa virtus instrumētalis in pluribus instrumentis consistit, per quæ agit principale agens.

AD SECVNDVM dicendum, quod laicus iustus vnitus est Christo vnione spirituali per fidem & charitatem, nō autem per sacramētalem potestatem. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendū spirituales hostias, de quibus dicitur in Psalm. 50. Sacrificiū Deo spiritus contribulatus & Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuētem. Vnde & 1. Petri. 2. dicitur: Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.

AD TERTIVM dicendum, quod perceptio huius sacramenti non est tantæ necessitatis, sicut perceptio baptismi, vt ex supradictis patet.* Et ideo licet in necessitatis articulo laicus possit baptizare, nō tamen potest hoc sacramentum cōficere. *S. præce art. 11 ad 2. & q. 73. ar. 3.*

AD QVARTVM dicendū, quod Episcopus accipit potestatem vt agat in persona Christi super corpus eius mysticum, idest super Ecclesiam. Quam quidem potestatem non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex Episcopi commissione. Et ideo ea, quæ nō pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reseruantur Episcopo, sicut consecratio huius sacramenti. Ad Episcopum verò pertinet tradere non solum populo, sed etiam sacerdotibus ea, ex quibus possunt propriis officiis vti. Et quia benedictio chrismatis & olei sancti, & olei infirmorum, & aliorum, quæ consecrātur (puta altaris, Ecclesiæ, vestium, & vasorum) præstat quandam idoneitatē ad sacramenta perficienda, quę pertinent ad officiū sacerdotum, ideo tales consecrationes Episcopo reseruātur, tanquam principi totius Ecclesiasti ordinis.

ARTICVLVS. II.

Vtrum plures sacerdotes possint vnam & eandem hostiam consecrare.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod plures sacerdotes non possint vnam & eandem hostiam consecrare. dictū est enim supra,* quod plures non possunt simul vnum baptizare. Sed non minor vis est sacerdotis consecrantis, quam hominis baptizantis. Ergo etiam non possunt simul plures vnā hostiam consecrare. *4. d. 13. q. 1. ar. 2. q. 2.* *Q. 67. ar. 6.*

¶ 2. Præterea, Quod potest fieri per vnum, superfluè fit per multos. In

In sacramentis autem nihil debet esse superfluũ. Cũ ergo vnus sufficiat ad consecrandũ, videtur, quod plures non possint vnam hostiam consecrare.

¶3. Prætereà, Sicut dicit Augu.* super Ioann. hoc sacramẽtum est sacramentum vnitatis. Sed contrarium vnitati esse videtur, multitudo. Ergo non videtur conueniens esse huic sacramento, quod plures sacerdotes eandẽ hostiã consecrẽt.

Tracta. 26. in Ioan. c. 9.

SED CONTRA est, quod secũdum consuetudinẽ quarundam Ecclesiarum, sacerdotes, cùm de nouo ordinãtur, cõcelebrant Episcopo ordinanti.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est*) sacerdos cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna. Et ideo secundum consuetudinẽ quarundam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnãti concœnauerũt, ita noui ordinati, Episcopo ordinãti cõcelebrãt. Nec propter hoc iteratur consecratio super eandẽ hostiam, quia sicut Innocent. III.*dicit, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.

Ar. præce.

Lib. 4. de sacro altaris mysterio. c. 25. circa med.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis, quando iniunxit eis officium baptizandi. Et ideo non est similis ratio.

AD SECVNDVM dicendũ, quod si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerẽt alij celebrantes, vno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt vnum in Christo, ideo non refert vtrùm per vnum aut per multos hoc sacramentũ consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ seruari.

AD TERTIVM dicendum, quod Eucharistia est sacramẽtum vnitatis Ecclesiasticæ, quæ attenditur secundum hoc, quod multi sunt vnũ in Christo.

ARTICVLVS III.

Vtrum dispensatio huius sacramenti pertineat solùm ad sacerdotem.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non pertineat solùm ad sacerdotem dispensatio huius sacramenti. Sãguis enim Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum quàm corpus. Sed sanguis Christi dispensatur per diaconos, vnde & beatus Laurent.*dixit beato Sixto, Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationẽ. Ergo & pari ratione dispẽsatio corporis Christi, non pertinet ad solos sacerdotes.

4. d. 11. q. 2. ar. 1. q. 1. ad 3. Et d. 13. q. 1 ar. 3. q. 1. & 2.

Vt habetur in eius legenda.

¶2. Præterea, Sacerdotes constituũtur ministri sacramentorũ. Sed hoc sacramentũ perficitur in cõsecratione materię, nõ in vsu, ad quẽ pertinet dispensatio. Ergo videtur quod non pertineat ad sacerdotem corpus Domini dispensare.

¶3. Præterea, Dion.†dicit in lib. Ecclesi. hier. quod sacramentũ habet perfectiuam virtutem, sicut & chrisma. Sed signare chrismate baptizatos, nõ pertinet ad sacerdotẽ, sed ad Episcopum. Ergo etiam dispensare hoc sacramentum, pertinet ad Episcopum, non ad sacerdotem.

C. 3. Eccl. hier. part. 1. & c. 4.

SED CONTRA est, quod dicitur* de cõsec. dist. 2. Peruenit ad notitiam nostram, quod quidã presbyteri laico aut fœminæ corpus Dñi tradũt ad deferendũ infirmis: igitur

De consf. d. 2. c. Peruenit.

igitur interdicit synodus, ne talis præsumptio vlterius fiat: sed presbyter persemetipsum infirmos cõmunicet.

Respondeo dicẽdum, quod ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria. Primò quidem, quia (sicut dictum est*) ipse cõsecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecrauit corpus suum in cœna, ita & aliis sumendum dedit. Vnde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo, quia sacerdos constituitur medius inter Deum & populum. Vnde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata diuinitus, populo tradere. Tertiò, quia in reuerentiam huius sacramenti, à nulla re contingitur nisi consecrata. Vnde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum. Vnde nulli alij tãgere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu.

Ar.1.huius q.

Ad primum ergo dicendum, quòd diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt scilicet, dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate iubẽte Episcopo, vel presbytero. Primo quidem, quia sanguis Christi continetur in vase: vnde non oportet quod tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundò, quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum deriuatam: vnde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem & populum, magis conuenit diaconibus dispẽsatio sanguinis, quã dispẽsatio corporis.

Ad secundum dicendum, quòd eiusdem est, hoc sacramentũ dispensare & consecrare ratione iam dicta.*

In cor.ar.

Ad tertium dicẽdum, quod sicut diaconus in aliquo participat illuminatiuã virtutem sacerdotis, in quantum dispensat sanguinem, ita sacerdos participat perfectiuã dispensationem Episcopi, in quantum dispensat hoc sacramentum quo perficitur homo secundum se per comparationem ad Christum. Alię autẽ perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Episcopo reseruantur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum.

Sup.q.30.ar.11.&4.d.12 q.3.ar.2.q.2

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum. In aliis enim consecrationibus, ille qui consecrat materiam, non vtitur ea, sicut Episcopus consecrans chrisma, non linitur eodem. Sed hoc sacramentum consistit in consecratione materię. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum, non necesse habet vti eodẽ, sed potest licitè à sumptione eius abstinere.

¶2. Prætereà, In aliis sacramentis minister non præbet sacramentum sibiipsi, nullus enim baptizare potest seipsum vt suprà dictum est.* Sed sicut baptismus ordinatè dispensatur, ita & hoc sacramentum. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum, non debet ipsum sumere à seipso.

Q.66.ar.5.ad 4.arg.

¶3. Pręterea, Cõtingit quãdoq; quod miraculosè corpus Christi in

in altari apparet sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis, quę non sunt apta cibo & potui: vnde (sicut supra * dictum est) propter hoc sub alia specie traduntur, ne sint horrori sumētibus. Ergo sacerdos consecrans, non semper tenetur sumere hoc sacramentum.

Q.75.ar.5.& q.76.ar.8.

Sed contra est, quod in Concilio Toletano legitur, & habetur * de consec.dist.2.c. Relatum. Modis omnibus tenēdū est, vt quotiescunque sacrificans corpus Christi & sanguinem Domini nostri Iesv Christi in altari immolat, totiens perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se prębeat.

In Conc. Tolet. 5.can.5.de cōsec d.2.c. Relatum.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra * dictum est) Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Quicunque autem sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps, quia exteri⁹ sacrificium quod offertur, signum est interioris sacrificij, quo quis seipsum offert Deo: vt August. * dicit 10. de Ciuitat. Dei. Vnde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificiū interius pertinere. Similiter etiā per hoc quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem diuinorū, quorum ipse primò debet esse particeps, sicut Diony. * dicit in lib. Eccles. Hierar. Et ideo ipse ante sumere debet, quam populo dispenset. Vnde & in prædicto ca. * legitur, Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps, quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli, 1. Corinth. 10. Nōne qui eduunt hostias participes sunt altaris? Et ideo necesse est ꝙ sacerdos quotiescunque cōsecrat, sumat integrè hoc sacramentum.

Q.79.ar.5.& 7.

Lib.10.c.5.to.5.

Ca.3. Eccl.hierar. declinando ad fi.

Eod.can 5.12. Conc.Tole.

Ad primvm ergo dicendum, quod consecratio chrismatis vel cuiuscunque alterius materię, non est sacrificium sicut consecratio Eucharistiæ. Et ideo non est similis ratio.

Ad secvndvm dicendū, quod sacramentum baptismi perficitur in ipso vsu materiæ. Et ideo nullus potest baptizare seipsum, quia in sacramento nō potest esse idem agēs & patiens. Vnde nec in hoc sacramento sacerdos cōsecrat seipsum, sed panem & vinum. In qua consecratione perficitur sacramentum, vsus autem sacramenti est consequenter se habens ad hoc sacramētum. Et ideo non est simile.

Ad tertivm dicēdum, quòd si miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumēdum. Dicit enim Hier. * super Leuit. De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet. Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur, quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti, quod iteratò corpus & sanguinem Domini consecraret & sumeret.

Refertur de cō sec.d.2.c. De hac. Ex Orig. hom.7. sup.Leuit.

ARTICVLVS V.

Vtrum malus sacerdos Eucharistiam cōsecrare possit.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod malus sacerdos Eucharistiam consecrare non possit. Dicit enim Hiero. * super Soph. sacerdotes qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis

4.d.13.q.2.ar.2.q.3.ad 2.

Super illud Soph.3. Sacerdotes polluerūt sanctū. to.6.

pulis diuidunt, impiè agunt in lege Christi putãtes Eucharistiam precantis facere verba nõ vitam, & necessariam esse solennem orationẽ, & sacerdotis merita: de quibus dicitur: Sacerdos in quacunq; fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Sed sacerdos peccator cùm sit maculosus, nec vitam habet nec merita huic conueniẽtia sacramento. Ergo sacerdos peccator non potest consecrare Eucharistiam.

Li.4. orth. fid. c 14. non longè à medio.

¶ 2. Præterea, Damas. * dicit in 4. lib. quod panis & vinum per aduentum sancti Spiritus, supernaturaliter transit in corpus & sanguinem Domini. Sed Gelasius Papa dicit (sicut habetur* in Decr. 1. q. 1. c. sacrosancta) quomodo ad diuini mysterij consecrationem, cælestis Spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, qui eũ adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur? Ergo per malum sacercerdotem non potest Eucharistia consecrari.

In decr. 1. q. 1. c. Sacrosancta.

¶ 3. Præterea, Hoc sacramentum sacerdotis benedictione cõsecratur. Sed benedictio sacerdotis peccatoris non est efficax ad consecrationem huius sacramenti, cùm scriptum sit Malach. 2. Maledicam benedictionibus vestris. & Dionys. *dicit in epistola ad Demophilum monachum: Perfectè cecidit à sacerdotali ordine, qui non est illuminatus, & audax quidem nimium mihi videtur talis, sacerdotalibus manum apponens, & audet immũdas infamias (non enim dicam orationes) super diuina symbola Christiformiter enunciare.

Circa mediũ illius.

Sed contra est, quod Aug. † dicit in lib. de corpore Domini: Intra Ecclesiam catholicã, in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus sancti.

Refertur. 1. q. 1. c. intra catholicã. Et de cõse. d. 2. c. Vtrum sub: ex lib. de corpo: domini.

Respondeo dicendum, quod (sicut suprà dictum est*) sacerdos consecrat hoc sacramentũ non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona cõsecrat hoc sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus: habet enim Dominus bonos & malos ministros, seu seruos. Vnde Matt. 24. dicit: Quisputas est fidelis seruus & prudens, &c. postea subdit: Si autẽ dixerit malus ille seruus in corde suo, &c. Et Apostolus dicit 1. Corint. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & tamen postea subdit: Nihil mihi conscius sum: sed nõ in hoc iustificatus sum. Erat ergo certus se esse ministrum Christi: tamen nõ erat certus se esse iustum. Potest ergo aliquis esse minister Christi, etiamsi iustus nõ sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui sicut vero Deo seruiunt non solum bona, sed etiã mala, quæ per ipsius prouidentiam in eius gloriam ordinantur. Vnde manifestum est, quod sacerdotes etiãsi non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

Ar. 1. & 2. huius quæst.

Ad primum ergo dicendum, quod Hieronym. † per illa verba improbat errorem sacerdotum, qui credebant se dignè posse Eucharistiam consecrare, ex hoc solo, quòd sunt sacerdotes, etiamsi sint peccatores. Quòd improbat Hieronym. per hoc, quod maculosi ad altare

Loco citato in arg.

accedere prohibentur. Non tamen remouetur, quin si accesserint, sit verum sacrificium quod offerunt.

Ad secvndvm dicendum, quod ante illa verba Gelasius Papa † præmittit: Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet (nisi pura conscientia) nõ audeat peruenire. Ex quo manifestè apparet eius intẽtionem esse, quod peccator sacerdos non debet ad hoc sacramẽtum accedere. Vnde per hoc quod subdit: Quomodo cælestis Spiritus inuocatus adueniet, intelligi oportet, quod non aduenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cuius verba profert sacerdos.

In princ. c. citati in ar.

Ad tertivm dicendum, quod sicut eadem actio, in quãtum fit ex praua intẽtione ministri, potest esse mala, bona autem, inquantum fit ex bona intentione Domini, ita benedictio sacerdotis peccatoris, inquantum ab ipso indignè fit, est maledictione digna & quasi infamia, siue blasphemia, & non oratio reputatur: inquantum autem profertur ex persona Christi, est sancta & efficax ad sanctificandum. Vnde signãter dicitur: Maledicam benedictionibus vestris.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm missa mali sacerdotis minus valeat, quàm missa sacerdotis boni.

4. dist. 13. q. 1. ar. 1. q. 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod missa sacerdotis mali non minus valeat, quam missa sacerdotis boni. Dicit enim Greg. *in Registro: Heu in quam magnũ laqueum incidunt, qui diuina & occulta mysteria, plus ab aliis sanctificata posse fieri credunt: cum vnus idemq; Spiritus sanctus ea mysteria occultè, atq; inuisibiliter operãdo sanctificet. Sed hæc occulta mysteria celebrantur in missa. Ergo missa mali sacerdotis nõ minus valet, quàm missa boni.

Refertur hoc in decre. 1. q. 1. c. Multi ante me diuin.

¶ 2. Præterea, Sicut baptismus traditur à ministro in virtute Christi, qui baptizat, ita & hoc sacramẽtum in persona Christi consecratur. Sed non melior baptismus datur à meliori ministro, vt suprà dictum est.* Ergo etiam neque melior missa est, quæ celebratur à meliori sacerdote.

q. 64. ar. 5. & q. 67. ar. 5. & aliis.

¶ 3. Præterea, Sicut merita sacerdotum differunt per bonum & melius, ita etiam differunt per bonum & malũ. Si ergo missa melioris sacerdotis est melior, sequitur, quod missa mali sacerdotis sit mala. Quod est incõueniens, quia malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria, sicut August.* dicit in lib. de Baptismo. Ergo neq; missa melioris sacerdotis est melior.

Li. 2. contra literas Petiliani c. 47. circa fin. aliis verbis, t. 7.

Sed contra est, quod habetur in Decretis 1. quæst. 1.* Quanto sacerdotes fuerint digniores, tãto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

In decre. 1. q. 1. c. 92. Ipsi sacerdotes.

Respondeo dicendum, quod in missa duo est cũsiderare, scilicet ipsum sacramentum, quod est principale, & orationes, quæ in missa fiunt pro viuis & mortuis. Quantũ ergo ad sacramentũ, non minus valet missa sacerdotis mali, quam boni, quia vtrobique idem conficitur sacramentum. Oratio etiam, quę fit in missa, potest considerari dupliciter. Vno modo inquantum habet efficaciã ex deuotione sacerdotis

orantis,

orantis. Et sic non est dubiū, quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo inquantum oratio in missa profertur à sacerdote in persona totius Ecclesię, cuius sacerdos est minister. Quod quidē ministerium etiā in peccatoribus manet, sicut suprà dictū est* de ministerio Christi. Vnde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solū oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personā Ecclesię, licet orationes eius priuatæ nō sint fructuosæ secundū illud Prou. 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Art. prec.

Ad primum ergo dicendum, quod Greg.* loquitur ibi quantum ad sanctitatem diuini sacramenti.

Loco citato in arg.

Ad secundum dicendū, quod in sacramento baptismi non fiunt solennes orationes pro omnibus fidelibus sicut in missa. Et ideo quantum ad hoc non est simile. Est autē simile quantum ad effectum sacramenti.

Ad tertium dicendū, quòd per virtutē Spiritus sancti (qui per vnitatē charitatis communicat inuicem bona membrorum Christi) fit quod bonum priuatum, quod est in missa sacerdotis boni, est fructuosum aliis. Malū autē priuatū vnius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliquē consensum, vt Aug. † dicit in lib. contra Parmenianum.

Li. 2 ex c. 13. tom. 7. & ex tract. 5. in Ioā. tom. 9.

4. dist. 13. q. 1. ar. 1. q. 3. & in expo. in princ. & d. 18. q. 1. arti. 2. q. 3. ad 2. & d. 19. q. 1. ar. 2. q. 3. ad 1. Et quo. 12. artic. 16.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæretici, schismatici, & excōmunicati possint consecrare.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod hęretici, schismatici & excommunicati, Eucharistiam cōsecrare nō possint. Dicit enim Aug. † quod extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificij. Et Leo Papa dicit, † & habetur in Decretis 1. q. Aliter, scilicet quam in Ecclesia, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia. Sed hæretici, schismatici & excommunicati sunt ab Ecclesia separati. Ergo nō possunt verum sacrificium conficere.

In lib. sent. ex Aug. collectarum. c. 15. to. 3

Leo in epi. 38. habetur 1. q. 1. cap. In Ecclesia Dei.

¶ 2. Preterea, Sicut ibidem legitur. Innoc. † Papa dicit Arrianos cęterasq; eiusmodi pestes, quia laicos eorum sub imagine pœnitētię suscipimus, non videtur clerici eorum cum sacerdotij, aut cuiuspiā mysterij suscipiendi dignitate esse, quibus solum baptisma ratum esse permittimus. Sed nō potest aliquis consecrare Eucharistiam, nisi sit cum sacerdotij dignitate. Ergo hæretici & cæteri huiusmodi, nō possunt Eucharistiam consecrare.

1. q. 1. cap. 74. Arrianos.

¶ 3. Præterea, Ille qui est extra Ecclesiam, nō videtur aliquid posse agere in persona totius Ecclesię, sed sacerdos consecrans Eucharistiā, hoc agit in persona totius Ecclesię: quod patet ex hoc, quod omnes orationes proponit in persona Ecclesiæ. Ergo videtur, quod illi qui sunt extra Ecclesiam, scilicet hæretici, schismatici & excommunicati, non possint consecrare Eucharistiam.

Sed contra est, quod Aug. * dicit in 2. contra Parmenianum: Sicut baptismus in eis, scilicet hæreticis, schismaticis & excōmunicatis, ita ordinatio mansit integra. Sed ex vi ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiā: Ergo hæretici, schismatici & excommunicati,

Li. 2. c. 13. t. 7.

nicati, cùm in eis maneat ordinatio integra, videtur quod possint cõsecrare Eucharistiam.

RESPONDEO dicẽdum, quòd quidam dixerunt, quod hæretici, schismatici & excõmunicati, quia sunt extra Ecclesiam, non possunt conficere hoc sacramentum. Sed in hoc decipiuntur: quia sicut Augustinus † dicit in 2. contra Parmenianum, aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non rectè habere, & similiter etiam est aliud non dare, & aliud non rectè dare. Illi igitur, qui intra Ecclesiam constituti, receperunt potestatem consecrãdi Eucharistiam in ordinatione sacerdotij, rectè quidem habẽt potestatem, sed non rectè ea vtuntur, si postmodum per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, ab Ecclesia separentur. Qui autẽ sic separati ordinantur, nec rectè habent potestatem, nec rectè vtuntur. Quod tamen vtrique potestatem habeant, patet per hoc quod (sicut Augustinus † ibidem dicit) cùm redeunt ad vnitatem Ecclesiæ, non reordinantur, sed recipiuntur in suis ordinibus. Et quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens ordinis potestatem, illi qui sunt ab Ecclesia separati per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, possunt quidem consecrare Eucharistiam, quæ ab eis cõsecrata verum corpus & sanguinem Christi continet, non tamen hoc rectè faciunt, sed peccant facientes. Et ideo fructum sacrificij non percipiunt: quod est sacrificiũ spirituale.

Lib. 2. c. 13. ante med. tom. 7.

Lib. 2. contra Parmenianum c. 13. to. 7.

AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd autoritates illæ & similes intelligendæ sunt quantum ad hoc, quod non rectè extra Ecclesiam sacrificium offertur. Vnde extra Ecclesiam non potest esse spirituale sacrificium, quod est verum veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti: sicut etiam suprà dictum est, † quòd peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, sed nõ spiritualiter. *q. 80. ar. 3.*

AD SECVNDVM dicendum, quod solus baptismus permittitur esse ratus hereticis & chismaticis, quia possunt licitè baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu licitè possunt Eucharistiam consecrare, vel alia sacramenta cõferre.

AD TERTIVM dicendũ, quod sacerdos in missa in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiæ, in cuius vnitate consistit. Sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cuius vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. Et ideo si sacerdos ab vnitate Ecclesiæ præcisus, missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi, sed quia est ab Ecclesiæ vnitate separatus, orationes eius efficaciam non habent.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum conficere. Nullus enim conficit hoc sacramentum, nisi per potestatem consecrandi, quam habet. Sed degradatus non habet potestatem consecrandi, licet habeat potesta- *4. dist. 13. q. 1. arti. 1. q. 4. Et quo. 12. ar. 16.*

testatem baptizandi, vt dicit Canõ 1.quęst.1.cap.quidam.*Ergo videtur, quod presbyter degradatus nõ possit Eucharistiam consecrare.

Habetur in decretis 1.q.1.c. Quod quidam, cir. medium.

¶ 2.Præterea, Ille qui aliquid dat, potest etiam auferre. Sed Episcopus dat presbytero potestatem consecrandi, ordinando ipsum. Ergo etiam potest ei auferre, degradando eum.

¶ 3.Præterea, Sacerdos per degradationem, aut amittit potestatem consecrandi, aut solam executionem. Sed non solam executionem, quia sic non plus amitteret degradatus, quàm excommunicatus, qui etiam executione caret. Ergo videtur, quod amittat potestatem consecrãdi. Et ita videtur, quod nõ possit conficere hoc sacramentum.

Li.2.c.13.t.7. SED CONTRA est, quod † Augustinus in 2. contra Parmenianũ probat, quod apostatæ à fide non carent baptismate, per hoc, quod per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur. Sed similiter degradatus, si reconcilietur, non est iterum ordinandus. Ergo non amisit potestatem cõsecrandi. Et ita sacerdos degradatus potest cõficere hoc sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quod potestas consecrandi Eucharistiã, pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, vt suprà dictum est, † sicut & quaruncunque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt. Vnde manifestũ est, quod potestas consecrandi non amittitur per degradationem. Dicit enim August. † in 2. cõtra Parmenianum. Vtrumq;, scilicet baptismus & ordo, sacramentum est, & quadam cõsecratione vtrunq; homini datur, illud, cùm baptizatur, istud, cùm ordinatur, ideoq; non licet à catholicis vtrunque iterari. Et sic patet, quod sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

q.63.ar.5.

Lib.2. ca.13. à med. to. 7.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Canon ille non loquitur assertiuè, sed inquisitiuè, sicut ex circunstantia literæ haberi potest.

AD SECVNDVM dicendum, quod Episcopus non dat potestatem sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cuius effectus per hominem tolli non potest, secundum illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Et ideo episcopus non potest hanc potestatem auferre, sicut nec ille qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem.

AD TERTIVM dicendũ, quod excommunicatio est medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum, sed ad correctionem vsq; ad tempus. Degradatis autem aufertur executio quasi in perpetuum condemnatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus, communionem recipere, & eorum missam audire.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod aliquis licitè possit communionem recipere à sacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel & peccatoribus & ab eis missam audire. Sicut enim * August. contra Petilianum dicit:

Suprà q.64. ar.9. ad secundum & tertiũ. Et 4.d.13.q.1.ar.3.q.3.

Refertur hoc in decre.1.q.1.c. Neque in prin.

Neque in homine bono, neque in homine malo aliquis Dei fugiat sacramenta. Sed sacerdotes quamuis sint peccatores & hæretici, vel excommunicati, verum conficiunt sacramentum. Ergo videtur, quod non sit vitandũ ab eis communionẽ accipere, vel eorũ missã audire.

¶ 2. Præterea, Corpus Christi verũ, figuratiuum est corporis mystici, sicut supra dictum est.* Sed à prædictis sacerdotibus verum corpus Christi consecratur. Ergo videtur, quod illi, qui sunt de corpore mystico, possint eorum sacrificiis communicare.

q. 80. ar. 4.

¶ 3. Præterea, Multa peccata sunt grauiora, quã fornicatio. Sed non est prohibitum audire missas sacerdotũ aliter peccantiũ. Ergo etiam nõ debet esse prohibitũ audire missas sacerdotũ fornicariorũ.

Sed contra est, quod Canon dicit 32.* distinct. Nullus missam audiat sacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere. Ex† Gregor. dicit in 3. dial. quod pater perfidus Arrianum episcopum misit ad filium, vt de eius manu sacrilegæ consecrationis communionẽ perciperet, sed vir Deo deditus Arriano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit.

d. 32. c. Nullus

Gregor. lib. 3. Dial c. 31. parum à princip.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictũ est*) sacerdotes si sint hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeãt potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes. Quicunq; autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Vnde & in 2. Canon.* Ioã. dicitur, quod qui dixerit ei, aue (scilicet hæretico) cõmunicat operibus illius malignis. Et ideo non licet à prædictis cõmunionẽ accipere, aut eorum missam audire. Differt tamen inter prædictas sectas. Nam hæretici & schismatici & excommunicati, sunt per sententiam Ecclesiæ, executione consecrandi priuati, & ideo peccat quicunq; eorum missam audit, vel ab eis accipit sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ executione huius potestatis priuati. Et sic quamuis sint suspensi quantum ad se ex sentẽtia diuina, non autem quantũ ad alios ex sententia Ecclesiæ. Et ideo vsq; ad sententiam Ecclesię licet ab eis communionem accipere, & eorũ missam audire. Vnde super illud 1. Cor. 5. Cùm huiusmodi nec cibũ sumere, dicit glos.† Aug. Hoc dicẽdo, noluit hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspitionis, vel etiã extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundũ ordinẽ Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum & conuictum.

arti. 5. 6. 7. & 8. huius q.

Circa finem illius.

Est Aug. in lib. de vtilitate pœni. à med. to. 9. habetur etiam hic lib. tom. 10. inter 50. hom. & est vltima.

Ad primvm ergo dicendum, quod in hoc, quod refugimus audire missas talium sacerdotium, aut ab eis communionem recipere, nõ refugimus Dei sacramenta, sed potius ea veneramur. Vnde hostia à talibus sacerdotibus consecrata est adoranda, & si reseruetur, licitè potest sumi à sacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indignè ministrantium.

Ad secvndvm dicendũ, quod vnitas corporis mystici est fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indigna percipiunt, vel ministrãt priuãtur fructu, vt suprà dictũ est.† Et ideo non est sumendũ ex eorũ dispensatione sacramentum, ab eis

q. 80. ar. 4. & art. 7. huius q.

eis qui non sunt in vnitate Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quod licet fornicatio nõ sit grauior cæteris peccatis, tamẽ ad eã proniores sunt homines propter carnis concupiscentiam. Et ideo specialiter hoc peccatũ sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, & ne aliquis audiat missam concubinarij sacerdotis. Sed hoc intelligendum est de notorio, vel per sententiã, quæ fertur in conuictum, vel per cõfessionem in iure factam, vel per euidentiam facti, quando non potest peccatũ aliqua tergiuersatione celari.

COMMENTARIVS.

De ministro Eucharistiæ conficiendæ, & distribuendæ.

1 De vsu & communione Eucharistiæ tam nostra, quàm Christi & Apostolorũ dictum est, nunc de ministro communionis & sacramenti dicendũ est: est autem de ministris hęc sententia catholica. Solus sacerdos ritè & canonicè institutus, hoc sacramentum, consecrando panẽ & vinũ, conficere potest: etiãsi multis peccatis contaminatus, hęreticus, excõmunicatus & degradatus sit: sed peccat, qui ab huiusmodi sacramentum sumit, nisi aliqua ratione probabili excusetur: possunt etiã plures sacerdotes simul eandem materiã consecrare, & idem conficere sacramentum.

3.p.q.82.ar.1

Prima p. huius sententię solis sacerdotibus ritè ordinatis, potestatẽ consecrandi concedit: quia cõficiunt in persona Christi dicentes super panẽ, hoc est corpus meum, & super vinũ, hic est calix sanguinis mei: qui autẽ aliquid in persona alterius efficit, ab eo debet accipere potestatẽ: sed eã tantũ accipiunt sacerdotes in sua ordinatione, vt sicut Apostolos Dñs instituit sacerdotes dicens, hoc facite in meã cõmemorationem, sic Eps presbyteros dicens, accipite potestatem offerendi: & sicut Christus misit Apostolos, sic Epis dicitur in sua ordinatione, vade & prędica populo tibi cõmisso: soli igitur sacerdotes potestatem habent consecrandi, idest conficiẽdi hoc sacramentũ.

Art.3.
1. Inde etiã constat, solius sacerdotis esse, hoc sacramentũ aliis dispẽsare: tum quia Christus cuius sacerdotes ministri sunt, prius cõsecrauit, deinde Apostolis distribuit: significãs proculdubio eius esse distribuere, cuius est cõsecrare: tũ etiã quia sacerdos cõstituitur in his quę ad Deũ sunt, vt offerat dona & sacrificia. Heb.5. quare ad eundẽ etiã debet pertinere, dona diuinitus sanctificata dispẽsare. 2. cui etiã muneri congruit cõsecratio sacerdotis, cũ nihil hoc sacramentũ contingere possit, nisi consecratũ, vt altare, corporale, calix & patena, & eadẽ ratione sacerdotis manus olei sancti vnctione consecrantur. 3. vnde nullus, nisi vrgẽte necessitate, Eucharistiã contingere potest, vt si absente sacerdote cõtingat in terrã decidere.

Solus sacerdos dispensare potest hoc sacramentum.

Pręterea, si iure diuino ad sacerdotẽ pertinet examinare, an digni sint, qui ad hoc sacramentũ accedunt, ad eundẽ etiam pertinebit legitima eiusdẽ sacramenti distributio, cũ debeat tantũ dignis distribuere. 4. Vnde, diaconũ dispensare sanguinem, vt olim fuit in vsu, vel laicũ ex necessitate aliis, vel sibi alio tẽpore sumendum deferre, quod olim aliquando factum legimus, vt narrauimus ex probatis historiis supra in doctrina de communione sub altera specie, non est propriè dispensare hoc sacramentũ: cũ nullus præter sacerdotem possit accedẽtes ad hoc sacramentum discernere, quod est proprium ordinarij dispensatoris, sed illud erat dispensanti sacerdoti ministrare. Ita constat ex Cypriano ser. de lapsis, sacerdotes vsos esse diaconis vt ministris, quod ipsorum nomini & muneri congruit, ad distribuendum sanguinem, cùm aliqui ex populo vtraq; specie communicarent. cõstat etiam ex D. Ambros. lib.1. de offic. cap.41. & diaconos detulisse absentibus sacram Eucharistiam, autor est Iustinus in fine apol.2.

Diaconis quid olim cõcessum.

2 Vnde cùm tempore Concilij Nicæni, quidã diaconi ausi essent presbyteris hoc sacramentum dispensare, & ante ipsos cõmunicare, can.14. eiusdem Concilij reprahenduntur, & definitur, diaconos suo loco post Episcopos & presbyteros communicare, & non nisi absentibus presbyteris, seipsis, vel aliis distribuere: & ideò, quia in solemnibus sacris primitiuæ Ecclesiæ, posteriorem partem sacramenti dispensabant, dicebantur consummatores, confirmatores, ac semel apud Ambros. consecratores sacramenti, si non est vitium in lectione eiusdẽ c.41. similiter in Arelateñ.2. can.15.

diacono nō licet, præsente presbytero, aut sedere, aut corpus Dñi distribuere. & Carthagin.4.c.38. diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus populo eroget: quæ decreta referuntur 93.d. c. non oportet, & c. præsente presbytero.

Non omnes fideles ex baptismo factos esse sacerdotes.

3 Ex his deprehenditur error Vvicleffi & Lutheri, totam hierarchiam ecclesiasticam perturbantium: cùm munus consecrandi & dispensandi hoc sacramentum, omnibus fidelibus promiscuè concedunt, asserentes quemcunque fidelem, ex ipso baptismo, institutum & factum esse sacerdotem: & præter eam baptismi institutionem, solam plebis, aut magistratus ciuilis nominationem, aut electionem necessariam esse, vt pro ordinatione Ecclesiastica & catholica, sit huiusmodi electio. Confirmant autem hanc impiam sententiam 1. Petr. 2. cum ait, vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: quæ cùm omnibus fidelibus dicantur, videntur omnes in sacerdotibus numerari. Addunt illud Hebr.9. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. & paulo post, non enim in manu facta sancta IESVS introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. quibus verbis contendunt, nulla alia esse sacrificia in nouo testamento, sed vnum illud Christi in cruce semel oblatum fuisse, nec amplius iterandum. Vnde concludunt, cùm nullum sit externum & visibile sacrificium, vt ipsi affirmant in Euangelio, neque esse externos & visibiles sacerdotes à cæteris fidelibus distinctos: sed omnes esse sacerdotes ad offerendum spirituales hostias, quæ solæ supersunt in nouo testamento.

Sunt in nouo testamento sacerdotes ex sua ordinatione, à cæteris fidelibus diuino iure distincti.

4 Ecclesia autem catholica semper sensit & docuit, esse externum & visibile sacrificium, cui conficiendo, destinati sunt spirituali ordinatione & institutione Christi, sacerdotes à reliquo populo segregati, quorum sit legitima potestas conficiendi hoc sacramentum: quod idem sacrificium esse, magnis testimoniis euincemus deinceps: nunc quod est huius loci, esse sacerdotes proprios ministros huius sacramenti concludamus. Primò quidem ex ordine hierarchico Ecclesiæ, in quo ex sententia sæpè repetita à D. Paulo, sunt ministri distinctis muneribus accommodati, vt membra in corpore, sunt pastores & doctores, sacerdotes etiam presbyteri, quorum institutio & sacra ordinatio propria est Episcoporum. sic ad Titum cap.1. huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. & de potestate accepta per impositionem manuum in ordinatione est illud. 1. Timot.4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Secundò idem confirmat praxis, & vsus Ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis Apostolis deriuata, semper habuit in hierarchia ecclesiastica sacerdotes & Episcopos ad dispensandum populo sacramenta & verbum Dei. Sic etiam Dominus Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. missus est autem Dominus, vt dissolueret opera diaboli 1. Ioan.3. & nos Deo reconciliaret, sicut scriptum est Esai.61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dñs me: ad annūtiandum mansuetis misit me, vt mederer cōtritus corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. ideo eodem ca.20. dedit etiam Apostolis potestatem hierarchicam iudicandi dicens, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & ad eam exercendam confert spiritum sanctū, Telestarxicon, præsidē sacramentorum. vnde, qui missos cum huiusmodi potestate non audit, mittentem non audit. iuxta illud, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.

5 Cùm autem Pater miserit filium suū, vt maneret nobiscum vsque ad consummationem sæculi, similiter missi à Christo semper manere debent in Ecclesia, cùm sint ministri mysteriorum Christi. ipsi verò, cùm morte prohiberentur, permanere non poterant: necessariò igitur acceperunt potestatem mittendi alios pro seipsis. quare cum Dominus miserit tantū Apostolos,

ſtolos,& ipſis poteſtatem conceſſerit mittendi alios,vt eccleſiaſtica hierarchia permaneret:illis ſanè dedit poteſtatem ordinandi miniſtros ſacramentorum Epiſcopos & presbyteros,nō autem politicis magiſtratibus: qui tantum mittuntur ad vindictam malorum, laudem verò bonorum 1.Pet.2.& idcircò poteſtati ſæculari,qui cō cedunt poteſtatem mittēdi ſacerdotes, vt Proteſtantes & Caluiniani,ex caudis velùt capita oriri & naſci. Sic Eccleſia catholica in ordinatione Epiſcopi ait, vadé & prædica populo tibi commiſſo; vt dictum eſt à Domino Apoſtolis, ite docete omnes gentes:& presbytero,accipe poteſtatem offerendi,vt dixit Dominus Apoſtolis,hoc facite in meam commemorationem.

6 Ad argumenta vero hęc,quæ aduerſarij deſumpſerunt ex D.Petro & Paulo,facilis eſt reſponſio.Fatemur enim commune eſſe omnium chriſtianorum ſacerdotium illud ſpirituale tantum, ad offerendum, vt idem Petrus inquit,ſpirituales hoſtias: ſed aſſerimus præterea ex diuina Chriſti inſtitutione eſſe in Eccleſia aliud ſacerdotium Liturgicū,ideſt miniſteriale, ad offerendū viſibile & externum nou.teſt.ſacrificiū, & ſupplicandum pro populo, ſicut etiam in veteri lege fuit vtrumque ſacerdotium.de ſpirituali eſt illud Exod. 19. dictum veteri populo, vt dicitur poſteà perfectiori modo de nouo,eritis mihi populus acquiſitionis, regale ſacerdotium, gens ſancta: cùm voluerit Dominus, vt eſſent omnes populus electus,qui corpora ſua exhiberētDeo hoſtiam viuentē,& ſeruirēt iuſtitiæ in ſanctificationem:licet per circunciſionem ſpiritualem & baptiſmi regenerationē, hoc ſit in nou.teſt.perfectius.

In veteri & nouo teſtamento eſt duplex ſacerdotium,vnū ſpirituale,alterum miniſteriale & publicum in electis à Deo miniſtris.

Clem.lib.3. conſtit.c.15.in fine

7 De altero ſacerdotio miniſteriali, eſt omnium ſacerdotum in veteri lege inſtitutio in tribu Leuitica. quod ſi, vt inquit D. Paulus Hebr.9.ſacerdotes veteres ſunt vmbræ cæleſtium, quæ noui teſtamenti propria ſunt, & vetera tranſierunt,& facta ſunt omnia noua 2.Corinth.5. & in veteri lege præter ſacerdotium illud ſpirituale totius populi,fuit aliud publicum & miniſteriale in electis à Domino miniſtris, oportet etiam, vt vmbræ veteri veritas noua reſpondeat,eſſe in Euangelio miniſteriales ſacerdotes ad publica ſacrificia offerenda:ſicut prædictum fuerat Eſai.61. vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, & Liturgi,ideſt miniſtri Dei noſtri.quos inſtitutos eſſe ad offerendum & ſupplicandum pro populo,ipſa verbi vis oſtendit:cùm nihil aliud ſit Liturgin, quā offerre & ſupplicare pro populo.ſunt in vtroque teſtamento externa quædam,vt ſacramenta,& eorum miniſtri, & ideò non poſſunt omnia noui teſtamenti interna eſſe: quæ tamen ſunt externa in Euangelio,interiorem ſanctificationem per ſe efficiunt:quę fuerunt in veteri lege, efficere non poterant, cum eſſent infirma & egena elementa:& idcircò nouum teſtamentum id habet propriū, vt ſanet à vitio vetuſtatis: vetus autem nos huiuſmodi ſanitate indigere oſtendit,eam verò præſtare non poterat. ſimiliter vetus præcepit,quid fieri & cauere oporteat, vim faciendi & cauendi conferre non poterat,vt nouum confert, quia gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt, Ioan.1.

8 In electiòne autem miniſtrorum Eccleſiæ, vt ſacerdotum, eſt duplex ſuffragium, vnum autoritatis, quo chariſma & poteſtas ſpiritualis datur,& eſt alterum petitionis:illud tantum eſt Epiſcopi, qui ordinando confert characterem &poteſtatem miniſterij per manus impoſitionem, hoc autem populo cōceſſum eſt.itaq; populus & ciuilis magiſtratus ad eligendum ſacerdotem,nihil aliud afferre poſſunt,niſi deſiderium,petitionem,conſenſum & teſtimonium:ordinationem &inſtitutionem ſolus habet Epiſcopus. Sic legimus in Actis populum conſideraſſe ſeptem viros boni teſtimonij,ſicut iuſſum ei fuerat: deinde ſtatuerunt eos ante conſpectum Apoſtolorum,vt ipſi per manus impoſitionem eos in miniſterio diaconorum conſtituerent: ſic etiam Cypr.lib.1.epiſt.3.inquit,vt ſacerdos ſub omnium oculis deligatur, hoc eſt plebe præſente, non tamen eligente, aut ordinante. ſic Anaclet. epiſt.2.de electione Epiſcopi,& Synodus Nicæna can.4.& Nicæna 2.can. 3. & Leo magnus epiſt.84. cap.6. Hæc ad prius teſtimonium ex D. Petro.

In electione miniſtrorū Eccleſiæ,quid populo & laicis conce datur, & quid ſit Epiſcopi proprium.

9 Ad alterum ex D. Paulo Hebr.9.reſpondetur, aduerſarios non conſiderantes propoſitum & vim ſententiæ D.Pauli, maximè deceptos eſſe, pro eodē accipientes vnitatem rei oblatæ, ſiue victimæ, & vnitatem oblationis & modum offerendi.fatemur enim in ſacrificio noui teſtamenti

vnam tantum rem, & vnum corpus offerri, quod & in cruce primum oblatum est, & quotidie in Ecclesia offertur, & in cęlo à Christo pro nobis Patrem interpellante: & hanc victimæ vnitatem Paulus sacrificiis veteribus opponit in epist. Hebr. Ex qua non licet, vel vnitatem oblationis, vel modi offerendi concludere: cùm eadem victima & olim in mortem & satisfactionem pro peccatis, & reconciliatione generis humani oblata sit: & in cælo reuelata facie, & in propria specie gloriosa, vt prius in propria passibili & mortali, & in Ecclesia in aliena panis & vini specie offeratur. sic dicitur Hebr. 7. Christus apparere nunc vultui Dei pro vobis, & sempiternũ habere sacerdotiũ ad interpellandũ pro nobis, & c. 8. talẽ habemus pontificẽ, qui consedit in cælo, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo, hoc est consedit, vt ministerio offerendi sanctum tabernaculum corporis sui fungeretur. De modo autem offerendi eandem victimam in aliena specie, & in mysterio est illud Pauli eodem capit. 9. necesse est ipsa cælestia melioribus hostiis mundari. Cælestia enim dicit nostram Ecclesiam, quæ est eadem cùm Hierusalem cælesti, vt inquit Augustinus lib. 3. contra Donatistas: sed aliter nunc, aliter posteà futura. constat autem in cælo nihil indigere expiatione & mundatione. quare sunt in nostra Ecclesia meliores hostiæ, quibus mundemur à peccatis, applicando satisfactionem Christi in cruce perfectam, non quidem hostiæ spiritualis, quia loquebatur de sacrificio externo perfectiori, quàm fuerit illud veteris legis. de qua tota ratione sacrificij & sententia D. Pauli in epistola ad Hebr. paulò post exactius disseremus, nũc satis sit breuiter argumentationem aduersariorum refutauisse. ibidem etiam explicabitur hoc sacrificium Ecclesiæ ipsa consecratione huius sacramenti perfici.

D. Paulus in ep. ad He. cõcludit rei oblatæ & victimeæ vnitatem, non autem oblationis, aut modi offerẽdi.

10 Sequitur in eadem sententia, malitiam ministri, excommunicationem, & aliud quodcunque impedimentum, sacrificij & veritatem sacramenti non tollere, aut imminuere: quod licet generaliter de omnibus sacramentis suo loco dictum sit, nunc tamen de sacerdotis munere specialiter probandum est. Omnium autem ministrorum, siue in peccato mortali tantum existant, siue præterea excommunicati sint, degradati, aut suspensi, communis hæc ratio est. manente charactere, manet potestas consecrandi, per quam vera fit consecratio, cùm hæc potestas ad characterem pertineat: sed character semper manet, neque peccato mortali, aut aliqua pœna, vel censura Ecclesiastica aboleri potest: vt in doctrina de charactere ostendimus: ergo semper erit vera consecratio quocunque peccato & censura existente. Fatemur quidem in peccatoribus malum esse huius potestatis vsum: sed aliud est nõ habere potestatem, aliud non rectè illa vti. hinc est quòd baptizati, vel sacerdotes redeuntes ab hæresi non rebaptizantur, nec iterum ordinantur, sed per pœnitentiam & manus impositionem recipiuntur. hoc etiam ratio ministri confirmat: consecrat enim sacerdos, vt minister Christi, habet autem Christus bonos & malos ministros, vt constat Matth. 24. & 1. Corinth. 4. quare semper conficiet, vt minister verum sacramentum, quod est Dei proprium, qui mala conuertit in bonum, & gloriam sui, vt explicatum est 1. p. in doctrina de prouidentia. Excommunicatio itaque, suspensio & degradatio, executionem potestatis auferunt, non autem potestatem: excommunicatio & suspensio ad tempus, degradatio & aliquando suspẽsio in perpetuum.

3. p. q. 82. ar. 5. 7. & 8.

Malitia, vel cẽsura ministri, non tollit veritatem sacramẽti, vel sacrificij

11 Vnde colliguntur duo: Primùm, quòd missa mali sacerdotis, tum ratione sacramenti, tum ratione sacrificij, vt est in persona Ecclesiæ, æqualem valorem habet, & efficaciam, atque boni sacerdotis: quoniam ab vtroque idem conficitur sacramentum, & idem sacrificium: & idem est de omnibus orationibus, quas perficit malus sacerdos, vt minister gerens personam Ecclesiæ: priuatæ autem eius orationes fructuosæ non sunt aliis, ipsi quatenus ex auxilio Dei per eas præparari potest ad iustificationem, fructuosæ & vtiles esse possunt. Alterum consectarium est: à præcisis per sententiam Ecclesiæ, nempè hæreticis, schismaticis, & excommunicatis, vel suspensis, sacramentum recipere, vel eorum missam audire non licet, sed peccat mortaliter, qui recipit, vel audit: ab aliis peccatoribus, non tamen sic præcisis, licet. Ratio prioris p. est, quia communicans peccato alterius, eiusdem peccati fit particeps, sicut scriptũ est 2. can. Ioannis

Valor missæ mali sacerdotis. art. 6. eiusd. q.

art. 9. eiusd q. A præcisis non licet sacramenta recipere, vel eorum sacris interesse, ab aliis peccatoribus licet.

nis de hæretico,qui dixerit ei aue,communicat operibus eius malignis:sed accipiens sacramenta,vel audiens missam præcisi,cõmunicat peccato illius: cùm sit ipsa sacramenti administratio in præcisis peccatum mortale:non licet igitur ab eis sacramentum recipere, vel sacris illorum interesse. Itaq; non solum vitare tenemur horũ peccatorum consortia ex præcepto iuris positiui,quo excommunicatis interdicitur aliorum fidelium communio:sed ex iuris naturalis obligatione: quatenus prohibet alienis peccatis consentire,iuxta illud Rom.1. Digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt,sed etiam, qui consentiunt facientibus,vitare scandala,& bono nomini consulere,atque ideò peccatorum consuetudinem declinare,& illos corrigere fraterno animo: quibus modis fit, vt à peccatis auocemur.

12 Sed ex indulgentia Concilij Constantieñ. eos tantum excommunicatos vitare tenemur,qui vel sint manifesti clericorum percussores, vel nominatim excommunicati ob alia crimina, aut proprio nomine expresso,aut dignitatis,quæ vnius propria sit,vt prætor vrbis,ecclesiæ decanus.Cautum etiam fuit olim, ne quis audiret missam sacerdotis publicè concubinarij d.32. cap.nullus,quòd is esset excommunicatus: est autem publicus concubinarius,vel sententia publica huius criminis damnatus, vel conuictus,vel vltrò confessus, vel denique,qui nulla tergiuersatione celari possit. Sed hic canon abiit in desuetudinẽ, quòd videretur occasionem delinquendi præbere multis:& peccatoribus corrigendis non esset hac ratione,vt nunc sunt mores, benè consultum.Quando verò liceat,& quæ sacramenta ab excommunicatis & præcisis sumere, explicatum est à nobis in doctrina generali de ministris sacramentorum.

De pluribus eandem materiam simul consecrantibus. 3.p.q.82.ar.2.

13 Superest de proposita sententia, illa tantùm pars explicanda, & confirmanda, quòd possint plures sacerdotes eandem materiam consecrare, vt Hispanis Episcopis plures presbyteros ordinantibus,moris est,cum omnes super eandem materiam eandem verborum formã proferunt.constabit verò ex hac distinctione: aut omnes illi sacerdotes intendunt eandem partem,vel diuersas consecrare,easq; distinctas & designatas, vt cuiusq; intẽtio ad suam partem determinatè feratur: vel intendunt consecrare eandem materiam totam complexè,hoc est coniunctè, vt intentio vnius pendeat ab altero: vel absolutè quisque per se totam, licet eodem tempore.Si intendunt consecrare diuersas & designatas partes, dubium non est ratam cuiusque per se consecrationem esse: quia nihil deest ad substantiam sacramenti, cũ adsint materia,forma & minister cum intentione faciendi,quod Ecclesia fieri vult, idest conficiendi sacramentum: si autem intendunt diuersas partes consecrare indeterminatè,nullius fit consecratio:quia formarũ illa pronomina demõstratiua [hoc] & [hic] nõ possunt,nisi determinatè materiæ conuenire.Si denique intendunt vnam & eandem partem consecrare eadem ratio est, atque si intenderent totam simul: tunc autem,si alterius intentio conditionalis sit,vt nisi intendente altero,nolit consecrare,nihil omninò conficitur: quia in sacramentorum collatione requiritur absoluta intentio, sicuti est materia & forma: quare si absoluta sit,ex duobus simul eandem materiam consecrantibus,si alter præueniat alterum prolatione formæ, is solus consecrabit,quia nihil deest ad essentiam sacramenti: posterior vero nihil efficiet, quia deest materia, cùm tota sit ab altero prius consecrata. quod si omnes eodem tempore absoluant formæ prolationem, quod est valdè difficile, omnes simul eandem materiam consecrabunt, cùm nihil desit ad essentiam sacramenti.Non probatur autem plerisque theologis hæc consuetudo multorum simul consecrantium eandem materiam in ordinatione presbyterorum: quia difficilè est, omnes consentire in eodem tempore terminante prolationem formæ, vt omnes verè dicantur consecrare,& non sit, qui proferat formã frustrà, nulla existente materia ad excipiẽdam illius efficaciam, cùm possit ab aliis prius esse consecrata: nisi omnium intentio ad eundem terminum prolationis omnium, referatur.

Duran. & Ci

ARTI-

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat sacerdoti, omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere.

4. d. 12. q. 3. art. 2. q. 3. & d. 13. q. 1. art. 1. q. 1.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod liceat sacerdoti, omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere. Sicut enim ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiam consecrare, ita etiam baptizare, & in aliis sacramētis ministrare. Sed sacerdos non tenetur ministrare in aliis sacramentis, nisi propter curam animarum susceptam. Ergo videtur, quòd nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

¶ 2. Præterea, Nullus tenetur facere, quod sibi non licet, alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet Eucharistiam consecrare, vt suprà dictum est. * Ergo videtur, quod tales non teneantur ad celebrandum. Et ita nec alij, alioquin ex sua culpa commodum reportarent.

ar. 7. huius q.

¶ 3. Præterea, Dignitas sacerdotalis non perditur per subsequētem infirmitatem, dicit enim †Gelasius Papa, & habetur in decretis dist. 55. Præcepta canonica, sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore, ita si quis in eo fuerit constitutus, ac tunc fuerit sauciatus, amittere nō potest, quod tempore suæ synceritatis accepit. Contingit autem quandoq;, quod ordinati in sacerdotes, incurrunt aliquos defectus, ex quibus à celebratione impediuntur, sicut est lepra, vel morbus caducus, vel aliquid aliud huiusmodi. Nō ergo videtur, quod sacerdotes ad celebrādum teneantur.

Gelas. Palladio Episcopo scriben. Habetur in decretis d. 55. c. Præcepta canonica. in princ.

SED CONTRA est, quod Ambr. dicit in quadam oratione: Graue est, quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus, sed grauius est, si dum peccata metuimus, etiā sacrificiū non reddamus.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dixerūt, quod sacerdos potest omnino à consecratione licitè abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo, & sacramēta prębere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia vnusquisq; tenetur vti gratia sibi data, cùm fuerit opportunum, secundum illud 2. ad Corinth. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiā Dei recipiatis. Opportunitas autem sacrificium offerendi, non solum attenditur per cōparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramēti sacrificium offertur. Vnde sacerdoti, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare, sed saltē videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt. Et hinc est quod 2. Mach. 4. contra quosdam sacerdotes dicitur, quòd iam non circa altaris officia dediti erant contempto templo, & sacrificiis neglectis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod alia sacramenta perficiuntur in vsu fidelium. Et ideo in aliis ministrare non tenetur, nisi ille, qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione

cratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur; ad quod sacerdos obligatur Deo ex ordine iam suscepto.

AD SECVNDVM dicendum, quod sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiæ sit executione ordinis priuatus, vel simpliciter, vel ad tempus, redditus est impotens ad sacrificium offerendum, & ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit sibi in detrimentum spiritualis fructus, magis quàm in emolumentum.

Si verò non sit priuatus potestate celebrandi, non soluitur obligatio: nec tamen perplexus est, quia potest de peccato pœnitere, & celebrare.

AD TERTIVM dicendum, quod debilitas, vel ægritudo superueniens ordini sacerdotali, ordinē non tollit, executionem tamen ordinis tollit quantum ad consecrationem Eucharistiæ. Quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, sicut si priuetur oculis, aut digitis, aut vsu linguę. Quandoque autem propter periculum, sicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcunque alienationem mentis. Quandoq; propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publicè celebrare. Potest tamen missam dicere occultè, nisi lepra adeò inualuerit, quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.

Sententia & conclusio quæst.

Conclusio est, sacerdoti non licet omnino à consecratione cessare: sed tenetur sacrificare præcipuis festis, & iis diebus, quibus fideles communicare consueuerunt: quia non licet in vacuum recipere gratiam sacerdoti collatam, ad dignè sacrificandum.

COMMENTARIVS.

1 DIximus de vsu Eucharistiæ in sacra communione, & de ministro eiusdem, dicendum statim est de ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis eiusdem sacræ communionis. In ea certè antiquitus & nunc, illud seruatum est, vt primùm sacerdos se communicaret ipse. quam rationē, cùm nonnulli improbarent, eam confirmauit Concil. Trident. sess.13.can.10. his verbis, si quis dixerit non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit. idq; iustissimè, cùm supra ostenderimus Christum seipsum communicasse, licet à se baptizatus non fuerit: neque rationi sacramenti repugnat, vt idem sit minister & percipiens, vt in matrimonio. quamquam & hoc singulare est huius sacramenti, quod alium possit habere ministrum consecrationis, alium dispensationis, cùm distributor possit esse alius à consecrante. & olim etiam celebrior ritus dispensationis fuit, vt sacerdos daret corpus, diaconus verò sanguinem, vt supra ex antiquis Patribus ostendimus. Iam verò paulò ante dispensationem clamatum est, sancta sanctis: dum autem porrigebatur, sacerdos ad primam speciem dicere solebat, corpus Christi, & diaconus ad posteriorem, sanguis Christi, calix vitæ: vtrobique autem à percipientibus respondebatur, Amen. interim recitabatur Psalm.33. dum cæteri omnes communicarent, inquit Clemens lib.8.constitut. Apost.ca.13. Ambros.lib.4.de sacrament. Cyril. Hierosol. Mystag.5. Ordo autem communicantium hic erat, inquit, eodem cap. Clemens, primum Episcopus, deinde presbyteri, diaconi, hypodiaconi, lectores, cantores, ascetici: ex fœminis diaconissæ, virgines, viduæ, postea pueri, tandem cunctus populus ordine, cum pudore & reuerentia, sine tumultu & strepitu. vnde August. serm.244. de tempore, reprehendit insolētiam multorū, quòd inmodestè, sordida conscientia & pollutis manibus tractarint, & quasi

De ritibus & cæremoniis sacra communionis.

& quasi inuolarint in corpus Domini. alia vero de sacerdotum frequentiori communione supra explicauimus, differentes de tempore sacræ communionis. Reliquiæ post communionem nonnunquam dabantur innocentibus infantibus consummendæ, nonnunquam cremabantur igne; sępissimè deferebantur in pastophorium, vel tabernaculum, vt colligitur ex c. citato Clementis, & Hesychio lib. 2. in Leuit. c. 8. Nunc autem post longam rerum & periculorum omnium obseruationem, & Spiritus sancti suggestionem, sapientissima mater communis Ecclesia, optimam & diuinissimam rationem reseruandi & communicandi plebem tenet, quæ omnibus notissima est.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius sacramenti, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ritu huius sacramenti.

¶ *Et circa hoc quæruntur sex.*

Primò, Vtrum in celebratione huius mysterij Christus immoletur.

Secundò, de tempore celebrationis.

*Tertiò, de loco & aliis, quæ pertinent ad * apparatum huius celebrationis.* *Alias aptitudinem.

Quartò, de his quæ in celebratione huius mysterij dicuntur.

Quintò, de his quæ circa celebrationẽ huius mysterij fiunt.

Sextò, de defectibus, qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc sacramento Christus immoletur.

Inf. ar. 2. corp. & ad 1. & 2.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod in celebratione huius sacramenti. Christus non immoletur. Dicit enim Hebr. 10. Quòd Christus vna oblatione consumauit in sempiternum sanctificatos. Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Christus ergo non immolatur in celebratione huius sacramenti.

¶ 2. Præterea, Immolatio Christi facta est in cruce, in qua tradidit semetipsum oblationem & hostiã Deo in odorẽ suauitatis, vt dicitur Ephes. 5. Sed in celebratione huius mysterij Christus nõ crucifigitur. Ergo nec immolatur.

¶ 3. Præterea, Sicut * August. dicit in 4. lib. de Trinit. in immolatione Christi idem est sacerdos & hostia. Sed in celebratione huius sacramenti non est idem sacerdos & hostia. Ergo celebratio huius sacramenti non est Christi immolatio. *Lib. 4. c. 14. in fi. & cap. 7. in prin. to. 3.*

SED CONTRA est, quod * Aug. dicit in lib. sent. Prosperi, Semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidie immolatur in sacramento. *Habetur de cõs. d. 2. cap. Semel immolatus.*

RESPONDEO dicendum, quod duplici ratione celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi. Primò quidem, quia sicut dicit † Augustinus ad Simplicium, solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut cùm intuentes tabulam, aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero est, & ille Salustius. Celebratio autem huius sacramenti (sicut suprà dictum est *) imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. Vnde † Ambros. dicit super epistolam ad Hebræo. In Christo semel oblata est hostia, ad salutẽ sempiternã potẽs, quid ergo nos, nonne per singulos dies offerimus, *In lib. quæst ad Simplicium, q. 3. parum ante medium, to. 4.* *q. 79 art. 1. & 3. & 73. ar. 6.* *In c. 10. ad Hebræ. non procul à pri. to. 5.*

mus?sed ad recordationem mortis eius. Alio modo quantum ad effectũ passionis Christi, quia scilicet, per hoc sacramentũ participes efficimur fructus Dominicę passionis. Vnde in quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostrę redemptionis exercetur. Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris testamenti. Vnde & Apocal.13.dicitur, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Sed quantum ad secũdum modum, proprium est huic sacramento, quod in eius celebratione Christus immoletur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut * Ambr. ibidem dicit: Vna est hostia (quam, scilicet, Christus obtulit, & nos offerimus) & nõ multæ, quia semel oblatus est Christus: Hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim quod vbiq; offertur, vnũ est corpus & nõ multa corpora, ita & vnum sacrificium.

In cap.10.ad Heb. non remo ꝗ à princ.t.5.

AD SECVNDVM dicendũ, quod sicut celebratio huius sacramenti est imago repræsentatiua passionis Christi, ita altare est repræsentatiuum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

AD TERTIVM dicendũ, quod per eandem rationem etiam sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona & virtute verba pronũciat ad consecrãdum, vt ex supradictis patet.* Et ita quodãmodo idẽ est sacerdos & hostia.

q.82.ar.1.& 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterij. Hoc enim sacramẽtum est repræsentatiuum Dñicæ passionis, vt dictũ est.† Sed cõmemoratio Dominicę passionis fit in Ecclesia semel in anno. Dicit enim† Aug. super Psa.21. Quotiescunq; Pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? sed tamen anniuersaria recordatio repręsentat quod olim factum est, & sic nos facit moueri, tanquã videamus in cruce pendẽtem Dominum. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari, nisi semel in anno.

4.dist.13.q.1.ar.2.q.4.

Ar.prece.

In præfa. 2. Psal. 21. circa princip.to.8.

¶ 2. Præterea, Passio Christi commemoratur in Ecclesia sexta feria ante Pascha, non autem in festo Natalis. Cùm ergo hoc sacramentum sit commemoratiuũ Dominicæ passionis, videtur inconueniens esse, quòd in die Natalis ter celebretur hoc sacramẽtum, in parasceue aũt totaliter intermittitur.

¶ 3. Præterea, in celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecrauit hoc sacramẽtum hora serotina. Ergo videtur, quod hora tali debeat hoc sacramẽtum celebrari.

¶ 4. Præterea, Sicut habetur de cõs.d.1.* Leo Papa scribit Dioscoro Alexandrino Episcopo, quod in prima parte diei missas celebrare licet. Sed dies incipit à media nocte, vt supra dictum est. Ergo videtur, quod etiam post mediam noctẽ licet celebrare.

Leo in ep 81 c.2.circa principium. Et habetur de conse. d.1.ca. Necesse est.

¶ 5. Præ-

5. Præterea, In quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Concede nobis Domine quęsumus hęc frequentare mysteria. Sed maior erit frequētia, si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret. Ergo videtur, quòd non debeat prohiberi sacerdos pluries celebrare in die.

Sed in contrarium est cōsuetudo, quā seruat Ecclesia secundum Canonum statuta.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est†) in celebratione huius mysterij attēditur repręsentatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius. Et secundum vtrunq; oportuit determinare tempus aptū celebrationi huius sacramenti. Quia enim fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet Luc.11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod exponens August.† lib. de verbis Domini dicit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quē iam modū Græci in oriēte facere consueuerūt? accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. Quia verò Dñica passio celebrata est à tertia hora vsq; ad nonā, ideo regulariter in illa parte diei, solenniter hoc sacramētum in Ecclesia celebratur.

Ar. præced. & q.79. ar.1.

In serm.28. parū à med. to.10

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc sacramento recollitur passio Christi, secundum quod eius effectus ad fideles deriuatur. Sed tempore passionis recollitur passio Christi solùm secundum hoc, quòd in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod quidem factum est semel, quotidie autem fructum Dominicæ passionis fideles percipiūt. Et ideo illa commemoratio fit semel in anno, hoc autem quotidie & propter fructum & propter iugē memoriam.

Ad secundum dicendum, quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quædam & exemplum Dominicæ passionis, sicut dictum est.† Et ideo in die, quo ipsa passio Domini recollitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti, ne tamen Ecclesia ea etiā die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum in die præcedenti reseruatur sumendum in illo die. non autem sanguis, propter periculum, & quia sanguis specialius est imago Dominicæ passionis, vt suprà dictum est.† Nec verū est quod quidam dicunt, quod per immissionem particulæ corporis Christi in vinum, conuertatur vinū in sanguinem: hoc enim aliter fieri non potest, quàm per consecrationem factam sub debita forma verborum. In die autē Natiuitatis plures missæ celebrantur propter triplicem Christi natiuitatem. Quarum vna est æterna, quæ quantū ad nos est occulta. Et ideo vna missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquam lucifer in cordibus nostris, vt dicitur 2. Petri 1. Et propter hoc cantatur missa in aurora, in cuius introitu dicitur: Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi natiuitas temporalis & corporalis, secundum quam visibilis nobis pro-

In corp. & locis ibidem citatis.

q.78. ar.3. ad 2. & q.76. artic.2. ad 2.

De consf. d.1. c. Nocte.

processit ex vtero Virginali, carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce, in cuius introitum dicitur, Puer natus est nobis. Licet econuerso possit dici, quod natiuitas æterna secundum se est in plena luce,& ob hoc in Euangelio tertiæ Missæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem,ad literam natus est de nocte,in signum,quòd veniebat ad tenebras infirmitatis nostrę. Vnde& in Missa nocturna dicitur Euãgelium de corporali Christi natiuitate. Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia,vel recolẽda,vel expetenda,plures Missæ celebrantur in die:puta,vna pro festo,&alia pro ieiunio,vel pro mortuis.

Q.73.ar.5. AD TERTIVM dicendum, quòd (sicut dictum est superius*) Christus voluit vltimo hoc sacramentũ discipulis tradere,vt fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecrauit, & discipulis suis tradidit. Anobis tamẽ celebratur hora Dominicę passionis, scilicet diebus festis in tertia, quando crucifixus ex linguis Iudęorum, vt dicitur Mar.15.& quando Spiritus sanctus descendit super discipulos: vel diebus pro festis in sexta, quando crucifixus est in manibus militum, vt habetur Ioan. 19. vel diebus ieiuniorum in nona,quando voce magna clamans emisit spiritum,vt dicitur Matth.27.

Potest tamen tardari, maximè quando sunt ordines faciẽdi,&pręcipuè in sabbatho sancto,tum propter prolixitatem officij, tum quia ordines pertinent ad diem Dominicam,vt habetur in Decre.d.75. cap.*quod à Patribus. Possunt tamẽ Missę celebrari in prima parte diei propter aliquã necessitatẽ, vt dicitur de consec.* dist.1.cap. Necesse est,&c.

Decre. di. 75. c. Quod à Patribus.

De cons. di. 1. c. Necesse est.

AD QVARTVM dicendũ,quod regulariter Missa debet celebrari in die,& nõ in nocte:quia ipse Christus est præsens in hoc sacramento: qui dicit Ioan.9.Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari: quãdiu in mundo sum, lux sum mundi. Ita tamẽ,quod principium diei accipiatur nõ à media nocte:nec etiã ab ortu solis, id est, quando substantia solis apparet super terrã,sed quando incipit apparere aurora:tunc enim quodãmodo dicitur sol ortus,inquantũ claritas radiorũ eius apparet. Vnde &Mar. 16.dicitur,quod mulieres venerũt ad monumentũ orto iam sole: cũ tamẽ venerint,cùm adhuc tenebrę essent ad monumentum: vt dicitur Ioann.20.Sic enim hanc contrarietatem soluit* Augustinus,in lib.de consen.Euang. Specialiter tamen in nocte natalis Domini Missa celebratur, propter hoc, quod Dñs in nocte natus est:vt dicitur de cõsec. *d.1.c.Nocte,&c.Et similiter etiã in Sabbatho sãcto circa noctis principiũ,propter hoc, quod Dñs nocte surrexit,idest,cum adhuc tenebrę essẽt ante manifestũ solis ortũ.

Lib. 3. c. 24. aliquãtulum à prin. to. 4.

De cons. d. 1. c. Nocte.

AD QVINTVM dicendũ, quòd sicut habetur De cõsec.d.1. ex Decreto* Alex.Papæ,sufficit sacerdoti vnã Missam in die vna celebrare: quia Christus semel passus est, & totũ mundũ redemit, & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest.Quidam tamen pro defunctis vnã faciunt,alterã de die, si necesse

De cõs. d. 1. c. Sufficit.

 sit.

ſit. Qui vero pro pecunia aut adulationibus ſeculariũ, vna die prẹſumũtur plures celebrare Miſſas, nõ ẹſtimo euadere dãnationem. Et extra de celeb. Miſſ.† dicit Innocent. III. quod excepto die natiuitatis Dominicæ, (niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat) ſufficit ſacerdoti ſemel in die vnam Miſſam ſolummodo cebrare.

In decr. li 3. ti. 41. c. Conſuluiſti

ARTICVLVS III.

Vtrum oporteat hoc ſacramentũ celebrari in domo & vaſis ſacris.

4. di. 13. q. 1. ar. 2. q. 5. & d. 24. q. 2. ar. 2. ad nonum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod nõ oporteat hoc ſacramentum celebrari in domo & vaſis ſacris. Hoc enim ſacramentũ eſt repræſentatiuũ Dominicæ paſſionis. Sed Chriſtus non eſt paſſus in domo, ſed extra portã ciuitatis, ſecundum illud Hebr. vlt. IESVS, vt ſanctificaret per ſuũ ſanguinem populũ, extra portam paſſus eſt. Ergo videtur, quod hoc ſacramentum non debeat celebrari in domo, ſed magis ſub dio.

¶2. Præterea, In celebratione huius ſacramenti debet Eccleſia imitari morẽ Chriſti & Apoſtolorum. Sed domus in qua primo Chriſtus hoc ſacramentum confecit, nõ fuit conſecrata, ſed fuit quoddam commune cœnaculum, à quodam patre familias præparatum, vt habetur Lucẹ 22. Legitur etiam Act. 2. quod Apoſtoli erant perdurantes vnanimiter in templo, & frãgentes circa domos panẽ, & ſumebant cibum cum exultatione. Ergo nec modo oportet domos eſſe conſecratas, in quibus hoc ſacramentum celebratur.

¶3. Præterea, Nihil fruſtra in Eccleſia fieri debet, quæ Spiritu ſancto gubernatur. Sed fruſtrà videtur adhiberi cõſecratio Eccleſiæ, vel altari, & huiuſmodi rebus inanimatis, quæ non ſunt ſuſceptiuæ gratiæ vel ſpiritualis virtutis. Inconuenienter igitur huiuſmodi conſecrationes in Eccleſia fiunt.

¶4. Præterea, Solum diuina opera debent recoli cum quadã ſolennitate, ſecundũ illud Pſa. 91. In operibus manuũ tuarum exultabo. Sed Eccleſia vel altare opere humano conſecratur, ſicut & calix & miniſtri & alia huiuſmodi. Sed horum conſecrationes non recoluntur celebriter in Eccleſia. Ergo neque cõſecratio Eccleſiæ vel altaris, cum ſolennitate recoli debet.

¶5. Præterea, Veritas debet reſpondere figuræ: ſed in veteri teſtamento, quod gerebat figuram noui, nõ fiebat altare de lapidibus ſectis. Dicitur enim Exod. 20. Altare de terra facietis mihi: quod ſi altare lapideũ feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Exod. etiam 27. mandatur fieri altare de lignis Sethim veſtitis ære, vel etiã auro, vt habetur Exod. 25. Ergo videtur inconuenienter obſeruari in Eccleſia, quòd altare fiat ſolùm de lapide.

6. Præterea, Calix cũ patina repræſentat ſepulchrũ Chriſti, quod fuit exciſſum in petra, vt in Euangeliis habetur. Ergo calix debet de petra fieri, & non ſolum de argento vel auro vel ſtanno.

¶7. Prẹterea, Sicut aurum pretioſius eſt inter materias vaſorum, ita panni ſerici pretioſiores ſunt inter alios pannos. Ergo ſicut calix fit de auro, ita pallæ altaris debent de ſerico fieri, & non ſolum de panno lineo.

¶8. Praeterereà, Diſpenſatio ſacramen-

cramentorum,& ordinatio eorundẽ ad miniſtros Eccleſiæ pertinet, ſicut diſpenſatio rerum temporalium ſubiacet ordinationi principum ſecularium,vnde& Apoſtolus dicit,1.Corin.4. Sic nos exiſtimet homo,vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed ſi circa diſpenſationem rerum tẽporalium aliquid fiat contra ſtatuta principum, habetur irritum. Ergo ſi hęc quæ dicta* ſunt, conueniẽter ſunt ſtatuta per prælatos Eccleſiæ, videtur, quod ſine his corpus Chriſti confici non poſſit. Et ſic videtur ſequi, quod verba Chriſti nõ ſint ſufficientia ad hoc ſacramentũ cõficiẽdum, quod eſt inconueniẽs. Non ergo videtur conueniens fuiſſe,quod hæc circa celebrationẽ huius ſacramenti ſtatuerentur.

Dicta in titu. & in argu.

SED CONTRA eſt, quod ea quæ per Eccleſiam ſtatuuntur ab ipſo Chriſto ordinantur,qui dicit Matt. 18. Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorum.

RESPONDEO dicẽdum, quòd in his quæ circunſtant hoc ſacramẽtum,duo conſiderantur. Quorum vnum pertinet ad repræſentationẽ eorum, quæ circa Dominicam paſſionem ſunt acta. Aliud aut pertinet ad reuerentiam huius ſacramenti, in quo Chriſtus ſecundum veritatem continetur, & non ſolũ in figura. Vnde & conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in vſum huius ſacramenti,tum propter ſacramenti reuerentiam,tum ad repræſentandum effectum* ſacramenti, qui ex paſſione Chriſti prouenit, ſecundum illud Hebræ. vlt. IESVS vt ſanctificaret per ſuũ ſanguinem populum,&c.

Al. ſanctitatis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod regulariter hoc ſacramentũ celebrari debet in domo,per quam ſignificatur Eccleſia,ſecundum illud 1.Timoth.3. Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari,quæ eſt Eccleſia Dei viui. Extra Eccleſiam enim non eſt locus veri ſacrificij,vt * Auguſtinus dicit. Et quia Eccleſia non erat concludenda ſub finibus gentis Iudaicæ,ſed erat in vniuerſo mundo fundanda,ideo paſſio Chriſti non eſt celebrata intra ciuitatem Iudæorum,ſed ſub dio, vt ſic totus mundus ſe haberet ad paſſionem Chriſti,vt domus. Et tamen, vt dicitur de conſecratione,* diſt.1.cap.Cõcedimus,in itinere poſitis,ſi Eccleſia defuerit,tuo dio,ſeu intentorio, ſi tabula altaris conſecrata,cæteraque ſacra myſteria ad id officium pertinentia,ibi affuerint, Miſſarum ſolennia celebrari concedimus.

In li. Sen. quæ ex Aug. decerpta ſunt,c. 15. to.3.in fine.

De conſe. 1.c.Concedim. in medio illius.

AD SECVNDVM dicendũ, quod domus,in qua hoc ſacramentum celebratur, Eccleſiam ſignificat: & Eccleſia nominatur. conuenienter tamen conſecratur: tum ad repręſentandam ſanctificationem,quam Eccleſia conſecuta eſt per paſſionẽ Chriſti,tum etiam ad ſignificandã ſanctitatem,quę requiritur in his, qui hoc ſacramentum ſuſcipere debent. Per altare autem ſignificatur ipſe Chriſtus:de quo dicit Apoſto. Heb. vlt. Per ipſum offerimus hoſtiam laudis Deo. Vnde & cõſecratio altaris ſignificat ſanctitatem Chriſti: de qua dicitur Lucæ 1. Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Vnde de conſecratione diſtin.1.dicitur:* Altaria placuit non ſolum vnctione chriſmatis,ſed & ſacerdotali benedictione

De cõſ.d. 1.c. altaria in 2.

 ſacrari.

sacrari. Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum nisi in domibus consecratis. Vnde sicut habetur de consecratione, *distinct. 1. Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis. Propter quod etiam quia Pagani non sunt de Ecclesia, nec alij infideles, ideo eadē distinctione legitur, *Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur, ad consecrandum, inde euulsis corporibus & rasis parietibus vel tignis eius loci, reędificetur: sed si hęc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet, tamē si fideles fuerunt qui in ea sepulti sunt. Propter necessitatem tamen potest hoc sacramentum peragi in domibus nō consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi. Vnde in eadem distinctione legitur: † Missarum solennia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda esse censemus. Non tamen sine altari portatili per Episcopum cōsecrato. Vnde in eadem distinct. legitur. *Concedimus si Ecclesiæ fuerint incensæ vel combustæ in Capellis cum tabula consecrata, Missas iterum celebrari. Quia enim sanctitas Christi fons est toti⁹ Ecclesiasticę sanctitatis, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum, altare sanctificatum. Propter quod etiam nunquam Ecclesia sine altari consecratur. tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquiis Sanctorum, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo. Vnde in eadem distinctione legitur. *Placuit vt altaria, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis pręsunt, si fieri potest, euertantur.

De conf. di. 1. c. Nullus presbyter.

De conf. d. 1. c. Ecclesiam.

De conf. d. 1. c. Missarum.

Ead. d. 1. de cō sec. c. 28. Concedimus. ex Cōcilio Triburtēsi.

De conf. d. 2. c. Placuit.

Ad tertium dicendū, quod Ecclesia, & altare, & alia huiusmodi inanimata, consecrantur, nō quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutē, per quam apta redduntur diuino cultui, vt scilicet homines deuotionem quandā exinde percipiant, vt sin paratiores ad diuina, nisi hoc propter reuerentiam impediatur. Vnde & 2. Machabæorum 3. dicitur. Verè Dei virtus quædam est in loco, nā ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adiutor est loci illius. Et inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur & exorcizātur, vt exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione Ecclesiæ, quæ sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint, reconciliātur, quia per peccatum ibi commissum, apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiā in eadem distinctione legitur. †Ecclesias Arrianorum vbicunque inuene ritis Catholicas, eas diuinis precibus & operibus absq; vlla mora cō secrate. Vnde & quidā probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesię consecratę, homo cōsequitur remissionē peccatorū venialiū, sicut & per aspersionē aquę benedictę, inducentes quod in Psalm. 84. dicitur: Benedixisti Dñe terrā tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ. Et ideo propter virtutē, quę ex consecratione Ecclesię acquiritur, cōsecratio Ecclesię non iteratur. Vnde in eadē distinctione ex Cōcilio Niceno legitur: * Ecclesiis semel Deo

De conf. d. 3. c. Eccle. Arrianorum.

De conf. d. 1. c. 18. Ecclesia semel, ex Conc. Niceno, 2.

Deo conſecratis, non debet iterũ cõſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtę, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſq; ſemine pollutę fuerint: quia ſicut infans à qualicunq; ſacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſemel baptizatus, nõ debet iterũ baptizari: ita nec locus Deo dicatus, eſt iterum conſecrãdus, niſi ꝓpter eas cauſas, quas ſuperius nominauimus, ſi tamen fidẽ ſanctę Trinitatis tenuerint, qui conſecrauerunt, alioquin, qui ſunt extra Eccleſiã, conſecrare non poſſunt. Sed ſicut in eadem diſtin. legitur.* Eccleſiæ vel altaria quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur. Propter hoc etiam, quod aliquã ſpiritualem virtutẽ adipiſcũtur per conſecrationem in eadẽ diſtinctione ſtatutum legitur: * Ligna Eccleſię dedicata non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliã Eccleſiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus, in laicorum autem opera non debent admitti. Et ibidem legitur: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptiſterio inferantur, aut in pariete, aut in foſſis pauimentorũ iactentur, ne introeũtium pedibus inquinentur.

De conſ. d. 1. c. Eccleſiæ vel alt. c. 36. Ligna Eccl.

De conſ. d. 30. c. Altaris palla.

A D Q V A R T V M dicendũ, quod quia conſecratio altaris repræſentat ſanctitatem Chriſti, conſecratio verò domus ſanctitatem totius Eccleſiæ, ideo conuenientius recolitur cum ſanctitate & ſolennitate conſecratio Eccleſiæ vel altaris, quàm aliorũ quę conſecrãtur. Propter quod etiam octo diebus ſolennitas dedicationis agitur ad ſignificandã beatam reſurrectionẽ Chriſti & membrorũ Eccleſiæ. Nec eſt opus ſolius hominis cõſecratio Eccleſię & altaris, cũ habeat ſpiritualẽ virtutẽ. Vnde de cõſecratione d. eadẽ dicitur.* Solennitates dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ. Quòd autem octo diebus encænia ſint celebranda, in lib. Reg. perfecta dedicatione templi, reperies, ſcilicet, 3. Reg. 8.

De conſ. d. 1. c. Solennitates.

A D Q V I N T V M dicendũ, quòd ſicut legitur de conſecratione,* diſtinct. prima, altaria, ſi non fuerint lapidea Chriſmatis vnctione non conſecrentur. Quod quidem competit & ſignificationi huius ſacramẽti, tũ quia altare ſignificat Chriſtũ. Dicitur autẽ 1. Corint. 10. Petra autẽ erat Chriſtus: tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vſum ſacramenti. Lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inueniri vbiq;, quod nõ erat neceſſarium in veteri Lege, vbi fiebat in vno loco altare. Quod autẽ mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus inſectis, fuit ad idololatriam remouendam.

De conſ. d. 1. c. 29. Altaria.

A D S E X T V M dicendũ eſt, quod ſicut in diſt. eadẽ dicitur ca. Vaſa. * quondã ſacerdotes nõ aureis, ſed ligneis calicibus vtebantur. Zepherinus autem XIIII. Papa, patinis vitreis Miſſam celebrari conſtituit, deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Poſtmodum autem ſtatutum eſt, vt calix Domini cum patina, ſiue ex auro omnino ſiue ex argento fiat, vel ſaltem ſtãneus calix habeatur. De ære autem aut ex aurichalco nõ fiat, quia hoc vini virtute ęruginem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo

De conſ. d. 1. c. Vaſa, in quib. habetur hoc totum.

ſeu vitreo calice pręſumat Miſſam cantare, quia ſcilicet, lignum poroſum eſt, & ſanguis cõſecratus in eo remaneret, vitrũ autem fragile eſt, & poſſet fractionis periculũ immi nere: & eadẽ ratio eſt de lapide. Et ideo propter reuerentiã ſacramenti ſtatutum eſt, vt ex prædictis materis calix fiat.

Ad septimvm dicendũ, quod vbi potuit ſine periculo fieri, Eccleſia ſtatuit circa hoc ſacramentum, id quod expreſſius repręſentat paſſionem Chriſti. Non erat autem tãtum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, ſicut circa ſanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix nõ fiat de petra, corporale tamẽ fit de panno lineo, quo corpus Chriſti fuit inuolutum. Vnde in epiſtola Silueſtri Papę in eadem diſtinctione legitur, * Conſulto omnium ſtatuimus, vt ſacrificium altaris nõ in ſerico panno aut intincto, quiſquam celebrare Miſſam præſumat, ſed in panno lineo ab Epiſcopo conſecrato, ſicut corpus Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit. Competit etiam pãnus lineus propter ſui munditiã, ad ſignificandam conſcientię puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad ſignificandum Chriſti paſſionem.

De conſ. d. 1. c. 44. Conſulto

Ad octavvm dicẽdum, quod diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros Eccleſiæ, ſed conſecratio eorum eſt ab ipſo Deo. Et ideo miniſtri Eccleſiæ non habent aliquid ſtatuere circa formam conſecrationis, ſed circa vſum Sacramenti, & modũ celebrãdi. Et ideo ſi ſacerdos verba cõſecrationis proferat ſuper materia, debita cum intentione cõſecrãdi, abſq; omnibus prędictis, ſcilicet domo & altari, calice & corporali cõſecratis, & cæteris huiuſmodi per Eccleſiã inſtitutis, conſecrat quidẽ in rei veritate corpus Chriſti, peccat tamẽ grauiter, ritum Eccleſiæ non ſeruans.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum conuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc ſacramentum dicuntur.

AD quartũ ſic proceditur. Videtur, quod inconuenienter ordinentur ea quæ circa hoc Sacramentũ dicũtur. Hoc enim ſacramẽtum verbis Chriſti conſecratur, vt Ambroſ. dicit in lib. de Sacramentis. Non ergo debent aliqua alia in hoc ſacramento dici, quam verba Chriſti.

4 d. 1. q. 1. ar. 5. q. 1. ad ſecundum. Et d. 8. in expo. lit. & diſt. 13. in expoſi lit. principio. & d. 15. q. 4 ar. 3. q. 1. cor. Et 1. Tim. 2. lec. 1. col. 2. in princ.

¶ 2. Præterea, Verba & facta Chriſti nobis per Euangeliũ innoteſcunt. Sed quædam dicuntur circa conſecrationem huius ſacramẽti, quæ in Euangeliis non ponuntur, nõ enim legitur in Euãgelio, quòd Chriſtus in conſecratione huius ſacramenti oculos ad cælum leuauerit, ſimiliter etiã in Euangeliis dicitur, Accipite, & comedite, nec ponitur, omnes, cum in celebratione huius ſacramenti dicatur: Eleuatis oculis in cælum, & iterum, Accipite & manducate ex hoc omnes. Inconuenienter ergo huiuſmodi verba dicuntur in celebratione huius ſacramenti.

¶ 3. Præterea, Omnia ſacramenta ordinantur ad ſalutem omnium fidelium. Sed in celebratione, aliorum ſacramentorum non fit communis oratio pro ſalute fidelium defunctorum. Ergo inconuenienter fit in hoc ſacramento.

¶ 4. Præ-

¶4.Prętereà,Baptiſmus dicitur ſpecialiter fidei ſacramentũ. Ea ergo,quæ pertinent ad inſtructionem fidei,magis debent circa baptiſmũ tradi,quã circa hoc ſacramentum, ſicut doctrina Apoſtolica & Euangelica.

¶5.Prætereà, In omni ſacramẽto exigitur deuotio fidelium: Non ergo magis in hoc ſacramẽto, quã in aliis deberet excitari deuotio fidelium per laudes diuinas, & per admonitiones, puta, cùm dicitur: Surſum corda.

¶6.Prætereà,Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos,vt dictũ eſt. Q.82.ar.1. *Omnia ergo quæ in hoc ſacramẽto dicuntur, à ſacerdote dici deberent, & non quædam à miniſtris, quædam à choro.

¶7.Prætereà, Hoc ſacramentũ per certitudinẽ operatur virtus diuina. Superfluè ergo ſacerdos petit huius ſacramẽti perfectionem: cũ dicit: Quam oblationem tu Deus in omnibus,&c.

¶8.Prætereà,Sacrificium nouę legis multo eſt excellentius, quàm ſacrificium antiquorum Patrum. Inconuenienter ergo ſacerdos petit,quòd hoc ſacrificiũ habeatur ſicut ſacrificiũ Abel,Abrahę,&Melchiſedec.

¶9.Prætereà, Corpus Chriſti, ſicut non incipit eſſe in hoc ſacramento per loci mutationem (vt ſupra dictum eſt*) ita etiã nec eſſe de Q.75.ar.2. ſinit. Incõuenienter ergo ſacerdos petit,Iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuum.

De conſec. d.1 c.Iacobus frater Domini. SED CONTRA eſt, quod dicitur de Cõſec.di.1.Iacobus frater Dñi ſecundũ carnem, cui primũ credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia,& Baſilius Cęſarienſis Epiſcopus addiderunt Miſſæ celebrationem. Ex quorum auctoritate patet conuenienter ſingula circa hoc dici.

RESPONDEO dicẽdum, quòd quia in hoc ſacramento totũ myſterium noſtrę ſalutis cõpręhenditur, ideo prę cæteris ſacramentis cum maiori ſolennitate agitur. Et quia ſcriptum eſt. Eccleſiaſt.4. Cuſtodi pedem tuũ ingrediens domũ Dñi. & Eccleſiaſt.18. Ante orationẽ prępara animam tuã, ideo ante celebrationem huius myſterij, primo quidẽ præmittitur præparatio quędam ad dignè agenda ea, quæ ſequuntur. Cuius præparationis prima pars eſt laus diuina,quæ fit in introitu,ſecũdum illud Pſal.49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Et ſumitur hoc vt pluries de Pſalmis vel ſaltem cũ Pſalmis cantatur,quia vt * Dionyſius dicit Ca.3.Eccleſ. hier.inter principiũ & mediũ. in 3.cap. Eccleſ. hierarch. Pſalmi comprehendunt per modum laudis,quicquid in ſacra Scriptura cõtinetur. Secunda pars continet commemorationẽ præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur, dicẽdo, Kyrie eleiſon,ter quidem pro perſona Patris, ter autem pro perſona Filij, cum dicitur, Chriſte eleiſon, & ter pro perſona Spiritus ſancti, cum ſubditur Kyrie eleiſon, contra triplicem miſeriam, ignorantiæ,culpæ& pœnę: vel ad ſignificãdum, quod omnes perſonæ ſunt, in ſe inuicem. Tertia autem pars commemorat cæleſtem gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem vitam & miſeriam,dicendo Gloria in Excelſis Deo, quæ cantatur in feſtis,in quibus commemoratur cæleſtis gloria: intermittitur autem in

officiis luctuosis, quæ ad cõmemorationem miseriæ pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysteriis. Secundò autem premittitur instructio fidelis populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei, vt suprà habitum est. *Quæ quidem instructio dispositiuè quidem fit per doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores & Subdiaconos. Post quam lectionem cantatur à choro graduale, quod significat profectũ vitæ, & alleluia, quod significat spiritualem exultationem, vel tractus in officiis luctuosis, qui significat spirituale gemitum: hæc enim consequi debent in populo ex prędicta doctrina. Perfectè autẽ populus instruitur per doctrinam Christi in Euangelio contentã, quę à summis ministris legitur, scilicet à Diaconibus. Et quia Christo credimus tanquam diuinæ veritati (secundũ illud Ioan. 8. Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?) lecto Euangelio, Symbolum fidei cantatur, in quo populus ostendit, se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi & beatæ Virginis & Apostolorũ (qui hanc fidẽ fundauerunt) & aliis huiusmodi. Sic igitur populo præparato & instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterij, quod quidem & offertur vt sacrificium, & consecratur, & sumitur vt sacramentũ. Vnde primò peragitur oblatio, secundò consecratio materiæ oblatæ. Tertio eiusdem perceptio.

Q. 78. art. 3.

Circa oblationem verò duo agũtur, scilicet laus populi in cantu offertorij (per quod significatur lætitia offerentium) & oratio sacerdotis, petitur oblatio populi sit Deo accepta: vnde & 1. Paralipome. 29. qui dixit Dauid. Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc, & populum tuũ, qui hic repertus est, vidi cum ingẽti gaudio tibi offerre donaria, & postea orat dicens. Domine Deus custodi hanc voluntatẽ. Deinde circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primò excitatur populus ad deuotionem in præfatione, vnde & monetur sursum corda habere ad Dominum. Et ideo finita præfatione, populus deuotè laudat diuinitatem Christi, cum Angelis dicens. Sãctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatem cũ pueris dicens, Benedictus qui venit. Deinde sacerdos secretò commemorat, primò quidẽ pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro vniuersali Ecclesia, & pro his qui in sublimitate sũt constituti, 1. Timoth. 2. & specialiter quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundò commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cùm dicit, communicantes & memoriam venerantes, &c. Tertiò, petitionem concludit, cum dicit, vt hęc oblatio sit illis, pro quibus offertur salutaris. Deinde accedit ad ipsam cõsecrationem, in qua primò petit consecrationis effectum, cum dicit, quam oblationem tu Deus, &c. Secundò, cõsecrationem peragit per verba Saluatoris, cum dicit. Qui pridie, &c. Tertiò, excitat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit. Vnde & memo-

memores. Quartò petit hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptũ, cum dicit. Supra quæ propitio, &c. Quintò petit huius sacrificij & sacramẽti effectum. Primò quidem, quantum ad ipsos, sumẽtes, cùm dicit. Supplices te rogamus. Secundò quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit, memento etiam Domine, &c. Tertiò, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes cum dicit. Nobis quoque peccatoribus. Deinde agitur de perceptione sacramenti, & primò præparatur populus ad percipiendum. Primò quidem, per orationem communem totius populi, (quæ est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianũ nobis dari) & etiam priuatã, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cũ dicit. Libera nos quæsumus Domine, &c. Secundò præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo: Agnus Dei. Est enim hoc sacramẽtum vnitatis & pacis, vt supradictũ est.* In Missis tamen defunctorũ, in quibus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorũ pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primò percipiente sacerdote, & postmodũ aliis dante, quia vt Dionysius † dicit 3. cap. Eccles. Hierar. ille qui aliis diuina tradit, primò debet ipse particeps esse: vltimo autem tota Missæ cælebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post communionem) & sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit, vt dicitur Matthæi. 26.

Q. 79. ar. 1. & q. 73. ar. 4.

Ca. 3. Eccl. hier. non multũ procul à fine.

Ad primum ergo dicendum, quod cõsecratio solis verbis Christi conficitur. Alia vero necesse est addere ad preparationem populi sumentis, sicut dictum est.*

In cor initio.

Ad secundum dicendũ, quod sicut dicitur Ioan. vlt. Multa sunt à Dño facta vel dicta, quæ Euangelistæ nõ scripserunt. Inter quæ fuit hoc quod Dñs in cœna oculos leuauit in cælũ, quod tamẽ Ecclesia ex traditione Apostolorũ habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in suscitatione Lazari (vt habetur Ioan. 11.) & in oratione, quã pro discipulis fecit, Ioan. 7. oculos leuauit ad Patrẽ, in huius sacramenti institutione multo magis hoc fecerint, tã quã in re potiori. Quod autem dicitur, Manducate & comedite, nõ differt quantũ ad sensum, nec multũ refert quod dicatur, presenti, cũ verba illa nõ sint de forma, vt supra dictũ est.* Quod autẽ additur omnes intelligitur in verbis Euãgelij, licet non exprimatur: quia ipse dixerat Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnem Filij hominis, nõ habebitis vitam in vobis.

Q. 78. ar. 3. & ar. 1. ad 2. argum.

Ad tertium dicendũ, quod Eucharistia est sacramentũ totius Ecclesiasticæ vnitatis. Et ideo specialiter in hoc sacramento magis, quã in aliis debent fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ.

Ad quartum dicendum, quod instructio fidei est duplex. Vna quę fit nouiter imbuẽdis, s. catechumenis: & talis instructio fit* per baptismũ. Alia autem est instructio, qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio, & talis instructio fit in hoc sacramento. Et tamen ab hac instructione non re-

Alias circa

pelluntur etiam catechumeni & infideles. Vnde dicitur de consec. * distin. 1. Episcopus nullũ prohibeat ingredi in Ecclesiã, & audire verbum Dei, siue Gentilẽ, siue hæreticũ, siue Iudęum, vsq; ad Missam catechumenorũ, in qua scilicet cõtinetur instructio fidei.

De consec d. 1. c. 64. Episcopus.

Ad qvintvm dicendũ, quod in hoc sacramento & maior deuotio requiritur, quam in aliis sacramentis (propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur) & etiã communior: quia in hoc sacramẽto requiritur deuotio totius populi Christi, pro quo sacrificium offertur, & non solũ percipientium sacramentũ, sicut in aliis sacramentis. Et ideo, vt * Cyprianus dicit, Sacerdos præfatione pręmissa parat fratrum mentes, dicendo, sursum corda, vt dum respõdet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quã Deũ cogitare debere.

In lib de orat. dom non multum remotè ante finem.

Ad sextvm dicendum, quod in hoc sacramento (sicut dictum est*) tanguntur ea, quę pertinent ad totã Ecclesiam. Et ideo quædam dicuntur à choro, quæ pertinẽt ad populum. Quorum quædam chorus totaliter prosequitur, quæ scilicet toti populo inspirantur. Quædam verò populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit, in signum, quod talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina, sicut fides & gloria cælestis. Et ideo sacerdos inchoat Symbolũ fidei, & Gloria in excelsis Deo. Quædam verò dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris & noui testamenti, in signum, quod per ministros à Deo missos, est doctrina hæc populis annuntiata.

In solu. ad 3. argu. in isto art.

Quędã verò sacerdos solus prosequitur, quæ scilicet ad proprium officiũ sacerdotis pertinẽt, vt scilicet dona & preces offerat pro populo, sicut dicitur Hebr. 5. In his tamen quędam dicit publicè, scilicet quæ pertinent & ad sacerdotem, & ad populum, sicut sunt orationes cõmunes. Quædam verò pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio & cõsecratio; & ideo, quę circa hæc sunt dicenda, occultè à sacerdote dicuntur. In vtrisq; tamẽ excitat attentionem populi dicendo, Dñs vobiscũ, & expectat assensum dicentiũ. Amen. Et ideo etiã in his, quæ secretè dicuntur, publicè pręmittit. Dominus vobiscũ, & subiungit, Per omnia sæcula sęculorum. Vel secretè aliqua sacerdos dicit, in signum, quod circa Christi passionẽ discipuli non nisi occultè confitebantur Christum.

Ad septimvm dicendũ, quod efficacia verborum sacramentaliũ impediri potest per intentionẽ sacerdotis. Nec tamen est inconueniẽs, quòd à Deo petamus id quod certissimè scimus ipsum facturũ, sicut Christus Ioannis, 17. petiit suam clarificationem. Non tamen videtur ibi sacerdos orare, vt consecratio impleatur, sed vt nobis fiat fructuosa. Vnde signanter dicit. Vt nobis corpus & sanguis fiat. Et hoc significant verba, quæ præmittit dicens. Hanc oblationem facere digneris benedictam secundum *August. est per quã benedicamur, scilicet per gratiã adscriptã, id est, per quam in cælo ascribamur: ratã, id est, per quam visceribus Christi traiiciamur: rationabilẽ, id est, per quàm à bestiali sensu exuamur: acceptabilẽ, vt qui nobisipsis displicemus,

De cõse. di. 2. c. 72. Vtrum sub à medio.

cemus,per hanc acceptabiles eius vnico filio simus.

Ad octavvm dicẽdum,quòd licet hoc sacramentũ ex seipso pręferatur omnibus antiquis sacrificiis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorũ deuotione. Petit ergo sacerdos, vt sic hoc sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.

Ad nonvm dicendũ, quod sacerdos nõ petit neq; quod species sacramẽtales deferantur in cęlum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse nõ desinit, sed petit hoc pro corpore mystico (quod scilicet in hoc sacramento significatur) vt scilicet orationes sacerdotis & populi, Angelus assistens diuinis mysteriis, Deo repræsentet, secũdum illud Apocalyp.8. Ascẽdit fumus incensorum de oblationibus sanctorũ de manu Angeli. Sublime autẽ altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triũphans, in quã transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationẽ pætimus, de hoc enim altari dicitur, Exod. 20. Non ascẽdes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus non facies. Vel per Angelũ intelligitur ipse Christus, qui est magni consilij Angelus. qui corpus suũ mysticum Deo patri coniungit, & Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum, sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotẽ, vel quia Christus est hostia nobis Missa à Deo. Vnde & in fine Missæ Diaconus in festiuis diebus, populũ licẽtiat, dicẽs: Ite Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, quæ in celebratione huius sacramenti aguntur, sint conuenientia.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod ea quæ in celebratione huius sacramenti aguntur non sint conueniẽtia. Hoc enim sacramentum ad nouum testamentum pertinet, vt ex forma ipsius apparet. In nouo autem testamento non sunt obseruandæ cæremoniæ veteris testamenti, ad quas pertinebat, quod sacerdos & ministri aqua lauabantur, quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exod. 30 Lauabunt Aarõ & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare. Non est ergo conueniens, quòd sacerdos lauet manus suas inter Missarum solennia.

4. sen. d. 12. in expo. lit. & opu 65. c 5. vel opus. 66. per totum.

¶2. Prætereà, Ibidẽ Dominus mandauit, quod Aaron adoleret incensum suaue fragrans super altare, quod erat ante Propitiatorium. Quod etiã pertinebat ad cæremonias veteris testamenti. Inconuenienter ergo in Missa sacerdos thurificatione vtitur.

¶3. Prætereà, Ea quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iterãda. Inconuenienter igitur Sacerdos multoties iterat crucesignationes super hoc sacramentum.

¶4. Prætereà, Apost. dicit, Heb. 7 Sine vlla contradictione, quod minus est, à maiori benedicitur. Sed Christus, qui est in hoc sacramẽto, post consecrationẽ est multo maior sacerdote. Inconuenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum cruce signando.

¶5. Præ-

¶5.Prætereà,In sacramẽto Ecclesiæ nihil debet fieri quod ridiculosum videatur. Videtur autem ridiculosum gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur, quod sacerdos quandoque brachia extendit, manus iungit, digitos complicat, & seipsum * inclinat. Ergo hæc non debent fieri in hoc sacramẽto.

Alias incurvat.

¶6.Præterea.Ridiculosum etiã videtur, quòd sacerdos multoties se ad populum vertit, & multoties populum salutet. Non ergo debẽt hæc fieri in celebratione huius sacramenti.

¶7.Præterea,Apost.1.Corint.1. pro incõuenienti habet,quod Christus diuisus sit.Sed post cõsecrationẽ Christus est in hoc sacramẽto, inconuenienter ergo hostia frangitur à sacerdote.

¶8. Prętereà,Ea quæ in hoc sacramento aguntur,passionem Christi repræsentant. Sed in passione Christi corpus fuit diuisum in locis quinque vulnerũ. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet magis, quam in tres.

¶9. Præterea, Totum corpus Christi in hoc sacramẽto seorsum consecratur à sanguine. Inconuenienter ergo vna pars eius sanguini miscetur.

¶10.Prętereà,Sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento vt cibus,ita & sanguis Christi vt potus.Sed sumptioni corporis Christi non adiungitur in celebratione Missæ alius corporalis cibus.Inconuenienter igitur sacerdos post sumptionem sanguinis Christi vinum non consecratum sumit.

¶11.Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed de agno Paschali,qui fuit figura huius sacramẽti,mandatur quòd nõ remaneret ex eo quicquã vsque mane. Inconuenienter igitur hostię consecratę reseruantur,& non statim sumuntur.

¶12.Præterea,Sacerdos pluraliter loquitur audiẽtibus,cum dicit: Dominus vobiscũ, & Gratias agamus.Sed inconueniens videtur pluraliter loqui vni soli & maximè minori. Ergo inconueniens videtur quòd sacerdos vno tantũ ministro præsente,celebret Missam. Sic igitur videtur, quòd inconuenienter aliqua agantur in celebratione huius sacramenti.

SED IN CONTRARIVM est,Ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest, vt pote Spiritu sancto instructa.

RESPONDEO dicendum,quod (sicut supra dictũ est*) in sacramentis dupliciter aliquid significatur,s. verbis & factis,ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autẽ verbis in celebratione huius sacramenti, quædã pertinentia ad passionem Christi,quæ repræsentatur in hoc sacramento, vel etiã ad corpus mysticũ, quod significatur in hoc sacramento,& quædam pertinentia ad vsum huius Sacramenti, qui debet esse cum deuotione & reuerentia.Et ideo in celebratione huius mysterij quędam aguntur ad repræsentandam passionem Christi,vel etiam dispositionẽ corporis mystici,& quædam aguntur pertinentia ad deuotionem & reuerentiam huius sacramenti.

Q.60 ar.5.& 6.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missę propter reuerentiam huius sacramenti. Et hoc dupliciter. Primò quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consue-

suevimus, nisi in manibus ablutis: vnde indecens videtur, quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo propter significationẽ, quia vt Dion.* dicit 3. eccles. hier. extremitatũ ablutio significat emũdationẽ etiam à minimis peccatis, secundũ illud Ioã. 3. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. Et talis emũdatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc sacramentum. Quod etiã significatur per cõfessionem, quæ fit ante introitum Missæ. Et hoc quidem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dion.* dicit. Nec tamẽ Ecclesia hoc seruat tanquam cæremoniale veteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conueniens. Et ideo nõ eodem modo obseruatur, sicut tunc, prætermittitur enim pedum ablutio & seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem. Cum enim manus sit organum organorum (vt dicitur tertio de anima*) omnia opera attribuuntur manibus, vnde in Psal. 23. dicitur, Lauabo inter innocentes manus meas.

C.3. Eccle. hier. in medio illius.

Eodem loco nunc dicto.

Lib.3. tex. 38 to.2.

De thurificatione.

Ad secundum dicendum, quod etiam thurificatione non vtimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Vnde non eodem modo vtimur, sicut in lege veteri erat statutum: Pertinet autem ad duo. Primò quidem ad reuerentiam huius sacramenti, vt scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter praui odoris in loco fuerit, quod posset prouocare horrorẽ. Secundò, pertinet ad repræsentandũ effectũ gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit (secundũ illud Genes. 27. Ecce odor Filij mei, sicut odor agri pleni) & à Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud, 2. Corint. 2. Odorẽ notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Et ideo vndique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

Ad tertium dicẽdum, quòd sacerdos in celebratione Missæ vtitur crucesignatione, ad exprimendam passionem Christi, quæ ad crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nã primò sicut Christi traditio, quæ facta est à Deo, Iuda, & Iudæis, quod significat trina crucesignatio, super illa verba, Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Secundo, fuit Christi vẽditio, est autẽ vẽditus Sacerdotibus, Scribis & Pharisæis. Ad quod significandũ fit iterum trina crucesignatio super illa verba, Benedictam, ascriptã, ratam. Vel ad ostendendũ pretium vẽditionis, scilicet, triginta denarios. Additur autẽ & duplex crux super illa verba, Vt nobis corpus & sanguis, &c. ad designandam personam Iudę vẽditoris & Christi venditi. Tertiò autem, fuit præsignatio passionis Christi facta in cœna. Ad quod designandum fiunt tertiò duæ cruces, vna in consecratione corporis, alia in cõsecratione sanguinis. Vbi vtrobique dicitur, Benedixit. Quartò autem fuit ipsa passio Christi. Vnde ad repręsentandum quinque plagas Christi, fit quartò quintuplex crucesignatio super illa verba, Hostiam

De crucis varia in Missa significatione.

Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctũ vitę ęternę, & calicẽ salutis perpetuæ. Quintò repræsentatur extẽsio corporis & effusio sanguinis, & fructus passionis per trinam cruce signationem, quæ fit super illis verbis, Corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione, &c. Sextò, repræsẽtatur triplex oratio, quã fecit in cruce. Vnam pro persecutoribus cũ dixit, Pater ignosce illis. Secundam pro liberatione à morte, cũ dixit, Deus meus, Deus meᵘ, vt quid dereliquisti me? Tertia pertinet ad adeptionem glorię, cum dixit, Pater in manus tuas cõmendo Spiritum meum. Et ad hoc significandum fit trina cruce signatio super illa verba, sanctificas, viuificas, benedicis, &c. Septimo, reprę sentantur tres horę, quibus pepẽdit in cruce, scilicet à sexta vsque ad horã nonam. Et ad hoc significandum fit iterũ trina crucesignatio ad illa verba, Per ipsum & cum ipso, & in ipso. Octauo autẽ, reprę sentatur separatio animæ à corpore per duas cruces subsequenter extra calicem factas. Nono autem, repræsentatur resurrectio tertia die facta, per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba, Pax Domini sit semper vobiscum. Potest autem breuius dici, quòd consecratio huius sacramenti, & acceptatio huius sacrificij, & fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo vbicunque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucesignatione vtitur.

Ad qvartvm dicendũ, quod sacerdos post consecrationem non vtitur crucesignatione ad benedicendum & consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem crucis & modum passionis Christi, vt ex dictis patet.* In solut prae.

Ad qvintvm dicẽdum, quod ea quæ sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculosæ gesticulationes, fiunt enim ad aliquid repræsentandum. Quod enim sacerdos brachia extẽdit post consecrationem, significat extensionẽ brachiorũ Christi in cruce. Leuat etiam manus orando, ad designandũ quod oratio eius dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud Thren. 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. & Exo. 17. dicitur quod cum leuaret Moyses manus vincebat Israël. Quod autẽ manus interdum iungit, & se inclinat, est suppliciter & humiliter orantis, & designat humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autẽ iungit post consecrationẽ scilicet pollicem cũ indidice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, vt si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur, quod pertinet ad reuerentiam sacramenti.

Ad sextvm dicendum, quod quinquies se sacerdos vertit ad populum, ad significandũ quod Dñs die resurrectionis quinquies se manifestauit, vt supra dictũ est* in tractatu de resurrectione Christi. Q. 55. ar. 3. arg. 3. Salutat autem septies populũ scilicet quinq; vicibᵘ, quibus se cõuertit ad populum, & bis quando se non conuertit (scilicet, cum ante præfationem dicit, Dominus vobiscum, & cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum) ad designandã septiformẽ gratiã Spiritus sancti. Episcopus autẽ celebrans in festis in prima salutatione dicit, Pax vobis, quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus: cuius personam

repræsentat præcipuè Episcopus.

AD SEPTIMVM dicendũ,quod fractio hostiæ tria significat. Primò quidem ipsam diuisionẽ corporis Christi,quę facta est in passione. Secundo distinctionẽ corporis mystici secundum diuersos status. Tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi. vt Dion.*dicit 3. c. eccle.hier. Vnde de talis fractio non inducit diuisionem Christi.

Cap. 3. Eccles. hier.à med.

AD OCTAVVM dicẽdum,quod sicut Sergius Papa dicit (& habetur de consecratio dist. 2.) triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicẽ Missa, corpus Christi, quod iam resurrexit, monstrat, scilicet ipsum Christum & beatam Virginem,vel siqui alij sancti cum corporibus,iam sunt in gloria. Pars comesta,ambulãs adhuc super terrã, quia scilicet viuentes in terra,sacramento* vtuntur,& passionibus conterũtur,sicut & panis comestus cõteritur dentibus. Pars in altari vsq; ad finẽ Missæ remanens est corpus in sepulchro, quia vsq; in finẽ seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt,quorũ tamen animę sunt vel in purgatorio vel in cęlo. Hic tamẽ ritus non seruatur modo, vt scilicet vna pars seruetur vsque in finẽ Missæ propter periculum. Manet tamen eadem significatio partium. Quam quidam metricè expresserunt dicentes.

De consec. d.2 c.Triforme.

*Alias vnivntur.

Hostia diuiditur in partes tincta beatos.
Plenè,sicca notat viuos,seruata sepultos.

Quidam tamẽ dicunt, quod pars in calicem Missa, significat eos, qui viuunt in hoc mundo, pars autẽ extra calicem seruata significat plenè beatos,scilicet quantum ad animam & corpus:pars autem comesta significat cæteros.

AD NONVM dicendũ,quod per calicẽ duo possunt significari. Vno modo ipsa passio Christi,quę repręsentatur in hoc sacramẽto. Et secũdum hoc per partẽ in calicem Missam,significãtur illi,qui adhuc sunt participes passionũ Christi. Alio modo potest significari fruitio beata,quę etiã in hoc sacramento pręfiguratur. Et ideo illi quorũ corpora iam sunt in plena beatitudine,significantur per partẽ in calicem Missam. Et est notandũ,quod pars in calicẽ Missa,nõ debet populo dari in supplementũ communionis, quia panem intinctũ non porrexit Christus nisi Iudæ proditori.

AD DECIMVM dicendũ, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutiuũ. Et ideo sumitur post susceptionem huius sacramenti, ad abluendũ os,ne aliquæ reliquiæ remaneant,quod pertinet ad reuerentiam sacramenti. Vnde extra de celebratione Missarum,ca.* ex parte. Semper sacerdos vino os perfundere debet, postquã totum percepit Euchari stiæ sacramentũ, nisi cum eodem die aliã Missam debuerit celebrare,ne si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliã impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos,quibus corpus Christi tetigerat.

In decr.l.3.ti. 41.c.ex parte, & est.c.5.

AD VNDECIMVM dicendũ est, quod veritas quantũ ad aliquid debet respondere figurę,quia scilicet non debet pars hostię consecratæ, de qua sacerdos & ministri vel etiã populus communicat in crastino reseruari. Vnde,vt habetur de consec.dist. 2.* Clemens Papa statuit quod tanta holocausta in altari offerantur, quanta populo sufficere debeant,

De consec.d.2 c.Tribus gradibus.

debeant, quod si remanserint, in crastinum non reseruētur, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur. Quia tamen hoc sacramentum quotidie sumendum est (non autem agnus Paschalis quotidie sumebatur) ideo oportet alias hostias cōsecratas pro infirmis conseruare. Vnde in eadem distin. legitur,* Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

De consec. d. 2 c. presbyter.

AD DVODECIMVM dicendū, quod in solenni celebratione Missæ plures debent adesse. Vnde Soter Papa * dicit vt habetur de consecratio disti. 2. Hoc quoq; statutū est, vt nullus presbyterorum Missarū solennia celebrare præsumat, nisi duobus presentibus, sibiq; respondentibus, ipse terti⁹ habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscū, & illud in secretis, orate pro me, apertissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi. Vnde & ad maiorem solennitatem, ibidem statutū legitur, quod Episcopus cum pluribus Missarum solennia peragat. In Missis tamen priuatis sufficit, vnum habere ministrum, qui gerit personā totius populi catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.

De consec. d. 2 cap. Hoc quoque statutum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando.

4. d. 13. in expos. lit.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non possit sufficiētēr occurri defectibus, qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiæ obseruando. Contingit enim quandoque, quod sacerdos ante consecrationem, vel post moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentū sumere possit, & Missam perficere. Ergo videtur quòd non possit impleri statutū Ecclesiæ, quo præcipitur quòd sacerdos consecrans, suo sacrificio communicet.

¶ 2. Prætereà, Contingit quandoque, quod sacerdos ante consecrationem vel post recolit se aliquid comedisse vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subiacere, vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat, necesse est ergo, quod ille qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter, contra statutum Ecclesiæ faciens, siue sumat, siue non sumat.

¶ 3. Pręterea, Contingit quandoque quod in calicem musca vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem, vel etiā cognoscit sacerdos calici venenū esse immissum ab aliquo maleuolo causa occidendi ipsum. In quo casu, si sumat videtur mortaliter peccare, se occidendo vel Deum tentādo: similiter si non sumat, peccat cōtra statutum Ecclesiæ faciens. Ergo videtur esse perplexus, & subiectus necessitati peccandi, quod est inconueniens.

¶ 4. Præterea, Cōtingit quandoque quod per negligentiā ministri aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, & hoc sacerdos aduertit. Ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus, siue sumat corpus sine sāguine (quasi imperfectū faciēs* sacramentū) siue nō sumat nec corpus nec sanguinem.

Alias sacrificium.

¶ 5. Præ-

¶ 5. Præterea, Contingit quandoq; quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione huius sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, siue reiteret verba super eandem materiam, quæ forte iam dixerat, siue vtatur pane & vino non consecratis, quasi consecratis.

¶ 6. Præterea, Contingit quandoq; propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in calicem, siue ante fractionem, siue post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesiæ implere, vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc quòd sola tertia pars mittatur in calicem.

¶ 7. Præterea, Contingit quandoq;, quòd per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur, vel etiam quòd sacerdos sacramentum sumptum vomit, aut etiã quod hostiæ consecratę tandiu conseruantur, vt putrefiant, vel etiam à muribus corrodantur, vel etiam qualitercunq; perdantur. In quibus casibus nõ videtur posse huic sacramẽto debita reuerentia exhiberi secũdum Ecclesiæ statuta. Non videtur ergo, quod his defectibus, seu periculis occurri possit, saluis Ecclesiæ statutis.

Sed contra est, quod sicut Deus, ita Ecclesia non præcipit aliquid impossibile.

Respondeo dicendum, quod periculis, seu defectibus circa hoc sacramentum contingentibus dupliciter potest occurri. Vno modo præueniẽdo, ne scilicet periculum accidat. Alio modo subsequendo, vt scilicet, id quod accidit emẽdetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendũ, ꝙ si sacerdos morte, aut infirmitate graui occupetur ante cõsecrationẽ corporis & sanguinis Dñi, nõ oportet, vt per alium suppleatur. Si verò incepta consecratione hoc acciderit (puta consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiã consecrato vtroq;) debet missæ celebritas per alium expleri. Vnde, vt habetur in Decretis 7.q.1.c. nihil, in Toletano* concilio legitur: Censuimus conuenire, vt cùm sacerdotibus missarum tempore mysteria sacra consecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptum nequeat expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri, cõsecrationem exequi incepti officij. Non enim aliud competit ad supplementũ initiatis mysteriis, quàm vt aut incipientis, aut subsequentis benedictione sint cõpleta sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfecto ordine compleantur. Cùm enim simus omnes vnum in Christo, nihil cõtrarium diuersitas personarũ format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Ne tñ quod naturę lãguoris causa cõsulitur, in pręsumptionis perniciem cõuertatur, nullus absq; prouento patentis molestæ, minister, vel sacerdos, cũ cœperit imperfecta officia, præsumat omnino relinquere: si quis hoc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam substinebit.

Concil. 7. Tole. can. 1. vel. 2. diuersos codices. Et habetur 7. q. 1. c. Nihil.

Ad secundum dicendũ, quod vbi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maximè autem periculosum circa hoc sacramentum

tum

tum est, quod est contra perfectionem huius sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium. Minus autē est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo si sacerdos post consecrationem inceptam, recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, & sumere sacramētum. Similiter si recordetur se peccatum aliquod commisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & sic non indignè, sed fructuosè sumet sacramentum. Et eadem ratio est si meminerit se excommunicationi cuicunq; subiacere. debet enim assumere propositum humiliter absolutionē petendi, & sic per inuisibilem pontificem IESVM Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat diuina mysteria. Si verò ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem maximè in casu manducationis & excommunicationis, quòd missam inceptam desereret, nisi graue scandalum timeretur.

AD TERTIVM dicendū, quod si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehēderit esse immissum, debet effundi, & abluto calice, denuo aliud vinum poni cōsecrandum. Si verò aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal cautè capi, & diligēter lauari & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si verò venenum ibi esse depręhenderit immissum, nullo modo debet sumere nec alij dare, ne calix vitę vertatur in mortem: sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquiis conseruari. Etne sacramentum remaneat imperfectū, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere.

AD QVARTVM dicēdum, quod si sacerdos ante consecrationē sanguinis & post consecrationem corporis percipiat, aut vinū, aut aquā nō esse in calice debet statim apponere, & consecrare. Si vero post cōsecrationis verba perceperit, quod aqua desit: debet nihilominus procedere, quia impositio aquæ (vt suprà dictum est*) non est de necessitate sacramenti. q. 74. ar. 7. Debet tamen puniri ille ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte, vt suprà dictum est.* Si verò percipiat post q. 77. ar. 8. verba consecrationis, quod vinum non fuerit positū in calicem, si quidem hoc percipiat ante sumptionē corporis, debet deposita aqua, si ibi fuerit imponere vinum cum aqua, & resumere à verbis consecrationis sanguinis. Si verò hoc perceperit post sumptionem corporis, aliā hostiam apponere debet, iterū consecrandā simul cū sanguine. Quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, nō seruaretur debitus ordo consecrandi, & sicut dicitur† in prædicto ca. Toletani concilij, perfecta videri non In cōc. Tolet. 7. can. 1. vel 2. secūdum aliquos codices. possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si verò inciperet à consecratione sanguinis, & repeteret omnia verba cōsequentia, non competeret, nisi adesset hostia cōsecrata: cū in illis verbis occurrant quædam dicenda & fienda nō

solum

solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine iterũ sumere hostiam consecratã & sanguinem, non obstãte etiamsi prius sumpserit aquam, quæ erat in calice: quia pręceptum de perfectione, vel de præceptione huius sacramẽti maioris est ponderis, quàm pręceptum, quod hoc sacramentum à ieiunis sumatur, vt suprà dictum est.†

q.80.ar.8.& q.82.ar.4.

Ad qvintvm dicẽdum, quod licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorũ, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit: nisi fortè aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione iam dicti, sic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde, si aliquis attentè cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolit se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectum memoriæ, inquantum accipitur sub ratione præteriti sicut dicitur† in lib de memoria. Si tamen sacerdoti probabiliter cõstet se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non existimo quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificij: sed debet vlterius procedere. Si verò certificetur se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate sacramenti, scilicet formas consecrationis, cùm forma consecrationis sit de necessitate sacramẽti, sicut & materia, idem videtur faciẽdum, quod dictum est* in defectu materię, vt scilicet resumatur à forma cõsecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo sacrificij.

In lib de memoria c 1.to.2.inter opera Arist.

In so.ad 4.argum.hic in isto art.

Ad sextvm dicendum, quod fractio hostiæ consecratę, & quòd vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquę significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificij, vt propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationẽ huius sacramenti.

Ad septimvm dicendum, quod (sicut legitur de conse. d.2. ex decreto Pij Papæ†) si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si verò non fuerit tabula, terra radetur, & igni consumetur, & cinis intra altare condetur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autẽ super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouẽ diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina quę, stilla tetigerit, tribus vicibus lauet minister calice subtus posito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recõdatur: posset etiam sumi in potum à ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidã autem vlterius partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerem in altari, vel sacrario reponunt. Subditur autem ibidẽ ex pœnitentiali Bedæ† presbyteri, Si quis per ebrietatem, vel voracitatẽ Eucharistiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est. clerici, vel monachi, seu diaconi & presbyteri, septuaginta diebus pœniteãt: Episcopus, nonaginta. Si autẽ infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant. Et eadẽ

De conse.d. 2. Si per negligentiam.

Ead.d 2.ca.Si quis per ebrietatem.

Ead. dist. 2. c. Qui bene non custodierit.
Alias sacrificium.
Quaest. 77. art. 5. & locis ibi citatis.

distinct. legitur ex conc. Arelatēsi: *Qui non bene custodierit * sacramentum, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & à communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij & personæ potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam. Hoc tamen obseruandum est, quod vbicunq; species integræ inueniuntur, sunt reuerenter conseruandæ, vel etiam sumendæ, quia manentibus speciebus manet ibi corpus Christi, vt suprà dictum est †. Ea verò, in quibus inueniuntur, si cōmodè fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est.*

In istius solutionis prin.

¶ *Sententiæ & conclusiones quæst.*

PRima conclusio, *Christus in hoc sacramēto semper cū perficitur, immolatur. quia vt Christi in cruce immolatio potens fuit & sufficiens ad salutem omnium sempiternam: sic in hoc sacramento quotidie immolatur, tum vt participes efficiamur fructus dominicæ passionis: tum vt memores simus mortis Dñi.*

Secunda conclusio, *rectè Ecclesia catholica, ad dignam huius sacramenti celebrationem, præscripsit tempus, locū, sacra vasa, ornatum altaris, vestes sacerdotis, ritus & cæremonias, & defectibus eorum congruentia remedia.*

De priori conclusione tum ob argumēti præstantiam, tū ob hæreses de eo exortas nostra tempestate, latius primò dissæremus: deinde de posteriori contractiùs, quòd cum catholicis tantum agēdum sit.

DE

DOCTRINA DE SACRIficio noui test. Autore Sebastiano Episcopo Oxomen.

¶ CAP. I. Definitio & notatio sacrificij.

In Eucharistia ratio sacramenti & sacrificij proprissimè reperitur.



LTER vsus sacrę Eucharistię, isq; maximus, quo religio Christiana cōtinetur, est sacrificiū: quod licet tractatione sacramento posterius sit, cū non possit existere sine materia & forma sacramēti, dignitate tamē & natura prius est, cū nisi prius sacrificatū sit, sacramentum cōfici non possit. præstantia verò & dignitas Eucharistiæ, nō solū in eo cernitur, quòd ad mirabilē pręcęteris sacramētis sanctificationem in nobis efficiat, sed etiā quòd in ea sit, proprij sacrificij & externi, cultus: in aliis vero sacramentis sit quidā cultus Dei, sed non propriè sacrificiū noui test. cū illud vnicum tantū sit Eucharistia. neq; verò repugnāt in eodē sacrificium & sacramentū, vt aduersarij cōtendunt, cùm eidē Eucharistię vtriusq; ratio proprissimè cōpetat: & in veteri lege, licet nō omnia, quædā tamen fuerint simul sacramenta & sacrificia, vt agnus Paschalis. Sed ad rationē sacrificij exactè explicandā, quod erit huius disputationis exordiū, verbi homonymia, ne decipiamur, primū distinguēda est. Sacrificiū igitur generaliter est omnis actio studiosa, quatenus in Dei cultum & reuerentiā refertur: & ideò actio imperata à virtute religionis, quæ refert omnia in Dei cultū. ita Dei laus Psal. 49. sacrificiū laudis honorificabit me. ita cōtritio Psal. 50. Sacrificiū Deo spiritus contribulatus. sic eleemosynę dicuntur hostię Heb. 13. & corporis castigatio dicitur sacrificiū Rom. 10. martyriū Sap. 3. sic vocat Aug. sacrificiū omne op⁹, quod agitur, vt sancta societate Deo adhæreamus. & 10. lib. de ciuit. c. 6. eodē sensu inquit, quod Christus sacrificat Ecclesiam, & Ecclesia sacrificat seipsam, & quisq; nostrū sacrificat animā suam. Sic etiam multa, quæ propriè de aliquo dicūtur, ad alia in scriptura, ex analogia & similitudine aliqua transferuntur, vt circuncisio ad mundiciē cordis & auriū: ieiuniū ad cessationē à peccatis: Christus nomē matris, fratris, sororis, ad eos, qui volūtati patris obtēperant: corda etiā, & corpora nostra dicūtur tēplum Spiritus sancti: & nos nostrarū actionum in Deū relatarum sacerdotes, & ideò ipsę actiones, hac ratione generali, sacrificia. Cùm autē interiori mētis actione, fiat hęc in Dei cultū & reuerētiam relatio, appellatur hoc sacrificiū à D. Aug. & Theologis, internū & inuisibile. Dicitur verò generaliter hoc modo sacrificiū, quia omnes actiones cōprehendit, quatenus in Deum referuntur: sed non est hæc specialis notio sacrificij, quę proprio sacrificio conuenire possit: cū illud sit actus religionis imperatus, hoc verò sit elicitus. Propriū sacrificiū rectè definiri potest, oblatio rei sensibilis immutatę in honorem, cultum & reuerentiam Dei. nō definitur res sacrificata, sed ipsa sacrificalis actio, quāuis de vtroq; dicatur sacrificiū Latinis, vt Gręcis thysia. propriū autem dico, cui propriè & sine trāslatione ratio sacrificij accommodatur, licet aliud interius & inuisibile perfecti⁹ sit in nobis, vt finis alterius visibilis: sicut scriptū est de veteribus sacrificiis, misericordiā volo & nō sacrificiū: & illud quòd laudatur à Dño Mar. 12. diligere Deum ex toto corde, maius est omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Huius ratio est, quia illæ actiones studiosæ, quæ generaliter dictæ sunt sacrificia, ex seipsis & proprio obiecto bonitatē habent & laudē: sacrificationes autem, quæ propriè dicūtur sacrificia, ex pręcepto, fine & relatione tantū, bonę censentur: & idcircò perfectiores sunt illę, licet impropriè sint sacrificia. Sic D. Tho. 2. 2. q. 85. ar. 3. sunt quidā actus, qui non habēt ex alio laudē, nisi quia fiunt propter reuerentiā diuinam, & propriè dicuntur sacrificia, & pertinent ad virtutē religionis, nēpè vt actus eliciti. Actus verò aliarū virtutū, qui in diuinā reuerentiam ordinātur, vt contritio, eleemosyna, carnis castigatio, sacrificia dici possunt: quia imperātur à religione. eadem ratione in nostro sacrificio, licet corpus Christi secundū substantiam præstet omnibus virtutū officiis, vndecunq; sint per se expetibilia, ipsę tamē actiones, quibus fit vt sacrificetur, nēpè quibus ad species panis & vini coniūgitur, māducationi exponitur, frangitur, sanctę & legitimę iudicātur ex prę cepto, fine & instituto Christi Dñi: à quo eximiam

Hoc cōstabit. c. 11.

Sacrificium generaliter & impropriè.

3. p. q. 22. ar. 2.

Sacrificiū propriè, & definitio.

Cuius virtutis actus elicitus.

miam

miam habēt supra omnia alia dignitatē, laudem, & efficaciā eorum, quę ad nostrā salutem pertinēt. Hinc intelligitur, quarę Patres illa interiora, dicāt vera sacrificia, nēpè, quia vera vocāt, quę maiorē perfectionem ex seipsis habent, vt verā fidem, quę perfecta sit. sic Dn̄s Ioā. 15. se verā vitem vocat, quod ex similitudine res significata metaphoricè, perfectius Christo conuenit, quā viti naturali: hoc igitur propriū sacrificium, idest actionē externā sacrificandi, vt specialē & elicitam religionis actionē, de qua doctrinā instituimus, ex proprio genere & differentia definimus. Genus est oblatio, siue exhibitio rei sensibilis: latius enim patet oblatio, quā sacriciū: primitiæ oblationes sunt, quia Deo offerūtur immediatè Deut. 29. & quodcunq; aliud donū Deo factum, oblatio est: sed non sunt sacrificia, quia nihil sacrū in eis fit, quo immutētur in Dei cultū, vt in sacrificio: decime, neq; sacrificia, neq; oblationes propriè sunt, quia nō immediatè Deo, sed ministris diuini cultus exhibētur. sacramenta etiā, vel sacramētalia omnia, excepta Eucharistia, licet in quibusdam operationibus sacris circa res sensibiles cōsistant, tamen, quia neq; offeruntur, neq; immediatè in Dei honorē exhibentur, sed ad nostrā potius salutē procurandam per se primò instituta sunt, sacrificia propriè nō dicuntur, neq; certè sunt. sit igitur genus sacrificij, oblatio in Dei honorem immediatè facta in aliqua re sensibili: vt licet sacrificiū primò consistat in actu interioris oblationis, cùm sit actus religionis, vt tamen sit propriū sacrificium, oportet esse in re sensibili, aspectabili & manifesta: quòd sit actus religionis, quo homines in eandem societatē & rempub. copulantur. homines autē nisi externis & sensibilibus signis cōiungi in eandē religionem nō possunt. sed illa immutatio maximè discernit proprium sacrificium, ab aliis oblationibus Deo immediatè factis: primitiæ enim, primogenita, religiosę personæ, & alia innumera Deo in lege offerebantur, quæ tamen sacrificia non sunt: sicut neq; donaria templorum & altarium in veteri, aut noua Ecclesia, quòd in illis nulla intercedat mutatio, sed integra in sua specie maneant, quæ autē sacrificantur, in alias species trāseant, cùm vel mactata, vel tosta, vel contusa, vel frixa, vel aliqua alia actione sacerdotis prorsus cōfecta sunt, vt præcipitur Leuit. 2. & 6. In lege etiam naturę eadē erat in sacrificiis mutatio, vel per gladiū, vel per ignem, vel vtroq; modo, vt constat in sacrificiis Abrahami, Noei, & Abelis, quod diuinitus inflammatum ex interpretatione Theodotionis putat D. Hier. in lib. qq. super Genesim: quasi Deo probante immutationem, quæ fit in sacrificio. idem etiam constat in Patrum sacrificiis, vt Gedeonis, Heliæ, Salomonis in dedicatione templi. Ratio est, quia sacrificare nihil aliud est, quàm sacrum facere: fit autem sacrum, cùm per huiusmodi immutationem, res ipsa oblata, humanis vsibus inepta redditur, vt ita offerēs rei possessione se exuens, in vsum diuinū reipsa transferat, quod oblatum est: vt deprehenditur manifestò in holocausto, cùm totum in Dei honorem combureretur: in reliquis autem, aliqua rei oblatæ pars cedebat sacerdoti, aut populo, quasi diuina quadam redonatione significaretur diuinorum cum homine initum consortium, iuxta illud 1. Corint. 10. qui edunt hostias, participes sunt altaris, quod etiam in nostro sacrificio obseruatur: vbi de re sacrificata semper sacerdos, sæpè etiā populus in ratione sacramenti cōmunicat. Est etiam illa causa omnium sacrificiorum cōmunis, vt in eis post lapsum primi hominis fuerit hæc immutatio necessaria, repræsentatio nimirū mortis Dominicæ, quam oportebat in omnibus sacrificiis repræsentari: cū aliter Deo placere non possent, qui reconciliationem generis humani in morte Christi constituit, quæ fuit omnium sacrificiorum finis & consummatio: vt sicut Deo Patri vitam & spiritū voluntarius obtulit Christus, & se ex viuo mortuum reddidit, vt esse humanum filij Dei, Patri Deo pro nobis donaret, ita in omni sacrificio hæc immutatio repræsentata, ipsum Deo gratum & acceptum redderet: cùm non sit aliud nomen in quo oporteat nos saluos fieri Act. 4. quamuis eam repræsentationem, alij expræssè & explicitè profiterentur: alij verò implicitè tantùm, vt D. August. epist. 120. significat. Consentit etiam nomen sacrificij cum hac eius essentia, cum sit idē, quod factio sacri, quæ Græco nomine thysia apertius exprimitur. dicitur enim propriè de his, quæ mactatione & iugulatione conficiuntur: licet Theophilactus ad ea propriè referat, quæ igne sacrificantur, athicstæ, quòd est thymiasthæ ardere, vel suffitum edere, in comm. ad c. 8. epist. ad Hebr. Euseb. etiam lib. 1. de præparat. Euangelica cap. 6. refert Porphyrium in lib. de esu carnium, disserentem contra sacrifici

Essentia proprii sacrificij.

2. 2. q. 85. ar. 3. ad 3.

Oblatio rei sensibilis immediatè Deo facta.

Immutatio.

Etymologia sacrificii, & respondēs dysias.

ficia Iudæorum,& contendentem antiquitus non aliter sacrificatum esse, quàm per resolutionem & exhalationem florum & herbarum in fumum,eumq; suffitum Grecè vocari thymiain, vnde dicta sit thysia. sed certè nomen sacrificij in omnem rem, quæ aliqua actione, vt mactatione, cõflagratione, in cultum Dei immutatur, omninò conuenit: licet deducatur à suffitu,fortasse,quia in scriptura dicitur Dominus odorari sacrificij odorem: & constat antiquiora illa sacrificia non fuisse exhalatione,sed mactatione immutata,vt sacrificium Abrahami,& Abelis conflagratione. aliud autem sæpè est à quo imponitur nomẽ,aliud quod ex vsu significat.vt immolare latinis dictum est à mola, & tamen transfertur ad ea,quæ gladio sacrificantur, vt in illo,Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat,& Genes.22.arripuit gladiũ, vt immolaret filium.vnde, quia sacrificium habet cõiunctam multiplicem & operosam actionem facere, plerumq; est idẽ,quod sacrificare. sic Euangelistæ dixerunt facere Pascha, occidere Pascha, immolare Pascha. *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

CAPVT II.

¶ *Sacrificij distinctio, & species.*



Xplicauimus generalem & propriam sacrificij rationem,deinde formę & species distinguendæ sunt, vt ad nostrum sacrificium ordine perueniamus.in sacrificio igitur generali,vt admonui, continentur omnia officia virtutum & actiones: cùm omnes ab vna religionis virtute,in Dei honorem,cultum,& reuerẽtiam referri possint,vt prius admonui.in sacrificio autem speciali & proprio,quæ fuerint formæ in lege naturæ nõ constat, nisi de expressis in sancta scriptura, vt Abelis, Noei, Abrahami, Iacob,& aliorum quorundam: in lege autem veteri tribus modis distingui possunt,ex materia, forma & fine.Ex materia viuenti,& animata,dicebatur victima,nõ tamen ab ea, sed à deuictis hostibus,cùm ea de causa offerretur,nomẽ habens.ex materia autẽ inanimi erat multiplex, vt materia solida & sicca, ex farre, sale, simila, & huiusmodi: & quę immolatio à mola latinis dicitur:& ex materia liquida,vt vino,vnde libamen dictũ est.Ex forma autem faciendi,cruenta sacrificia distinguebãtur,vt aliud esset holocaustũ,quòd tota hostia cremaretur, ex bobus,ouibus,capris,auibus:aliud esset pacificũ,cuius vna pars Deo cedebat cremata in altari,altera sacerdoti, tertia offerẽti, vt ab illis comederetur.tertiũ erat pro delicto per ignorantiã commisso, cuius vna Deo cedebat cremata in altari,altera sacerdoti nisi pro seipso offerret: tunc enim totum cremabatur:quartum pro peccato ex passione,aut scienter commisso. Ex adiuncto etiam distingui potest sacrificium, vt aliud sit absolutum,independens, & nõ relatum ad aliud, nec in commemoratione alterius positum:alterum sit dependens & ad aliud relatum,cuius est significatiuum & commemoratiuum. primi generis tantùm est sacrificium crucis: alterius generis sunt cætera omnia sacrificia,quæ vel præcesserunt in lege naturæ, vel quæ in veteri lege secuta sunt,vel ipsum nouæ legis sacrificium,quod in figura panis & vini offertur:cùm hæc omnia ad sacrificium crucis tanquam ad finem,& primariam aliorum causam referantur,& ex illius commemoratione efficaciam,& vim desumãt.Vnde qui in definitione proprij sacrificij,cõmemorationẽ collocaret, vitiosam definitionẽ redderet,quia perfectissimũ crucis sacrificiũ excluderet:qui autẽ poneret signum, nullum excluderet sacrificium,quod fecit D.Aug.cùm ait,visibile sacrificium est,inuisibilis sacrificij sacramentũ,hoc est sacrũ signum.ipsa enim oblatio Christi in cruce Augustiniano more, signum fuit sui interni sacrificij.His diuisionibus breuiter omnia veterũ sacrificiorum,& nostrorũ genera & species cõprehendimus.est autem,vt eorũ omnium cõmunis illa definitio proprij sacrificij,paulò ante explicata: sic etiã finis,vt fiant in honorẽ & cultum Dei, quẽ propriè latriam dicimus, cuius rationes ex naturę instinctu,scriptura,& Patribus colligũtur. Ex natura quidẽ,quia ex insita & naturali propẽsione ducimur, ad publicè coram omnibus agnoscendũ supremum Dei dominium,idq; fit visibilibus sacrificiis,vt ex

Leuit 2.
Sacrificiorũ diuisio. 1. 2. q. 102. arti. 3. ad 8.
Leuit. 1. 3. 4. 5 & 6.
Lib. 10. de ciui. c. 5.
Sacrificiorum idem finis est, cultus Dei externus & sensibus, qui interiorem significaret.

ex omniũ gentium moribus colligitur: cũ nulla vnquã fuerit tam barbara gens, quæ sacrificia nõ fecerit, vt inquit D. Aug. li. 10. de ciuit. c. 4. iis quos, aut putauit, aut credidit, aut finxit esse deos. sed hoc manifestiùs deprehenditur in populo Dei: & priusquã in Gẽtilitate, vt in duobus primis fratribus Gen. 4. in altari & sacrificio Noei egrediẽtis de arca Gene. 8. in Abrahamo cumprimum benedictionis omniũ gentium promissionẽ accepit: in Melchisedech, in Iob, in reliquis sanctissimis Patribus: qui omnes, aut libera animi inductione, aut diuina reuelatione, pro illorũ temporũ conditione sacrificauerunt.
2. Quòd vero in rebus sensibilibus sacrificia perficiẽda sint, causa est ipsa natura hominis, quę cũ corpore & anima constet, quæ rerũ intelligentiam ex simulachris rerum sensibilium deducit, rebus sensibilibus maximè permouetur: & quia homo non modò animum, sed seipsum totum, ipsumq; vniuersum sua causa conditum, ipsumq; Christum propter nos natum & sacrificatũ, Deo debet: ideò oportet externo aliquo sacrificio profiteri hoc supremum Dei dominium, & maxima erga nos beneficia. Nisi enim Deus nobiscũ indulgenter ageret, & prouideret, ne graues abusus ex mutua cæde ac sanguine cõtingerent, iustè exigeret à nobis, vt nos ipsos, aut charissimos liberos, aut de humano genere ac sanguine aliquid, in naturæ tributum Deo penderemus: sed hoc voluit aliis rebus cõmutari, vt in primogenitis, qui Dei erant, in lege commutationẽ admisit Exod. 34. & cũ iustè Abrahæ præcepisset vnigeniti filij oblationem, tamen obedientia & ariete contentus, non acceptauit. nec vnquam voluit hoc genus hostiæ per se licitum esse: & ideò temerarium iudicatum est facius Iepthe Iud. 12. in filiæ immolatione, vt asserunt Nazianz. de Machabæis, Ambros. lib. 3. offic. c. 12. Hieron. Ierem. 7. August. li. 7. qq. in lib. Iudic. In solo Domino IESV acceptum fuit humanæ carnis sacrificium: quòd ea tantum placare posset Deum, vt 3. p. de satisfactione Christi ostensum est. sic impuri spiritus, quia sciebant tale aliquid Deo deberi, fecerunt cultores suos sacrificare filios suos & filias dæmonibus, & sanguinem innocentem effundere. vnde eleganter Eusebius lib. 1. de pręparat. Euang. c. 10. in rebus viuis, inquit, fidelibus sua sacrificia præscripta fuisse: quia vitam propriam Deo debemus: & ideò animam, seu sanguinem bestiæ, esse pro anima nostra commutationem: & animal capite comprehensum sacerdoti in lege sisti, & ab eo manus capite imponi, quòd sit hostia & precium pro capite offerentis.

De sacrificio carnis humanæ.

Conc. 22.

Est etiam alia ratio externi sacrificij in rebus sensibilibus positi: vt quoniam ad societatem nati sumus, & respublica sine religione constitui non potest, hæc sacrificia publicè & sensibiliter fierent, vt eorum commercio coalescerent in eandem religionem homines, & ea ratione, in eandem rempub. 3.

CAPVT III.

¶ *De ministro sacrificij.*

Sacrificii minister sacerdos, vt sint hæc tria coniuncta, lex, sacerdos, sacrificium.



Explicauimus quid esset proprium sacrificium, quæ eius diuisiones, quis finis, & materia in qua fieri posset: de ipsius ministro statim dicẽdum est, vt tota generalis sacrificiorum ratio perfecta sit, antequam ad nostrum speciale & proprium nouæ legis sacrificiũ descendamus. Sacerdos igitur est sacrificij proprius & legitimus minister, vt hæc sint necessario & indissolubili nexu coniuncta, lex, sacerdos, sacrificium. Sic D. Paulus Hebr. 5. omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quę sunt ad Deũ, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. & c. 7. sub sacerdotio, inquit, Leuitico, populus accepit legẽ, hoc est, factus est legalis nenomotheto, & mutatione legis, cõstat mutari sacerdotẽ, & sacrificiũ. Ratio est, quia sicut per religionis priuatos & internos actus, fit quędã cuiusq; hominis cũ Deo societas, ita per publica & externa sacrificia à legitimis administrata sacerdotibus, fiunt societatis fœdera, cùm hominũ inter se, tum etiam inter rẽpub. & Deũ, de illi seruiendo, & ab illo vicissim beneficia recipiẽdo, vt simus illi in populũ, & ille rursus sit nobis in Deũ. Tale fœdus fuit,

Respub. constituitur sacrificio externo, per legitimum sacerdotem procurato. *Gen.28.* *Gen.15.*

ædificato altari, inter Iacobū, eiusq; familiam, & Dominū: tale pactum inierat prius Abraham pro se & semine suo per sacrificium: similibus etiam, quasi sacrificiorum pactis conuentis, dæmones ipsi non solùm certas personas, sed hominum conuentus maximasq; nationes sibi sociarunt. Neque alio fundamento respub. Gentilium constitui poterant, hoc tantùm à legitimis societatibus differentes, quòd ea, quæ gentes immolant, vt inquit Paulus, 1.Cor.10. dæmoniis & non Deo immolant. Vnde Aristot. lib.12. metaph. ad populum continendum, sacrificiorum religionem constitui oportere tradit: & Ethic.6. inter magistratus, sine quibus respub. consistere non potest, numerat sacrificos, illisq; in ciuitate principem locum tribuit lib.7. polit. c.8. & si memoria vetera repetamus, nullam vnquam videbimus, iuxta naturæ præscriptum, institutam rempub. sine sacrificio. Non solùm autem legitimus Dei populus discernitur ab aliis non rite constitutis, sacrificiis legitimè procuratis: sed etiā eiusdem populi & Ecclesiæ Dei varij status, eisdem distinguntur. sic cap.7. epist. ad Hebr. concluditur veteris legis abrogatio, ex sacerdotij Leuitici mutatione, vt lex vetus sit abrogata, sed per aliam legem, non quæ careat sacerdote, sed quæ summum habet sacerdotem, eumq; iureiurando factum: quia mutatio sacerdotij & sacrificij, non autem sublatio & abrogatio illius, quamcunque reipub. formam in populo fideli constituit. sic Daniel cap.3. describens rempub. in religione valdè perturbatam, & in atheismum inclinantem, inquit, esse populum sine holocausto, sacrificio, oblatione, incenso. Vnde obseruandum est, omnem comparationem variorum statuum, fidelium, aut infidelium, semper habere in scripturis coniunctam comparationem sacrificiorum. Vna comparatio, & antithesis Malach. cap. 1. proponitur, ad exprimendam translationem veterum sacrificiorum in nostram oblationem. oppositio autem fit inter homogenea, vt esse debet in omni comparatione, vt opponatur sacerdos sacerdoti, sacrificium sacrificio, altare altari, locus loco, panis pollutus, animalia cæca & clauda, oblationi mundæ, contemptus nominis, gloriæ nominis apud gentes futuræ. vt autem intelligamus prophetam

Comparationes statuum habet coniunctam sacrificiorum comparationem.

locutum de sacrificiis propriis, sic principiò sacerdotes compellat. Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum, & cæcum, & claudum, & debile immolatis, non est voluntas mihi in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. ab ortu enim solis vsque ad occasum magnūm est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus. quibus verbis extremis, verum & proprium sacrificium, ex eius effectu describitur, nempè cultu Dei externo, vt colligitur ex illo Psal.28. Afferte Domino patriæ gentium, afferte gloriam nomini eius, tollite hostias. Hanc autem oblationem mundam, esse sacrificium noui testamenti proprium, externum & visibile, non internum & spirituale, hæc argumenta ostendunt. primùm, verbum, sacrificare, & offerre, per se sumptum sine particula diminuente, de proprio sacrificio & externo tantùm dicitur: cùm verò dicitur hostia laudis, hostia vociferationis, sacrificium cordis tribulati, aut contriti, impropriè dicitur sacrificium. Secundò, sacrificium, de quo propheta loquitur, est vnum: spiritualia autem sacrificia tot sunt, quot Christianitatis opera. Tertiò, sacrificium nouæ legis & gentium, non sunt Iudæorum: spiritualia verò precum & operum, Iudæis nobiscum communia sunt. Quartò, sacrificium, de quo Malachias, Iudaicis succedit, & eorum loco offertur: sed oratio, ieiunium, cæteraq; charitatis opera, nullis sacrificiis succedunt, sed cuilibet generi coniunguntur. Quintò, aduersariorum maximè iudicio, opera nostra sunt inquinata, vt cumq; speciosa videantur: sed hæc prophetica oblatio per se munda est, & ita præ veteribus hostiis munda, vt à nobis, vel à pessimis sacerdotibus pollui omninò non possit, neque in aliam commutari, cùm vnica tantum sit. Hoc argumentum aduersariis debet esse firmissimum, vt confiteantur in Euangelio esse sacrificium vnicum & perfectissimum. sic etiam omnes Patres Ecclesiæ catholicæ de eodem sacrificio prophetam intelligunt. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem ad finem. Iustinus contra Tryph. Irenæus lib. 4. capit. 32. Hieron. Malach. 1. & Zachar. 8. Cyprian.

Malachiæ c.1. explicatio.

aduersus Iud.lib.1.c.19.Euse.lib.1.de dem. c.10.Cyril.lib.de adorat.in spiritu & verit. Chrys.in Psa.95.Aug.lib.1.cōt.aduers.leg. c.8.& lib.18. de ciuit.c.35. Damas.lib.4.de fid.orthod.c.14.Theod.Malac.1. Quòd si aliquādo sacrificium nostrū,oblatio precū à veteribus dicta est, nō est ad tollendam proprietatē externi sacrificij, quā semper confirmāt,& ratam haberi volunt: sed ad significandū,quod eulogia, benedictione & prece mystica,hoc est certa verborum forma, nostrū sacrificium perficitur: cùm nō habeat crassam & carnalē, cruentamq; consecrationē,aut immolationem,sicut victimę Iudaicę,sed mysticā & in mysterio. de qua ratione dicendi, dictū est à nobis, cùm de formis omniū sacramentorum generaliter disputauimus. Comparationem eandem inter Iudeos & Christianos,secundū sacrificij diuersitatem proposuit D.Paulus Heb.13.cū altare nostrum,thysiasteriō sacrificatoriū, opponit Iudæorū tabernaculo:habemus,inquit altare, de quo nō habent potestatē edere,qui tabernaculo deseruiunt. cū autem liceret Iudæis credere in Christū, & interiora cordis sacrificia colere:certè altare vocat in quo per cōsecrationem, corpus Christi offertur. Sed plenior est comparatio illa Pauli 1.Corint.10. inter status tres,duorū fidelium, tertij prophani,in analogia sacrificiorū: vt constet nostrum sacrificiū semper veris & propriis sacrificiis cōparari.

Comparationes Apostoli de nostro sacrificio.

Prima cōparatio est cū hostiis Iudaicis,in effectu,cùm ait, videte Israel secundū carnem: nonne, qui edunt hostias,participes sunt altaris? sic vicissim de nostro sacrificio, panis quē frangimus, nonne participatio corporis Dñi est? altera cōparatio cum infidelibus, cùm inquit, fugite à cultura,hoc est sacrificio idolorū: & reddens eius rei rationē,calix,inquit,cui benedicimus,nonne est cōmunicatio sanguinis Dñi? idest,habemus alterum sacrificiū,latrię dęmonum repugnans.cùm enim sacrificiū perceptum faciat hominē participem eius,cui sacrificatur,absurdū est, vt idē diabolo & Deo sociatus sit sacrificio. Tandē concludit exactiorem comparationē his verbis, [quæ immolant gentes,dæmoniis immolant, & non Deo. nolo fieri vos participes dęmoniorū.non potestis calicem Dñi bibere,& calicem dęmoniorū. nō potestis mensæ Dñi participes esse, & dęmoniorū mensæ.] in quibus calicem calici,mensam mensæ,participationē participationi, immolationē immolationi opponit:idq; tantū in Eucharistia,nō in alio religionis sacramento,vel officio.Ex his igitur cōstet, nullum esse statū populi Dei, in quo non sit sacerdos & sacrificiū,quod ex huiusmodi cōparationibus sanctę scripturę colligendū erat:dico autē proprium sacrificiū,externum & visibile.Idē confirmari potest ex D.Aug.lib.10.de ciuit.c.21.nisi enim sacrificiū esset adeò proprium diuini cultus & religionis,sancti homines & angeli nō tantopere refugerent sibi exhiberi,vt cōstat Act.14.Apoc.19.Neq; etiā superbi spiritus id tātopere expeterent,vt sibi diuinum honorē vendicent.

Exempla bonorum & malorum, hominū, & angelorum.

imò,quod est in hoc argumēto valdè obseruandū, hæreticorū & infidelium gentilium opera effecerunt aliquando, vt in ipsa Eucharistia sibi cultus exhiberetur ad modū sacrificij,ad vsurpationē scilicet eius cultus,quē in hoc sacramēto Christiani Deo exhibent. sic teste Iustino apol.2.in Mithrę mysteriis,nostri sacramenti cultus mimice dęmoni repræsentabatur. sic Peputiani & Cataphrygæ apud Aug.heresi 26.& 28.& Epiphaniū hæresi.49.cōficiunt Eucharistiam ex sanguine,quē minutis punctionibus de infantū corporibus exprimunt:& hoc inquit Epiph.ad apparatū sacrificij.Artotyritę cū pane dñico caseum offerebāt, quasi ad sacrificium pertinentem. fœdiora sunt,quæ Manichæi,& Ophytæ,ad eandem rē excogitauerunt,quę narrauimus differentes de materia Eucharistię:vt cōstet,dæmonem, diuinitatis opinionē aucupātem,his superstitionibus ad se transferre voluisse cultum sacrificij Ecclesiastici in Eucharistia positū:quòd religio etiam falsa sine sacrificio,neq; nomē ipsum retinere posset.

Diaboli studium in auferendo nostro sacrificio.

Nostra verò tēpestate per hæreticos id potius vult dęmō efficere, vt omnis hic cultus sacrificij,omninò auferatur.cuius causam rectè expēdit Petrus Cluniaceñ. ęqualis Bernardi, in tractatu contra Petrobussianos, huius sacrificij primos ferè hostes: nempè vt Christiani, qui pluribus à Deo beneficiis affecti, ad sacrificij obsequium præ omnibus aliis maximè tenentur, sacrificiū tamē è religione explodāt,atq; ita nusquam sit hoc eximiū seruitutis genus,si ab his contēnatur:cùm apud Iudæos propter tēplum destructum,esse nō possit,& apud Sarracenos non sit: quia nulla sacrificiorum

rũ præcepta à Mahometo acceperunt.neq; deniq; apud Paganos,apud quos ita naturæ lumen extinctũ est, vt vix Deum esse cognoscant. Cõstat igitur ex his, in omni populo Dei,esse necessariò coniuncta cũ lege,sacerdotem,sacrificiũ, altare,quod est sacrificatorium:& quia pertinent ad cultum Dei, quẽ latriam dicimus,ad professionem supremi dominij,creationis,conseruationis,& redẽptionis,iure soli Deo sacrificari posse, & illi erigi altaria : licet aliquando adiungatur, martyrũ,& beatorum grata recordatio, in quibus gloria & triũphus supremi sacrificij crucis maximè conspicitur. vnde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificiũ Petre, vel Paule,sed Deo de illorum victoriis gratias agens,eorũ patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignẽtur in cęlis,quorũ memoriam facimus in terris:vt inquit cõcil.Trid.sess.22.c.3.& can.5.si quis,inquit, dixerit imposturã esse celebrare missas in honorem sanctorũ,& pro illorum intercessione apud Deum obtinenda,sicut Ecclesia intendit,anathema sit.

Sacerdos, sacrificium, altare, solius Dei propria sunt.

CAPVT IIII.

¶ In nouo testamento Christus Dominus est principalis & primus sacerdos, qui seipsum immolauit,& nouum testamentum condidit.



EX his quę posita sunt, deinceps esse in Ecclesia Christi verũ &proprium sacrificiũ, externum & aspectabile, & quodnã illud sit, & quę esse cta,ostendendũ est.Sit igitur hęc prima nostra sentẽtia,necesse est sacerdotẽ Christum perfecisse propriũ noui test. sacrificiũ, quo seipsum immolaret,& idẽ nouum testamentũ sanciret.Christum esse sacerdotẽ præfinitum à Deo,& non tã in vita sua factum,quã planè natũ,expressum est Psal. 109. his verbis:Tu es sacerdos in ęternũ, secundum ordinem Melchisedech, hoc est, nõ in ordine Aaronico, qui in lege institutus est, sed in ęterno illo Melchisedech,cui & ipse ordo sacerdotalis in tribu Leuitica institutus, decimas in Abrahamo obtulit, ab eo,vt maiore benedictionẽ accipiens:vt expẽdit exactissimè D.Paul.Heb.7.Voluit autẽ Deus,Christum sacerdotẽ redimere genus humanum à peccato, nõ alio opere,cũ plurimis posset, quòd essent singula infiniti valoris & pretij,quã sacerdotali. Cùm autẽ plurima sint sacerdotalia munera,vt orare,docere, diuina,iudicare de pertinentibus ad salutẽ,sacramẽta administrare,sacrificare, vt constat ex Leuit. Agæi & Malach.2.Deuter.17.Heb.5. & hæc Christus per se ipsum cumulatissimè prestiterit:solo tamẽ sacrificio crucis redemptionem nostrã perfecit.sic, cùm cętera perfecisset,adhuc tamen coarctabatur Luc.12. donec perficeret illud aliud,in quo vno positũ erat munus propriũ sacerdotis,& nostra redẽptio.sic etiam loquitur cũ Patre Psa.39. veluti paciscẽs de hac summa volũtate, per sacrificiũ implenda.Oblationẽ,inquit, & holocaustũ,& pro peccato nõ postulasti, ecce venio,in capite libri scriptũ est de me,vt facerem voluntatẽ tuam, hoc est,vt meipsum sacrificẽ.sic enim ad sacrificium nouũ accõmodat D.Paul.Heb.10.& ideò propter hoc sacrificiũ subiungit inenarrabili ratione, nõ hominis mortalis, sed Spiritus sancti inunctione,prę omnibus participibus suis,iurisiurandi sermone,secundũ ordinem Melchisedech,ęternũ sacerdotem à Deo institutum. de quo certè est ille grandis sermo D.Pauli, & ininterpretabilis ad dicendũ Heb.5. Deinde ex c.8.eiusdẽ ep.necessarium fuit huic sacerdoti habere aliquid,quod offerat : tali verò ac tanto sacerdoti excelsiori,& ad maximũ religionis opus, quod vnquam extitit nato & vocato, nihil fuit in omnibus rebus creatis accõmodatum & conueniens preter corpus ipsius:& ideò cætera sacrificia hoc vno corporis sui & impleuisse & abrogasse, illis verbis eiusdem Psalm. 39. expressum est : hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. De qua re elegantissimè disserens Eusebius lib.7. demonstr. Euang. capit. vltimo ostendit, qua ratione Deus Pater summo sacerdoti Christo aptauerit corpus sacrificabile, vt habeat Ecclesia rationalem hostiam pro brutis victimis : & quomodo hæc coaptatio humanitatis Christi ad sacrificium in capite libri descripta fuerit, quasi omnium mysteriorum maximum. Vnde August.lib.4.de Trinit.c.14.quis,inquit,tã iustus & sanctus sacerdos,quã vnicus filius Dei?quid tã congruenter offerretur pro hominibus,& ab hominibus,

D.Th.3.p.q.22.

Christus in alio ordine quã Leuitico sacerdos.

Sacerdotis varia munera.

Proprium munus,est sacrificium.

Victima Christo sacrificanti congruens, tantùm est corpus ipsius,vt ea iustissimè genus humanum redimi posset.

bus,quã humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quã caro mortalis? quid tam mundũ pro vitiis mortaliũ, quàm caro nata ex vtero virginali? & quid tã gratè offerri & ſuſcipi poteſt, quã caro ſacrificij noſtri,corpus effectũ ſacerdotis noſtri. Cogitemus igitur,quãta ſit hęc ſapientia Dei,qualé legem,quã excelſum ſacerdoté, quàm mundam,dignam,& in ſeipſa infinitè placentem Deo hoſtiam habeamus: cuius ſola ſigna in veteri & naturę lege ita Deo placuerunt,vt ex eis,odorem ſuauitatis odoratus eſſe dicatur,Gen.8.certè,qui reſpexit ad Abel & munera eius,quomodo non reſpiciet in faciem Chriſti ſui,cuius ipſa perſona per ſe in carne humana ſacrificata eſt,ſuprà quam dici poteſt grata,eadem hoſtia & ſacerdos exiſtés? Vnde ſunt illa Epheſ.5. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis,oblationé & hoſtiã Deo in odoré ſuauitatis,& Heb.9. Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorũ bonorum per amplius & perfectius tabernaculum,non manu factum,ideſt,nõ huius creationis,ſed per proprium ſanguinem,introiuit ſemel in ſancta,eterna redéptione inuéta. ſi enim ſanguis hircorũ & taurorũ & cinis vitulæ aſperſus,inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis:quãto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritũ ſanctũ ſemetipſum obtulit,immaculatũ Deo,emũdabit cóſcientiam noſtrã ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Effectum eſt igitur,Chriſtum à Deo ſummum ſacerdotem inſtitutum,vt ſuo ſacrificio redimeret, & mundaret genus humanũ à peccatis iuſtiſſimè: & ideò huic muneri non potuiſſe aliam victimam congruẽtem accomodari, niſi corpus ipſius, quod cum eſſet Dei & hominis, & & mori potuit, & ea mors ſponte pro peccatis oblata, infinitè Deo placere, vt principio huius 3. p. Theologiæ oſtenſum eſt. quomodo autem in ſacrificio Chriſti,nouũ teſtamentum ſancitum ſit, ſecunda concluſione ſtatim conſtabit.

CAPVT V.

¶ *De ſacrificio crucis, & Eccleſiæ, atque eorum diſtinctione.*

Sacrificiũ Chriſti ad redéptionem & ad cultũ Eccleſiæ Chriſtianæ perpetuum, & illius ſufficientis redemptionis efficacem applicationem.



Ltera ſententia de eodé ſacrificio ſit: hoc ſacrificium Chriſti nõ tantum debet redimere homines à ſeruitute peccati,ſed etiam permanere in religione Chriſtiana: illud in cruce,hoc in vltima cœna inſtitutum eſt, vt illud vnicũ ſit, hoc verò permaneat in æternum in Eccleſia,& ſæpiſſimè repetatur. Prior pars huius ſententię,de ſacrificio Chriſti in cruce vnico,perfectiſſimo & ſufficiétiſſimo, & ideò non amplius repetendo,adeò expreſſa eſt,& cõfirmata à D.Paulo in ep.ad Heb.c. 9. vt omninò extra cõtrouerſiã poſita ſit. Intelligo autẽ in ſacrificio crucis, non tantum ré oblatam Chriſtum,ſed etiã modum offerendi in propria ſpecie, per verã & propriã, morté,qua anima à corpore ſeparatur. hoc igitur ſacrificiũ Chriſti per ſanguinem impleuiſſe omnia ſacrificia vetera, in qua nulla fuit ſine ſanguine mundatio, cũ oſtendiſſet D.Paul.eod.c.cõcludit, Chriſtũ per hoc ſacrificiũ,non introiſſe in ſancta manufacta, vt veteres ſacerdotes, ſed in ipſum cælum: neq; vt ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodũ Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mũdi: nunc autẽ ſemel in conſummatione ſęculorũ,ad deſtructioné peccati per hoſtiam ſuã apparuit.& quemadmodũ ſtatutum eſt hominibus ſemel mori,poſt hoc autẽ iudiciũ: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorũ exhaurienda peccata: ſecundò ſine peccato apparebit expectãtibus ſe in ſaluté. Et c. 10. omnis, inquit, ſacerdos preſto eſt quotidie miniſtrãs,& eaſdé ſępè offerens hoſtias,quę nunquã poſſunt auferre peccata: hic autem vnã pro peccatis offerens hoſtiã in ſempiternũ ſedet in dextera Dei: de cętero expectãs, donec ponãtur inimici eius ſcabellũ pedum eius. vna enim oblatione conſummauit in ſempiternũ ſanctificatos. ſentire autẽ Paulũ de ſacrificio Chriſti in propria ſpecie per morté,cóſtat apertiſſimè, cùm eum apellet ſacrificium in ſanguine,eiſdem capitibus 9. & 10. Eiuſdé rei eſt altera ex D.Paulo collecta demonſtratio: quia ſacrificium conſummatiuum nõ poteſt nec debet eodé modo repeti: cũ nõ ſit ad vllius alterius pręſtãtioris recordationé, ſed ipſo actionis genere in ſe abſolutũ & perfectum, redéptionis opus pleniſſimè abſolués: at ſacrificiũ Chriſti in cruce conſummatiuũ fuit omnium aliorũ: non debet igitur eodem modo repeti. itaq; non ſolũ, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis

tuis iã nõ moritur, sacrificiũ crucis iterari & repeti nõ debet: sed etiã quòd ex propria ratione sit cõsummatiuũ, perfectũ & absolutũ. id significauit D. Paul. Heb. 7. ad finem, his verbis: lex enim homines cõstituit sacerdotes infirmitatẽ habentes, sermo autẽ iurisiurandi, qui post legẽ est, filium in ęternũ perfectum. sic enim reddit rationẽ, cur semel tantũ seipsum obtulerit per mortẽ. Posterior p. eiusdem sententię & cõclusionis, quod in vltima cœna sit nostrę religionis propriũ sacrificium institutũ, quod ęternũ in Ecclesia Christi debeat permanere, nõ significat esse duo sacrificia distincta ratione rei oblatæ, vnũ in cruce, alterũ in cœna, cũ vtrobiq; eadẽ omnino res Christus Dñs offeratur: sed in modo offerẽdi esse distincta. ibi enim oblatus est in propria specie & mortali, hîc offertur in aliena immortalis, & impassibilis existens: non solũ, vt in sacramẽto, sed vt est in se: ibi ad mortẽ, hîc ad mortis gratissimã recordationẽ, ibi ad meritũ, satisfactionem & redẽptionem sufficientissimã: hîc ad efficaciã, participationem & applicationem eorundẽ. Itaq; hæc tria sacrificia Christi, in cruce, in cœnaculo, in Ecclesia sacerdotũ ministerio, in re oblata, in principali offerẽte, in ordine offerẽtis Melchisedeciano cõueniunt: in modo autẽ offerendi aliisq; accidẽtibus differũt, & est aliquid singulorũ proprium. Cõstat enim rẽ oblatam esse Christũ, principalẽ offerentem eundẽ esse, per se quidẽ, & immediatè in cœna, & cruce, ministerio autẽ sacerdotum in Ecclesia: sed in ea, impassibilis Christus in se, & modo sacramẽtali offertur, qui tamen in cœnaculo oblatus est passibilis & mortalis in se, licet modo sacramẽtali impassibilis, vt supra cũ dissererẽ de existentia sacramentali explicatũ est. quòd autẽ secundum eundẽ ordinem Melchisedecianũ, ex hac distinctione constabit. In ordine sacerdotali est vocatio, institutio, cõsecratio, & quasi character & potestas, & est materia ad exercitationẽ eiusdẽ potestatis. in ordine autẽ Melchisedec est expressa vocatio & vnctio Christi, per quã accepit, vt homo, huius sacerdotij potestatẽ, dicente Deo Patre, tu es sacerdos in ęternũ secundum ordinẽ Melchisedec: est materia in qua exercetur hic ordo, panis & vinũ, in quibus tantum legitur sacrificasse Melchisedec. Ex hac huius ordinis vocatione colligit D. Paul. Heb. 7. huius sacerdotij antiquitatẽ, perfectionem & cõsummationẽ, stabilitatem & immutabilitatem. Antiquitatẽ quidem, quia Melchisedec in sancta scriptura describitur sine patre & sine matre, neq; initiũ dierum, neq; finẽ vitę habẽs, manens sacerdos in ęternum: perfectionẽ verò, quia benedixit Abrahę, in quo erat Leuiticus & Aaronicus ordo, & ab illo decimas accepit: sine vlla autẽ contradictione, quod minus est à meliore benedicitur. Perfectionẽ etiam illa ostendũt, quòd sacerdotium Leuiticũ, vt infirmũ & imperfectũ cedit Melchisedeciano, reprobatio, inquit, fit pręcedẽtis mandati propter infirmitatẽ eius & inutilitatẽ: nihil enim ad perfectũ adduxit lex, introductio verò melioris spei, per quã proximamus ad Deum. si enim cõsummatio per sacerdotium Leuiticum erat, populus enim sub ipso legẽ accepit, quid adhuc necessariũ fuit secundũ ordinẽ Melchisedec, aliũ surgere sacerdotẽ, & non secundũ ordinẽ Aaron dici? est autem Dñs ortus ex tribu Iudæ, in qua nihil Moyses de sacerdotibus locutus est. Stabilitas deniq; & immutabilitas eiusdẽ sacerdotij colligitur, quia cũ sacerdos Christus maneat in ęternũ, sempiternum, stabile & immutabile habeat sacardotiũ necesse est, ne sacerdos sine sacerdotio esse dicatur. Asserimus igitur Christũ sacerdotẽ secundũ ordinem Melchisedec, non solũ impleuisse huius sui ordinis, sed etiã ordinis Aaronici & cuiuscunq; alterius ordinis omnia sacrificia figuratiua, licet nõ semper sacrificauerit in materia propria illius ordinis, nẽpè pane & vino. Sic Christus in cruce impleuit omnia sacrificia cruenta Aaronica, sed non vocatione, aut deputatione Aaronis, verũ vocatione Patris secũdum ordinẽ Melchisedec. Paulus enim apertè pronuntiat, consummationẽ nõ esse per Leuiticũ, sed per Melchisedecianũ ordinem: cõsummauit autẽ & impleuit omnia sacrificia vet. legis & naturę, siue essent cruẽta, siue nõ essent, cũ omnia essent vmbrę sui sacrificij absoluti, quod in cruce perfecit: cõsummauit igitur secundũ ordinẽ Melchisedec etiã in cruce, licet materia huius ordinis fuerit panis & vinũ. Sed in ordine, nõ solũ ipsa materia, quæ posterior est, sed multò magis & prius ipsa vocatio & potestas cõsideranda est: quare cũ in suo ordine debuerit omnia consummare, & in cruce cõsummauerit, vt constat, in cruce etiam seipsum secundum ordinem

Sacrificium crucis, cœnaculi, & Ecclesiæ comparantur.

Omnia sacrificia consummauit Christus in ordine Melchisedec.

Ordinis eiusdẽ perfectio.

ordinem Melchisedec obtulisse fatendum est. Sed apertius concludamus: si Christus in potestatẽ ordinis Melchisedec vocatur, vt consummet omnia sacrificia, & vt ęternum permanens sacrificiũ instituat, vtrũq; erit Christi in eodem ordine: sed illud in cruce, hoc in cœna impleuit: in vtroq; eadem res oblata, sed modus offerẽdi diuersus: illud independens, consummatiuum, & redemptiuum, hoc applicatiuum, & cõmemoratiuum alterius, & noui populi distinctiuum, vt statim constabit. Asserimus etiam in propria materia eiusdem ordinis Melchisedeciani, impleuisse figuram Melchisedec: indignum enim esset, vt qui exactè cõpleuit omnes figuras positas in alieno, hoc est naturali & Aaronico ordine, vnã illustrissimam figuram, eamq; solam, in suo ordine, simili sacrificio nõ impleret. Non potuit autem Melchisedec omnẽ materiam sacrificabilẽ à Christo vsurpatã imitari: quia non potuit nec debuit se neci ad sacrificium tradere: & ideo illud tantũ præfigurauit ratione materiæ, quod in religione perpetuò futurum esset, & continenter repetendum. Sic, vt veritas figurę omninò respondeat, non dubitamus affirmare Melchisedec, nõ ordine primogeniturę, aut carnalis successionis, sed speciali mandato & vocatione sacerdotẽ institutum, vt colligitur ex Epiph. heresi 55. eidẽ sancta scriptura proprium sacrificium tribuit in pane & vino ex institutione Dei: cũ anteà hoc genus sacrificij apud Patres non extiterit, & in lege naturæ cruenta ferè essent vniuersa, ad imitationem Abelis, potius quã Caini. Eundem summum sacerdotem, & eximiũ supra omnes alios, videtur sancta scriptura innuere, vocans sacerdotem Dei altissimi: cũ hoc genere dicendi, soleat exprimere excellẽs aliquod officiũ circa filium Dei, respectu æterni Patris, qui nomine altissimi plerumq; exprimitur, vt Luc. 1. virtus altissimi, & filius altissimi, & propheta altissimi: vt intelligatur Melchisedecũ aliquod peculiare officiũ in mysterio gessisse, quod posteà ab ipso filio Dei consummãdum sit, erga æternum Patrem suum.

Melchisedec, qua ratione vmbra Christi sacerdotis.

CAPVT VI.

¶ Sacrificium proprium & permanens religionis nostræ, in vltima cœna institutum est, non in cruce.

EXplicauimus & ostẽdimus Christum Dominum, omnia vetera sacrificia in eodem ordine Melchisedec impleuisse: deinceps probanda est illa pars sententiæ propositę, hactenus explicata, quod in vltima cœna sit nostræ religionis proprium sacrificium institutum, non autem in cruce. Primò quidem, quia cũ in omni religionis statu oporteat esse cum sacerdote coniunctum sacrificium, vt ex D. Paulo & ratione naturali ostensum est: & sacerdotes esse in religione Christiana, cùm sit omnium, quæ fuerunt, aut erunt perfectissima, necessarium sit: & Christum Apostolos instituisse in vltima cœna sacerdotes noui testamenti, semper credidit Ecclesia catholica ex illis verbis Domini, hoc facite in meam cõmemorationem, necessariò concluditur, abrogatis veteribus sacrificiis, & nõ existente alia victima noui testamenti accommodata & congruẽti, nisi carne & corpore Christi, vt colligit D. Paul. Heb. 10. ex illo Psal. 39. hostiã & oblationem noluisti, corpus autẽ aptasti mihi: vel esse sacrificiũ noui testamẽti proprium, quod in cruce perfecit Christus, vel quod in vltima cœna in figura panis & vini, quia vtrobiq; Christi caro realiter cõtinetur, vt suo loco ostendimus: sed nõ potest esse nostræ religionis permanẽs & proprium crucis sacrificiũ: erit igitur, quod in vltima cœna institutũ est in pane & vino: cũ alibi non sit vera Christi caro, quæ sola in religione Christiana sacrificari potest & debet. huius argumentationis vis ex assumptione pendet: & in ea à nobis dissident omnes aduersarij, siue Lutherani, siue Sacramentarij, statuentes sacrificiũ crucis, nostrę religionis propriũ & vnicũ, quòd amplius repetendum non sit: quia cũ caro Christi tantùm sit sacrificabilis in nouo testamento, & eã in Eucharistia per se existere negent, licet Lutherani in ipsa sumptione existere concedãt, retinẽtes positionẽ hãc falsam, negant in Eucharistia esse posse sacrificium, quia neque volunt esse in ea veram & realem carnem Christi: nos autem

quod

quod semper docuit Ecclesia catholica, vt carnē Christi in Eucharistia retinemus, sic etiā sacrificiū, & hoc esse propriū nostræ religionis, non autē illud crucis: hoc est, licet illud crucis fuerit absolutum & perfectissimū, in quod tanquā in veritatē vetera omnia terminata sint, & nostrum in figura panis & vini referatur: illud tamen nō debet permanere & repeti in religione nostra, quæ sine sacrificio existere non potest, vt ostendimus: quia iterum Christus post resurrectionem pati non potest Rom. 6. sed alterum in figura panis & vini, eandē carnem Christi continens impassibilem in se, & in modo existendi, vt ita sit eadem res oblata, caro Christi, sed offerendi & sacrificādi modus diuersus sit. quare si caro Christi passibiliter sacrificari non potest, vt in cruce, restat, vt sacrificetur impassibiliter in sacramento Eucharistiæ: & ideò hęc verè sit proprium nostrę religionis sacrificiū, in vltima cœna Domini institutum, quę est nostræ assumptionis firmissima confirmatio.
2. Secundò idem confirmatur, quia sacrificium, quod constituit & distinguit statū Ecclesiæ, propriumq; est noui testamenti, est ritus à Deo pręceptus Ecclesię, alioquin non posset ipsam extrinsecus distinguere, quod est de ratione ritus & sacrificij propriè sumpti: sed sacrificium crucis soli Christo, non autem Ecclesiæ præceptum est: legis ergo noue cultus in eo non collocatur. sic D. Aug lib. 20. cōt. Faust. c. 21. sacrificiū Ecclesię appellat ritum in manifestatione noui testamenti præceptū pertinentem ad illum cultum, qui latria dicitur, & vni Deo debetur.
3. Tertiò, immutabilitas & ęternitas noue legis, nō ab alio quā à sacerdotio ęterno dependet: sacerdotij verò ęternitas & immutabilitas ne intelligi quidē potest sine proprio actu, hoc est sacrificio, eoq; æterno ac non reprobabili mandato, sicut mandatū vetus Heb. 7. dicitur esse reprobatum propter infirmitatem & imperfectionem: actus verò sacerdotij Christi in cruce non fuit æternus: ergo æternitas nostræ legis in ipso crucis sacrificio constitui nō potest, licet ab eo efficiatur. Sacrificiū enim Christi in cruce, causa fuit instituendi nouū cultū, quo lex à lege distingueretur, cū omnia vetera sacrificia impleuerit & antiquauerit: sed non fuit ipsa ratio & forma distinctionis externę, vel constitutionis vllius peculiaris testamenti, & noui status Ecclesiæ: cùm nō possit sensibiliter in ipsa Ecclesia, vt formale & externū distinctiuum permanere.

Sacrificiū crucis veteribus successit, vt consummatiuū: sacrificium missæ, vt noui populi & Ecclesiæ formaliter distinctiuum.

4. qua ratione sępè asserunt Patres, vetera sacrificia mutata esse, nō in sacrificiū crucis, quamuis illorū veritas & complementum sit, sed in sacrificiū Ecclesię, vt sicut illa veterem populū distinguebant, & in suo statu constituebant sensibiliter, sic nouum populum distinguat & constituat, non sacrificium crucis, sed Ecclesiæ visibile in figura panis & vini. itaq; neq; sacrificiū crucis veteribus, vt formaliter distinctiuum religionis successit, neq; nostrum Ecclesiæ sacrificio crucis succedit, sed ab illo & priora illa, & hoc vnum posterius dependent, & illius virtutem & sufficientiam applicant his, pro quibus offeruntur. & idcircò D. Paulus cū ex translatione sacerdotij, mutationem legis concludit, non tam peculiariter respicit illū vnicum actum sacerdotalem Christi, in cruce peractū, quā totum officium nostri sacerdotij & ipsius, incœpti in Christo, & per eū, nouum cultum & æternū nou. legi congruentē constituentis. sic D. Aug. li. 17. de ciu. c. 20. mensa, inquit, quam sacerdos nou. test. exhibet, de corpore ac sanguine suo est. idest enim sacrificiū, quod successit omnibus sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri. propter quod etiam agnoscimus vocem illam in Psalm. 39. eiusdē mediatoris, corpus autē aptasti mihi: quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. non solùm igitur ad crucem, sed etiam ad mensam coaptatur corpus Christi pro reliquis sacrificiis: vnde idem Aug. lib. 1. contr. aduersar. leg. cap. 18. vetera, inquit, sacrificia erant vmbræ sacrificij Ecclesiæ. de eadem re Damas. lib. 4. de fid. c. 14. Isidor. lib. 1. de offic. c. 17. Chrysost. hom. 83. in Matth. in illis verbis Domini ad Apostolos, [hoc facite] & nouum institutum sacrificium, & vetus phase abrogatū, quasi dicat, hoc quod sacrificaui, vos deinceps sacrificate, & nihil præterea. Sed omniū maximè D. Leo serm. 8. de passione, nunc, inquit, carnaliū sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio: & sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita nunc vnum de omni gente fit regnum. idem confirmat Melchisedec sacrificium, quod ratione materiæ magis adumbrauit Ecclesiæ, quàm crucis sacrificium.

Cypria-

Cyprianus etiam ſerm. de cœna Domini tradit, carnem dominicam, ita fuiſſe in ſacramentum & hoſtiam conficiendam, vt non ſectione, aut comeſtione, aut alia imminutione deficiat: quo modo Capharnaitę in manducando Domino conceperunt: ſed ſic præparandam, vt ſemper offeratur, & nunquam deficiat, ne non eſſet ſatis ad totum orbem Chriſtianum, pro victima religionis ſuæ: qua ſublata, aut conſumpta, nulla eſſet futura religo. quibus verbis efficitur, religionem Chriſtianorũ, eiuſq; æternitatem eſſe conſtitutam formaliter in victima eccleſię & altaris ſenſibili & manifeſta, in figura panis & vini, non ſic autem in cruce, ſed ſicut in cauſa & Origine. Chryſoſt. ad Hebr. 9. inquit, hoſtiam noſtram, quam Eccleſia offert, eſſe inconſumptibilem. & Emiſſ. hom. 5. de Paſcha, vocat perpetuò currentem redemptionem, perpetuam oblationem, & perennem victimã. omnes etiã Græci & Latini interpretantes illud, Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedec, aſſerunt hanc æternitatem conſtitui, non ſolùm in æternitate perſonæ Chriſti, quòd ſemper viuat, & interpellet pro nobis, ſed quòd fungatur per miniſtros & vicarios ſuos quotidiano ac perpetuo ſacerdotio in ſacrificio Eccleſię, habeatq; in noua lege æterni ſacerdotij æternam victimam. vnde Lactant. lib. 4. inſtitut. c. 14. præclarè ſcripſit, IESVM ſacerdotem confeciſſe ſibi templum magnum & æternum, hoc eſt Eccleſiam, in quo, inquit, templo ęternum ſacerdotium habeat neceſſe eſt ſecundum ordinem Melchiſedec. & Arnob. ad eundem locum Pſal. 109. per myſterium, inquit, panis & vini factus eſt ſacerdos in æternũ: & ad illud Pſal. 110. Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: & ad proximum verſum, mandata eius confirmata in ſæculum ſæculi, dicit, hoc eſt teſtamentum æternum confirmatum, per quod dedit eſcam corporis timentibus ſe.

CAPVT VII.

¶ *Nouum teſtamentum in vltima cœna ſancitum.*

EX his, ſi rectè expendátur, efficitur planè, in cœna Domini eſſe inſtitutum nouũ teſtamentum. eſt enim in ſancta ſcriptura teſtamentum Dei, pactum & fœdus cum hominibus ſancitum, de reddenda illis ſalute & vita æterna, ſi præceptis eius obtemperauerint. id autẽ olim factũ eſt ſanguine pecoris oblati, & ſuper populũ, & ſanctuariũ Dei aſperſo, vt inquit D. Paulus Hebr. 9. ſed in figuram ſanguinis Chriſti, cuius vi placuit Deo illud antiquum teſtamentum, de quorũ diſtinctione alibi diſſeruimus. ſancitur autem ſanguine in populũ aſperſo, vt animorum paciſcentis populi cõcordia, & mutua cum Deo conſenſio ſignificetur: quatenus ex ſacrificij Deo à populo oblati, & ideò Dei proprij, ſpeciali quodammodo effecti, ſanguine, cõſperſio illa facta eſt, & in ſanguine eſt vita & anima, atque ideò in ſanguinis conſperſione, ideſt vitæ & animæ participatione, communicatio populi, & cũ Deo conſenſio ſignificatur. quæ conſuetudo ſanciendi fœdera etiam apud gentes inualuit: & hodie contractus confirmantur, cùm ipſi contrahentes communi cibo & potu reficiuntur. Chriſtus autem in vltima cœna corpore & ſanguine proprio Patri oblato pro noſtra ſalute, & in cibum & potum Apoſtolis pro tota Eccleſia exhibito, perfecit & conſummauit intimam illam animorum cũ ſeipſo vero Deo & homine coniunctionem: in qua poſita eſt noui teſtamenti eſſentia: & ideò in hac vltima cœna nouum teſtamentum ſancitum & inſtitutum eſt. Idem expreſsè confirmant illa verba Domini 1. Cor. 11. hic calix nouum teſtamẽtum eſt in meo ſanguine: quæ etiam referũtur Luc. 22. Matthæus autem c. 26. hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti: vnde Eccleſia, calix ſanguinis noui & æterni teſtamenti. his enim omnibus ſignificatur ſacrificium externum & proprium noui teſtamenti in ſanguine immolato myſticè, ideſt in figura vini, conſtitutũ eſſe à Domino: vt ſicut ſe habuit ſanguis taurorum & vitulorum ad vetus teſtamentum, & ſicut illud confirmatum eſt per ſanguinem ſacrificij, quem Moſes Exod. 24. accepit in craterem, vt eo conſpergeret populum: ita & nouum teſtamentum per

Regula ſecũda de ſenſibus ſacræ ſcripturæ.

hunc sanguinem sacrificij nostri primum dedicatum fuisse, vt sacramentaliter existens possit totum populum fidelem aspergere. Quæ omnia valde consentiunt inter se: illud enim sacrificium, cuius sanguine aspergebatur populus, fuit post datam legem primum sacrificium, & ideo peractũ, vt in illo fœdus illud & testamẽtum veteris legis inter Deum & populum constitueretur. similiter per hoc sacrificium in ipso momento mutationis veteris fœderis, cũ iam Christi passio currere incœpisset, sed peracta nõ esset, sanguine immolato, Christus aspersit Apostolorum Ecclesiã, eamque in nouum populum Deo obsignauit. Congruunt etiam vtriusque testamenti cõdendi ritus: sicut enim vetus non est initũ nisi solenni modo, adhibitis sacerdotibus, conuocato populo, presentibus ordinibus, euocatis inter Deũ & hominem testibus, erecto altari, peracto sacrificio, sanguine in paterã sumpto, cùm sine sanguine prius testamentum dedicatũ non sit, Heb. 9. ita & nouũ multò præstabiliori sanguine, & non dissimilibus ritibus dedicãdum erat. Id verò alibi quã in cœna sanciri non potuit. ibi enim cum legislator nouus adhuc liber esset, suiq; iuris, & haberet potestatem conuocandi suos, adhibendi testes, constituendi hæredes & vicarios, suamque voluntatẽ declarandi coram Ecclesia, quæ in Apostolorum personis in grandi cœnaculo conuenerat, tunc instituit testamentum legemq; æternam: non in cruce, vbi extrinsecus nõ gerebat personam publicam, non sacerdotis externi, non promulgãtis legem, non patrisfamilias, non denique mandantis aut præcipientis, sed nouissimi hominum, à Deo & ab hominibus, suis ipsisque testamenti heredibus quasi deserti ac derelicti, ad quem iam tum nemo suorum vel vocatus accedere auderet. quamobrem non docet D. Paulus nouum testamentum initum morte Christi, sed confirmatum esse, roburque accepisse: vt sicut homines prius faciunt testamentum, tum moriũtur, deinde post mortem incipit valere testamentum: ita in testamento Christi accidisse intelligendum est. congruunt etiam ipsæ verborum formulæ, vt ad vetera Mosis verba Dominum allusisse, manifestum sit. dixit ille referẽte D. Paulo, hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus: inquit similiter Dominus, hic est sanguis noui testamenti, alludens ad solennem formã condendi testamenti per sanguinẽ fusum pecoris. Ratio in promptu est, quare nõ dixerit ad priorem speciem, hoc est corpus noui testamenti, sicut ad calicem: quia pactum non est initum inter Deũ & homines olim in dedicatione corporis victimæ, sed in eiusdem victimę exhausto sanguine: & ita repetitur similiter in forma calicis, non vt aduersarij fingunt, propter futuram sanguinis effusionem, sed propter tunc in cœna peractum sacrificiũ & immolatum sanguinem: sicut Moses dedicauit vetus testamentum in sanguine fuso victimæ prius immolatæ. idem confirmant Græca exemplaria, quæ in Euangelistis non habent de sanguine, qui effundetur, sed qui effunditur. Tunc igitur sanguis sacrificatus effusus est, & Apostolis, cum biberent, magis intimè aspersus, quàm olim sanguis vituli in dedicatione veteris testamenti, in populũ aspersus est. Cætera omnia adhibita ad eãdem dedicationem admirabiliter consentiunt cum his, quę in cœna Domini gesta legimus. Videmus namque respondentem ministrum ministro, tabernaculum tabernaculo, sancta sanctis, vmbram imagini, figuram veritati, exemplaria cælestium ipsis cælestibus, inutiliores hostias melioribus hostiis, sanguinem sanguini, aspersionem aspersioni, mundiciem carnalem mundiciei conscientiæ, veteres promissiones melioribus promissionibus, & alia similia: quæ D. Paulus accuratè persequitur, in illo annuo expiationis sacrificio, quod in exemplum totius Christi propitiatoriæ actionis proposuit Hebræo. 13. in illo enim ritu hæc omnia fuisse legimus: primùm, victima per consecrationem Deo dicanda & morti addicta, adeò vt post illam dedicationem, non potuerit de mortis obligatione eximi, sicut scriptum est, Leuit. 27. omnis consecratio, quę offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Secũdò, victima offerebatur ad ostium tabernaculi. Tertiò, sanguis inferebatur à Pontifice intra velum tabernaculi secretioris. Quartò, intra & extra omnia vasa sacra, & sacrificiorum instrumenta, populi immunditiis inquinata, sanguis aspergeretur. Quintò, vt reliquus sanguis non acceptus in calicem efflueret ad cornu altaris: tandemque corpus victimæ extra castra deportaretur. Cũ autem hoc vltimum Paulo autore Heb. 13.

Nouum testamentum Christi morte confirmatũ, sed in cœna initum, & dicatum.

Hebr. 9.

Leuit. 16.

impletum sit, dum Christus extra castra patitur, & dũ sanguis ex pũctura lateris effluxit in terrã ad cornu crucis, oportet reliqua omnia ante deportationem per aliquã functionem sacerdotalem & propitiatoriã impleri, quę nisi in cœna esse non potuit.

CAPVT VIII.

¶ *Comparationes veteris & noui testamenti ad idem confirmandum.*

Comparatio rituum veteris & noui testamenti cum primo sancita sunt.



Onsideremus igitur illa omnia partitè & distinctè. Primùm igitur, ostium tabernaculi est illud grande cœnaculum vel Ecclesia, in qua se prius obtulit, & solenni cæremonia se primo in mortẽ consecrauit. quo tẽpore videtur dictum illud fuisse Ioã. 17. Ego pro eis sanctifico meipsum. consentit & illud Prouerb. 9. sapientia ædificauit sibi domum in sacrificium, & non sub dio, vt in cruce, & in ea domo parauit sibi mensam, immolauit victimas, & miscuit vinum suum. Tabernaculum etiam, quod fixit Deus & non homo Exo. 15. est corpus Christi, & sanctuariũ, quod firmauerunt manus eius, & habitaculum quod operatus est Dominus: & Sap. 9. tabernaculum præparatum ab initio, quod Psalm. 131. dicitur arca sanctificationis: & ab Apostolo videtur exprimi, vt multis placet, nomine cæli & cælestium, cum ait, Pontificem nostrum per semetipsum ingressum esse semel in cælum, seu in sancta non manufacta, æterna redemptione inuenta: sicut alter Pontifex semel quotannis in sancta sanctorum, quæ erant exemplaria horum verorum, hoc est ipsius corporis Christi, & non vulgarium cælorum. quod proculdubio corporis Christi tabernaculum, ostensum est Moysi in monte: cùm ad eius, & non communium cælorũ exemplar & similitudinem, omnia facere iuberetur. Sit ergo secundò, interius tabernaculum, verum cælum ac cælestia continens, corpus Christi, quod intrauit noster Pontifex in diebus carnis suæ cum pontificali interpellatione: in qua exauditus est pro sua reuerentia, & cum seipsum comedendo & bibendo, in seipsum ingressus est, ineffabili opere sacrificali sanctificans & emundans corpus suũ, id est membra mystica sibi vnita vt verũ sanctuariũ, & hostia noui testamenti, quatenus satisfactionẽ sustinebat, nõ à suis, sed ab immũditiis filiorum Israel. simul autem corpora & corda discipulorũ intelligibili sanguine, id est, vero & sustantiali, sed mystico sub figura vini aspersit, tanquam summa noui testamẽti ac sacrificij organa futura. Si autẽ ingressum Christi in cælum, quem D. Paulus tam studiosè comparat ingressui pótificis in interius tabernaculum, accipiamus pro Ascẽsione Domini in cælum visibile, certè nec tempus quadrabit, nec impletus videbitur vllo ritu sacrificali, vt oportuit: cùm multò ante totũ redemptionis opus, eiusque postremum actum, in eo quod extra portam, tanquã anathema eiectus est, consummauerit. quicquid autem erat sacerdotalis muneris, in introitu cum sanguine in tabernaculum, si veritas figuræ respondere debet, implendum erat ante mortem ac sacrificium peractum in cruce. quia neque in sepultura, neque in inferno, neque in resurrectione vel in ascensione, vel in ipso etiam cælo aliquid propriè sacerdotale effecit, nisi respectu nostri sacramenti, quod ipse per nostrum ministerium continuò efficit & offert. Ex hac igitur comparatione veteris sacrificij expiatorij, & nostri, cõstat in cœna vltima nouum testamentum dicatum fuisse, & noui testamenti propriũ sacrificium oblatum fuisse. idem etiam ex comparatione agni paschalis & nostri sacrificij constabit, vt cõstet omnia, quę in illo contigerunt, in sacrificio cœnæ impleta fuisse. illud enim fecit Moses vna nocte antequam exiret ex Ægypto, & populum è seruitute liberaret: hoc autẽ Christus vna nocte antequam populum suum in libertatem per mortem assereret: illud in vna domo, hoc similiter in domo: in vtroque aspersio sanguinis, in vtroque religio transitus: illud æternum memoriale, hoc etiam in memoriam Christi. Vnde hic poteris cõcludere. Christus fecit transitionem primam à veteri lege in nouam, per nouum Pascha:

Isich. sæpè lib. 5 in Leuit. Nyss. in vita Moysis.

Eisdem autoribus.

Cõparatio agni Paschalis, & cœnæ Domini.

Nouũ Paſcha in cœna, & nõ tantum in cruce.

Paſcha: hoc autẽ prius fuit in cœna, quam in cruce: ergo ibi eſt conſtituta noua lex, nouus populus, nouum teſtamentum, nouum ſacrificium & noui ſacerdotes, cũ hęc omnia neceſſario ſint coniuncta, vt ſupra oſtẽdimus. quod autem Chriſtus verè fuit Paſcha in cœnaculo pridie quã pateretur, contra aduerſarios, qui illud tantum conſtituũt in cruce, omnis antiquitas docet. Ter-
1 tul. lib. 4. contra Marc. illud Paſcha, quod tantopere Dominus deſiderabat mãducare, antequã pateretur, ſuũ eſſe inquit, nõ Iudæorum, cũ pecudis carnes non tantopere expetiuerit. Origenes ad c. 26. Matt. in grãdi, inquit, cœnaculo corporis ſui fecit Paſcha nouũ cum ſuis diſcipulis. Iſich. lib. 2. in Leuit. prius figuratam ouem cum diſcipulis ſuis, poſtea ſuũ ſacrificium fecit: & ibidẽ Chriſtum arietem ſecundum appellat, vt D. Auguſt. ep. 86. contra Vrbicum pecus noui teſtamenti, & ouem. Beda in ſacramento vitulum ſaginatum lib. 4. ſuper Lucam, cap. vlti. Chryſoſt. ad illud Matth. 26. & accipiens calicẽ, ſi figura, inquit, in agno Paſchali liberauit populũ à ſeruitute Ægypti, multò magis hæc veritas liberauit orbem terrarum. quod igitur Paſcha fuerit impletum in ſacramento, & quod ibidem Paſcha noſtrũ immolatus ſit Chriſtus, eſt fundamentum totius doctrinæ Chriſtianę, Tridentini Concilij decreto comprobatũ,
2 Seſſ. 22. c. 1. his verbis, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriã exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, nouum Paſcha inſtituit ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui de hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit. Vnde conſtat cõteſtatiſſima Eccleſiæ veritas, in illa vna menſa, vetera & noua ſibi mutuò occurriſſe, ibique nouum teſtamentum incœpiſſe, planeque veniſſe regnũ, quod intra nos eſt. quo modo multi rectè exponũt illud, Luc. 22. ex hoc, non mã ducabo illud, donec impleatur in regno Dei, hoc eſt in Eccleſia: & de calice ſimiliter, donec illud bibã nouum in regno Dei, hoc eſt in ſacrificio noui teſtamenti: vt ſic & agnus & calix vetus ſignificentur impleri in ſacramento protinus inſtituto, vbi nouum Paſcha comeditur & bibitur in regno Dei, de quo Beda ad hunc Lucę locum c. 91. Ex quibus etiam eandem ſuperiorẽ ſententiã ſic confirmare poſſumus: inſtitu- 3
to nouo ſacerdotio, per illud verbũ, hoc facite, vt ſupra oſtendimus, neceſſe eſt mutari teſtamentum, inſtitui ſacrificium, ſine quo ſacerdos eſſe non poteſt: ſed in cœna inſtituti, & creati ſunt noui ſacerdotes, vt ſemper docuit Eccleſia catholica, & in Trident. Seſſ. 22. c. 1. definiuit: factum eſt ergo nouum ſacrificium, quod Chriſtus primus immolauit & aliis ſacerdotibus inſtitutis, ſimiliter facere pręcepit, & nouum teſtamentum per aſperſionem ſanguinis Chriſti ſacramentalem dedicatum eſt. Idem, ordo Melchiſedecianus ſacrificij Chriſti ſic
cõcludit: oportebat Chriſtum inſtituere ſa 4
crificium Eccleſiæ in illo genere rerum ſenſibilium, in quibus ille ſacrificauit, qui figurauit eius æternum ſacerdotium in nouo teſtamento, vt veritas figuræ reſpondeat: ſed Melchiſedec præfigurauit noſtrum ſacrificium in oblatione panis & vini: Chriſtus igitur in cœna in panis & vini ſpecie æternum noui teſtamenti ſacrificium fecit, & inſtituit: hoc enim erat proprium ſacrificium ſui ordinis. licet etiam ſacrificium crucis eiuſdem ordinis fuerit, vt ſupra oſtendimus, nec ſecundũ ordinẽ Aaron vmquam ſacrificauit: cuius ſacrificium in æternum permanere non poterat, vt Chriſti permanet, nec ad aliã tribũ, quã leuiticam pertinere: manifeſtum eſt autẽ Dominum ex tribu Iudæ ortum eſſe, vt cõ cludit D. Paulus, Heb. 7.

CAPVT IX.

¶ *Miſſa noſtra eſt verè & propriè ſacrificium.*



EX his neceſſariò cõ cluditur, Miſſam noſtram eſſe verè & propriè ſacrificium, non ſolùm ad gratiarum actionem, & nudam mortis Chriſti cõmemorationem, ſed verè propitiatorium, Sacrificium eſſe, illa omnia concludunt, quæ hactenus effecerunt Chriſtum in cœna illa conſecraſſe, & immolaſſe ſeipſum: quia ſacerdotes, accepta conſecrandi poteſtate

testate à Domino illis verbis, hoc facite in
1 meam commemorationem, similiter consecrant, & Christum immolant: alioquin dicendum esset noui testamenti sacerdotes proprio carere sacrificio: aut legem nouam esse sine proprio sacrificio externo & publico, quod suprà fieri non posse ostẽsum est. Et quamuis facere Latinis, sit sacrificare, & in scriptura sic vsurpetur, cùm agitur de victimis & sacrificiis, vt facere Pascha, vitulum, hircum, Exod. 2. 12. Leuit. 23. hîc tamen non id vrgemus: sed potius quod iubentur Apostoli facere corpus immolatum, quod sine sacrificio fieri non potest. Illa autem commemoratio mortis Christi, non consistit in externa concionatoris prædicatione, vt volunt aduersarij, sed in ipsa operatione & confectione mysteriorum, per quam idem Christus, qui
2 in cruce & cœna seipsum immolauit, à ministris sacerdotibus verè immolatur. Deinde, ipsa hostiæ mactatione sacrificium perficitur, vt ex præcedentibus constat: sed in Missa Christus, ex vi verborum sacramentalium mactatur, cùm ex vi illorũ existat corpus sine sanguine, & ratione tantùm concomitantiæ non separentur: Missa igitur verè & propriè sacrificiũ est. Res enim contenta & immolata idem Christus est, modus immolandi diuersus, qui à Patribus dicitur cruentus & incruentus: cùm vterque in Christum vt hominem cadere possit, ille in propria specie ante mortem: hic in aliena siue sacramentali ante mortẽ: & post mortem & resurrectionem. effecta etiam diuersa, illa enim prior immolatio fuit ad mortẽ veram & nõ mysticam, & ad promerendam remissionem, & satisfaciendum pro peccatis hominum, quorum spõte debitor fieri voluit Christus: hęc autem posterior immolatio est ad participationẽ & applicationẽ illius sufficientissimæ redẽptionis & sanctificationis secundum efficaciam: & ideo illa infinita est, hæc finita. itaque crucis sacrificium præstitit generalem redemptionem, deponens sanguinem tanquam commune pretium, quod esset applicandum nobis per fidem, opera & sacramẽta, sine quorum aliquo mors ipsa Dñi nulli vnquam actu applicauit pretiũ, quod soluit. Sic sacrificium cœnę nõ fuit superfluũ, cũ applicauerit eandẽ mortem Apostolis, quod ipsa mors Christi non fecit, & nostra sacrificia similiter applicãt. Et certè, si illud cœnæ sacrificium, solùm fuisset factum ad institutionẽ sacrificij Ecclesiastici, & vt exemplo nos Dominus illo sacrificio pręiret, quod in cruce secũdum legem ordinariã, nec potuit nec debuit fieri, inutile aut incongruum non fuisset. Potuisset quidem Christus redemisse omnes homines illo vno priori actu sacrificali in cœna, siue personam sacrificantẽ, siue rem sacrificatam consideres: per varietatem tamen modi sacrificandi, definiuit ac limitauit vim, vsum atq; valorem rei: cùm hæc Dei voluntate, non potentia cõstituta & definita sint. Vnde sicut vnus actus meritorius Christi non repugnabat alteri, aut respectu alteri⁹ erat insufficiens, vel superuacaneus, licèt in singulis operibus infinitè meruerit, propter varios modos merendi: sic multo minus ista duo sacrificia in Christo, vel plura alia per
ministros sese impedire possunt. Hinc est, 5
quod omnes sancti Patres Christum in Eucharistia verè & propriè immolari, & immolatũ manducari affirmãt. D. Leo serm. 7. de passione ostendit, qua ratione Dominus mortem suam preuenerit, per voluntariam oblationem in sacramẽto. Isich. lib. 2. in Leuit. c. 8. mactationem in sacramento adeò apertè constituit, vt non vereatur dicere Christum seipsum occidisse, cũ cœnaret cum discipulis. sed omnium elegantissimè Greg. Nyssenus, oratione 1. de resurrectio. his verbis, memento Dominici dicti, nullus tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso. hoc mihi stet firmũ, & quęstio de triduo mortis fuerit explicata. Nã qui omnia pro potestate atque autoritate administrat, non expectat ex proditione necessitatẽ, vel Iudæos grassantes, vel Pilati iudicium iniquum, vt illorum hominum scelus ac malitia principium esset salutis nostrę: sed pro ineffabili arcanoque, & qui ab omnibus cerni nequit sacrificij modo, sua dispositione præoccupat impetum violentum: & sese oblationem offert pro nobis, simul sacerdos & agnus, qui tollit peccata mundi. Sed dices mihi, quando hoc accidit? tum cum corpus suũ ad comedendũ, & sanguinem familiaribus prębuit ad bibẽdum. Homo enim oue vesci nõ potest, nisi mactatio præcesserit. qui igitur dedit discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demonstrat, iam perfectam esse & absolutam agni immolationem. non enim ad edẽdum corpus animatum victimæ esset idoneum.

Sacrificiũ crucis & cœnæ, qua ratione idem & diuersum, modo & effectis, Tridẽt. sess. 22. c. 2.

Patrum testimonia, quod Christus immoletur, & mactetur in Missa, & immolatus manducetur & sumatur

neum. Iam ergo latenter pro potestate sua inuisibiliter & ineffabiliter corpus immolatũ erat, & anima illic erat, vbi eã potestas administrantis collocauerat. Sic inquit ille, non quòd planè existimet Dominum tum fuisse verè inanimẽ & mortuũ, sicut posteà in cruce: sed vt ostendat hæc, quæ in mysterio fiunt, non tantum per aliquam externam repręsentationem aut ludicram similitudinem ac fictionem, vt fit in actionibus comicis, & inquibusdam etiam Ecclesiæ cæremoniis, cum passio Christi sacris quibusdam ritibus spectanda proponitur: sed alio altiori ac nobis inscrutabili modo, verè quoque ac realiter geri, ita vt non sit falsum dicere Christum mori, occidi, immolari, animam deponere, frangi & pati multa, vt inquit Chrysosto. homil. 24. 1. Corinth. 10. in sacramento, quæ noluit pati in cruce. & D. Gregor. lib. 4. Dialogo. cap. 58. & homil. 37. in Euangel. inquit, Dominum semel mortuum, tamen iterũ pro nobis in hoc mysterio immolari & pati. Intelligamus igitur hanc mortem & immolationem Christi sacramentalem, ex vi verborum sacramentalium, per quam sanguis à corpore separatur, & vtrumque ab anima, vt nisi esset eorundem, ratione cõcomitantiæ, necessaria coniunctio, de qua suo loco dictum est, verissima esset mors per separationem animæ à corpore, & verissima sanguinis effusio: quæ omnia quia contingunt occultè sub specie panis & vini, dicitur hæc mors mystica siue in mysterio aut sacramento. Idem etiam confirmatur ex Patribus asserentibus idem esse hoc missæ sacrificium, atque illud crucis, quia idem sit corpus substantiale, & in cruce & in omnibus Missis: & hoc modo præoccupauerunt omnes obiectiones ex episto. ad Hebræ. desumptas, de vnico noui testamenti sacrificio, contra numerum & repetitionem vnius vel plurium hostiarum. Sic Chrysosto. homil. 17. in eandem epist. hoc sacrificium, inquit, est exemplar illius. id ipsum enim semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, cras alium, sed eũdem ipsum. proinde vnum est hoc sacrificium: alioquin quoniam in multis locis offertur, plures Christi essent. & inferius, non aliud sacrificium sicut Pontifex veteris legis, sed ipsum semper facimus, magis recordationem sacrificij operantes. sic ferè eisdem verbis, & eadem plane sententia D. Ambros. ad cap. 10. Hebr. & Primasius D. Augustini discipulus ad cap. 9. sic scribit, Diuinitas verbi Dei, quæ vbiq; est, facit, vt non sint plura sacrificia, sed vnum, licet à pluribus offeratur: sitque vnum corpus, quod suscepit in vtero virginali, & non multa corpora, ita etiam & vnum sacrificium, non diuersa, sicut Iudæorum erant. D. Gregor. homil. 37. in Euang. quoties passionis hostiam offerimus, toties passionem illius reparamus, & pro nobis iterum in mysterio patitur. Pręterea omnia verba Dominica demonstrant Christi pręsentiam in Eucharistia modo immolatitio. Non enim dixit Dñs seipsum, aut Christũ aut IESVM, aut naturã, aut humanitatem integritate sua perfectam, pręsentem esse, vel exhiberi nobis in hoc sacramento: sed carnẽ, corpus & sanguinem, vt significaretur mactatũ hominem & in partes diuisum ex vi verborum sacramentaliũ nobis proponi. idem confirmat vsus & sumptio huius sacramenti, potus scilicet, & manducatio, quibus non esset homo subiectus, nisi prius suo quodã modo mactatus & immolatus existeret. quamobrem ad eum vsum rectè duę species panis & vini accõmodatę sunt, vt illa esset propria corporis ex vi verborũ, hæc autẽ esset propria sanguinis, ad perfectã mactationis & mortis repręsentationẽ. eandem immolationẽ ostendũt illa verba Dñi, quod pro vobis datur, frangitur, quod pro vobis funditur in remissionem peccatorũ, hoc est datur vt victima pro peccatis. ineptum est autem quod aduersarij asserũt his particulis certã Christi pręsentiam exprimi: cum constet eandem similiter exprimi potuisse vocibus integrã naturam significãtibus: sed voluit Dominus non tantum pręsentem significare, sed præsentem modo immolatitio. Vnde Grecè in Paulo & Euãgelistis semper in tempore præsenti dicitur, frangitur, traditur, datur, funditur in remissionẽ peccatorũ: similiter in Clemente lib. 8. constitut. Apo. c. 17. in liturgiis etiã Chrysost. Basilij, Ambrosij. ineptum est etiam quod alij dicunt, dari & frangi, hoc loco pertinere ad distributionem factam Apostolis: cùm non dicat Dominus, quod vobis datur, aut frangitur, sed pro vobis, & expressius de sanguine, fundi in remissionem peccatorum. Cùm autem legitur in futuro, tradetur, fundetur, non significatur existentia tantum, sed conditio existentiæ,

Mors & immolatio Christi in Missa, vt sit verum sacrificium.

tiæ, nempè modo immolatitio, quo postri die morti tradendus erat. Potest etiam tempus siue præsens siue futurum indefinitè sumi, & ita verè dictum sit à Christo ante passioné, & verè dicatur ab Ecclesia post passionem, vt dicũt dialectici verba in propositionibus sciẽtificis absolui à tempore. Ecclesia in oratione secreta Vigiliæ Epiph. tribue inquit quæsumus, vt eum presentibus immolemus sacrificiis: & in ipso die, Respice Domine dona hæc, in quibus immolatur & sumitur Christus IESVS Dominus noster. Consentienter his loquũtur Patres, vt prius diximus de Grego. Nysse. Chryso. Gregorio Papa. & Paschasius, lib. de corp. & sang. Domini, cap. 18. ad hoc Dominum mactatum, vt eum comedamus. Cyril. Hierosol. mystag. 5. Christum, ait, pro peccatis in sacramento mactatum existere. Rabanus lib. 1. de institut. cler. c. 31. carnem agni immaculati mactatum distribui communicantibus. Ex quibus concludamus hoc modo, corpus Christi immolatum & mactatum in victimam, est terminus actionis sacrificalis: cum immolatũ corpus nisi per immolationem fieri non possit, neque hostia nisi per sacrificium precedens: sed in hoc sacramento existit corpus Christi immolatum: ergo actio Missæ, per quam sic existit, est verum sacrificium. quænam autem sit huiusmodi actio, paulò post exactius. Nunc verò placet antiquitatis testimonia, quibus asserunt Missam esse verum & proprium sacrificium indicare.

Testimonia antiquitatis de sacrificio Ecclesiastico.

Concil. Nicen. Can. 14. Ephesinum in Epistola synodica Cyrilli ad Nestorium Chalcedonen. act. 3. in epist. contra Dioscorum. Constantinop. 6. Can. 28. & 32. synodus 7. act. 6. Concil. Lateranen. in c. firmiter de summ. Trinit. Constantien. vbi damnat hæresim Vvicleffi contra hoc sacrificium. Florentinum sess. vltima in decreto vnionis. Tridentinum, vbi tota hæc causa plenissimè definita est, Sess. 22. Can. 3. Apost. & Concilia Prouincialia, Neocessar. Can. 1. Laodicen. Can. 19. Carthaginem. 2. Can. 4. Carthag. 3. cap. 24. Carthag. 4. cap. 23. Toletan. 1. cap. 5. Bracaren. 3. cap. 1. Agathen. cap. 14. Dionys. cap. 3. Eccles. Hierar. presbyteri Achaiæ in passione Andreæ Apostoli. Ignat. ad Smyrnen. Martial. ad Burdegalen. Iustinus in Dialogo cũ Tryphone circa medium. Iren. lib. 4. c. 31. & 34. Tert. de cultu fœminarum, & lib. 2. ad vxoré. Orig. hom. 13. in Leui. Cyprian. ep. ad Cæcilium, & de Cœna Dñi, Athanas. q. 34. ad Antiochum. Euseb. lib. 1. demonstrat. c. 10. Naziãze. oratione contra Iulianum. Chrys. hom. 26. in Matth. & lib. 6. de sacerdot. omnes Græci, ad 9. c. epist. ad Heb. Primasius & Ambro. & idem lib. 1. offi. cap. 48, & lib. 4. de sacramentis. Hieron. in epistolis ad Hedibiam, & Euagrium. August. in Psalm. 33. Conc. 1. & aliis locis in numeris. Leo Magnus Epist. 8. vt alios recentiores omittam, & Hebræorum Rabbinos quos refert Roffens. lib. de sacerdotio. Loqui auté hos omnes de proprio sacrificio, non de spirituali, quod ostendimus suprà cõmune esse omnium Christianorũ, constat ex eo quod vocant vnicũ, sacrificium etiã proprium noui testam. oppositũ & comparatũ pluralitati veterũ sacrificiorũ, cuius vnici sacrificij ratione, dicantur altaria, sacrificatoria, consecrata templa, consecrati & instituti speciales sacerdotes. addunt etiam alia epitheta, quæ non cadũt nisi in proprium sacrificiú, nouæ scilicet oblationis, incruentæ, hostiæ, victimæ viuificæ, salutaris, tremendæ, propitiatoriæ. Denique nomen Missæ idem videtur confirmare. quamuis enim quibusdã idem esse videatur quod missio, & ita idẽ valere, ite, Missa est, atque ire licet, peracto scilicet sacrificio, verius tamen videtur nomen esse Hebræũ, idem significans atq; sacrificiũ: sic Deut. 16. vbi nos legimus oblationem spontaneã, Hebr. & in paraphrasi Chald. legitur Missah. Est autem nomen Missæ vsu Patrum & Conc. tritissimũ. Sed ex illis epithetis, incruenti sacrificij appellatio, videtur diminuere aduersariis rationẽ proprij sacrificij, vt significet spiritualẽ quandam oblationem non vera mactatione perfectã: sic autem dici etiam posse incruenta sacrificia, orationem, ieiunium, & alia pietatis opera: sed planè errant, etiã in ipsa propria vi verbi. incruentum enim anemacton priuatiuè dicitur, & ideo non quicquid sanguine vacat, sed quod preterea ex sua natura habere posset, qua ratione priuatio à negatione distinguitur. sic autẽ illud tantũ dici potest incruẽtum, quod posset cruore perfundi, & ideo de corpore Christi, cum sit sanguineum, verè dicitur, cum tractatur & mactatur, ac si esset sine sanguine, quatenus sensibiliter non effunditur, etiamsi sacramentaliter ex vi verborum sacramentalium effundatur, vt supra

Missæ notatio.

Ruard. ad ar. 16, Democh. li. 2. de Miss. c. 1. Garetius de Euchar. Can. lib. 12. de locis, & 13. Titelet. ad Sess. 22. Conc. Trid.

Sacrificium incruẽtum quod propriè dicatur

pra

Inconsideratè igitur quidam vocant incruenta sacrificia quæ fiunt in rebus sensibilibus in vet. lege.

prà explicauimus. Quare epitheton incruēti, sacrificio corporis Christi Ecclesiastico propriè tantum competit, vt distinguatur à sacrificio crucis cruento. & ea voce ideo vtuntur Patres, vt significent, in vtroque eandē esse victimam, sed in modo sacrificationis esse diuersitatem, quia incruentū propriè dicatur de eo, quod cruore aliàs perfundi potuit, quod tantùm est idē corpus Christi. proprius autem dicitur incruētum, quàm exãgue, quia cruor propriè est sanguis ex vulnere effusus, vt intelligatur, sacrificationem & mactationem hanc in Ecclesistico sacrificio fieri sine violēta sanguinis effusione, sed sola sacramentali, vt dictum est. Ostendimus Missam esse verū & proprium sacrificium, sed quia adiecimus, non solum esse Eucharisticum ad gratiarum actionem, sed esse propitiatorium ad remissionem peccatorum, hæc singilatim explicanda & confirmanda sunt. Laudis igitur & gratiarum actionis sacrificium nō dicitur ea ratione tãtum, quòd excitet nos in laudem & gratiarum actionem pro sacrificio crucis, cuius in ipso commemoratio existit, & non quod sit verum sacrificium, vt volunt aduersarij, vocantes hac tã tum ratione Eucharisticum, quasi ex particula diminuente proprietatem sacrificij. nos autem idem nomen cum sacrificij proprietate retinemus. cùm enim hoc sacrificium perficiatur potissimum consecratione, quæ quòd sit in verbis posita, dicitur à veteribus eulogia, benedictio, & Eucharistizatio: hoc est, quæ immutat & afficit materiam panis & vini, super quam Dominus gratias egit: vt illa benedictio sit sacrificalis gratiarum actio, in qua propriè Deus posuit memoriam mirabilium suorum, & nominis sui honorem, cultum & glorificationem, & ideo propriam

Hoc sacrificiū quare dicatur laudis & gratiarum actionis.

& summam materiam laudis & gratiarum actionis. Dei enim proprius honor, supereminens laus, gratiarumque actio infinita, qualem singulariter requirit, in hoc summo sacrificij cultu sita est, nec in alio vllo opere nostro plenè ac dignè fieri potuit hoc tempore gratiæ. Quapropter Ecclesia Dei præit operationem sacrificalem huiusmodi voce solenni clamans, gratias agamus Domino Deo nostro: & iterum atque iterum, dignum & iustum est, verè dignū & iustum est. deinceps eodem illa pertinent, per ipsum, cum ipso, & in ipso est tibi omnis honor & gloria. De qua re multa D. August. lib. 1. contra aduers. leg. cap. 18. de spiritu & lit. cap. 11. & eod. lib. 1. cap. 20. ea ratione sacrificium laudis soli sacrificio Ecclesiæ in Missa applicat. Ostendimus etiã suprà, cum de transubstantiatione differeremus, idem esse D. Paulo gratiarū actionē atque benedictionē & consecrationē: nomini autē causam dedisse, cōstat factū Dñi, quòd sit à gratiarū actione benedictionē & consecrationē huiusmodi exorsus. Non igitur quodlibet sacrificiū spirituale, laudis aut gratiarū actionis nomine Eucharistiæ intelligi debet, sed illud propriè, quod veteribus sacrificiis in nouo testamento successit, vt verum sacrificiū benedictione quadã Eucharistica perfectum, in quo sit positus eximius & proprius cultus sacrificalis, eximia & singularis materia diuinarū laudum & gratiarum actionis. Altaris etiam in noua lege institutio, sacrificium cōfirmat, cū dicatur thysiasterion à thysia. i. sacrificatorium à sacrificio. de hoc altari, 1. Cor. 9. & 10. Can. Apost. 3. Laodicenum c. 19. Chalcedonen. Act. 1. Ilerden. c. 1. Clem. ep. 2. Fœlix ep. 4. Ignat. ep. ad Trallianos, Martialis ad Burdegal. Cyprian. ep. 9. lib. 4. Liturgiæ Græcæ, & omnes alij Patres.

CAPVT X.

¶ *Missa est sacrificium propitiatorium ex opere operato.*



SVperest ex illa sententia suprà à nobis proposita, confirmanda vltima pars, nempè Missam esse propitiatoriū sacrificium. quod vt exactius intelligatur, ponendum est, sacrificij nostri valorē & fructū vel ex opere operato, vel operantis considerari. Primo modo ipsum opus quod fit, ex Christi institutione, non ex voluntate aut bonitate agentis, efficax est, quatenus instrumentum passionis

sionis Dominicæ applicandę: nostrũ autẽ Missę sacrificium eam potissimam suę institutionis causam habet, vt virtutẽ passionis Christi nobis applicet, vt definitũ est in Cõcil. Trid. sess. 22, c. 1. & 2. tantum abest vt illi per hoc sacrificium quouis modo derogetur. Quod etiam diximus generaliter de sacramentis nouę legis, vt quẽ fructũ aduersarij conficta à se fide quodã speciali, se consequi gloriantur, eum nos secundum catholicæ Ecclesiæ legitimũ sensum, per sacrificium, sacramenta, & fidem operantẽ ex charitate, apprehendi asseramus: & idcircò friuolum est, id non tribuere sacrificio & sacramentis à Christo institutis, quod fidei vanæ & à seipsis confictæ aduersarij tribui volunt: de qua commodius in doctrina de iustificatione. Altero modo consideratur ad valorem & fructum, dignitas, gratia & deuotio sacrificantis, vt quò hæc maiora fuerint, eò fructus Missę maior cẽseatur: in his saltẽ, quę priuatis precibus à Deo impetrantur: cũ publicæ preces & orationes sacerdotis, quibus persoluendis gerit ministri Ecclesiastici personã, non pendeat ex dignitate ministri: quia virtus principalis agentis, ab his externis & adiunctis suo ministerio non vitiatur, & tantum requirit suæ intentioni congruẽtem ministri actionem legitimam, per quã proculdubio virtus illius rectè dispositis communicatur, vt de sacramentis generaliter dictum est, efficaciã non impediri malitia ministri, si opus minister legitimè exerceat. Sed in sacrificio vtrunque considerandum esse, & quid valeat sacrificium ex se, siue ex opere operato, & quid ex opere operantis, constat Genes. 4. vbi legitur Deum respexisse ad Abelem & munera eius. considerari enim debet donum, & animus, amor ac volũtas donantis. quod si donum est paruum & indignum illo, cui offertur, tunc præcipuè & primò consideratur animus offerentis, munus autem secundariò. contrà autem fieri debet, cùm donum est excellens & incomparabile, quia superat offerentis voluntatẽ, licet vtrumque placeat & coniunctim sint maioris valoris. cuius exemplũ habemus in Euangelio de oblatione viduæ. Sed in sacrificiis veteribus, quæ Christi mortem præcesserunt, cùm non essent in rebus per se Deo gratis, primò erat affectus offerentis considerãdus, quia hic pręsertim ex charitate, & commemoratione sacrificij absoluti & consummatiui, ex se gratus erat Deo, & ex illo res oblata: & ideo acceptatio veterum sacrificiorum pendebat ex fide & iustitia offerentium, neque vllum esse poterat, quod ex opere operato Deo placere posset: cum nullum esset instrumẽtum efficax passionis, quæ nondum extiterat: nunc verò in nostro sacrificio contrà fit. Licet enim sit magna gratia & charitas offerentis, non tamen est comparabilis ipsi sacrificio considerato per se & inseipso, cũ sit Christi, vtentis sacerdotum ministerio ad seipsum offerendum. Deinde, valor & fructus eiusdem sacrificij ex opere operato vel operantis, triplex distinguitur, per modũ meriti, satisfactionis pro pœnis peccatorum, & impetrationis. Primo modo ea ratione valet, quia Christus meruit de condigno & de rigore exactissimæ iustitiæ, vt per hoc sacrificium, remissionem peccatorum & gratiam consequamur. altero modo, quia applicatur ad pœnarum, quæ peccatis respondet, persolutionem. Tertio denique modo, quia sacrificatio est validissimum genus precis, maxima quæque ad salutem conducibilia procurans. Ex his constat sacrificium propitiatorium illud esse, quod à Deo, ex iustitia & ex opere operato, gratiam & remissionem peccatorum obtinet, quatenus Deus illo sacrificio sic placatur, & peccatoribus fit propitius, vt donum pœnitentiæ concedat, & peccata remittat. itaque mediante dono pœnitentiæ, quod virtute huius sacrificij Deus concedit, remittit peccata, & ita est propitiatorium pro peccatis, non tantum leuibus & venialibus, sed etiam grauibus & mortalibus. Ratio Theologica ex precedentibus hoc modo deduci potest: Missa est sacrificium, à Deo institutum vt instrumentum, ad applicandam sufficientiam suæ passionis secundum efficaciam, his pro quibus offertur, vt supra ostendimus: sed sufficientia redemptionis factæ per passionem Christi, est maxima & infinita pro omnibus peccatis, grauibus & leuibus: ergo sacrificium Missæ est propitiatorium secundum efficaciam pro eisdem omnibus peccatis. atque etiam pro pœnis peccatorum nõdum persolutis, cum & pœna ęterna virtute passionis Christi cũ eisdẽ peccatis & culpis simul remittatur, & pœnę tẽporales sufficientissimè compensentur eiusdem passionis acerbissimis pœnis. Nihil autẽ aliud est offerre

Ex opere operato quot modis vtile nostrum sacrificium.

Infra de valore Missæ ostendetur, esse sacrificium pro culpis mediatè, sed satisfactorium pro pœnis immediatè. 1

Est etiam satisfactorium.

sacrificium

sacrificiũ pro satisfactione pœnarum, quæ à nobis persoluendæ sunt, quàm ad easdẽ imminuendas, vel omnino auferendas, sistere & repręsentare Deo solutionem passionis, vt quod est in ea sufficientiæ, id secũdũ efficaciam applicetur. Hic est effectus, propter quem antiqua Ecclesia tanto studio pro defunctis sacrificium obtulit, quãuis etiam illis prosit ad leuium culparum remissionem, quibus non semper carent, sed sæpius & diutius reatu, non culparum sed pœnarum, in purgatorio detinentur, vt in doctrina de pœnitentia constabit. Quare inconsideratè faciunt, qui propitiatoriũ aut expiatorium sacrificium, cũ satisfactorio confundunt, vt illud tantum pertineat ad pœnarum persolutionẽ. sed certè aliud est valere ad culparum remissionem aliud autem est valere ad pœnarum solutionem, illud est propitiatorij, hoc est satisfactorij proprium. Deinde, omnis sacerdos debet

Heb.5.

2 offerre dona ac sacrificia pro peccatis, & multo perfectius in nouo testam. cum eius sacerdotium & sacrificium sint cæteris omnibus perfectiora, vt constat: ergo Missa proprium noui testamenti sacrificium, debet esse propitiatorium pro peccatis. Vnde omnes veteres Patres ad 7. & 9. cap.

3 epist. ad Hebr. necessitatem quotidiani sacrificij ostendunt, ex eo quod quotidie peccamus, & indigemus remedio sacrificali: quod vanum esset, si ad peccatorum remissionem applicari non posset. sic Chrysost. homil. 17. in eandem episto. Theophilactus & reliqui. D. Martialis epist. ad Burdegalenses inquit, hoc vnico remedio ex ara sanctificata fugari mortem, & vitam præstari. Origenes. homil. 13. in Leuit. asserit, hanc commemorationem mortis Dominicæ facere Deum hominibus propitium. Cypria. de cœna Domini, esse peccatorum expiationem, medicamentum & holocaustum ad infirmitates sanandas, & iniquitates purgandas. Similia reperies apud Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 58. & Bedam, lib. 4 hist. gentis suæ, cap. 22. quę omnia non sunt intelligenda de venialibus tãtum, licet ea magis immediatè & directè tollat, & ea solùm ex peccatis, si defunctos respicias. Sic de omnibus peccatis in distinctè sunt plurima in liturgiarum canone Græco & Latino, ad significandum offerri & sacrificari pro omnibus. Canon autem is constat ex Domini verbis, ex

Canonis Missæ autores.

Apostolorum Traditionibus, & Pontificum piis institutionibus, non autem à recentioribus Pontificibus Gelasio, Gregorio & aliis compositus, vt accuratè docet Vvaldensis, ex Isidoro Tom. 3. cap. 36. licet nomina sanctorum pro ratione temporis, quo hinc emigrarunt, addita sint, nõ sine exemplo aut mandato Apostolorum, sicut & quædam clausulæ sanctissimæ. In hoc ergo Canone est nostra sententia expressa pro nostro sacrificio propitiatorio, vt cum ait, quam tibi offerunt hostiam pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ: & iterum, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentiis meis. In secretis etiam orationibus eiusdem rei plurima mentio est, vt feria quarta, hebdom. quartæ Quadragessimę, Te rogamus omnipotens Deus, vt his sacrificiis peccata nostra mundentur, quia tunc veram nobis tribuis mentis & corporis sanitatem. Quæ omnia ex verbis Domini confirmari possunt hoc modo: corpus Christi in hoc sacrificio Ecclesiastico pro nobis traditur, & sanguis funditur in remissionem peccatorum: quod non tantum verum est de sacrificio crucis, sed etiam de Missa, quamuis illic ad meritum & redemptionem, hîc ad eorundem applicationẽ: & suprà ostendimus in Missa ex vi verborum sacramentalium, quandam esse sanguinis effusionem, & mortem, licet non in propria specie, & ratione concomitantiæ, esse corpus cum sanguine, & cum his animam & diuinitatem cõiunctam: est igitur Missa sacrificium propitiatorium: cum sanguis effusus in remissionem peccatorũ, sit idem atque propitiatio Dei pro eisdem. Quare, vt effusio sanguinis Christi in cruce fuit propitiatio pro peccatis, sic etiã est in Missa, & vt ibi pro grauibus & leuibus ad sufficiẽtiam, sic & hic pro eisdem ad efficaciam. Vnde Alexan. I. episto. ad omnes orthodoxos asserit crimina & peccata his sacrificiis deleri, talibusque hostiis placari Deum, & crimina ingentia dimitti. & Iulius de consecrat. distinct. 2. omne, inquit, crimen & peccatũ sacrificiis Deo oblatis deletur. Horum Patrum vestigiis inhærens Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. de leuium peccatorum remissione per hoc sacrificium inquit, incruento sacrificio virtus passionis applicatur in remissionem

Trid. Sess. 22. c. 4.

Alia oratio post communionem habet de hoc sacrificio, quod sit ablutio scelerum.

4

peccatorum, quæ quotidie committuntur. de grauibus autem delendis eodem sacrificio inquit, cap. 2. hac oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingẽtia dimittit. & Can. 3. qui negat hoc sacrificium esse propitiatorium, aut pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri, anathema sit. quod si hoc sacrificio mundantur & remittuntur ingentia & grauia peccata, & sine gratia non fit eorum remissio, efficitur certè hoc sacrificio primam gratiam tribui & procurari, mediante dono pœnitentiæ ex opere operato, vt suprà explicauimus. Concludamus igitur, ex institutione Christi, Patrum, Cõciliorumque decretis, vsu & praxi Ecclesię, Missæ sacrificium non tantùm esse nobis satisfactorium pro pœnis etiam existentiũ in purgatorio, sed etiam propitiatorium pro remissione peccatorum leuium in viuentibus & defunctis, atque etiam grauiũ & mortalium in viuentibus, quod erat à nobis demonstrandum. Posteà vero copiosius de valore Missæ differendum erit, cũ hoc loco tantum ostendendum esset, Missam esse sacrificium, non tantùm Eucharisticum ad gratiarum actionem, sed etiam propitiatorium ad remissionem peccatorum, vt in propria specie sacrificij collocaretur. Quapropter admonendi sunt peccatores omnes, etiam cùm adhuc peccati affectum nondum exuerint, vel ex infirmitate continuò offendunt mortaliter, vt altare non deserant, sed frequentissimè sacrificium pro remissione & conuersione procurent. sic enim sancta Ecclesia pro his Missas instituit: non quod ipsis adhuc in peccatis huiusmodi existentibus, sacrificiũ immediatè applicetur: sed quod per illud placatus Dominus gratissima sibi oblatione, pœnitentiam concedit, & ita, mediante illa, sacrificium valet ad remissionem omnium peccatorum, secundum efficaciam: vt valuit idem sacrificium Christi in cruce pro omnibus peccatis, & donis, quæ nobis largitur Deus ad conuersionẽ & pœnitentiam secundum sufficientiam. hoc etiam maximè sacrificantibus sacerdotibus curæ esse debet, vt pro peccatoribus, grauissimis etiam peccatis contaminatis, offerant hoc modo, vt reipsa congruentes suæ institutioni, sciant se esse constitutos in his, quæ sunt erga Deum pro cæteris hominibus, vt legitimos Christi ministros, & mysteriorum dispensatores: quia sacrificium Ecclesiasticũ melius est omnibus aliis officiis humanis, & proculdubio habet clamorem validissimum, tanquã ipsius Christi, cuius sacrificium peragitur: & cõuertit plures, quàm vel ieiunium, vel oratio, vel eleemosyna, aut quiduis aliud.

Hoc sacrificiũ quomodo primam gratiam conferat.

Sacrificiũ qua ratione pro peccatis offerendũ sit.

Heb. 5.

CAPVT XI.

¶ *Sacrificium in qua Missæ actione positum sit.*



Ed quoniam in Missa variæ sunt sacerdotis operationes, in qua vna ex illis primo & per se sacrificiũ positum sit, ostendendũ est. sunt autem plures illæ actiones, partim iure diuino, vt consecratio, mãducatio, fractio: partim traditione Apostolica, & more Ecclesiastico inductæ, vt præcedentes consecrationẽ variæ oblationes, cruces, manuum impositiones, & post consecrationẽ eleuationes, vocales oblationes, fractio, permistio, & aliæ plures specierum inter se per crucis signa accommodationes. In hoc ergo argumento non habemus aduersarios repugnãtes, quòd ipsi in nullo horũ velint esse propriã rationẽ sacrificij & immolationis: habemus tamẽ dissidentes inter se catholicos scriptores. Ex his quidã, sacrificiũ partim in consecratione, partim, idq; magis, in oblatione vocali subsequente, cùm dicitur, offerimus prȩclaræ maiestati tuæ hostiam puram, sanctam: alij volunt non tantum in his, sed prætereà in communione & consumptione rerum oblatarum consistere. Tertia sententia est eorum, qui putant fractionem atque etiam tinctionem hostiæ ad sacrificium requiri, vt ita quatuor aut quinque partibus absoluatur. Quarta denique sententia statuit sacrificium propriè & solùm consecratione perfici. Nos verò ad rectè de hac sententiarum diuersitate iudicandum, hanc sententiam & conclusionẽ ratã & firmã haberi volumus. Sacrificiũ Missæ in sola consecratione, quatenus est mystica quædam mactatio ex vi verborũ

Prima sententia est Roffen. in defens. regis Ekij lib. 3. de sacrif. Missæ. c. 9. Secũda est Domin. Sot. 4 d. 13. q. 2. Tertia est Cani. lib. 12. de loc. c. 13. Quarta est D. Tho. q. 83. ar. 4. sed consumptionẽ addit sacrificio: & Ruardi ar. 16.

ſacramentalium, conſiſtit: non autem in aliqua alia operatione, vel conſecrationem antecedenti, vel conſequenti, ſiue vt parte eſſentiali, ſiue integrali: quãuis omnes illæ habeant ſuam neceſſitatem, vtilitatem & congruentiam cum ſacrificio. Prima pars huius ſententiæ, ex diſtinctione eorũ, quæ ſunt in conſecratione, ſic explicanda eſt. in conſecratione tria potiſſimum reperiuntur, vnde aliqua immolationis ratio accipi poſſit. Primum materiæ mutatio per tranſubſtantiationem. Secundum, eſſe Chriſti ſacramentale, vel continentia Chriſti ſacramentalis, ſub ſpecie panis & vini. Tertium, ipſa myſtica, hoc eſt ſub figura panis & vini, virtute verborum ſacramentalium mactatio: quatenus corpus exiſteret perſe, & ſimiliter ſanguis, & vtrumque ſine anima, niſi ratione concomitantiæ hęc omnia neceſſariò coniũgerētur. Aſſerimus igitur, ſacrificium noui teſtamẽti in ipſa tantũ conſecratione, vt eſt huiuſmodi mactatio myſtica, conſiſtere. Illud autem primum non intenditur primario à ſacrificante: quia in eo non eſt poſita aliqua religionis actio ſecundum ſe, nempè in dedicatione panis & vini: cum hæc non poſſint in nouo teſtamento Deo dicari modo ſacrificali, vt eorum mutatione Deus placetur, quia ſolũ placari poteſt reſpiciendo in faciem Chriſti ſui ſacrificati: mutatio igitur illa creaturarum eſt commoda ratio, quam diuina ſapientia inuenit, vt ea intercedente & media, ſacrificium noſtrum perficeretur tanquam medio quodam inſtrumento, per quod vnico momento temporis, illæ ſubſtantiæ tolluntur, & fit præſens Chriſtus, & myſticè mactatur. itaque hęc mutatio non fit, vt in honorẽ Dei deſtruatur panis, ſed vt per eius tranſubſtantiationem, fiat corpus ex vi verborum ſine ſanguine & anima, & ita mactetur in ſacramento, quãuis ratione concomitantiæ omnia ſint coniuncta neceſſariò poſt reſurrectionem. Illud autem ſecundum, ideſt Chriſti continentia ſacramentalis, pertinet ad rationem ſacramenti: vt mutatio eſt de pane & vino in corpus & ſanguinem Chriſti ſacramentaliter exiſtentis, vt ſupra de termino tranſubſtantiationis explicauimus, in eo cõprehendentes hanc ſacramentalem continentiam. Tertiũ verò eſt ipſa eſſentialis actio ſacrificij: atque ita per ſpecies ſacramentales continentes Chriſtum ſubſtantialiter, habet Eccleſia ſacrificium viuiſibile, vnicum ratione rei oblatæ, iterabile per actionem ſacramentalem, qua Chriſtus, qui in ſe mori non poteſt, myſticè mactetur & immoletur. Ratione huius materiæ panis & vini, quorum tranſubſtantiatio eſt via ad noſtrum ſacrificiũ, dicitur à veteribus hoc ſacrificium, panis & vini ſacrificium, vt ab Ireneo, lib. 4. cap. 32. & ab autore lib. de fide ad Petrũ, c. 19 cum tamen omnes affirment nos tantum immolare corpus & ſanguinem Domini, vnde Cypria. lib. 2. epiſt. 3. obtulit, inquit, Chriſtus idem quod Melchiſedec obtulerat, id eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem: quoniam vt D. Auguſt. lib. 17. de Ciuit. cap. 6. rectè expoſuit ex verbis Domini, panis inquit, quem ego dedero, caro mea eſt pro ſæculi vita, & ipſum eſt ſacrificium, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec, qui legit intelligat. Sic etiam intellige illud ab Eccleſia vſurpatum: ſacerdos in æternum Chriſtus Dominus, ſecundum ordinem Melchiſedec panem & vinum obtulit. Sæpius tamẽ à termino ad quem, Patres hoc ſacrificium vocauerunt corporis & ſanguinis Domini, vt ex teſtimoniis commemoratis & cõmemorandis conſtabit. Probatur igitur prima part. ſententiæ propoſitæ, in conſecratione ſcilicet conſiſtere rationem huius ſacrificij: in hoſtiæ noui teſtamẽti immutatione, qua per mactationem de prophana efficitur ſacra, & diuino cultui dicata, ſacrificiũ noui teſt. cõſiſtit, vt principio hui⁹ de ſacrificio diſputationis poſitũ eſt: ſed ſola cõſecratione hoſtia nou. teſta. propria immutatur & mactatur in cultum Deo gratiſſimũ: (cũ hęc hoſtia, vt oſtẽſum eſt, tantũ ſit Chriſti corp⁹, quod in cõſecratione ex vi verborũ immutatur & mactatur, quatenus ſeparatur à ſanguine & anima, in qua ſeparatione conſiſtit mors & mactatio, licet ratione concomitantiæ, nulla poſt reſurrectionem ſit ſeparatio, ſemper tamen intelligitur facta ex vi verborũ, & voluntate Chriſti fit, & voluntas offerentis ſe per miniſtros infinitè Deo grata eſt, neque aliter commodius potuit mactatio eiuſdem corporis perpetua inſtitui in Eccleſia Chriſti, vt eſſet in ea verũ ſacrificiũ, (vt in omni religione eſſe oportet.) in ſola igitur cõſecratione ſacrificium noui teſtam. conſiſtit. Eccleſiarum Orientis teſtimonium profert

In ſola cõſecratione noſtrum ſacrificium conſiſtat.

fert de hac re liber Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis de mysteriis Ecclesię, cap. 23. quærit enim, quando hæc dona sacrificantur, ante consecrationem, vel post consecrationem? & respõdet, nec ante nec post consecrationem, sed in ipsa consecratione. tunc enim fit mutatio ex pane non mactato in corpus Domini verè mactatũ. sicut sacrificium ouis tunc fit, cum in ea fit mutatio ex non mactata in mactatam. hęc ille. cui in Occidentali Ecclesia Diuus Tho. omnino consentit. Nam. 2. 2. q. 85. artic. 3. ad 3. inquit, tunc esse propriè sacrificium, cum in rebus oblatis id fit, quo de profanis reddantur sacræ, vt cum animal occiditur, comburitur, panis frangitur, comeditur & benedicitur. Sed hîc non exprimit, quæ mutatio ex his tribus, rationem sacrificij constituat in pane, quod eius loci non esset proprium: expressit suo loco, 3. par. quæst. 83. art. 4. vbi primo inquit, hoc mysterium offerri & consecrari, vt sacrificium, & sumi vt sacramentum: deinde verò, cum accessisset ad ipsam consecrationem, subiungit ea proposita, petit sacerdos hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cũ dicit, supra quę propitio, &c. hæc D. Thomas planè significans in ipsa consecratione esse sacrificium: siquidem peracta consecratione, peractum esse sacrificium affirmat. & meritò, quia consecratione, panis & vinum mutantur in corpus & sanguinem Christi, & mutatione rei profanæ in sacram, & diuino cultui dicatam fit sacrificium, vt quęst. 85. 2. 2. concludendum est, si hæc cum illis antè propositis coniungamus. sed apertè 3. p. q. 82. artic. 4. ad primũ, inquit, consecratio chrismatis vel cuiuscunque alterius materiæ non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistię. Huius verò argumentationis vim continent omnia Patrum supra adducta testimonia, quæ Christum affirmant in hoc sacramento mactatum existere, & ideo esse verum sacrificium: quorum sententiam Simeon Thessalonicensis ex omnibus apertissimè colligit. Sic igitur ex illis concludamus: corpus Christi immolatum & mactatum in victimam est terminus actionis sacrificalis, quam nunc vocamus sacrificiũ: cum immolatum corpus nisi per immolationem fieri non possit, nec hostia nisi per sacrificium præcedens: sed sola consecratione fit immolatum & mactatum ex vi verborum, vt sæpè explicatum est: ergo sola consecratio est sacrificium. Præterea Christus consecrando, fecit suum corpus immolatum & mactatum, cum verè seipsum immolauerit, vt supra ostendimus: ergo sacerdotes noui testamenti sola consecratione sacrificant: quia Christus illis verbis, hoc facite, præcepit sacerdotibus, potestatem consecrandi tribuens, vt similiter facerent corpus mactatum & immolatum. Sic verò significat, iam factum & sacrificatum fuisse, & ideo sacerdos statim vocat hostiam sanctam, puram, & immaculatam. Vnde intolerabile est, quod quidam asserunt, mortem Christi consecratione non annuntiari, sed ipsa sumptione, cũ tamen sumatur ex sententia totius antiquitatis, quod prius immolatum est, vt posteà differetur, & contra D. Tho. quem explicant. 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. vbi inquit, repręsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti. Vnde Nissenus in oratione de resurrectione, qui, inquit, dedit discipulis suis corpus suum ad comedendum, apertè demõstrat, iam perfectam esse immolationem, vt oue homo vesci non potest, nisi mactatio præcesserit. Denique, quicquid vel consecrationẽ antecedit, vel consequitur, vt oblationem, repręsentationem mortis Dominicæ, gratiarum actionem, mysticam mactationem, confectionẽ, vna consecratio, reipsa & secundum actum exercitum continet, cuius inconsideratio dissidentes de hac re catholicorum sententias fecit: ergo in consecratione reipsa sacrificium nostrum consistit. re enim ipsa offertur victima, cum de prophana fit sacra per mactationem & immutationem: quomodo Christus seipsum obtulit, cum totum se per mortem Deo consecrauit, etiamsi ratione diuinitatis totus esset sacer, sed vt homo, per mortem totus diuino cultui pro hominũ redemptione dicatus est. Similiter repręsentatio mortis Christi, ipsa consecratione efficitur, cũ virtute verborũ consecrationis, separetur sanguis à corpore, & ab vtroque anima, licet ratione concomitantię necessariò coniuncta sint: vt quod multis verbis & signis crucis, & fractionis significatur, id nobis ipsa consecratio exhibeat: ea verò dicitur cõfectio sacraméti, quatenus per eã manet Christus sacramentaliter existens. Hinc est, quod ipsa collatio panis & vini ad vsum consecrationis, per

Cæremoniarũ antecedentium & consequentium consecrationem explicatio.

per anticipationem dicitur oblatio, quasi oblationis per consecrationem efficiendę materia. Vnde nomen offertorij deriuatū est, & illæ orationes conceptæ, suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam, offerimus tibi Domine calicē salutaris: & illę rationes dicendi vsurpatæ, dona, munera, sancta sacrificia, oblatio seruitutis, siue cultus latriæ. & in Græco ritu additur, cùm panis ad altare affertur, tanquam agnus ad occisionem ductus est: & super eum crucem describentes dicūt, sacrificatur agnus Dei: lanceolis etiam minutis pungunt panem consecrandum in dextero latere, addentes illud, & vnus militum latus eius lancea aperuit. Sic sensibus exprimitur distinctè & partitè, quod vnica consecratione peragitur sacrificium, antequam perficiatur reipsa: vt animi fidelium his admonitionibus præparentur ad sacrificij meditationē. Post consecrationē illustrissimæ sunt actiones, eiusdem sacrificij veram naturam exprimentes. Ex his prima est exaltatio vel eleuatio hostiæ sub vtraque specie, non tātum vt adoretur, sed vt denotetur victimā nostram in cælum ascendisse, ibique in propria specie existere: vt exprimatur etiā illud liturgicum, quo solebant Aaron & filij eius leuare panes cūm collyrida, armum & pectusculum coram Domino: non quidem vt immolarentur, sed vt ante iam immolata. Deinde oratione vocali offertur, quod reipsa per consecrationem effectum est. Tertiò frangitur in tres particulas, ad significandum quod per consecrationē verè frangitur, idest diuiditur virtute verborum sacramentalium & sanguis à corpore, & anima ab vtroque, quibus tres fractionis particulæ respondent. Non enim fractio Christi repræsentata in hoc sacrificio, est carnis in varias particulas sectio, sed carnis à sanguine, & vtriusque ab anima ex vi consecrationis, vt dictum est, separatio. quarto loco, commistio vtriusque speciei, est signum earundem partium coniunctarum per concomitantiam. Ad easdem significationes referendæ sunt multiplices cruces, vocales oblationes, preces & vota, quibus Deum obsecramus, vt velit accepta habere ista, sicuti accepta habuit sacrificium Abrahæ, & oblationem Melchisedec. quare, licet omnes cæremoniæ & sacrificales operationes non pertineant ad essentiam, & necessitatem sacrificij, vt sacramentalia non pertinent ad essentiam sacramenti: omnes tamen ad externam eiusdem sacrificij & luculentiorem repręsentationem, vel ab ipso Christo, vel ab Apostolis & Pontificibus adiectæ sunt: vt verbo vel opere designent, quid in ipsa consecratione occultiori, & magis symbolico opere perficiatur. Vnica autem sententiola consecrationis, cuius dignitatē & vim nullus hominum pro dignitate explicare poterit, omnia postulamus, omnia accipimus, præstantissimum quod in cælo vel in terra existit: sacrificaliter omnia damus, & prestantissimum quod est in nobis, Deo retribuimus, maximas, quas concipere possumus, gratias agimus: omnia reprēsētamus, quę propter nos & nostram salutē in cruce peracta sunt. fit etiam memoria viuorū & mortuorū in Christo, vt ita Christus sacerdos noster, verus Aarō, cū thuribulo sui sacrificati corporis medius inter viuos & mortuos collocetur: & omnibus ad salutē & satisfactionē pro peccatis prodesse intelligatur. Cū nihil igitur in definitione sacrificij, principiò huius disputationis à nobis posita, reperiatur, quod non exactè quadret in ipsam consecrationis actionem, cum ibi cōmutetur, conficiatur, & offeratur Deo victima propria noui testamenti: necessariò statuendum est, in ipsa cōsecratione sacrificium nostrum consistere.

Leuit. 8.

Pasbas. lib. de corp. & sang. c. 18.

Numer. 16.

CAPVT XII.

¶ Sumptio Eucharistiæ non pertinet ad essentiam sacrificij.



SEd quoniam plerique sunt, quibus videtur in alia actione consistere, præsertim vel communione, vel oblatione, quę consecrationē cōsequitur, vel tamquam in essentiali actione, vel saltem tamquam in integrali sacrificij parte, vt dicimus animā pertinere ad essentiam hominis, manū verò tanquā integralē partem: hæc omnia, quę continentur altera

Sumptio in quibusdam veteribus sacrificiis videtur ad essentiam, vel integritatem eorum pertinuisse.

altera parte nostræ sententiæ propositę, sin
gilatim refutanda sunt. Fatemur quidem
in aliquo genere sacrificij, plures esse pos-
se mutationes, quæ videtur vel ad essentiã,
vel ad integritatem sacrificij pertinere: vt
in holocausto non tantum occisio & prę-
cedens oblatio requirebatur, sed præte-
reà etiam ex combustione plena transmu-
tatio & consumptio: in aliis etiam sacrifi-
ciis veteribus ad integritatem pertinebat,
vt vna particula de reliqua oblatione de-
cerperetur per sacerdotes, & in memoria-
le peracti sacrificij super altare cremare-
tur, vt Leuit. 2. 5. & 10. constat. comestio
etiam videtur pertinuisse ad aliquorum sa-
crificiorum consummationem, vt in sacri-
ficio Melchisedec, fortasse non interuenit
alia actio ad rei offerendæ mutationem,
præter manducationem: & Exod. 29. de
panum sacrificio inquit Dominus ad Moy
sen, panes, qui sunt in canistro, in vestibulo
tabernaculi comedent, vt sit placabile sa-
crificium, & sanctificentur manus offeren
tium. alibi iubentur sacerdotes comede-
re sacrificia iam facta, non autem, vt fiant,
manducare: & ideo Leuit. 10. Eleazar &
Ithamar filij Aaronis grauiter reprehen-
duntur à Moyse, quòd hostiam pro pecca
to fecissent, & tamen ex hostia nihil man
ducassent. Sed in nostro sacrificio, ipsa cõ-
munio vel manducatio, ad essentiam vel
integritatem sacrificij nullo modo perti-
net, licet sit à Christo Domino præce-
pta, & ideo iure diuino sacrificio coniun-
cta. qua ratione reprehenditur sacrificiũ,
in quo sacerdos non communicat, in To-
let. 12. cap. 5. quia contra præceptum Chri-
sti, licet non sit contra essentiam vel inte-
gritatem. cæteras verò actiones, quas vel
certò constat posteà accesisse, vel probabi
liter existimamus non fuisse vsurpatas à
Christo, in diuina actione huius mystici sa
crificij in cœna, vt oblatio vocalis, eleua-
tio, fractio significatiua, permistio specie-
rum: quas omnes Apostolica Traditione
receptas non dubitamus, non est vlla ra-
tio, vel in speciem probabilis, quæ effice-
re videatur ipsas, vel earum aliquam, ad es-
sentiam vel integritatem sacrificij pertine-
re. Cùm autem communio multis ad in-
tegritatem, vel essentiam pertinere videa-
tur, ex similitudine veterum illorum sacri
ficiorum, quæ commemorauimus, ea sen-
tentia his argumentis confutatur. Primùm,
quia ipsa communio est immolati Chri-
sti participatio: ergo præcessit immolatio.
sic D. Paulus 1. Corrin. 10. qui edunt, inquit,
hostias, participes sunt altaris, hoc est sa-
crificij, quod in altari immolatur, & ex con
sequenti prius sacrificium peractum fuis- 1
se necesse est. cuius argumẽtum est, quod
communio plebi cum sacerdote commu- 2
nis est, actio verò sacrificij vel essentialis,
vel integralis, sacerdotis propria est: cum
ad sacrificandum instituatur. Vnde ipsa cõ
munio, ad vsum sacramenti, in qua datur
Christus immolatus, omnino pertinet, ad
sacrificium verò non pertinet. Idem pla- 3
nè significant testimonia Patrum suprà ad
ducta, ad confirmandum sacrificium no-
ui testamenti, cum asserunt nos immo-
latum prius Christum sumere. Prætereà, 4
diuersa sunt effecta sacrificij & commu-
nionis, diuersæ gratiæ, vt constat: sacrificiũ
igitur & sumptio diuersæ sunt actiones,
& licet coniunctæ, neutra tamen de es-
sentia vel integritate alterius. Videtur etiã,
si sumptio sit de ratione sacrificij, illas tan- 5
tum hostias plenè & integre immolari,
quas sacerdotem percipere contingat:
reseruatas autem, tum demum perfectè
sacrificari, cum à populo sumuntur: cum
nulla ratione possit intelligi, cur vnius
sumptio, sacrificatas reddat reliquas, si
sumptio est de essentia vel integritate sa-
crificij.

Sumptio vel cõmunio non potest ad essentiã, vel integritatẽ nostri sacrificij pertinere.

CAPVT XIII.

¶ *Oblatio, quæ antecedit & sequitur consecrationem, non est de essentia vel integritate nostri sacrificij: licet aliqua oblatio sit de illius essentia, vt genus, sed ea est reipsa coniuncta consecrationi.*

SEd de sumptione satis: oblationem vo
calem, quæ antecedit vel sequitur con-
secrationẽ, nõ esse de essentia aut integrita
te sacrificij deinceps ostendamus. quãuis

enim

enim omne sacrificiũ sit oblatio,& ideo sit interna sacrificio,non tamẽ omnis oblatio sacrificium est,siue in veteri siue in noua lege in veteri quidẽ erat oblatio primogenitorũ,decimarum & aliorum similium,quę tamen non sacrificabantur. in noua etiam populus panem & vinum offert antequam consecrentur:& in primitiua Ecclesia eleemosynæ ipsæ, quas largissimas Christiani faciebant,non prius ferè pauperibus distribuebantur,quàm ad altare offerrentur,vel sacerdotibus.quod ex veteri lege desumptum videtur,vbi decimæ dandæ pauperibus aut leuitis, sicut primitiæ, Deo offerebantur,vt patet Deuter.12.14.16.Vnde D. August.epist. 59. vouentur,inquit,omnia quæ offeruntur Deo, maximè autem sacri altaris oblatio. Est enim oblatio alicuius rei,ad aliquod religionis officium dedicatio:& ita quæ ad futurum sacrificium proponuntur,offeruntur & à populo & ab ipsis sacerdotibus, in quantum vouentur & dedicantur Deo. Atque ipsa etiam res sacrificata & facta victima potest offerri, hoc est repræsentari, sisti, & proponi coram Deo per veram oblationem sine nouo sacrificio.Sic Germanus lib. de mystica theoria ait: primitias vocari oblationem panis & vini ad futurum sacrificium,& Irenę.lib.4. c.32. & 34. inquit,Christianos offerre Deo primitias creaturarum panem & vinum : vel intelligit sacrificium corporis & sanguinis Domini nomine materiæ, ex qua fit, vt supra ex Cypriano explicauimus. Sic in veteri lege super sacrificia iã facta, populus & sacerdotes inuocabant Dominum:& in noua, Christus hostia nostra,sistitur ab omnibus coram Deo, pro omnium suffragiorum validissimo & efficacissimo genere, respondente eiusdem Christi interpellationi,quam nunc pro nobis facit sedens ad dexteram Dei, per sacrificati corporis continuam oblationem ac repræsentationem in cælo. Sic enim Pontifex noster apparet vultui Dei pro nobis per hostiam suam, teste D.Paulo Hebr.9. sic eius sanguis meliùs,quàm sanguis Abel clamat iam fusus de altari, vt mirum non sit si ad singula momenta, dum in conspectu nostro iacet sacrificatus, per ipsum ac super ipsum vota Deo faciamus. Vnde sacerdos iã factam hostiam proponit, eleuat, offert sacrificia sancta,immaculatam hostiam ; & addit, super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris: & rursus,iube hæc perferri in conspectu diuinæ maiestatis tuæ.compellat denique Christum præsentem per modum hostiæ pro viuis & defunctis illa prece sacrificali, agnus Dei miserere, dona pacem, dona requiem.& huiusmodi oblationem à populo fieri debere, principiò sacerdos admonet dicens,pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus,pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ,tibique reddunt vota sua ęterno Deo viuo & vero. Concludamus igitur:oblatio,quæ consecrationem vel antecedit,vel sequitur, populo cum sacerdote cõmunis est:non pertinet igitur talis oblatio ad essentiam vel integritatem sacrificij: alioquin populus sacrificaret, & idcircò verè sacerdos esset omnis homo de plebe: quod fidei catholicæ repugnat,vt ostẽsum est. Deinde, sacrificium noui testam. est tantum corporis Christi,vt positũ est,quãdo immutatur per mactationem, cum de ratione sacrificij sit talis immutatio, vt supra ostẽdimus:sed ante cõsecrationem nõ est corpus Christi, post consecrationẽ nõ immutatur per mactationem, cùm hoc tantum fiat virtute verborum sacramentalium in ipsa consecratione, vt sæpè explicatum est: ergo oblatio præcedens vel cõsequens consecrationem,non est de essentia vel integritate nostri sacrificij, cũ prius factum sit & integrum per consecrationem. Illa verò oblatio quæ est sacrificij genus, & ideo essentiæ illius interna, in ipsamet consecratione reipsa continetur, quatenus per illam mactationem virtute verborum sacramẽtalium peractam,Christus verè sistitur coram Deo,& ideo dedicatur & offertur ad nostram salutem. Quapropter vt oblatio Christi iam sacrificati, post consecrationem, non est de essentia aut integritate sacrificij nostri:sic neque Christi in cælo sedentis ad dexteram Patris interpellatio pro nobis, propriè sacrificium dicitur : sed vtraque est oblatio victimæ iam factæ tantum, & dedicatio quædam, vt dignetur Pater æternus eam ad nostram salutem secũdum efficaciam applicare : presertim cum Christus in propria specie semel tantũ seipsum in cruce sacrificauer it,vt probat D. Paulus Heb.79.&10.Quod verò quidã cõtendũt, in quibus

Oblatio latius patet sacrificio.

Oblatio est de essentia sacrificii,sed non differentia,vt significant Croquetius Catechef. 136 cum hæc sit immutatio rei oblatæ, quæ immutatio in nostro sacrificio est mystica ex vi verborum,& ideo differẽtia illius propria.

Interpellatio Christi in cælo non est propriè sacrificium.

in quib⁹ est Archingius in disputatione de sacrificio Missæ, §.110.& 111.nō esse rationē sacrificij in consecratione, vt est mystica quędam mactatio quòd in sacrificio reipsa mutationem esse oporteat, quæ hic nō sit, supplente nimirum vi concomitantiæ integritatem: esse autem rationem sacrificij in consecratione, vt est confectio corporis Christi sub esse sacramentali: quòd hoc sit reipsa nouū & ad sumptionem accommodatum, & ideo nostri sacrificij propriū. hoc inquam ab his assertum, nulla probabilitate nititur, cum sit etiam ipsis asserentibus totum ad rationem sacramenti pertinens: & mysticam esse immutationem in nostro sacrificio, non realem, tota antiquitas confitetur. & si res oblata in nouo test. Christus tantum est, & resurgens iam non moritur, Roman. 6. certè vt constet ratio sacrificij, immutari debet ex vi verborum & mysticè: quare in consecratione erit ratio nostri sacrificij, vt est mystica quędā ex vi verborum Christi mactatio. Reliqua est ad cōfirmandū tertia pars propositę sententię de nostro sacrificio: nempe actiones alias sacerdotis antecedentes & consequentes consecrationem, habere suā vtilitatem & congruentiam cum sacrificali actione: sed hæc pars abundè est à nobis confirmata, cùm primam partem confirmaui, ostendens quid significarent omnes illæ actiones ad sacrificium pertinens, & in ipsa consecratione virtute comprehensum.

CAPVT XIIII.

¶ *Panis & vini transubstantiatio non est sacrificium.*

Primum coesectarium.



EX his apertè efficitur, valde inconsideratè quosdā in ipsa panis & vini transubstantiatione sacrificium nostrū constituere, quatenus per eam mutationem de non sacris fiunt sacra, vt animalia in vet. lege per mactationem & mortem. in quo magis erratum est ab iis, qui duo sacrificia in religione nostra distinguunt circa actionem consecrationis: vnum panis & vini, alterū corporis Christi: ad hęc enim absurda necessariò deducuntur. Primum, in nouo test. aliquid sacrificari posse pręter corpus Christi, nempè panē: & tamē certissimum est, tantū sacrificari posse corpus Christi, quod illi in hunc finem Deus aptauit, vt illud pro omnibus aliis immolaret, vt suprà ostendimus ex sacra scriptura, & constat ex Psalm.39. vbi dicitur de Christo, expositore D. Paulo, Heb.10. hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Secūdò sequeretur, sacrificiū nostrum non esse idem omnino ratione rei immolatæ, cum sacrificio crucis, modo tantū diuersum, vt supra ex tota antiquitate, scriptura, & Conciliis ostendimus: & ideo vetustissimi Theologi victimā noui testamenti, intelligibilem ac rationabilem appellauerunt, quòd sit veri hominis & Dei. Tertiò sequeretur, actionem ipsam sacrificationis, qua Deus maximè colitur & placatur, tanquam summa latria, non geri circa Christum, sed circa panem & vinum: & ex consequenti Christus à nobis non sacrificaretur, & extra Christum esset aliquid summè gratum Deo, vt constat esse nostrum sacrificium: cum sacrificalis actio debeat esse immutatio rei, quæ sacrificatur: quare si mutatio panis & vini esset sacrificium, vt est talis immutatio, certè panis & vinum esset propria victima noui testamēti, non autem corpus Christi. Cōstituamus igitur in consecratione panis & vini nostrū sacrificium, non vt transubstantiatio, sed vt est virtute verborum sacramentalium mactatio corporis Christi, hoc est separatio ab anima & sanguine: licet ratione concomitantiæ necessariò sint semper post resurrectionem coniuncta. Cum autem dicimus in consecratione panis & vini nostrum sacrificium consistere, non intelligimus esse in nouo testa. plura sacrificia, licet ratione duplicis materiæ sæpè ita à Patribus & Ecclesia vocentur: sed integritatem & institutionem Christi exprimimus: vt quamuis deesset altera pars materiæ, vt vinum, maneret in sola specie panis verum sacrificiū, non tamen integrum, neque congruens Christi institutioni. Ostēdimus enim, cùm de materia & communione huius sacramēti dissereremus, præceptū diuinum Christi esse, vt sub vtraque specie cōficeretur hoc sacramentum, licet consecratio vnius partis materię à consecratione alterius non pēderet,

Gaspar Cassalius, Ruar. in art. 17. Croquatius Cath. 335.

An sint de necessitate sacrificij, duæ species panis & vini.

Infr. c. 30. in expositione Canonis.

deret, & eodem Christi præcepto cõstringi sacerdotes sacrificantes ad sumptionem vtriusq; speciei. Constat autem ex præcedentibus prius saltem natura sacrificium constitui, quàm sacramentum, cùm prius sit corpus Christi virtute verborum sine sanguine, vt explicatum est, quàm continẽtia sacramentalis: sacerdotes autem prius & multò magis, ad sacrificandũ instituuntur, quàm ad sacramentum cõficiendum, sed vtrumq; eadem consecratione præstant, licet illud prius natura, vt omnes sumãt Christum immolatum, quod supra ex omni antiquitate docuimus.

Cont. Ruard. art. 17.

Secundum coniectarium. Sacrificiũ Ecclesiæ, qua ratione cum omnibus aliis conuenit.

Colligamus prætereà, Ecclesiæ Christianæ sacrificium, vt omnium aliorum cõsummatiuum, cum omnibus aliis sacrificiis aliquo modo cõuenire. cum sacrificiis quidem legis naturæ, quòd in omni loco possit etiam inter gentes offerri, obseruatis Ecclesiæ præceptis, & irreuerentiæ periculo vitato. cum sacrificiis vet. leg. quòd à solis sacerdotibus à Deo vocatis, vt Aaron olim vocatus est: cum victima Paschatis, vt per veri agni sanguinem liberetur populus à seruitute peccati: cum sacrificiis pacificis, quòd à sacerdotibus & offerentibus laicis manducari possit: cum sacrificio Melchisedec, quòd fiat ex pane & vino: cum holocaustis & aliis sacrificiis vet. leg. quòd in eo fiat rei oblatæ vera immutatio virtute verborum sacramentalium: cum crucis sacrificio, quòd res oblata sit eadẽ, quòd fiat separatio corporis à sanguine, & animæ ab vtroq;, licet ratione concomitãtię omnia sint post resurrectionem necessariò coniuncta: quòd vtrumq; est sacrificium propitiatorium, sed vnum ad sufficiẽtiam, alterũ ad efficaciam: quòd vtrũq; nos Deo coniungit. Deniq; cum omnibus naturæ & legis sacrificiis ea ratione conuenit: quòd sit crucis Christi commemoratio, sed magis expressa, vt statim constabit.

Malac. 1. Heb. 5. Luc. 22. 1. Corin. 10. & 11.

CAPVT XV.

¶ *Aduersariorum obiectiones contra nostrum sacrificium.*



Actenus rationem & essentiam sacrificij ecclesiastici constituimus, nunc obiectionibus aduersariorum, quibus contendunt sacrificium non esse, respondendum est; argumenta verò, quibus conantur efficere propitiatorium non esse, vel non esse offerendum pro viuis & defunctis, cæterisq; hominum necessitatibus, tũ dissoluemus, cùm de efficacia & valore eiusdem sacrificij disseruerimus: & ex obiectionũ, quæ nunc proponẽtur, refutatione, alia omnia dissolui posse constabit. Censent igitur aduersarij totam epistolam ad Hebr. ex vnitate sacrificij crucis, apertè & potẽter euertere nostrum sacrificium. sed hanc vnitatẽ
1. ad tria capita reuocant, sacerdotis, hostiæ, oblationis: vt quoniam in nouo testamẽto hæc omnia vnica sint, sacrificium Ecclesiasticum nullum sit, cùm repugnet huic triplici vnitati. requirit enim plures numero sacerdotes, plures numero hostias, plures frequentes & sæpissimè repetitas oblationes sacrificantium. Deinde, his vnitatibus
2. talis conditio perfectionis additur, quę nõ possit cum Ecclesiastico sacrificio consistere: nempè vt sacerdos non tantùm sit vnus, sed etiam talis, qui non habeat necessitatẽ pro se offerendi: talis hostia, quæ per se sit efficax ad omnia peccata exhauriẽda: oblatio deniq; eius generis, vt ea semel interposita, populus non amplius habeat conscientiam peccati, & ita deinceps omnis vsus sacrificij abrogetur. omnes verò huius argumentationis partes, variis sentẽtiis eiusdem epist. sic confirmantur. Pro vnitate sacerdotis, & contra nostram pluralitatem est illud Hebr. 7. & alij quidem plures facti sunt sacerdotes, quòd morte prohiberentur permanere: hîc autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. & inferius, talis enim decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodũ sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. his addunt, proprium esse ordinis Melchisedec, vt vnus tantũ in eo existat sacerdos, qui neq; socium, neq; successorem habeat. Deinde ad hostiæ & oblationis illius vnitatem comprobandam adserunt illud c. 10. hic vnam offerens pro peccatis hostiam, in sempiternum sedet ad dexte-

ram Dei. item, lex per singulos annos iisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquã potest accedẽtes perfectos facere, alioquin cessassent offerri. & paulo post, sanctificati sumus per oblationẽ corporis Christi semel. & c.9. nec vt sæpè offerat se metipsum, alioquin frequenter oporteret eum pati. c.7. hoc enim fecit semel se offerendo. rursus, vnica oblatione consummauit in æternum sanctificatos. & iterum, in consummationem sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Contra quæ omnia aduersariorum iudicio multipliciter in missa & sacrificio nostro peccamus. Primùm, quòd nostra sacrificia inter se comparata diuersa sint: deinde, quòd ab ipso sacrificio crucis, quod in nouo testamento vnicum esse debet, si non victima, certè actione sacrificationis & oblatione differat. Tum, quòd faciamus diuersitatem inter sacerdotem & rem oblatam, vbi offerens non deberet habere aliã hostiam, quàm suam, hoc est propriũ corpus. Denique, quòd non sine scelere Christum neci per singula missarum momenta adiudicemus, eiusq; hostiam sæpè repetendo inualidam esse ostendamus, Apostolo contrarium sic acclamante, vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccatis.

3. Pręterea, ex verbis Domini pręcipientis, vt sacra cœna fiat in commemorationem mortis Domini, cùm ait, hoc facite in meã commemorationem: & Paulo sic exponẽte, quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis: & Patribus appellãtibus nostrum sacrificium commemoratiuum, imaginem, aut exemplum sacrificij crucis: deniq; Theologis cũ magistro 4. sent. d.12. asserentibus ex D. Aug. ideò vocari sacrificium, quòd sit repręsentatio veri sacrificij, vt nomina rerum, similitudinibus earum attribuuntur, conficere volunt aduersarij, nõ esse in nouo testamento verum sacrificium, prærerquam illud vnicũ crucis, quasi commemoratiuum, aut repręsentatiuum sacrificium dicatur, ex particula diminuente veri sacrificij rationem & naturam, vt cũ sculptum hominem & pictũ dicimus.

Sic Cal. ca. 18. institutionum.

Ep. 23. ad Bonif.

4. Tandem adiiciunt illud, vmbram Melchisedec nõ efficere, vt in pane & vino sit in nouo testamento, vel in specie vtriusq; verum & proprium sacrificiũ: quia Melchisedec nunquam obtulit, aut sacrificauit panẽ & vinum, sed tantum ad commeatum Abrahæ & sociis protulit. quin etiam aduersarij, ne sacerdotem quidem fuisse affirmare audent, propter verbi Hebraici indifferentiam, quo & sacerdotẽ & satrapam significari posse contendunt.

Genes. 14.

CAPVT XVI.

¶ *Responsio ad obiectiones.*

Prima responsio earundem obiectionum.



AD priores duas obiectiones ex ep. ad Heb. petitas, duplex est respõsio, vna veterũ omniũ Patrũ Græcorũ & Latinorũ, qui videntes illam speciẽ repugnãtię in D. Paulo, cũ nostro sacrificio Ecclesiastico, præoccupauerunt illius refutationẽ, immoti à fidei decreto, asserente esse in Ecclesia verũ sacrificiũ, non autem illud contẽnentes, vt nostri aduersarij. hi igitur omnes sacrificiũ Ecclesię cũ sacrificio crucis, omninò consentire ideò affirmãt, quòd illa triplex vnitas, hostię, oblationis, sacerdotis, nostro sacerdotio nõ tollitur, sed potius cõfirmatur. Hostia enim eadẽ numero, Christus, in omnibus sacrificiis nostris offertur, quę in cruce oblata est, licet modus offerendi sit diuersus: illic incruẽte, hic cruente, actio etiã sacrificalis, vel oblatio eadẽ est, quatenus nostra missa, nihil est aliud quã repetita passio, vel perpetua redẽptionis oblatio, vel passionis celebratio, vt veteres illi loquuntur. Vnde Naziãz. oratione post morbum ait, sacerdotẽ his sacrificiis se planè immiscere magnis Christi passionibus. Alexãd. I. ep. ad omnes orthodoxos, in sacramentorũ, inquit, oblationibus, quæ inter missarũ solẽnia offeruntur, passio Dñi miscẽda est, vt eius, cuius corpus cõficitur, passio etiam celebretur. Cyprian⁹ ep. ad Cęciliũ passio Dñi est sacrificiũ, quod offerimus. & Ambros. lib. 1. de offic. c. 48. offertur hîc Christus in imagine, quasi recipiẽs passionem. Quia igitur sacrificiũ Ecclesiasticũ est expressa imago, vnicũ exemplum, ineffabilis recordatio Christi patiẽtis in cruce, adeò exacta, vt identitatẽ neq; in re oblata, neq; in

Chrys. Ambr. Oecum. Theophyla. Haym. Paschas. Remig. Primas. omnes recentiores.

In nostro sacrificio retinetur vnitas hostiæ, oblationis et sacerdotis, quam vnitatem vult D. Paulus esse in nouo testamento.

in actione excludat, contrà ac veteres animaliũ mactationes, quæ erãt prorsus diuersæ inter se, tenuissimamq; vmbram futuræ oblationis in cruce continentes, neque ipsa erat de substantia eorũ, vt est in nostro sacrificio per mysticam mactationẽ: ideò Patres omnes veteres sentiunt, non tollere vnitatẽ sacrificij & oblationis propriȩ noui testamenti, nec nostra sacrificia magis dici posse plura, aut diuersa, quã plura sunt corpora, aut plures ac diuersi Christi. Tertiam verò vnitatem sacerdotis, quem D. Paulus vult vnicum esse, æternũ, impeccabilẽ, non aliam hostiã, quàm suum corpus, nec alienũ, sed proprium sanguinem offerentẽ, eatenus in sacrificio nostro retineri tradunt, quatenus sacerdotes noui test. sunt ministri & dispensatores mysteriorũ Dei, iussu, autoritate, assistentia, virtute Christi, & in ipsius persona sacrificantes, vt ea ratione omnium sit vnicum in Christo sacerdotium: cùm tamen in vet. lege nullus sacerdos ab altero penderet, vel alterius personam gereret. vnde, licet nostri sacerdotes non minus singuli concurrant ad sua officia præstanda, quàm legales sacerdotes, cũ sacramenta administrant: semper tamen principaliter & verè Christus eadem ipsa per ipsos facere dicitur: vt non solùm autoritate Christi faciat sacerdos, sed etiam in persona ipsius, vt verba ipsa cõsecrantis sacerdotis euincũt: cũ non possint esse vera, nec efficere, quod significãt, nisi in persona Christi accipiãtur, quasi Christo ore sacerdotis proferente, hoc est corpus meũ, hic est calix sanguinis mei. his autem verbis & hac tantùm consecrationis actione, sacrificium Ecclesiæ perfici supra ostensum est. Hinc Chrys. ho. 2. in ep. 2. ad Tim. inquit, nõ hanc sanctificãt homines, sed Christus, qui eam ante sacrificauerat, & sicut verba sunt eadẽ, ita & oblatio eadẽ est. & Amb. c. citato ex li. 1. offic. antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nũc Christus offertur, sed offertur quasi homo, & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. deniq; Aug. de ciuit. Dei lib. 10. c. 4. cũ ad illũ sursum est altare cor nostrũ, eius vnigeto sacerdote eũ placamus, vt legit Thom. Vvaldeñ. & c. 20. eiusdẽ lib. in forma serui mediator noster maluit esse sacrificiũ, quã sumere: per hoc sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. cuius rei sacramentũ, quotidianũ esse voluit sacrificiũ, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tã ipsa per ipsum, quã ipse per ipsam suetus offerri. huic summo veroq; sacrificio cuncta falsa sacrificia cesserũt. Hęc est Patrũ responsio, eaq; vera, etiãsi in partem cõparationis Paulinȩ, quã inter sacrificium Christi & Leuiticum instituit, sacrificium Ecclesiasticum, quod Dñs per ministros suos peragit, accipiamus. Sed est altera recentiorum responsio, directȩ & primariȩ intentioni D. Pauli valdè consentanea. ȩst enim hic status controuersiæ inter Iudȩos & D. Paulũ, sit ne illud absolutũ, inde pendens & capitale sacrificiũ, à quo cȩtera religionis obsequia pendebant, in sacerdotio Aaronico & legali, an in sacerdotio Melchisedeciano. hoc est, vt loquitur D. Paul. Heb. 7. fuerit ne cõsummatio per sacerdotium & sacrificiũ Leuiticum, an potius Melchisedecianũ: vt hoc sacrificiũ esset consummatiuũ, & redemptiuũ, potens sua vi ad remittendũ & exhauriendũ omne peccatũ, destruendũ & abolendum: cuius proinde vis esset infinita: cuius pretium & valor apud Deũ exactè summoq; iure libratus, incomparabiliter superaret omne omniũ peccatorum debitum, quoad culpã & pœnam. rursum, an illi vnam aliquam hostiã in illa infinita victimarũ varietate haberent, quæ tantæ dignitatis esset, vt per se peccata purgaret. deniq;, an aliquẽ sacerdotem ex suis in lege & ordine Leuitico Iudæi cognouerint, qui sibi meritò vendicaret generale officiũ redemptionis, in cuius personȩ dignitate tanti officij æternitas & immutabilitas fundaretur: qui vlla sua actione, vel sacrificio ȩternam redemptionem inuenire posset: cæli ianuã Patribus & futuris fidelibus omnibus aperiret: sibiq; à dextris Dei sedem constitueret, mortem destrueret: qui demũ suo sacrificio, omnibus sacramẽtis, sacrificiis, sanctis operibus, ab initio orbis vsq; ad finem vim omnem, & dignitatẽ conferret. Hęc enim omnia & similia, propria sacrificij absoluti, perfecti, consummatiui, sacerdotis & hostiæ redimentis, & vniuersum orbem reconciliãtis Hebræi tempore Apostolorum Iudaizantes, si suæ sectæ consentanea dicerent, confiteri deberent in sua sacrificia conuenire: alioquin non esset consummatio per ordinem Leuiticum, vt illi volebant, nisi haberet illa lex tale sacrificium, talem hostiam, talem sacerdotem, qualem descripsimus.

1. Cor. 4.

Altera responsio.

Status controuersiæ inter Iudæos & Paulũ in ep. ad Hebr.

An consummatio in ordine Leuitico, vel Melchisedeciano?

Est verò ad hanc controuersiã hæc D.Pauli responsio & propositio: consummationẽ nõ esse in ordine Leuitico & legali, sed potius in Melchisedeciano: quia vnus & solus Christus in hoc ordine vocatus à Deo sacerdos, vna & sola hostia sui corporis, vnica & sola actione sacrificali, idest morte sua assecutus est illud, quod innumeri sacerdotes Leuitici, infinitis pecoribus, sine intermissione, repetitis oblationibus, nunquam sint assecuti. Hanc sententiam cõfirmat ex congruentia & consensione legis, sacerdotis & sacrificij, quæ sunt necessariò coniuncta, & cum fuerint inualida ad illã potentem, absolutã & generalem remissionem & persolutionem, quã requirimus, necesse est in ordine Leuitico & legali non fuisse consummationem. infirmitas autem illorum trium deducitur ex antithesi sacerdotum, hostiarũ, & oblationũ veteris & noue legis. In prima igitur antithesi docet Christum solũ ad tã eminens munus fuisse idoneũ, siue eius typum in Melchisedec respicias, qui longe omnibus naturę sacerdotibus anteccelluit, & Aaronem anteuertit, omnemq; eius successionẽ, tempore, dignitate, benedictione data, oblatione accepta, vocatione per iuramentũ confirmata, singulari prę omnibus aliis sacerdotibus in vnctione, qua sic est spiritu sancto perfusus, vt nullus vnquã Leuiticus sacerdos tã copiosè fuerit oleo corporali delinitus. cuius functionis firmitas, durabilitas, immutabilitas, tã in seipso, quã in sua Ecclesia tanta fuisse perspicitur, vt super eũ solum pater iurauerit sine pœnitentia, quod esset sacerdos in ęternum. vnde Hier. ad euag. inquit, Christi & Ecclesię sacerdotiũ in præteritũ & in futurum æternũ fore. Quòd verò ad cęteras conditiones personæ attinet, quæ suo opere & merito deberet genus humanũ reconciliare, totius peccati imperiũ, ac dãnationis generale vinculum, sua potẽtia delere, admirabili sapiẽtia differit D. Paul. ista non posse præstari à turba sacerdotum communiũ, in quibus nullus est, qui nõ sit ipse peccator, habeatq; quod pro se agat: tantũ abest, vt pro vniuerso orbe, sacrificio suo faciat satis. At ex altera parte Christũ Dñm sacerdotem nostrũ innocentem, impollutũ, segregatum à peccatoribus, nõ habentem necessitatem pro se primũ offerẽdi, deinde pro populo. imò, quia is, qui sacrificiũ consummatiuum facere debet, sit necessariò cõstituendus medius inter Deũ & hominẽ, hunc redimentẽ ac consumantem sacerdotẽ, nõ esse merum hominem, sed mortalibus omnibus, angelis, ipsisq; cęlestibus celsiorẽ, qui in ipsum cęlum & infernũ habeat imperiũ: nec sua ipsius morte à redẽptionis æterno munere excludatur, quia per resurrectionẽ viuens in æternum, sempiternum habeat sacerdotium. Altera antithesis est inter ipsas hostias legales, & vnicam corporis Christi: in qua ostẽditur, illas fuisse brutas, contẽptibiles & abiectas, taurorum, hircorum & aliorum animalium, quibus per se impossibile est peccata remitti, aut pro pretio humanę animę iustam fieri commutationem. nostri autẽ sacerdotis victima, cùm esset propriũ corpus Deo coniunctum, deposita anima, orbis terrarum peccata potenter expiauit, & iustissimè per eam transactio generalis super peccatis totius mundi facta est. Tertia antithesis inter actiones & oblationes ostẽdit, illam Christi Dñi per propriã mortem sponte pro redemptione hominum effectam, tam immensæ charitatis fuisse, tã excelsi meriti, tam potẽtis satisfactionis, tam sufficientis & cumulatissimæ redemptionis, vt frustrà eiusdem operis repetitionem desideres. ac proinde Christum semel mortuum, semel ingressum in sancta, sua vnica nece, æternũ sanctificatos consummasse. Contrà autem, Leuiticos sacerdotes infinities acta agere, easdem specie hostias consimili semper actione indesinenter offerre, & ipsa cõtinua repetitione conuinci singulas esse inualidas, cũ nec vniuersis id vnquã sint assecuti, vt cultores à peccato prorsus immunes essent, aut à sacrificãdo quiescerent. sic enim cõcludit c. 10. eiusd. ep. ad Heb. alioquin cessassent offerri, quia nullã haberent vltra conscientiam peccati, cultores semel mundati.

Prima antithesis inter sacerdotes Leuiticos & Christum.

Mediatoris necessitas ad opus redemptionis.

Altera antithesis inter victimas.

Tertia antithesis inter oblationes.

CAPVT XVII.

¶ *Ad alias obiectiones responsio.*

Sed hîc continuò existit non leuis obiectio, idẽ enim cõcludi potest contra sacrificiũ crucis & nostrũ Ecclesiasticum. his enim peractis adhuc nõ est absorptũ omne peccatum,

peccatum, imò quotidie sacrificio nostro indigemus ad expianda peccata. Respōdetur, Apostolum planè concludere de sacrificio cōsummatiuo & redēptiuo secundū sufficientiam: simili autē sacrificio nō amplius indigemus, alioquin non esset per se sufficiens: indigemus autē nostro sacrificio secundū efficaciam ad applicandam nobis illam infinitā sufficientiam sacrificij crucis. fuit enim crucis sacrificium generale poculū, aut medicamentum vniuersale in cōmuni propositum, vt inquit D. Aug. lib. artic. falsò impos. art. 1. non retinens in se actualem applicationē ad particulares vsus, sed eam per varia sacramenta, sacrificia, & opera nostra distribuens. Quod si crucis sacrificium omninò esset consummatiuum, non solùm sufficiētia, sed etiam efficacia, sacramentis, sacrificio nostro non indigeremus. quia vero Hebræi Iudaizātes, contra quos D. Paulus in ep. ad Heb. disputat, sua illa sacrificia vetera, existimabāt absoluta & perfecta, vtraq; perfectione sufficientiæ & efficaciæ, deberent necessariò, si sibi constarent, asserere, illis peractis, nullum alterū sacrificiū ordinis Melchisedec instituendū esse, quod tamen institutum docet sancta scriptura Psal. 109. Similiter si sacrificiū nostrum Ecclesiasticum esset absolutū & independens, non fuisset opus altero sacrificio crucis, vel eiusdem repetitione. nūc verò, cùm illud crucis sit absolutū secundum sufficientiam, indigemus altero, quod secundū efficaciam illius virtutē applicet: & idcircò hoc ab illo necessariò pendet, neq; vllus mortaliū vnquam contrariū asseruit: præsertim cum eadem sit vtriusque hostia, vt suprà explicauimus, per ministros repetita oblatio, modo offerendi cruento, vel incruento, ad sufficientiam, vel efficaciam diuersa. Vnde quod in hoc etiam argumēto, vt in multis aliis, aduersarij clamitant, si sacrificiū nostrum sit necessarium ad participādam Christi redemptionem, passionē Christi non fuisse copiosam, & per se sufficientē nostræ salutis causam, & ideò posito nostro sacrificio multū detrahi de valore sacrificij crucis, friuolū est, & cōmune: quòd non minus valeat contra omnia sacramenta, & omnia opera, ipsamq; fidem Christianam, quibus ad nos deducimus & applicamus thesaurum illū immensum redēptionis nostræ. Si enim interpellatio Christi pro nobis ad Patrem Heb. 7. ex qua dicitur aduocatus noster apud Patrē 1. Ioan. 2. nihil sufficiētiæ sacrificij crucis detrahit, imò eādem nobis applicat ex instituto Christi, sicut sacramenta, & sacrificiū nostrum, vt in passione sit vniuersalis causa sufficientissima, in aliis sit efficax secundū specialē effectū cuiusq;, sinant nos aduersarij apprehēdere per sacrificiū diuinissimū à Christo institutū, passionis effecta, cuius beneficium omne falsa illa sua fide speciali cōficta, apprehēdi à se gloriātur. Nihil autē est in omni hæresi stultius, nihil in atheismo horribilius, nihil ad omnē impietatem potentius, quàm per ipsam passionē Dñi, qua sola omnis religio & rectus Dei cultus continetur, & stabilitur, summum & vnicum, soliq; Deo & semper ex ipsa naturæ lege propriū, ac debitū cultum sublatum esse, impiè velle prætexere.

Sacrificiū Ecclesiasticum applicat secundū efficaciam, sufficiētiam sacrificii crucis.

Sacrificium nostrum nihil detrahit de valore sacrificii crucis.

CAPVT XVIII.

¶ *Sufficientia sacrificij crucis, & eius in missa commemoratio.*

Paulina comparatio non est de existentia, sed de vi, & sufficiētia sacrificii.



EX his cōstat, in Paulina cōparatione inter vetera sacrificia, & sacrificium crucis, non concludi alterutrius existentiam, vel non existentiam, vt scilicet, altera pars cōparationis probetur existere, vel non existere, vel non esse, quod propriè dicitur sacrificium: sed potius concludi vim, sufficientiam & excellentiam sacrificij crucis præ omnibus aliis. Non enim vetera, quia sacrificia erāt, cessarunt: sed propter infirmitatem, meliori sacrificio cesserunt, præsertim cum illud futurum significarēt, & ideò vbi illud trāsactum est, significatio non cōgruebat. quare si cōparatio instituatur inter sacrificium crucis, & nostrum Ecclesiasticum, nō erit quæstio de existētia alterius, vtrum. s. alterū cū altero possit consistere, sed de vi & dependentia, nēpè, vtrum nostrum sacrificiū vim omnē accipiat à sacrificio crucis. quā distinctionē aduersarij non expendentes, inconsideratè concludunt, alterū cum altero non existere: cū potius concludendū esset,

set, alterum crucis, absolutum esse & sufficientia perfectissimũ, alterum Ecclesiasticum ab altero pendere, & illius sufficientiã nobis applicare, vt definitum est in cõcilio Trid. sess. 22. c. 1. & 2. Cùm autẽ totum illud sufficiens pretiũ generalis redẽptionis, vel saltẽ, quod ex toto illo fuerit necessarium, siquidem abundantius adhuc est, particulariter fuerit insumptũ, atq; ad omnes per mortem Christi sanctificandos applicatũ, tunc perfecta erit remissio, nullum amplius extabit sacrificiũ externum, nullũ deniq; peccatum: sed erit fœlicissimus status beatituditudinis omniũ. quo sensu potest accipi illud Heb. 10. vbi autẽ horum remissio, iam non est oblatio pro peccatis: licet in generali & sufficiẽti causa id totum in passione peractum sit. sic autẽ perfecta etiam secundum efficaciam redemptione, erit plena remissio, hominẽ totum animo & corpore à plaga peccati vindicãs, ac perfectũ reddens, quando tradiderit filius regnum Deo Patri, & posuerit omnes inimicos suos scabellum pedum suorũ: qui sanè erit status perfectissimus noui test. vacabitq; oblatione pro peccatis, carebit sacramẽtis & doctrina externa, & reliquis huius vitæ, quibus colitur Deus mortalibus officiis. ad quem sensum potest etiã referri illud Heb. 10. de cętero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius: vna enim oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos. Hactenus duas priores aduersariorũ obiectiones dissoluimus: ad tertiam autem refellendã, fatẽdum est primò, in nostro sacrificio ex mandato Domini cõmemorationem fieri mortis dominicæ: ea verò cõmemoratio non consistit in prædicatione, aut liberis verbis concionatoris, vt aduersarij imperitè obstrepunt, sed in ipsa operatione & confectione mysteriorum, cũ per eam sit præsens Christus modo immolatitio, licet mystico in specie panis & vini, vt sæpè explicatum est. sic Dominus Luc. 22. dixit, hoc facite in meam commemorationem, & hoc quotiescunq; feceritis, non autẽ dixit, hoc annũtiate, hoc prędicate. ipsum itaq; opus Liturgicum, est cõmemoratiuum passionis dominicæ, magis expressum, quàm quęcunq; alia, vel vetera sacrificia, vel ritus & cęremoniæ Ecclesiasticę: quia continet eundẽ numero Christum immolatum pro nobis effuso sanguine, virtute verborũ sacramentalium, vt sæpè explicatũ est. Voluit enim Deus in nouo test. nõ sic alio officio externo summè coli & adorari, quã illius ineffabilis meriti recordatione, quod superat omnia alia bona in nos collata. pro sua enim misericordia omnia sibi à nobis summè tribui iudicat, si repręsentemus illi per hoc mysteriũ verè Eucharisticũ suum donum datum hominibus per passionẽ filij sui. est enim omniũ diuinorũ meritorum cõpendium, epitome vniuersorũ, quæ ille nobis, vel per se in creatione, vel per humanitatem Dñi nostri in redẽptione pręstitit. hęc autẽ omnia cõtineri in cõmemoratione, quę hoc sacrificio peragitur, illa verba Dñi apertè euincũt, hoc facite in mei cõmemorationem. quibus autẽ maximè partibus hęc commemoratio celebretur, tremẽda actio canonis his verbis expressit: vnde & memores nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui, tã beatę passionis, quã & ab inferis resurrectionis, & in cælos gloriosæ ascẽsionis, offerimus pręclarę maiestati tuę de tuis donis ac datis hostiã puram: & quæ sequuntur. fit etiã in eodem sacrificio semper, vt inquit Aug. 22. li. de ciu. c. 10. sanctorum cõmemoratio, vt ex ipsorum gloria, glorificetur Deus in sanctis suis per filium suũ, per cuius mortem ita exaltati ac beati sunt. sic autẽ cultus hic sacrificalis in maiorem gloriã Dei cedit, cũ totum corpus, cũ Christo capite, quasi in quoddã triumpho ipsi Deo repręsentatur, vt obseruauit D. Aug. lib. 10. de ciu. c. 6. & Chrys. hom. 21. in Acta. hom. 25. in Matth. hom. 2. in ep. 2. ad Corin. Hinc Ecclesia antiqua semper in sacrificio retulit nomina Episcoporũ defunctorum, & aliorũ virorum, qui Deo grati censerentur, & ideò nomina eorũ in sacris diptychis descripta erant. vocãt autẽ diptycha publicas tabulas, in quibus illa nomina descripta fuere. hinc etiã inualuit mos, præsertim apud Græcos, non faciendi sacrificium in quibusdam solemnioribus ieiuniis ac pœnitẽtiæ & luctus tẽporibus, vt in quadragessima: quòd sacrificium sit actus solẽnis, festiuus, lætus, triumphum, & gloriam Christi, omniumq; suorum sanctorũ, atq; redemptionis nostræ lætissima beneficia complectens. Vnde quamuis in honorem sanctorum missæ institutæ sint, non tamen illis sacrificium offertur, sed Deo soli, qui illos coronauit: & ideò neque sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, vel

Noui testamenti status perfectissimus & beatus.

1. Cor. 15.

Sacrificium nostrum, qua ratione commemoratiuum sit.

Beneficiorum Dei summa recolitur in nostro Ecclesiæ sacrificio.

Sanctorum in missa commemoratio.

Diptycha.

Missa in honorem sanctorum.

vel Paule, sed Deo de eorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris, vt definitum est, in concil Trident. sess. 22. c. 3. & docuit D. Aug. lib. 8. de ciuit. c. 27. Sic igitur fatendum est in missa fieri ex institutione Domini, mortis Dominicæ, & aliorum beneficiorum Dei gratissimam recordationem: dum Christum nobis datum, Patri offerimus, vt summam continẽtem beneficiorum eorundem, eidem maximè pro nostra salute acceptam. Præterea accipiendum est, id quod est repręsentatiuum, rememoratiuum, aut commemoratiuum, nihil omninò de vera ratione sacrificij detrahere, sed vera victima, vera immolatio, etiam propitiatoria secundũ efficaciam, vt ostendimus; concludit esse verum sacrificium: quia non est nuda commemoratio, sed commemoratio reipsa cõtinens, id cuius similitudo & repręsentatio est. Illustrissimum exemplum est in filio Dei, qui per modum similitudinis procedens, imago dicitur & character substantiæ Patris, cùm tamen illi, appellatio & natura Dei æquè ac Patri conueniat. sic corpus Christi, vt in Eucharistia existens, sacramẽtum est, & similitudo corporis Christi, vt existentis in propria specie, & tamen vtrobiq; est idem numero corpus: sed vt in alia specie, significat & repręsentat seipsum, vt in propria. similiter in eadem confectione Eucharistiæ, est mactatio & immolatio virtute verborum sacramentalium, vt sæpè explicatum est: est tamẽ imago & repręsentatio mactationis in propria specie factæ in cruce: vel, vt loquitur D. August. immolationis in seipso, hoc est in forma natiua & propria. Deniq;, vt vetera sacrificia, vera fuerunt sacrificia, quamuis dependẽtia & sacrificij crucis commemoratiua, sic etiam & multò perfectiùs, sacrificium nostrum est commemoratiuum, verumtamen sacrificium: neque commemoratio ab vllo alio sacrificio, nisi crucis excludi potest: cùm ipsum tantùm sit absolutum & independens, cætera verò ad illud referantur, & ideò illius commemoratiua sunt, à quo vim omnem & efficaciam desumunt. hæc alterius repræsentatio, quæ tamen veritatem rei continet, dicitur in nouo testamento imago Hebr. 10. & antitypia, hoc est eiusdem, vel similis formæ respondentia, 1. Pet. 3. deinde, vt commemoratiuum vim habet docendi, quæ scilicet pro nobis Christus passus sit, vt sacrificium vim habet saluandi & reconciliandi, vt colliges ex Chrys. hom. 83. in Matt. Quare, in hac re duo aduersariorũ errores cauẽdi sunt, vnus circa substantiã sacrificij, quatenus non ob aliã causam sacrificiũ dici velint, quã quòd sit nuda imago & exemplar eius rei, quę fuit verum sacrificiũ: alter circa effectum & vsum eiusdẽ sacrificij, quatenus affirmant non esse alium eius vsum, quã vt nos memores reddat passionis Dominicæ. vterq; error dãnatur in conc. Trid. sess. 22. can. 4. his verbis: si quis dixerit, missę sacrificiũ tantùm esse laudis & gratiarũ actionis, aut nudam cõmemorationem sacrificij in cruce peracti, non autẽ propitiatoriũ, vel soli prodesse sumenti, neq; pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis & satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Hoc sensu accipienda est ratio theologorũ, qua efficiunt missam esse sacrificiũ, quòd sit sacrificium cõmemoratiuum sacrificij crucis, & illius efficaciã nobis applicans: non enim nudam intelligunt cõmemorationem, sed quæ contineat rei veritatẽ, & in eũ vsum offeratur, vt illam crucis sufficientiã nobis efficaciter accommodet. D. autem Aug. ep. 23 ad Bonif. asserens, imaginibus sæpè attribui nomina rerum, quarum sunt imagines, vt Pascha dicitur annua cęremonia, qua veri Paschatis memoria celebratur, & dies dominicus dicitur, repręsentatio resurrectionis Domini, vt scripsit etiam ep. 119. ad Ianuarium: similiter hoc sacrificium dicitur immolatio, ex similitudine alterius immolationis in cruce: & dicitur corpus Christi, vt repręsentat corpus Christi, vt existens in sua specie natiua: hac inquam sententia & his exemplis innuit D. Aug. hanc immolationem esse commemoratiuam, non quòd veri corporis Christi nõ sit immolatio, sed quòd respondeat alteri immolationi, quæ facta est in propria & natiua specie corporis Christi. Itaq; non vult D. Aug. eandem rationem similitudinis in omnibus rebus intercedere, quæ appellationes sumunt rerum: quarum sunt appellationes, vt sacramentum fidei aliter est simile ipsi fidei, aliter sacramentũ corporis ipsi corpori Christi, aliter dominicus dies resurrectioni, aliter sepultura in baptismo est similis sepul-

Commemoratiuum nõ minuit veram rationẽ sacrificij, quamuis non sit absolutum & independens.

Explicatio theologorum, & D. Augustini.

turæ veræ: denique immolatio Christi in hoc sacramento, aliter similis est immolationi Christi in cruce. commune quidem est his omnibus, vt propter similitudinem quocunq; modo interuenientem inter rē repræsentatam & repræsentantem, nominū communio fiat: pro differentia tamen similitudinis fit, vt nomen ab altero sumptum propriè conueniat, aut impropriè: in hoc autem sacrificio est similitudo & repræsentatio, sed ea non excludit rei veritatem, & existentiā, sed tantùm diuersum modū existēdi: vt in nostro sacrificio sit idē Christus immolatus, qui in cruce seipsum immolauit: sed ibi separatione animę & sanguinis in propria specie sine coniunctione per cōcomitantiam, ad sufficienter promerendā redemptionem: hic autem separatione animæ & sanguinis virtute verborū sacramentalium, quæ tamen necessariò ratione concomitantiæ coniuncta sint, ad redēptionis effectæ sufficientiā, nobis efficaciter applicandā. Quare quotiescunq; nostrū sacrificiū dicitur commemoratiuū, & ex sacrificio crucis, quod repræsentat, appellationē sacrificij desumere, nō significatur nō esse propriū sacrificium, quasi ex particula diminuente, vt cùm hominem pictum, hominem dicimus: sed potius significatur illud crucis esse absolutum & independens, hoc nostrum Ecclesiasticum dependere ab illo, vt imaginem, sed quæ rei & sacrificij proprietatem retineat, vt abūdè explicatum est.

CAPVT XIX.

¶ *De Melchisedec sacerdotio, & sacrificio.*



Restat quarta & vltima obiectio refutanda, quæ ex figura efficere cōtendit, missam nō esse sacrificiū, quòd Melchisedec in pane & vino non sacrificauerit, neq; fuerit sacerdos. Sed isti obiectioni opponimus Paulum & Spiritum sanctū, qui per os Dauid ex Gen. 14. statuūt Psal. 109. & Heb. 7. Melchisedec fuisse certi ordinis sacerdotē: vt non aliter ambiguitas verbi Hebraici, quo sacerdos & satrapa significatur, aptius tolli possit, & pro sacerdote accipiatur, vt habet nostra vulgata interpretatio, quàm ex huiusmodi Spiritus sancti expositione. Opponimus etiā ipsam verborū scripturę propriā interpretationē, quum reddit causam prolati panis & vini à Melchisedec, erat enim sacerdos Dei sūmi, vt significaret, illā prolationē fuisse sacerdotis sacrificātis propriā, vt confirmat omniū Patrum expositio. Cyp. ep. 3. lib. 2. accuratè docet Melchisedec obtulisse sacrificiū Deo, quod fuerit illius ordinis propriū, & typus sacrificij Christi in altari, vt vtroq; verbo offerēdi & proferendi, significetur idē, quod in sacrificium proponere. similiter Euseb. lib. 5. demōst. euang. Arnobius, Cassiodorus, & omnes veteres in Psal. 109. Ambr. lib. 5. de sacramēt. c. 1. & de his, qui myst. init. c. 8. Hieron. Matt. 26. & ep. ad Euagriū. Chrys. ho. 35. & 36. in Gen. & de proditione Iudę. Aug. in Psal. 33. cōc. 1. & lib. 17. & 18. de ciuit. Dei. Damas. lib. 4. de fid. orthod. c. 14. Athanasius & Oecum. in 5. c. ep. ad Hebr. Colligere etiam possumus ex veteribus, Melchisedec primùm, facta circa rem oblatam immutatione, sacrificasse, deinde in typum cœnæ Dominicæ immolatum panem & vinū populo Abrahæ impertiuisse: neq; ad supplendam necessitatem commeatus id fecisse, cùm eo Abrahā victor & spoliis onustus tunc abūdaret: quod obseruauit Theodoretus ad Psal. 109. & Clemens Alexand. lib. 4. stromatum docet Melchisedec aliquo ritu illū panem & vinum consecrauisse, vt esset verum sacrificium, licet eum ritum scriptura non commemoret: neque in comestione, sacrificatio illa posita fuisse videtur, sed aliis modis, mutationibus, vel fractionibus ante manducationem, res illæ immutari in sacrificium potuerūt. Theodoret. q. 63. in Genes. panes cum vino in masam farinæ redactos Abrahæ veluti in communionem, & Deo in sacrificium exhibitos fuisse scribit. similiter Epiphan. hæresi 79. apertè, inquit Melchisedec sacrificasse, & hæresi 55. Abrahæ & sociis dedisse panem & vinum, vt mysteriorum ænigmata designaret, sicuti Clemens libro allegato inquit, illum sanctificatum nutrimentum dedisse Melchisedec Abrahæ in typum Eucharistię. confirmatur etiam Melchisedec sacerdotium ex illa duplici benedictione, qua

Melchi-

Melchisedec,& Deo, & Abrahæ benedixit. non enim illa fuit vulgaris, aut ciuilis bene precandi, vel gratulandi formula, sed sacerdotalis vtraq;,& nostræ sacrificalis figura. dum enim benedixit Deo, debitos hymnos cecinit, inquit Ioseph. lib. 1. antiq. c. 10. omniū autē rationē reddere potest illa clausula [erat enim sacerdos Dei summi,] licet proximè referatur ad illud, [panem & vinum obtulit,] hoc est solemniter & more sacrificali protulit. Quod autem aduersarij negant Heb. reperiri particulam causalem [enim,] sed sic legi, [& erat sacerdos,] ineptum est, cum illud [&] passim apud Heb. vim habeat causalis, vt Psal. 59. & 127. da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis, pro [quia.] & Genes. 22. nunc cognoui, quia diligis Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo. qui vsus particulæ [&] in latinis etiam scriptoribus reperitur. Prætereà sacerdotem fuisse Dei summi, eximij alicuius sacerdotij munus significat circa filium Dei respectu æterni Patris, vt in illo Luc. 1. virtus altissimi, &, filius altissimi vocabitur: & de Ioanne, tu puer propheta altissimi vocaberis: vt illud quod gerebat in vmbra Melchisedec, postea ab ipso filio Dei obeūdum esset, erga ęternum patrem suum.

CAPVT XX.

¶ *De vsu & effectu nostri sacrificij.*



Actenus de nostri sacrificij ratione ac substantia, satis disputatum esse videtur: ordinis ratio postulat, vt de eius vsu, fructu, effectu, & fine breuius ideò dicamus, quòd aduersarios in hac re, vel non repugnantes habemus, aut si quid repugnent, ex præcedentibus facilè reprimi possunt. vsus autem in hac re ab effectu & fine non distinguitur, quòd sacrificiū in actione consistat, & eadem applicatur ad omnes effectus, & ad omnes institutionis fines & vsus: in aliis rebus consistentibus & non transeuntibus, vsus rebus constitutis posterior est, vt in hoc ipso mysterio, vsus vt sacramēti & effectus posterior est, in ipsa cōmunione cōsistens. Vsus igitur & effectus nostri sacrificij, vel respectu Dei, vel respectu nostri cōsideratur, & ad omnes vtriusq; generis effectus necessariò valere debet. Primò quidē, quia succedit omnibus veteribus sacrificiis, & ideò valere debet ad omnes effectus, ad quos illorū quodlibet valuit, & cumulatius, atq; perfectiùs ratione rei oblatæ. sic D. Aug. lib. 17. de ciuit. c. 20. & Leo serm. 8. de pass. carnaliū, inquit, sacrificiorū varietate cessante, omnes differentias hostiarū, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio. & Ecclesia in quadā oratione Liturgica, Deus qui legaliū hostiarum differētias, vnius sacrificij perfectione sanxisti. deniq; hoc est nostrū iuge sacrificiū, hoc est matutinū & vespertinū, hoc immaculatum, hoc libamē, hoc victima, hoc holocaustū, hoc pacificum, hoc Pascha, hoc pro peccato: & ideò instar & loco omnium. Secūdò, quia hoc sacrificiū applicat nobis secundū efficaciam, passionis Christi sufficientiam: sed hæc pro multis valuit: ergo similiter valet ad efficaciā nostrum sacrificium. sic etiam est in vsu Ecclesiæ, vt pro omnibus humanis necessitatibus applicetur. sed cū hæc generaliter ostendisse ad exactā doctrinam non satis sit, partitè & distinctè vsus nostri sacrificij proponendi sunt. Primus & proprius, est externus latrię cultus, interioris signū, quo agnoscimus & protestamur supremū Dei in nos dominiū, quasi quotidianū tributum & pensionē persoluentes pro natura & beneficiis ab eo acceptis. vt quoniā Christus datus est nobis, & per eum omnia alia beneficia collata sunt, neq; quicquam Deo reddere possumus, nisi ab illo acceptum, cum nihil habeamus, quod nō acceperimus, per hoc sacrificium Deo vicissim Christū reddentes & offerētes, plane fatemur eū Dñm nostrum esse, & omniū beneficiorū autorem & consummatorē. hac ratione in sacrificio est eximia gratiarū actio, & beneficiorū gratissima Deo recordatio, honoris & glorię Dei testificatio. sic de sacrificio Psal. 28. afferte Dño gloriā & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, tollite hostias, adorate Deum in aula sancta eius. Psalm. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam & nomen Domini

Prima sentētia ad plures vsus valet hoc sacrificium. 1.

Domin. 7. post Pentec.

2.

3.

Primus vsus nostri sacrificij.

inuocabo. Psalm. 49. sacrificium laudis honorificabit me. & Malachias c. 1. magnum fore nomẽ Domini ex sacrificio gentium prædixit. hunc primarium vsum sacrificiorum, & nostri sacrificij præstantissimum variè & eleganter tractat multis in locis D. August. Dæmones ideò affectantes diuinum honorem, sacrificia sibi fieri sæpè procurasse, & expetisse: sed nostrum sacrificium, cùm sit latriæ cultus, qui soli Deo debetur, nunquam homini, aut angelo oblatum esse, quantumuis eximiæ sanctitatis: & idcirco, neque illis erecta altaria, aut instituti sacerdotes, quæ ad sacrificium per se pertinent: licet in sacrificiis memoria illorum celebretur, vt sint nostri intercessores, ad fructum missæ nobis applicãdum. hinc effectum est, vt semper aduersariorum Ecclesiæ catholicæ eximium fuerit studium in auferendo sacrificio Ecclesiastico, vt in quo maximus Deo & gratissimus cultus exhibetur, quasi Deo visibile sacrificium non cõgrueret, qui à D. August. refelluntur, lib. 10. de ciuit. capit. 19. Lucianus blasphemat Christum meritò cruci damnatum, quòd nouam teletin in Palestinam inuexerit, & veterem cultum immutarit. Iulianus apostata vehementer laborauit, ne sacrificium nostrum quouis loco extaret, vt inquit Chrysost. in vita martyrum Iuuenci & Maximi. Antechristum etiam ad atheismum constituendum, quidam intelligunt Dan. 9. sublaturum esse omninò sacrificium nostrum: sed omninò sublatum iri non credimus, permanente Ecclesia, in qua erit Christus, vsque ad cõsummationem sæculi, licet publica administratio eius impedietur. Quem conatum obscurandi & abrogandi externum hoc sacrificium, iniquissimo animo ferunt prophetæ & ministri Dei. Elias 3. Reg. cap. 19. conqueritur suffossa altaria. Basilius ecclesias per Arrianos vacare cultu sacrificali, quem vocat, ex effectu & principali ratione, spiritualem luget. epist. 70. & 72. Gregorius Nazianz. oratione de laudibus Heronis, flebiliter narrat, quomodo pudendis & obscænis motibus, & membris, cantibusq;, inimici Domini suo tempore omnia Liturgica vasa, & ipsa altaria contaminauerint. & quod omnem impietatem superat, nostris calamitosis temporibus, vidimus ipsa sacra mysteria, in comœdias ad irrisionem conuersa. Alter vsus nostri sacrificij, est conuentus fidelium ad adorandum Dominum: cùm non tantùm conueniant ratione sacramenti, sed perse & primariò ratione sacrificij: vt olim veteres Iudæi ad stata quædam & solemnia sacrificia, etiam à ciuitate sancta remotiores, in eadem conueniebant. hinc videmus statim ab exordio Ecclesiæ Christianæ, destinata fuisse publica loca 1. Corinth. 11. ad sacrificium hoc celebrandum, vt in eisdem conuenire possent fideles. idem factitatum narrat Iustin. in fine apol. 2. cùm ait, die solis cœtus vrbanorum & rusticorum omnium Christianorum fieri ad preces, & sacra mysteria. & Cyril. lib. 11. in Ioan. cap. 58. eadem de causa fieri congregationes die octauo commemorat. quod adeò inualuit, vt propter paucitatem sacerdotum, numerus sacrificiorum numero conuentuum definiretur, vt noua mysteria toties fierent, quoties recens fidelium conuentus superuenisse conspiceretur: vt declarant solemnes illæ & Liturgicæ voces, quę populum præsentem nunc salutant, nunc benedicunt, nunc ad laudandum, nunc ad eleuandum corda, nunc ad comprecandum, nunc ad simul offerendum, nunc ad discedendum admonent. Quamuis autem in his conuentibus olim primi Christiani communicarent omnes, cum religio & vitæ puritas deuotioni essent coniunctæ: non tamen propter solam communionem conuentus fiebant, cùm labascente deuotione, permanserint conuentus ad sacrificia, Ecclesiæ etiam præceptione confirmati: præsertim cùm semper crediderint fideles, se in sacra communione immolatum prius Christum sumere, cuius immolationis ratione vberior etiam ad eos dignè præparatos gratia proueniret. quin etiã fuit in consuetudine fidelium, vt omnium rerum gerendarum exordium ab huius sacrificij celebratione sumeretur, vt in ipsa lege naturæ, humanorũ operum auspicia, in sacrificiis non in sacramẽtis posita fuere. inde videmus nullum ferè sacramentum sine hoc sacrificio perfici. hoc olim baptismus terminabatur, confirmatio perficiebatur, ordinabãtur sacerdotes & sacri omnes ministri, cõsecrantur monachi & virgines, & omne opus hierarchicũ consumatur, inquit D. Dyo. de eccl. hie. c. de synaxi. deniq; ad omnes publicas congregationes sacras, cum

Epist. 49. q. 3.

Studiũ iniquorum in obscurãdo & abrogãdo nostro sacrificio.

Lib. 8. de ciuit. c. vlt.

De his Claud. sanct. præfatione ad Liturgica Græca.

Secundus vsus.

Omnia fideliũ opera nostro sacrificio perficiũtur.

cũ aliquid ordimur, cùm nouum vitæ statum ingredimur, vel de eo cogitamus, cum magistratum inimus, cùm matrimonium contrahimus: ad itinera, ad pacta conuẽta, ad dedicationes, ad anniuersaria, ad natalitia & nostra, & aliorum, ad omnia læta & tristia, semper hoc sacrificium adhibendũ esse, ex antiquissimis Tertulliano & Origine variis locis colligere licet. Cuius sanè ratio est, quia hoc sacrificium est applicabile ad omne illud propter quod honoratur, inuocatur, & laudatur Deus, quasi omnium operum sanctificatiuum. sic Ecclesia tempore quadragesimæ precatur, ieiunia nostra, quæsumus Domine, hoc sacrificio sanctifica: & sæpè pro eleemosynis, quæ tempore offertorij olim Deo donabãtur, vt sacrificio prius sanctificatæ, pauperibus postea, aut ministris distribuerentur. Vnde certum est, preces nostras tam Liturgicas, quàm alias quascunq;, siue pro temporalibus, siue pro æternis, siue pro nobis, siue pro aliis, siue pro viuis, siue pro defunctis, per hoc sacrificium sanctificari, & exauditione dignas fieri: & hoc genus precum, quod sacrificio iungimus esse incomparabiliter præstantius quibuscunq; aliis priuatis, aut etiam publicis orationibus, si cætera paria sint: & ideò Chrysost. hom. 3. in ep. ad Philip. hoc sacrificio quiduis nos impetraturos pro defunctorum liberatione affirmat. quare Ecclesia hoc edocta ab Spiritu sancto, omne genus petitionis intra missæ fines complectitur. vt D. August. epist. 59. ad Paulinum obseruauit. in antiquissimis etiam Ecclesiis sacrum prædicationis munus inter ipsa missarum solemnia factum est, quòd fides & probitas, concionum sacrarum, fines, potius & sæpius ipso sacrificio, quàm sermone animis hominum ingenerentur: & verbum cõcionantis sacrificio sanctificatum, gratiam & efficaciam acquirat. Hinc est, quod pij Christiani maximopere contendunt, vt summo mane antequam quicquam operis aggreddiantur, sacramentum hoc & sacrificium, vel faciãt, vel procurent, vel adeant & deuotè audiãt, quòd in eo omnis cultus Dei vitæq; nostræ sanctificatio constituatur. quare plurimas causas ostendimus, ob quas conuẽtus fidelium fierent ad celebrandum hoc sacrificium: & non tantũ propter communionẽ, vt imperitè aduersarij clamitant, vt ingentes fructus huius sacrificij negent, & à vero Dei cultu & adoratione, populum auocent. Hactenus duos vsus huius sacrificij explicauimus, omnium sacrificiorum etiã in statu innocentiæ cõmunes: nunc alij explicandi sunt, qui sacrificio post lapsum hominis accesserunt.

Est igitur tertius vsus nostri sacrificij, passionis & beneficiorum Christi recordatio: quæ licet fuerit omnium sacrificiorum in natura & in lege communis, ideò tamẽ nostri sacrificij propria est eximio & stupẽdo quodãmodo, quòd in ea idem Christus cõtineatur, qui in cruce olim in propria & natiua specie immolatus est, quamuis sub aliena nunc verè immoletur. sed de tota hac ratione cõmemorationis suprà sufficiẽter dictũ est, cum ostendimus nihil detrahere de ratione sacrificij cõmemoratiuum esse. hæc dicta sint de fructu huius sacrificij, vt nos debitum Deo officium persoluamus: sed quia Deus hoc sacrificiũ sibi fieri præcepit, nõ quòd eo opus habeat, sed vt quicquid inde cõmodi & lucri est, iterum ad nos cumulatiùs & perfectiùs redeat, de huiusmodi bonis, quibus vicissim à Deo eodem sacrificio nos afficimur, deinceps dicẽdum est. ad quem locum pertinet, vt pro quibus rebus & personis sacrificãdum sit, & quid ex eo fructus fidelibus obueniat, explicemus.

CAPVT XXI.

¶ *Fructus & valor missæ.*

Sententia generalis de valore missæ.



Sit igitur hæc generalis sentẽtia, deinceps à nobis partitè & distinctè explicanda & confirmanda. Sacrificiũ missæ valet pro rebus omnibus, humanis, spiritualibus & corporalibus, pro peccatis, pœnis peccatorum: & ideò nõ solùm fidelium viuorum pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, & nostris, & aliorum, sed & pro defunctis in Christo, nondum plenè purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur, vt inquit Concilium Trident. sess. 22. c. 2. solis excommunicatis, & æternum

& æternum damnatis, exceptis. Ad explicatioñe sententiæ repetendũ est ex præcedétibus, vbi probauimus missam esse sacrificium propitiatoriũ, eius valorem & fructũ vel ex opere operato, vel operantis considerari: idq; tribus modis, propitiationis, satisfactionis, & impetrationis, quæ singula ibidẽ explicauimus: nũc autem eisdem explicatis suo loco vtemur. Primò igitur probandũ est, valere hoc sacrificium pro omnibus rebus humanis spiritualibus & corporalibus, sed diuerso modo, pro spiritualibus directò pertinentibus ad nostram salutem, vt pro gratia, deuotione, feruore charitatis, & aliis donis, valet ex opere operato & de cõdigno: pro aliis bonis corporalibus, de quibus & Deo cura minor est, & nostra solicitudo debet esse posterior, valet de cõgruo, & ex conditione cõformitatis nostrę ad diuinam voluntatẽ: & ideò neq; certò, neq; infallibiliter hoc sacrificio acquiruntur, sed ea à Deo nobis conceduntur, quæ ad nostram salutem conducere, & eo modo, quo ipse melius esse iudicauerit. Ratio, quæ generaliter huiusmodi valorem concludit, ex pręcedétibus sic deducitur: sacrificiũ crucis valuit sufficientissimè pro omnibus bonis spiritualibus & corporalibus, cũ datus sit ibi Christus pro nobis & propter nostrã salutem, vt in symbolo Niceno confitemur: & omnis noui test. scriptura prædicat: sed missa applicat secundũ efficaciam valorẽ sacrificij crucis generaliter: valet igitur missa pro omnibus eisdem bonis. Idem etiam confirmatur, quia nostrũ sacrificiũ, vt supra ostendimus, successit omnibus veteribus naturæ & legis, & vnum cumulatius præstat omnia, pro quibus vetera oblata sunt: sed vetera oblata sunt pro omnibus illis bonis: nostrũ igitur pro omnibus illis valere debet. pro itineris prosperitate, & negotiorũ successu, Iacob sacrificia obtulit, Genes. 28. pro parta victoria sacrificauit Melchisedec, Genes. 14. liberatus à periculo fecit sacrificiũ Noe Gen. 8. pro fœlici statu, & præseruatione filiorũ in gratia obtulit Iob c. 1. Salomon pro consecratione & dedicatione templi sacrificium offert. 3. reg. 8. lex varia sacrificia prę scribit, pro purgatione mulierũ, pro partu, pro indulgẽtia & remissione variorũ peccatorum & pœnarũ, pro mundatione à lepra & sanitate corporũ, variisq; immundiciarum purificationibus. Tertul. lib. de corona militis meminit oblationis pro natalitiis. Chrys. pro frugibus, pro vbertate ac plenitudine agrorũ aerisq; tẽperie hom. 21. in acta. Aug. de ciuit. Dei lib 22. c. 8. & D. Prosper. c. 6. prędictionum dimidij tẽporis pro hominibus, & domibus infestatis à malignis spiritibus. Ecclesia deniq; missas instituit contra hostes, bella, terrores, seditiones, schismata, hęreses, paganismum, persecutiones, tentationes, pro pace, pro sospitate ęgrorum, pro incolumitate omniũ, pro imperiis firmandis, pro sistenda peste, aut contagione, siue hominum, siue animaliũ, iuxta illud Psal. 115. pro omnibus, quę retribuisti, calicẽ salutaris accipiã, & nomẽ Dñi inuocabo: & ideò nõ minus Deo acceptũ est, quòd paupercula pro re minima procuret sacrificiũ, quã rex pro imperio: cùm nullũ sit beneficium tam minutũ, quod ex omnibus Dei creaturis accepimus, pro quo nõ teneamur Deũ latria colere, quod fit in missa. Deinde valere hoc sacrificiũ pro gratia & bonis spiritualibus ad nostram salutem pertinẽtibus, distinguendũ & explicãdum est: valet quidem pro his omnibus directò, ex opere operato, certò & infallibiliter, & ideò habet certũ effectum, cùm ad hoc primariò sit institutum, nisi contraria eius, cui applicatur dispositio, effectũ huiusmodi, vt plerumq; contingit, excludat. omnia enim instrumenta gratiæ Christi, etiamsi ex opere operato efficiant, exigunt tamen in suscipiente affectum, accommodatam præparationem, vt in doctrina generali de efficacia sacramentorum dictum est. gratia autẽ, quæ est effectus huius sacrificij, vel est prima & iustificans, vel est prẹexistentis augmentum: primam hoc sacrificio nobis procurari ostendemus, cùm pro peccatoribus offerendum esse, & eisdẽ valere ad remissionem peccatorum, & gratiam obtinendã ostẽderimus. Valere igitur hoc sacrificium ad augmentum gratię, & alia dona Spiritus sancti constat: quia huiusmodi effecta concedit Ecclesia catholica omnibus sacramẽtis, & omnibus humanis operibus charitate informatis: cur igitur nõ concedentur sacrificio, ad omnes passionis Christi effectus peculiariter accommodandos, per se instituto? præterea, Missa pro his debet valere, pro quibus impetrãdis orationes Liturgicę institutę sunt, alioquin inanes essẽt, & superuacaneę: cũ omne quod precibus voce exprimitur, id ipso sacrificij opere perficiatur.

Fructus & valor generalis, ex missa nobis proueniens.

Valet hoc sacrificium ad augmẽtum gratiæ, & dona spiritualia obtinenda.

Valet ad remissionem peccatorum venialium & mortalium.

Tertiò probandū est, hoc sacrificio remitti peccata, nō tantū venialia, sed etiā mortalia ex opere operato & de cōdigno: sed nō immediatè, sed mediatè pœnitētia, quę virtute illius cōceditur, & ex opere operato quia vt instrumēto, applicante virtutē passionis Christi, quā constat valuisse de condigno ad remissionē omnium peccatorū etiam grauissimorū. Generaliter ergo valere hoc
1 sacrificium pro remissione omniū peccatorū colligitur primò ex verbis Dñi instituētis hoc sacramentū, cùm ait, hoc est corpus meū, quod pro vobis traditur, hic est sanguis, qui pro vobis funditur in remissionē peccatorū. hęc enim clausula non tantū adhibetur ad exprimendā virtutem sacrificij crucis, sed eius sacrificij, quod in cœna tūc gerebatur, & quotidie per ministros Christi perficitur: cū in ea virtute verborum sacramentalium sit vera mors & verū sacrificiū, vt supra ostendimus, vera igitur applicatio in remissionē peccatorū. Confirma-
2. tur, quia ex D. Paul. Heb. 5. omnis pontifex & sacerdos constituitur in his, quæ sunt ad Deū, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: cōstat autē in nouo test. nō esse alios sacerdotes, quā offerentes hoc sacrificium.
3. Sunt etiā plurima Patrum testimonia, quæ hoc sacrificiū omnibus peccatis etiā mortalibus expiandis accōmodant. de peccatis mortalibus sunt hæc. D. Martialis epist. ad Burdegaleñ. cū inquit, hoc vnico remedio ex ara sanctificata fugari mortē, & vitam prestari. Orig. hom. 13. in Leuit. asserit hanc commemorationem mortis Dominicæ in hoc sacrificio facere Deū hominibus propitium. D. Cypr. de cœna Dñi apertè dicit esse expiationē peccatorum, medicamentum & holocaustū, ad infirmitates sanandas, & iniquitates purgandas. D. Greg. li. 4. dial. c. 58. hęc inquit, salutaris hostia singulariter ab æterno interitu animā saluat, quia mortē vnigeniti in nobis quotidie reparat, & pro absolutione nostra passionem eius semper imitatur. itaq; videtur significare hæc ratio, eū qui neget missam offerri pro peccatis mortalibus, quorum remissio animam ab æterno interitu liberat, cundem negare Christū mortuum esse pro peccatis. vnde venerabilis Beda lib. 4. histor. gentis suæ c. 22. asserit miraculis comprobatū esse, quòd hoc sacrificiū salutare valeat ad redemptionē animæ & corporis sempiternā. Alexand. I. ep. ad omnes orthodoxos asserit, crimina & peccata his sacrificiis deleri, talibusq; hostiis placari Deum, & crimina dimitti ingentia. & Iulius I. vt refertur de consecr. d. 2. c. omne, ait, omne crimen & peccatū sacrificiis Deo oblatis deleri. Consentit canon Ecclesiasticus ex tra- 4.
ditionibus Apostolorum, & quibusdā Pontificum constitutionibus proculdubio constans, additis nominibus sanctorum pro ratione tēporis, quo hinc emigrarunt ad Dominum. in eo enim dicimur offerre hostiā pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis. constat autem redemptionem animę esse à peccatis mortalibus. Ecclesia etiam præcipit nos offerre pro innumerabilibus peccatis & offensionibus, & negligentiis. De remissione peccatorū 5.
venialium per hoc sacrificium, sunt multa Patrum testimonia in commēt. ad 7. & 9. c. ep. ad Heb. quibus ostendunt huius sacrificij necessitatē, ex eo quod quotidie peccamus, & indigemus remedio sacrificali. D. etiā Aug. inquit lib. 20. de ciuit. c. 25. & 26. omnem sacerdotem, licet iustiorem cęteris, tamen offerre in hac vita in peccatis, pro peccatis: in Enchirid. c. 110. inquit, hāc hostiam pro non valde malis propitiationem esse. Ex quibus concludamus hanc rationem theologicam: hoc sacrificium Ecclesiæ secundum rectā fidem, vt suprà ostēdimus, est verè & propriè propitiatorium: valet igitur pro omnibus culpis & peccatis. Hac enim ratione propitiatorium & satisfactorium sacrificium distingūtur, quòd illud per se & sua dignitate propitium & placatum nobis reddit Deum, vt per pœnitentiam nobis ex sua misericordia concessam, peccata remittat, & ideò mediatè valet pro culpis & peccatis: quatenus vero satisfactio Christi applicatur hoc sacrificio ad exolutionem pœnarum, quarū ipsi debitores sumus, est idem sacrificium satisfactorium: & idcircò inconsideratè quosdā propitiatorium cum satisfactorio confundere supra admonuimus. Vt igitur oblatio crucis valuit in totum peccati dominium, eiusq; omnes effectus, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam sufficientissimè: sic necessario valere debet nostrum sacrificiū, siquidē ex Christi institutione applicat secundum efficaciā illius plenissimam sufficientiā. quę veritas tā erat olim Patribus recepta & perspicua, vt Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14. scripserit, omnes qui pro se cupiunt offerri

Propitiatorium & satisfact. est nostrum sacrificium, sed ratio vtriusq; diuersa est.

offerri sacrificium, id facere, vt à peccatis mundentur. & synodus Ephesina hoc sensu negat Christū pro se obtulisse, quia peccatum nō habebat, cui expiando sacrificiū accommodatur. Sed totam hanc causam accuratè difiniuit conc. Tridēt. sess. 22. c. 1. vbi de venialium remissione, inquit, sacrificio virtus passionis applicatur in remissionē peccatorum, quę quotidie à nobis committuntur. quomodo autem mediatè operetur in mortaliū remissione expressit c. 2. his verbis, hac oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentię concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Vnde constat virtute huius sacrificij eodem sensu tribui & procurari primā gratiam, sine qua nemini contingit horum peccatorū remissio. subiūgit conciliū can. 3. qui negat hoc sacrificium esse propitiatorium, aut pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri, anathema sit. vbi distinctè prius ponit peccata, deinde pœnas, vt pro vtrisque hanc hostiam applicandam esse intelligatur.

Hoc sacrificiū, qua ratione valet ad obtinendam primam gratiam.

CAPVT XXII.

¶ *An prosit infidelibus & excommunicatis.*

SEd quia sunt multa genera peccatorum, & quibusdam est annexa excommunicatio, quæ fideles à participatione sacrificiorum & suffragiorum Ecclesiæ excludit, est etiam peccatum infidelitatis, quod separat hominem à membris Ecclesiæ, cui datū est hoc sacrificiū, neçessariò videndum est, an his etiam prodesse possit hoc sacrificium. Certè Theologi scholastici omnes post Aug. lib. 1. de origine animæ, affirmant non esse offerendū, nisi pro membris Christi, capiti suo saltē fide coniunctis. eadē sententia videtur canone missæ cōfirmari, cùm ait, offerri pro omnibus orthodoxis, atq; catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. est etiā præceptum Ecclesię, ne quis in missę sacra memoria pro homine excōmunicato peculiariter precetur: quod etiāsi faceret, nihil illi prodesset: cùm sit Ecclesię sententia, à spirituāliū bonorum Ecclesiæ participatione separatus: sicut infideles omnes, qui influxus alimenti & vitę spiritualis, separati à capite Christo, capaces non existunt. Videtur etiam his sententiis consentire diuinissima Domini oratio habita in sermone sanctę cœnę Ioan. 17. vbi postquā rogauit pro Petro, tanquā capite nostro, & suo vicario, sicut nos modò pro pontifice, statim summo affectu pro suis discipulis precatur, vt seruet eos Pater, vt sanctificet eos, vt vnum faciat, vt à mundo & à malo liberet: sicut nunc in canone, vt Ecclesiam regere, sanctificare, adunare velit, per sacrificium propositum petimus: addit Dn̄s, non pro eis rogo tantū, sed pro iis, qui credituri sunt, per verbū eorum, in me. vnde videtur Dn̄s à sua oratione omnes infideles, & non prędestinatos excepisse. extat etiā decretū Leonis Magni ad Anatholium de nominibus Dioscori, & aliorū hęreticorum ad altare nō recitandis. hęc autem omnia videntur efficere, hoc sacrificiū omnibus applicari non posse.

Gabr. in can. lect. 24.

CAPVT XXIII.

Hominum varij gradus, quibus nostrum sacrificiū applicatur varia ratione.

HÆc dubitatio pertinet ad intelligendum, quibus personis fructus nostri sacrificij, de quibus dictum est, applicari possint: ad cuius proinde explicationem animaduertendū est, missam non prodesse omnibus eodem modo, nec æqualiter, nec eadem ratione. Possunt autem omnes homines quatuor gradibus ad hoc propositum distingui. Quidam sunt deuoti, & Deo grati Christiani, missam vel facientes, vel procurantes, vel adstantes, vel coadiutores: de quibus in canone Ecclesiæ peculiariter dicitur, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. his autem prodest virtus sacrificij ad omnia illa bona, de quibus diximus obtinenda: quia sunt

accommodatè dispositi & preparati ad illa excipienda, & condignè merentur, vt pro eis offeratur,& vt ex oblatione fructū percipiant: de his dicitur in Liturgiis Græcorum patrum, sancta sanctis. denique illi sunt digni hac oblatione & maximè idonei ad fructus illius percipiendos, qui sunt ad communionem mysteriorum conuenienter dispositi: licet mali Christiani propter participium sacrificij, non sic peccēt, sicut propter sacramenti perceptionem.

2. In altero gradu sunt fideles peccatores, qui licet idonei & planè digni non existāt, & ideò sacrificium immediatè & directò in eos non agat, eis tamen valdè prodest, quatenus mediante pœnitentia & aliis mediis conuersionis, ostendimus hoc sacrificium esse propitiatorium pro peccatis. Vnde pro his offerre, vt conuertantur charitate impellente, compellimur, & iubemur. & proinde admonendi sunt peccatores omnes, etiam cùm in affectu peccati existunt, vel qui ex infirmitate sepè in peccata mortalia relabuntur, vt procurent pro remissione & cōuersione sacrificia: & hortandi sunt pij sacerdotes, vt pro his offerant: quia sacrificium habet clamorem validissimum tanquam ipsius Christi, & plures conuertit, quàm ieiunium, oratio, eleemosyna, & quiduis aliud. Itaque, væ nobis sacerdotibus, si pro eo quod peccata populi comedere, & sacrificiis digerere deberemus, vt scriptum est Osee. 4. ad eorū iniquitates, etiam nos ipsi animas nostras, eadem perpetrando accomodemus.

3. In tertio gradu sunt etiam fideles peccatores, sed excommunicati, qui Ecclesiastica disciplina in penam peccati à spiritualibus bonis arcentur, & ideò per excommunicationem inhabiles & incapaces redduntur fructuum sacrificij. aliquando etiam idem fieri vetat Ecclesia pro aliquo peccato publico, & aliquando etiamsi remissum sit, quòd etiam obseruat in defunctis, quibus aliàs sacrificia prodessent, si per Ecclesiæ disciplinam pro eis offerre liceret, vt constat ex Cypriano lib. 1. epist. 9. vbi præcipit de sententia Cōcilij, vt ne quis pro dormitione Gemini & Fausti sacrificium offerat. simile est apud Gregor. lib. 4. dialog. c. 55. de quoddam monacho defuncto, qui cōtra regulam, aliquot nummos sibi proprios, prelato nescio, detinuerat. simile de duabus monialibus apud eundē lib. 2. c. 23. quæ propter sententiam excommuicationis non latam, sed comminatam, cū adhuc viuerent, cum pro defunctis oblationes fiebant, visæ sunt semper ad illam solemnem vocem, si quis non communicat, det locum, prodire de sepulchris & foras exire: eo miraculo ostendentes, se propter publicam loquacitatem, & comminatam excōmunicationem redditas fuisse ineptas ad sacrificia, licet in charitate & gratia decessisse videantur. Quo modo etiam multi excommunicati, antequam absoluantur verè contriti, & ideò ex se ad percipiendum fructum sacrificij apti, propter disciplinam tamen & præceptū Ecclesiæ, permissum nō est, vt pro talibus specialiter offeratur: quāuis generalis fructus sacrificij participes esse videantur, vt etiam catechumeni fideles antequam baptizentur: & ideò in missa Chrysostomi eorum memoria olim habebatur.

Excommunicatio, & præceptū Ecclesiæ arcet fideles etiamdefunctos à participatione sacrificij.

4. In quarto gradu viuentium sunt infideles, qui vel nunquam fuerunt Christo capiti coniuncti, vel ab illo seipsos præciderunt, vt apostatæ & hæretici: qui omnes prorsus directò & immediatè sunt inepti, & incapaces sacrificij: vt omnes peccatores peccato mortali implicati: & prætereà

1. per disciplinam Ecclesiasticam, vt excommunicati, à sacrificij participatione separātur:

2. cum præceptum Ecclesiasticum modum imposuerit intentionibus offerentiū, vt non liceat nominatim pro eis sacrificare:

3. præsertim cum neque ipsi cum sacerdotibus velint offerre, vt comparticipes esse possent, sed renitantur maximè: & hæretici magis quā pagani & Iudæi, ipsum sacrificium execrabili odio prosequantur. His igitur sacrificium directò & immediatè, vel ex speciali intentione offerentium prò desse nōn potest, tum quia sunt præcepto Ecclesiæ incapaces redditi, tum quia ipsi per contrariam dispositionem repugnant. Sed adhuc generaliter & in virtute Ecclesia pro illis offert mediatè, quatenus & olim & modò petit eos etiā, quos in quarto gradu collocauimus, conuerti & adunari in Ecclesia. Sic ait Chrysost. hom. 77. in Ioan. hoc sacrificio tanquam vniuersali causa procurari omne bonum generaliter omnibus hominibus in orbe terrarum. & in hom. de Adā & Eua, inquit, sacerdotes postulare, vt infidelibus donetur fides, vt ab idololatria & erroribus liberētur, vt Iudeis cordis velamen auferatur, vt hæretici resipiscant,

Infidelibus, schismaticis & excommunicatis, an aliqua ratione prosit hoc sacrificiū, primò ad ea, quæ ad salutē conducunt,

resipiscant, schismatici spiritum charitatis accipiat. Sic quidem olim Ecclesia pro infidelibus in missa precabatur nominatim, & peculiariter, nunc autem semel tantum in feria sexta passionis Dominicæ: semper autem indirectò & in virtute, vt cùm oramus in canone Ecclesiastico pro pacificanda & adunanda Ecclesia, cùm hoc fiat, conuersis ad eam infidelibus paganis, Iudæis, schismaticis, & hæreticis. similiter cùm oramus, vt calix salutaris in conspectu diuinæ maiestatis pro nostra & totius mundi salute, cum odore suauitatis ascendat. In Iacobi Liturgia oratur pro extirpāda hæresi: in missa Basilij & Chrysostomi, cum dicitur: Amplius Domine memento orbis terrarum, omnium miserere, malos fac bonos, errantes reuoca, dispersos congrega, coaduna. & postea, offerimus hanc rationabilem hostiam pro toto orbe terrarū. Hęc intentio Ecclesię confirmatur maximo argumento ex D. Paulo 1. Timot. 2. cum ait, obsecro igitur primùm omniū fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cùm enim hæc omnia D. August. epist. 59. de suffragiis sacrificalibus, & de ipsa oblatione exponat, necessario efficitur, posse offerri pro omnibus hominibus, cuiuscunque conditionis existant saltem mediatè & indirectò, nempè, vt illis Deus media conuersionis accommodet, vt tandem reipsa Christo inserantur, & fructum sacrificij ad se deriuent. Id autem D. August. epist. citata ex eo efficit, quia dedit se redemptionem pro omnibus: ne humanæ cogitationis infirmitas existimaret, non esse ista facienda pro iis, à quibus Ecclesia persecutionem patiebatur, cùm mēbra Christi ex talibus essent colligēda. vbi apertè significat, nō tantùm pro membris Christi, sed pro iis, ex quibus mēbra Christi fieri possint, sacrificandum esse: quòd in nostro sacrificio virtus passionis Christi hominibus, & pro eorū salute applicetur, ille autem sufficientissimè pro omnibus mortuus est. D. Prosper lib. 1. de vocatione gentium c. 4. hanc legem supplicationis

1\.

2\. *Locus Apostoli 1. Timot. 2. de sacrificio missæ inf. cap. 30. in principio.*

ita omnium sacerdotum, & fidelium deuotione teneri asserit, vt nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi nō celebrētur à populis Christianis, pro omnibus hominum cōditionibus. Chrysostomus etiam hom. 6. in 1. ep. ad Timot. dicit hoc pręceptū Apostoli seruari in obsequio quotidiano perpetuoq; religionis ritu, vt norunt, inquit, fideles. & inferius, pro gentili rege sacramentorum tempore oportet offerri. itaq; omnes hi Patres, quòd de oratione scripsit Paulus, id referūt ad sacrificium, vt stet illa firma sententia, pro quocunq; orare debeas, pro eodem & sacrificare tenearis. Vnde catholici scriptores recentiores vsum vtriusq; vocis, sicut adorationis promiscuū esse ex sancta scriptura valde probabiliter colligūt, vt Matth. 21. Domus mea domus orationis, & Ioā. 4. vos autem dicitis, quòd Hierosolymis est locus, vbi adorari oportet. vtrobiq; orare pro sacrificare dictum est: alioquin orare & adorare vbique licebat, sacrificare verò non nisi in templo, & ex eo officio templum tantum domus Dei, & domus orationis dicebatur: & Apostolus ad Hebr. 5. cùm ait sacerdotis esse offerre pro se, & pro populo existimatur ex pressisse locum illum Leuit. 16. sacerdos orabit pro se, & pro domo sua. quicquid sit de hoc vsu, certe oratio & oblatio, vsu & effectu sunt coniunctissima, vt nemo sit omnium, pro quo orare possis, quin pro eodem offerre queas. & quia Paulus ad Heb. sæpè admonet sacerdotibus offerendum esse, tam pro se, quàm pro aliis, docemur, vsum sacrificij latius patere, quàm sacramentorum: cùm hæc, vt sacramenta sumētibus tantùm prosint, illud autem omnibus pro quibus offertur, & vt ostensum est, pro omnibus hominibus generaliter offertur.

Orare & sacrificare pro eodē sæpè vsurpantur.

Explicauimus qua ratione etiam infidelibus prosit nostrum sacrificium mediatè & indirectò, ad consequendum ea, quę ad salutem pertinent, vnde videmus sacrificij potētissimo suffragio, plurimos ex infidelitate ad fidem catholicam conuersos: nūc ostendendum est illis etiam valere hoc sacrificium ad bona temporalia obtinenda: quia vetera sacrificia pro eisdem obtinēdis efficacia fuisse legimus. constat autem, nostrum sacrificium, vt supra ostendimus, illis omnibus successisse, & illis multo esse potentius ad omnia bona obtinēda, & pro

Infidelibus hoc sacrificium secundò prodest ad obtinenda bona temporalia.

omnibus rebus & necessitatibus humanis offerendum esse, ex decreto Tridentino & praxi Ecclesiæ ostensum est. Sic Onias sacerdos lib. 2. Machab. cap. 3. pro salute Heliodori gentilis & sacrilegi hostiam salutarem obtulit, vitamque ipsi impetrauit. erãt quoque Spartiatæ gentiles & infideles, licet de genere Abrahæ oriundi, eorum tamen lib. 1. Machab. c. 12. Ionathas & Onias sacerdotes affirmant se singulis diebus memoriam facere in sacrificiis & obsecrationibus sanctis in templo Domini. Sic etiam nos pro eisdem generaliter offerre possumus, & in Missæ generali oblatione non excludi infideles, quamuis specialiter nominari non possint ex præcepto Ecclesiæ, nisi feria sexta Dominicæ Passionis, superius ostensum est.

CAPVT XXIIII.

¶ *Missa qua ratione defunctis, beatis, damnatis & præscitis prosit.*

Defunctis prodest hoc sacrificium ad satisfactionem.



DE sentẽtia illa generali, qua suprà valorem Missæ comprehendimus; hoc est pro quibus rebus offerri possit, reliquæ sunt duæ partes ad confirmandum, vna de valore pro defunctis nondum plenè purgatis, alterà de non offerenda Missa pro damnatis. prioris partis definitæ in Concil. Trident. sess. 22. c. 2.
1 Prima confirmatio sit, quia crucis oblatio valuit pro eisdem defunctis, qui purgãtur, & virtute illius satisfaciunt, cum illis tantũ debeat valere ad satisfactionem, qua tantum indigent, vt vitam æternam consequãtur: nostrum autem sacrificium applicat secundum efficaciam crucis sufficientiam.
2 Secunda sit, quia succedit sacrificiis omnibus Iudaicis, quorum vnum genus erat pro peccatis mortuorum, vt constat lib. 2. Machab. cap. 12. consentiente, D. Augustino lib. 1. de origine animæ, cap. 11. & lib. de cura pro mortuis agenda sæpè docet, præser-
3 tim, cap. 1. & vltimo, non posse ociosum esse, quod omnes fideles appetant memoriã sui fieri post mortem, & ipsum etiam corpus deponi apud altare Dei: quodque Ecclesia generalissima consuetudine dederit locum in sacrificio defunctis. Chrysost. declarat hoc esse profectum ab Apostolis, homil. 69. ad populum Antioch. & Damasc. ex Gregor. Nyssæ. sermone pro defunctis.
4 Nec vnquã extitit aliquis ritus liturgicus, aut Apostolorum, aut Patrum, siue Syrorum, siue Græcorum, siue Latinorum, in quo non sit expressa commendatio defunctorũ, in ipsis mediis sacrificiis. ex antiquioribus, Tertul. lib. de coron. militis, oblationes, inquit, pro defunctis annua die facimus. Cyprianus lib. 1. epist. 9. in pœnã peccati iubet, ne pro dormitione Gemini & Faustini offeratur sacrificium. Athanas. q. 34. variarum qq. pro defunctis incruentam immolationem fieri demonstrat. Nyssenus offert sacrificium pro sorore Macrina in episto. ad Olympium. Ambrosius pro fratre Satyro defuncto, testatur se fraternum munus, sacerdotale sacrificium obtulisse. idem epist. 8. admonet Faustinum, vt sororem suam non lachrymis, sed oblationibus frequentet. moriens etiam mater D. Augustini petit sui memoriam frequentem haberi apud altare, cum pretium nostrum dispẽsatur, & pro eius voto factũ est lib. 9. cõfess. cap. 11. 12. & 13. doctissimo sanctissimoque filio per Christum solenni etiam scripto petente ab omnibus legentibus & præsertim confratribus suis sacerdotibus, vt velint ad altare Dei meminisse vtriusq; parentis sui, Patricij, & Monicæ. pro ipso etiam Augustino oblatum est sacrificium in die depositionis suæ, vt refert Possidonius in vita illius, qui & ipse præsens fuit. Denique (quia omnia persequi longum esset) clamat sacerdos quotidie, inquit Chrysost. homil. 41. in 1. ad Cor. inter horrenda mysteria, pro omnibus in Christo dormiẽtibus: & canon Latinus in secreto memoriali posteriori præcipit nos nominatim offerre pro his, qui decesserũt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, & pro omnibus in Christo quiescentibus. ex quibus efficitur sacrificium nostrum applicandũ esse defunctis: & contrariam sententiam iã olim damnatam in Aerio hæretico apud Epiph. lib. 3. hæresi. 75. esse traditioni Eccle- 5
siasticæ & scripturis aduersam. Quin etiam ipsa charitatis communio, qua cum existentibus in purgatorio defunctis colligamur,

nos impellit & inuitat ad illis subueniendū nostris suffragiis, vt eripiātur à pœnis, quas patiuntur. hæc enim omnia illis prodesse per modum suffragij constat: quia non ex debito iustitiæ, sed ex beneplacito diuinæ misericordiæ, licet ex opere operato, & nō operantis sacerdotis, cum sit applicatio sacrificij crucis, cuius virtus est ex opere operato, sed de his suffragiis latius in doctrina de pœnitentia dicendum erit. Sed si hoc sacrificium offerri potest pro omnibus vinculo charitatis connexis, videbitur etiam beatis, in quibus est perfecta charitas, prodesse posse: cùm tamen constet existentibus in termino viæ, nihil amplius accresce re posse, cùm plenam & cumulatam retributionem acceperint. Sed respondeo, gloriæ essentiali accessionē illis fieri non posse, accidentariæ tamen maximam hoc sacrificio fieri, quia inenarrabilem lætitiā & maiorem, quàm ex aliis humanis bonis aut officiis accipiunt: cum ipsi vnà cum corporibus suis saltem sub spe resurrectionis, cū Christo capite per oblationem sacrificij, Deo sistuntur. Sicut etiam maximus est beatorum honor, quod præsente Dño in actione huius sacrificij nominētur. Sic Cypria. lib. 4. epist. 5. dicit, nos offerre sacrificium pro sanctis martyribus, quoties eorū dies anniuersaria commemoratione celebramus. Tertul. lib. de coron. milit.

Beatis qua ratione prosit.

Damnatis non prodest.

Restat vltima p. sententiæ illius generalis, quæ pro damnatis asseruit, hoc sacrificium offerendum non esse. intelligitur autē damnatis æterna morte, nec ad liberationem, nec ad refrigerium, nec ad vllum tēporis, aut miseriarum leuamen, (in quibus alternationem quandam & vicissitudinem quidam ex Origine impie finxerunt) quicquam, aut sacrificium, aut quoduis aliud officium, ordinaria lege valere posse: quia nec ipsa passio Dominica, iam damnatis ad æterna & decreta à Deo supplicia prodesse potest: nostrum autem sacrificium applicat virtutem passionis, vt sæpè admonuimus. Sunt quidem damnatis destinatæ pœnæ mitiores, quàm ratio peccatorum iustè exigat, cum Deus puniat citra condignum: sed, quæ destinatæ & inflictæ sunt, nullo nostro officio mitigari possunt. Vnde hos miseros vt omni prorsus solatio destitutos, in inferno existens Dominus, spoliaturus inferos, prætermisit, vt docet D. Aug. Epist. 99. idem etiam lib. 1. de orig. animæ, c. 9. ad Renatū, male illū affirmasse scribit, sacrificia sacerdotū offerenda esse pro defunctis paruulis non baptizatis: cū nemo, inquit, offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui mēbra sunt Christi. & 11. c. docet, Pelagianos male allegare factū Iudæ Machabæi procurantis oblationem pro defunctis peccatoribus, ad conuincendū, paruulos sine baptismo decedentes esse sacrificiorū participes, & oblationibus sacerdotū saluari posse: cū tamen ostendi non possit, Iudā pro illis peccatoribus defunctis procurasse sacrificia, qui ante obitū non erāt circuncisi: nam si qui, inquit, circuncisi non fuerant, his sacrificia non profuerunt. Quod verò idem Aug. asserit in Enchir. c. 109. quibusdā defunctis sacrificia prodesse, vt illorum tolerabilior fiat damnatio, vt aliis sentētiis propositis consentiat, sic est accipiendum, vt dānationem vocet, cōdemnationem ad pœnam purgatorij temporalem, quemadmodum latinè dicimus damnari aliquem ad carcerem, & ad metalla: licet plerumq; damnationem ad æternam mortem intelligamus. Vnde eodem loco inquit, Ecclesiam offerre pro defunctis omnibus baptizatis: pro catechumenis non offert, inquit Chrys. hom. 3. ad Philip.

Vvalden. vult ex sentētia D. Aug. prodesse sacrificiū, æternum damnatis

Præscitis autē sic prodest hoc sacrificiū, sicut oblatio crucis, nō quidē ad vitam æternam, sed ad bona temporalia, & plurima spiritualia, quibus si vellent, salui esse possent, & sæpè peccata minuit, vnde minus damnentur. Dominus enim absoluta volūtate, nec precibus, nec morte, nec Missa, nec vllo alio suffragio vitam æternam dānatis petiit, cum omnis eius absoluta actio fuerit diuinæ voluntati conformis: & ideo nec orauit, nec sacrificauit pro omnibus crucifigentibus, nec pro omnibus credentibus, sed pro prędestinatis tantum, si efficaciam salutis, tanquam finem principalē suarum operationum consideres: licet voluntate signi, per quam sufficientia media ad salutem omnibus tribuit, & rēdemptionis merito sufficientissimo omnes sine exceptione seruari possint. Nos autem, qui propositum beneplaciti aut iusti iudicij nō discernimus, sicut Christus Dominus, externum eius præceptum sequi tenemur, vt indifferenter pro præscitis etiam oremus & sacrificemus.

Præscitis prodest.

3. p. q. 10.

C A P.

CAPVT XXV.

¶ *Fructus & valor Missæ finitus an infinitus.*



Sententia generalis de fructu & valore Misse, hactenus explicata & confirmata est, & qui etiam eundem fructum cõsequi possint, dictum est: qualis autem & quantus fructus, & quomodo singulis applicari debeat, deinceps explicandum & confirmandum est. de quibus, quãuis nihil sit expresse definitum à Patribus, inhærentes tamen sanctę scripturę, diuinis traditionibus, & illorum vestigiis, quid sit eisdem consentaneum, constituemus. Hæc igitur de hac re prima sententia statuatur: fructus & valor Missæ, qui omnibus quibus valet, accõmodatur, finitus est, licet infinitis ex æquo prodesse possit: diuiditur autem rectè in generalem, specialissimum, specialem siue medium. Prima huius sententiæ pars, quæ omnibus Theologis probatur. 4. dist. 45. vno aut altero excepto, colligitur ex discrimine valoris sacrificij crucis, & Missæ. illæ enim, vt causæ vniuersalis fuit infinitus secundum sufficientiam: hic vt causæ particularis & instrumenti applicantis secundum efficientiam, finitus est ad applicandum fructum determinatum: cum omnia instrumenta habeant præscriptum & definitum quendam effectum. Sed vtriusque sacrificij fructus, est ex opere operato, nempè vt oblationis Christi per sacerdotem ministrum seclusa illius deuotione: ex qua aliquid etiã fructus accrescere potest, qui dicitur ex opere operantis, vt de ministris & sacramentorum efficacia generaliter ostendimus: vbi etiam constitit, malitia ministri secundum rectam fidem, non impediri efficaciam instrumenti, quã habet per se, vt Christi passionis instrumentum, & ideò ex opere operato. Quod autem quidam asserunt, valorem Missæ infinitum esse, secundum se, sed quod applicatur alicui finitum esse, eodem recidit, quamuis diuersa sententia sit. Ratio primi est, quia vtriq; id quod singulis applicatur, finitum esse asserimus. Ratio secundi, quia illi ex se infinitum asserunt, extrinsecus tamen definiri, nempe à deuotione & præparatione eius cui applicatur, vt pro modo suæ dispositionis, qui semper finitus est, vnusquisque finitũ fructum accipiat, vt finitam satisfactionem: sicut infinitus est effectus Christi crucifixi ad salutem nostram secundũ sufficientiã, vt constat de satisfactione & merito, non tamen secundũ efficientiam: ita sacrificiũ Missę, dicit hęc sententia, ex sui ipsius natura est infinitæ sufficientiæ & indeterminatæ efficacię: & ideo vt efficacia passionis Christi singulis sacramentis determinatur, & eorũ est determinatus effectus: ita huius sacrificij efficacia, finita deuotione eius, pro quo offertur, definitur & determinatur. Sed nostra sententia affirmat non esse finitã efficaciã ex deuotione huiusmodi tantũ, sed primo & per se ex ipso valore sacrificij, qui non debet ponderari ex re oblata, quę Christus est, sed ex intẽtione Christi instituẽtis. voluit enim hoc sacrificio applicari vt instrumẽto quoddã, virtute suę passionis, ratio verò instrumẽti finita est respectu causæ vniuersalis, cuius instrumentũ est: & idcircò negari non potest finitũ esse effectum perse nostri sacrificij, & non extrinsecus definiri deuotione eius, cui applicatur, quãuis ea requiratur, vt dispositio ad excipiendũ illum effectum. Deinde, Christ⁹ existit in hoc sacrificio mysticè & sacramẽtaliter & similiter offertur: & non in specie propria, nec iis conditionibus, quibus offerebatur in cruce, alioquin nõ satis esset vna illa hostia ad nostrã redẽptionem sufficienter efficiendam, vt supra ostẽdimus ex D. Pau. ep. ad Heb. Sed omnis gratia sacramentalis definita est à Christo: ergo sicut ex cõmunione nõ datur omnis gratia, ad quã est sufficiens passio Christi, neq; ex baptismo totus effectus, qui ex passione deriuari posset, sed certus & definitus pro voluntate instituentis, ita sacrificiũ habet ex se certum & circunscriptum effectũ: aliàs enim superaret ipsum sacrificiũ crucis, quod licet ex se infiniti valoris sit, non tamẽ omnem valorem applicauit; quod si hoc nostrum infinitũ esset, cùm factũ sit ad applicandũ, infinitum quoq; applicaret, posita sufficienti præparatione, vt sæpè constat adhiberi: quo vno semel facto, omnia alia superflua essent, quibus virtus passionis Christi applicatur. 2

Altera p. sententię propositæ asserit, hũc defini-

Missæ fructus & valor, singulis accommodatus finitus est.

1 *C. in opus.*

Gab. in Canon. lect. 27. & 57. conclus. 4. Scot. quodlib. 20. Sot. 4. d. 13. q. 2.

Certus effectus sacrif. & integer à multis recipitur.

Hæc p. intelligitur de valore Missæ generali, vt in 3. par. huius sententiæ constabit.

definitū nostri sacrificij effectum integrū, ex æquo multis eodem sacrificio applicari & valere posse: vt definitus gradus gratiæ, & satisfactionis, quem nostrū sacrificium his, pro quibus offertur, dispensat & decidit de passione Christi, posita in multis sufficiēti dispositione, ab omnibus æqualiter participetur: & hanc habeant infinitatis rationem, quòd non sit definitus numerus eorum, quibus certus ille & determinatus ef-
1 fectus applicari possit. Ratio sic concludi potest: ex institutione Christi hoc sacrificiū pro multis offertur, iuxta illud dictū in cœna à Dño, qui pro vobis & pro multis effunditur: & effectum omnē recipit subiectū accommodatè præparatum: ergo omnes, pro quibus offertur, cōueniēter dispositi, integrū illius effectum recipient: cum nullum sit impedimentū nec ex parte efficientis, nec ex parte patientis & recipientis subiecti, & actus omnis recipiatur in subiecto præparato. Preterea, si sacrificiū no-
strū pro omnibus circunstātibus offertur, 2
quorū nota est fides & deuotio, vt in Canone dicitur, si certus ille effectus pro omnibus esset distribuendus, planè efficeretur, nō expedire multos simul eidem Missæ interesse, quia minor esset cuiusque ex Missa fructus: cum finitum, distributum pluribus, in minores partes necessariò distribuatur. hoc autem nulla ratione affirmari potest: quia ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, tunc tantum licebat sacrificare, cùm multorū conuētus in Ecclesia fieret.

CAPVT XXVI.

¶ *Fructus Missæ distinctio.*



Reliqua est tertia pars eiusdē sententiæ, de diuisione valoris & fructus Missæ, in generalem, specialem siue specialissimū. generalis est, qui toti Ecclesiæ & illustrioribus personis in ea constitutis applicatur: specialis est, qui ex intentione sacerdotis, certis quibusdam accommodatur: specialissimus est sacerdotis proprius, vt sacramenti quidē, refectio spiritualis & vita, iuxta verbum Dñi, qui manducat me, ipse viuet propter me, pōderanda est, illa vox [ipse enim] vt sacrificij autē, quatenus pro seipso offert, ad fructus illius sibi applicandos. ceteris autem vt sacrificiū prodesse potest, quia cū sit oblatio ad nostrā salutem instituta, pro multis potest offerri: sed vt sacramentum, sumentibus tantum prodesse potest, vt cetera sacramēta, aliis non potest, nisi ipsa sumptio, vt bonū quoddā opus, ad suffragium alicuius ex intentione opperātis accōmodetur. Hęc distinctio recepta ab omnibus Theologis, ex scriptura & traditione Ecclesiæ orta est. nā D. Pau. 1. Timo. 2. loquēs de sacrificalibus orationibus, vt supra ex Patribus exposuimus, ita præscribit vt fiant, cum pro omnibus, tum particulariter pro certis. & ad Hebr. 13. præter communes orationes pro Ecclesia, iubet particulariter præpositorū meminisse. Ephes. 6. orate inquit, pro omnibus sanctis, & pro me. Act. 13. tota Ecclesia applicauit orationem specialiter pro Petro in vinculis detento. id autem est cōsentaneum charitati, quæ à communibus orationibus neminem excludens, ex iustis causis, aliquam orationem alicui accōmodat, vt ex charitate tenemur alicui, magis quam aliis benefacere. Vt autē charitatis connexio efficit in Ecclesia sanctorum communionē, sic efficit ratam & firmam hanc orationis & sacrificij distributionem: cum charitati sit congruens & consentanea. sacrificium verò pro omnibus his posse offerri, pro quibus oratio, superius ostensum est. Ex contraria denique sententia, grauissimi in religione errores extiterunt. ex ea enim efficeretur, ne specialis oratio vel sacrificiū vni applicata, plus prosit eidē quam aliis, vel quam generalis. Deinde, ne quis pro seipso specialiter, vel pro altero aut sacrificium aut eleemosynam, aut ieiunium faciat, aut fieri procuret. tolleret etiam piū fidelium studium se nominatim constituēdi in memoriali Missæ, euerteret Paulinā illam regulam de habēdo in memoria prępositos nostros & reges in sacrificalibus orationibus: omnemque disciplinam religiosarum societatum, vbi semper antiquissimo more maiorū, fit applicatio officiorum omnis generis ad certas personas. Vnde Ecclesia hoc damnauit in Vuicleffo cō-

Ea omnes vtūtur, sed exprimitur ab Scot. quodlib. 20.

Plus prodest specialis pro aliquo oratio vel sacrificium quā generalis pro omnibus.

clusione

clusione. 19. in synodo Cantuariē. vt constat ex Vvaldensi de sacramentalibus, cap. 105. est ergo nostra sententia dogma fidei, post prædictam hæretici damnationem, petulanter reprehendentis religiosos, quasi contra charitatē pro lucro suo augendo, generales preces applicarent certis quibusdā hominibus. semper autem fuit erronea in fide contraria sententia: quia citra vllam charitatis offensionem, sacrificia & orationes tam in veteri, quam in nouo testamento, separatim certis quibusdam personarū necessitatibus applicata fuerunt: quod omnino inutile esset, si nihil magis vni, aut certis applicata prodesset quā omnibus. Idem etiā confirmat praxis & vsus Ecclesię, ex diuina & Apostolica traditione proculdubio dimanans, cùm sit in omnibus liturgiis Gręcorum & Latinorum Patrum expressus. offert enim in omnibus sacerdos primū generaliter, pro omnibus fidelibus, & pro eorum capitibus, summo Pōtifice, antistite, rege aut Imp. deinde pro quibusdā, quorum memoriā facit: specialiter, deniq; pro seipso. ne quis autem existimet communē applicationem particulari, aut contrà, incommodare, obseruandū est, Ecclesiam in omnibus religionis officiis, & in sacrificio vnà cum ministro & per ipsum offerre, & proinde in eo dispensando pro iure suo, valoris partem sibi & toti fidelium societati applicandam vendicare, atque præcipuis eius membris. Sacerdos verò, cum sit minister, nō potest pro libito suo in priuatos quosq; conferre, sed primum ex præcepto Ecclesiæ in communes causas, & illustriores personas, ex quibus salus totius reip. pendet. Sed hac parte excepta, reliqua illi pro iure sui ministerij committitur, vt eā certis personis accōmodet: sicut in orationibus partim inseruimus intentioni Ecclesiæ, quæ nos ministros constituit, precantes pro omnibus fidelibus, vel generalibus totius reip. necessitatibus: partim pro iure nostro satisfacimus nostræ intentioni, per quam huius aut illius recordamur, quatenus sumus dispensatores & ministri mysteriorum Dei. Huic autem duplici intentioni Ecclesiæ, destinatur alia atque alia portio valoris distribuendi, & ideo valor vnius ordinis non minuitur, ex eo quod pro pluribus offeratur quod est alterius ordinis: sed prior ille generalis est & communis omnium fidelium, etiam specialiter nominatorum circunstantium, & in tanto religionis munere ad promouendam charitatem per se instituto, existimamus ex huiusmodi valoris & fructus generalis, singulis accommodate præparatis totam illam portionem prouenire, neque minus vni quam alteri, neque particulam aliquam illius portionis, sed integram portionem: quia vt suprà ostendimus, efficeretur ex contraria sententia, quæ, quo plures sunt, eò minores singulis particulas accommodat, vt conuentus Christianorum ad audiendum sacrum non valeret ad charitatis incrementum, sed potius detraheret vnicuique aliquam partem fructus sacrificij, quæ ipsi si pauciores essent, accommodaretur: quia finitum, quo pluribus distribuitur, in minores partes diuiditur, quæ singulis applicantur. De sacerdote verò, portionem valoris suæ dispensationi commissam, certis personis applicante, diuersa ratio est, nempè quod integra illa portio non accommodetur omnibus etiam benè præparatis, sed particula quædam: & ideo quo pluribus accommodat, eò minus singulis prouenire potest, quia finitam portionem dispensat, & ideo si pluribus, minorem partem singulis accōmodat: & ex generali portione accommodatur cuique, quicquid sufficiens præparatio exigit. Vnde iniuste feceris, si quod vni, vel alteri, vt parentibus, vel parochianis vel benefactoribus debes, illud accommodes peculariter aliis. id verò parochiani aut benefactores iure suo exigunt à sacerdotibus, illorum in aliquo sacrificio ministris, vt specialem illam valoris Missæ portionem suæ dispensationi commissam, sibi accommodent, non aliis. Itaque, licet vtraq; portio valoris, tā quæ generaliter omnibus, quàm, quę specialiter singulis applicatur, finita sit, vt supra ostendimus, & ea ratione minor pars necessariò singulis contingat, si pluribus dispensetur: illam tamen generalem integram præparatis accedere, specialem verò non integram sed per partes distributam certis personis accommodari, ratione diuersa generalitatis & specialitatis asserimus: quia generalis oblatio fit pro omnibus indistincte, & quia generalis est per charitatem, omnibus integra prouenire potest, specialis, quia vel ex voluntate, liberalitatis aut iustitiæ ratione, certis personis accommodatur, per partes distribuenda videtur. his adiungen-

iungendæ sunt rationes superius conclusę ad confirmationem secundę partis nostræ sententiæ. Hîc à sequentibus Caietani sententiam obiici potest, nihil iniuste fieri, quia singulis tota illa valoris portio, si pręparentur, contingit, vel ea quæ suæ dispositioni debetur: & ideo nihil referre pro pluribus aut paucioribus offerri: sed ex præcedentibus deduci potest responsio.

CAPVT XXVII.

¶ Consectaria ex præcededenti proximo capite.

Hont. de valore Missæ, art. 13.



X his, vt ad specialia, quorum consideratio plurimū valet in doctrina morali, descendamus, quædā efficiuntur cōsectaria. Primum sit, Parochi non possunt neque debent pro pluribus, quàm sibi subiectis Missam specialiter offerre: quod si obtulerint, irrita erit illorum oblatio iis diebus quibus tenentur pro illis celebrare, vt Dominicis & festis. Accipiunt enim à parochianis temporalia, vt pro ipsis offerant, & ministrent spiritualia: & ideo contra iustitiam commutatiuam esset, illis non applicare quam possunt specialem sacrificij virtutem. Prætereà, sacerdos offert in persona Christi & Ecclesiæ: ergo non potest offerre nisi pro his, pro quibus offerendum esse præcepit: & si offerat, irrita erit illius oblatio. Idem dicendum est de his, qui prouiderunt ministris Ecclesiæ, collegiis, monasteriis de reditibus necessariis ad vitæ commoditates, cū pacto persoluendi quædam spiritualia pro illis, & offerendi aliquot Missas. vnde æquum non esset, vt peruersa sacerdotis oblatio, & contra illius præcepta, quicquam posset detrahere de virtute oblationis, quibus ex institutione Ecclesiæ debetur. vnde rectè quidam Theologus inquit de his, si contrariū fiat, fortè nec ei cui applicatur valet, & applicanti nocet, quia peccat, & quia est contra institiam, videtur esse peccatum mortale, nisi aliqua ratione probabili excusari possit. Receptum est orationes plures adiicere Missæ, pro aliis specialiter commendatis, neque vmquam ab vllo Episcopo reprehensum etiā in Missis, quæ pro aliquo speciali obligatione offeruntur. Non tamen excluduntur ab speciali oblatione parentes & ij, quibus iuræ naturæ tenemur subsidia spiritualia conferre, quia ius Ecclesiasticum, non tollit, sed potius conseruat iura naturalia. Alterum consectarium sit, sacerdos qui ex aliquo pacto, promissione aut eleemosyna sibi collata, tenetur pro vno aut pluribus Missam offerre, non potest pluribus eadem Missa satisfacere: quia vt supra ostendimus, quisque petit sibi specialem illam oblationem integram, quæ intentioni sacerdotis subiecta est: neque tantum prouenit singulis, si offeratur pro pluribus, quantum prouenit si pro paucis aut vno tantum, vt explicatum est: nisi fortè, vt quibusdā videtur, mercede oblata pro oblatione vnius Missæ, sacerdos necessaria ad transigendam vitam comparare nō possit: tunc enim singulis Missis pluribus potest satisfacere, vt habeat vnde ad sobrietatem viuere possit: quia non vendit pretium sanguinis Christi, sed operas suas & ministerium locat. Omnes autem in eo consentire debent, sacerdotē siue pro vno, siue pro multis celebret, necessaria ad vitā iure suo expetere posse pro altaris ministerio, cui seruit: & iniurius est, qui à sacerdote sacrificium petit, cui necessaria non suppeditat. Ego verò neque ratione huius indigentiæ, licere puto sacerdoti pro pluribus quibus singulas debet Missas, vna & eadem satisfacere: tum quia vt supra ostēdi, hoc est contra iustitiam: tum etiam quia Ecclesia ministris sibi necessaria abundanter suppeditat, & in veteribus decretis sancitum est, vt sacerdotes pauperes artificiolo sibi victum quærant, non autem eadem Missa pluribus satisfaciendo: & prę tereà, cautum est ne ordinētur sacerdotes, nisi habeant vnde viuere decenter possint, alioquin teneantur Episcopi eis necessaria prouidere. Definita est etiam oblatio sacerdoti pro singulis Missis offerenda, quasi hæc satis sit, vt sobriè viuere possit. Tertiū consectarium ex præcedentibus sit, varij sunt gradus & ordines eorum, quibus Missæ fru-

Scot. quodlib. 20, ar. 2.

Cano lib. 12. de locis c. 13, ad 10.

Ordines diuerſi eorũ, quibus Miſſæ fructus applicatur ex opere operato proueniens.

1 ſæ fructus explicatur. quidam ſunt pro quibus offertur, cum ipſi offerentes non ſint, vt exiſtentes in purgatorio, pueri, & adulti etiam viui neſciẽtes pro ſe offerri, pro quibus generali vel ſpeciali intentione ſacerdotis ſacrificiũ offertur. Alij ſunt pro quibus offertur, & ipſi offerentes ſunt, vt ipſe 2 ſacerdos offerens, deinde qui ſacrificanti miniſtrant, Diaconus, Subdiaconus, cæterique vel ex deuotione, vel ex officio, choro ac altari inſeruientes, vel miniſtrum ſuis bonis temporalibus ad hoc officium ſuſtentantes, aut illum peculiariter pro ſe ſacrificare curãtes: parochiani etiam, quibus ex officio paſtorali inſeruire tenetur, & reliqui omnes, qui ex ſingulari deuotione, vel ad præceptum Eccleſiæ implendum veniunt auditum ſacrum, vel alias ſpecialiter afficiuntur erga tale ſacrum, etiam cùm fortè per ægritudinem aut alias cauſas adeſſe non poſſunt. hos autem omnes eſſe offerentes, & pro quibus offertur Canon Eccleſiaſticus ſignificat his verbis: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus. In tertio ordine eſt tota Eccleſia, vniuerſuſque populus Chriſtianus, qui in communi offert per ſacerdotem in ſingulis Miſſis, iuxta illud Exod. 5. Dimitte populum, id eſt Eccleſiam, vt ſacrificet mihi in deſerto, & ea eſt, pro qua in ſingulis ſacrificiis ſemper offerimus. Sed in his, pro quibus offertur, magnum diſcrimen conſtitui debet, ſunt enim, pro quibus, licet offertur nominatim, generaliter tamen, & non peculiari intentione ſacerdotis, ſpecialem illum fructum ſuæ diſpenſationi commiſſum applicantis, vt pro Eccleſia vniuerſali, pro Pont. Max. pro Epiſcopo, pro Rege. Sed alij ſunt, pro quibus ſpeciali intentione offertur, cùm ſpecialis ille fructus illis ex intentione ſacerdotis accommodatur. His autem omnibus non ex æquo fructus ex ſacrificio prouenit. Sacerdos vt offerens coniunctus Chriſto ſuo miniſterio, & pro quo offertur, potiores partes ſacrificij ſibi vendicat. Offerentibus & pro quibus offertur, maior accedit fructus, quam iis pro quibus offertur, & ipſi non offerunt, cæteris pro ſua dignitate & præparatione: & iis qui implicantur peccato mortali, & ideo indigni ſunt, quibus immediate ſacrificij fructus applicetur. prodeſt etiam mediate, ad pœnitentiam & conuerſionem, vt ſupra oſtendimus, etiam ignorantibus pro ſe offerri: & loquimur ſemper de fructu ſacrificij ex opere operato. Præterea magis prodeſt iis, pro quibus ſacerdos ſpecialiter offert, quàm pro quibus vniuerſaliter tantum: & ex circunſtãtibus, iis magis, qui magis ſuo gradu & ordine ſacerdotem ſacrificantem attingunt. Eſt enim duplex fructus eorum, qui ſpeciali intentione fructũ ſacrificij aſſequuntur, vnus ex vniuerſali applicatione pro tota Eccleſia, alter ex ſpeciali: & ideo Rex vel ſummus Pontif. maiorem fructum conſequeretur, ſi pro ipſis ſpecialiter fieret oblatio, & ſacerdos ſi pro ſeipſo ſpeciali intentione offerret.

Ordo, ſpecialis cõmemorationis Miſſæ.

An verò gradus ſint conſtituendi in ipſamet cõmemoratione eorum, pro quibus offertur ſpecialiter, vt prius pro offerente, deinde pro parentibus, magiſtris, demum pro eo, qui procurauit Miſſam celebrari, dubitandum non eſt, vt ſicut illis debentur, ſic ex ordine potiores & priores partes ſacrificij quidam conſequantur: omnibus tamen commemoratis prudentiſſime adhibetur illa oratio: digneris Domine oblationem iſtam pro his aut aliis, quibus teneor acceptare, & eo gradu, quo noſti me teneri pro eis offerre, ſicut tibi placet. eſt etiam diuerſus fructus ex ſacrificio eorum, qui exiſtunt in purgatorio: non enim tantum valet iis, qui amicorum aut Eccleſiæ miſericordia tantum ipſis, dum viuerent peculiariter nõ petentibus, in memoria habentur, quantũ prodeſt iis, qui dum viuerent, hoc officium ſuis bonis compararunt, vel ſaltem ſpeciali intentione pro ſe fieri exoptarunt.

Scot. quodlib. 20.

Fructus Miſſæ ex opere operãtis, ex quibus cauſis.

Sed de fructu Miſſæ ex opere operantis, dubitandum non eſt, ſanctorum auxilium ſiue angelorum ſiue hominum ad eum augendum plurimum valere, vt Eccleſia innuit in orationibus ſacrificalibus, cùm ſępe orat, vt hoſtias noſtras oratio ſanctorum, quos eo die colimus, proſequatur, vel vt interceſſione illorum nobis proſit oblatio: merita enim & preces illorum ſacrificio adiuncta plurimam vim habent. Itaque ad hunc fructum ex opere operantis tria ſunt, quæ maiorem efficiunt, & contrà minorem, offerentium charitas & deuotio, ſanctorum auxilium ſacræ actioni coniunctum, certæ denique formulæ actionis aut precum adiunctarum, ad vtilitatem

litatem eorum, pro quibus ſacrificatur, valdè accommodatæ. Vt pro defunctis Miſſa illorum propria, ad auſpicia rerum gerendarum Miſſa de Spiritu ſancto, ad gratiarum actionem de Trinitate, pro peccatis hæc, pro beneficiis illa, pro iter agentibus iſta, pro pace alia, & huiuſmodi aliæ ſanctiſſimè ab Eccleſia inſtitutæ. Sed in his ſpecialibus Miſſarum formis non tantùm momenti pono, cùm aliunde videtur compenſari, vel ex celebri alicuius ſancti memoria, vel ex Miſſa tempori ab Eccleſia dicata, cùm fortè alia, ex aliqua obligatione, dicenda eſſet: præſertim ſi orationes illius propriæ adiiciantur, ſi ex ritu Eccleſiaſtico adiici poſſint, vt in ſimplicibus feſtis orationes pro defunctis adduntur, in duplicibus feſtis addi non poſſunt. quare licet Miſſam certis diebus, aut in honorem alicuius ſancti, procuratione alicuius vel petitione vel teſtamento inſtitutam, non liceat priuata autoritate mutare: tamen ſi eiſdem diebus Eccleſia alias Miſſas deſignaret, adhibito præcepto rituali, de non dicenda alia Miſſa, vt diximus de feſtis duplicibus, non licet præceptum Eccleſiæ vniuerſalis propter priuatam alicuius inſtitutionem immutare, præſertim cum in Miſſa præter oblationem ſacrificij ſit doctrina & populi eruditio, tempori aut feſto accommodata: & ſi quid ſit peculiaris adiumenti ex hac potius, quam ex illa Miſſa, vt cæteris paribus Miſſa pro defunctis vtilior eſt ipſis, ratione precum adiunctarum, id tamen abunde compenſatur celebri alicuius feſti vel ſancti memoria, vel obedientia præcepti Eccleſiaſti, cum dicitur Miſſa de tempore ex illius præſcripto, cui oportet fideles procurantes pro aliquo Miſſam omnino conſentire. Idem affirmo ſi ſolo parocho exiſtente, eodem die, defunctus aliquis ſepeliendus ſit. Vnde ſi ſint plures Miſſæ anniuerſariæ, eodem die ex inſtitutione aliquorum in eadem Eccleſia celebrandæ, quæ tamen non conſueuerit eodẽ die, niſi vnam Miſſam pro defunctis offerre, cùm illis, vt ſupra oſtenſum eſt eadem Miſſa ſatiſfieri non poſſit, non videtur Eccleſiæ conſuetudo illa recepta immutanda, pręcepta etiam à proprio Epiſcopo, præſertim ſi inſtitutoribus earum Miſſarum nota erat huiuſmodi conſuetudo, ſed alio die eiſdem inſtitutionibus, propriis Miſſis ſatisfaciendũ eſt. Explicauimus omnia quę ad valorem explicandum, & eius applicationẽ pertinebant: deinceps de ritibus & cęremoniis pauca quędã admonere oportet.

CAPVT XXVIII.

¶ *De cæremoniis Miſſæ.*

2.2.q.81.ar. 1.& 3.



PRimùm autem generaliter accipiendum eſt, religionis qua Deum colimus, quoſdam eſſe actus internos, alios verò externos, ad quos cæremoniæ & ritus Eccleſiaſtici pertinent, vt iis mens noſtra, quæ per ſenſibilia ducitur, ad ſpiritualia congruenter ſuæ naturæ, ad interiores illos excitetur, qui per ſe primò ad religionem pertinent, alij verò externi ratione illorum. Vnde cum iſta conſenſio & relatio externorum ad interna non ſeruatur, hæc ipſa externa etiam à ſeipſo inſtituta reiicere ſolet Deus, non quia mala ſint, cùm ſint nobis, vt dixi valde vtilia & accommodata, ſed quia fiunt & redduntur à nobis inania, cum non diriguntur in eum finem, ad quem inſtituta ſunt. hinc eſt veterum ſacrificiorum, incenſi, oblationis, in Prophetis reprehenſio, quòd non componerent ſacrificantes internas actiones illorum ſignificationi accommodatè, & quod non conſiderarent in eis profeſſionem Chriſti venturi. hoc igitur modo cæremoniæ Miſſæ accipiendæ ſunt, vt nos ad id, quod ſignificant, excitare poſſint, & animi internos motus congruentes Chriſto immolato cõponere.

Vtilitas earum generalis. Lege Baſil. de vita ſolit. c. 5. lib, de Spiritu ſancto c. 27. Aug. ep. 120. c. 18. ep. 26. lib. 12. de Trinit. c. 14.

Miſſa igitur à veteribus in duas principales partes diſtinguitur, priorem catechumenorum atque etiam ethnicorum, poſteriorem fidelium propriam: quod ad illam cathecumeni cum fidelibus admitterẽtur, ad hanc

De hac Miſſa diſt. Laodicenum, c. 19. Carthag. 4. c. 84. Ilerdẽ. c. 4. Valent. c. 1.

ad hanc fideles tantum. Catechumeni dicebantur, qui fidei nomen dederant, & in eadem inſtruebantur, nondum baptiſmo percepto, poſt quē fideliū numero coniūgebantur. Catechumenorum Miſſa laudē Dei & adſtantium doctrinam continet. Cum enim Apoſtoli quotidie quidem ab initio, ſed præcipuè vna Sabbathi, hoc eſt die Dominico, ad myſteriorum perceptionem & ſacrificium noui teſtamenti fideles conuocarent, partim vt doctrina fidei imbuerent, partim vt fideles ad tantum ſacramentū prepararent, ante omnia pſalmi & laudes Deo canebantur, vt intelligerent ſe omnia in Dei laudem facere debere, loquentes ſibi metipſis in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, Deo & Patri. nam quæ hodie precedunt magis ad ſacerdotis præparationem, quàm ad ipſum ſacrum munus pertinent. Abſolutis pſalmis & canticis proponebatur doctrina ſacra. Primùm quidem ex lege aut Prophetis, vt intelligeretur non eſſe noua, nec ab hominibus inuenta: poſtquam vero ſcripſerant Apoſtoli, ex Euangeliis & Epiſtolis eorū aliquid deſumebatur: ad quod officium lector ordinabatur. Sic de lectione ſanctæ ſcripturæ ab Apoſtolis conſtitutum eſſe, autor eſt Clemens, lib. 2. Apoſto. conſtit. cap. 54. & lib. 8. cap. 5. ſed quoniam lectio ſacra Iudæis Hebræa lingua, quæ paucis erat nota, cum vulgus poſt captiuitatem Babylonicam Syriacè tantum intelligeret, gentibus vero Attica lingua, qua ſeptuaginta interpretes vſi ſunt, quæ vulgo Iudæorum, & multis Orientis partibus, & Occidenti ignota erat, ſequebatur lectionem ſacram, vulgari lingua, concio ad plebem, quod genus doni, prophetia aut interpretatio dicebatur. Sic D. Paulus, 1. Corinth. 14. his verbis hęc omnia proponit, cùm conuenitis, vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet. Iuſtinus Apolog. 2. die ſolis vrbanorum ac ruſticorum cœtus fiunt, vbi Apoſtolorum Prophetarumq; literæ, quoad fieri poteſt, prelegūtur: deinde ceſſante lectore, prępoſitus verba facit adhortatoria, ad imitationem tam honeſtarū rerum inuitans. Dionyſ. cap. 3. de Eccleſ. hierarc. refert Pontificem vbi adoleuerit incenſum ac phani ambitum circuierit, redeuntem ad ſanctum altare pſalmorum melos incipere, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus: deinde miniſtrorum officio ſanctarum ſcripturarum lectionem recitari: poſthęc extra delubrum catechumenos fieri, & cum ipſis energumenos, & eos quoque, qui in pœnitentia ſunt. His igitur, quæ diximus, peractis, Diaconus clamare ſolebat, exeant catechumeni. Cùm his omnibus per omnia conſentit ritus noſtræ Miſſæ in Eccleſia Græca & Romana. Laus enim Deo defertur quinque modis: peccatorum confeſſione, quia iuſtus prior eſt accuſator ſui: deinde introitu ex pſalmis petito, quia pſalmi, vt inquit Dionyſius eodem cap. 3. comprehendunt per modum laudis, quicquid in ſacra ſcriptura continetur: mox Kirie eleyſon nouies canimus, ſignificantes diuinam Trinitatem in ſe reflecti, ſingulaſque perſonas in ſingulis, omneſque in omnibus eſſe: atque oramus, vt in omni tribulatione agentium Deus miſereatur: & beneficia, quæ Deus nobis largitur, non meritis noſtris acquiſita, verum illius gratia & miſericordia nobis indulta eſſe, profitemur. Denique exprimimus Patrum veteris teſtamenti petitiones, de Saluatore nobis mittendo. Deinceps propius ad Chriſti myſteria accedentes, hymno Angelico Gloria in excelſis Deo, incarnationem Chriſti grato cordis & oris concentu celebramus: quem hymnum conſequitur plebis illa ſalutatio, Dominus vobiſcum, qua ſignificatur, Deum in carne veniſſe, vnde Iſai. 7. nomen eius Emmanuel dicitur. Mox ſequitur oratio, quę quòd omnia ſupra dicta in vnum colligat, & ſuper collectum Dei populum funditur, collecta vocatur. Cæterum hanc inuocationem miſericordiæ diuinæ, Gregor. I. inſtituit. Gloria in excelſis, Symmachus anno 50. tractū Gelaſius anno 480. Symbolum Damaſus, anno 380. Genuflexionum autem, quæ diebus ieiuniorum orationem præcedunt, rationem reddit Baſil. de Spiritu ſancto, cap. 27. his verbis: quoties genuflectimus, & rurſus erigimur, reipſa oſtendimus, quod propter peccatū in terrā delapſi ſumus, & per benignitatē eius, qui condidit nos ad cælū reuocati ſumus,

Miſſæ duæ principales partes.
Act. 2. 20.
1. Cor. 16.
Pſalmi.
1. Cor. 10.
Epheſ. 6.
Lectio ſacra.
Concio.
Hoc in Miſſis ſolennibus obſeruatur.
Clemens lib. 8. conſt. Apoſt. c. 4. & ſeq.
Confeſſio peccatorum.
Introitus.
Kyrie eleyſon.
Gloria in excelſis.
Oratio vel collecta.
Chryſ. hom. 18. 2. Cor.
Genuflexiones. Niceph. lib. 9. c. 18.
Epiſtola.
Euangelium.

Aug. ep. 86.

mus, de scriptura autẽ veteris aut noui testamenti, vt prænuntia & interprete aduentus Christi, epistola quotidie legitur, deinde Euangelium continens veteres omnes promissiones, & regnum cælorum. Inter Euangelium verò & Epistolam, interponuntur quædam cantica spiritualia, partim lugubria, vt pœnitentiam agendam esse significetur, partim lætiora, sicut Alleluya & quæ sequuntur carmina, vt ostendatur beatos esse, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: interim etiam auditorum animi varietate reficiuntur, & ad maiorem pietatem excitantur: post Euangelium diebus quibusdam festis, canitur aut recitatur fidei Symbolum, velut summa quædam Euangelij, & nota religionis Christianæ. Hactenus de ea parte Missę, ad quã catechumeni admittebantur: ad alia verò, quæ sequuntur ad oblationem & sacrificium pertinentia, iis dimissis, soli fideles permanebant, vt autores sunt Dionys. cap. 3. de Ecclesiast. hierarch. Cyrillus lib. 12. cap. 50. August. tractat. 11. in Ioannem idem significat, & liturgia Chrysostomi expressit. Quare mirandum non est Sacramentarios oblationem & sacrificium detestari, cùm virtutem eius & latẽtem Christum, & substantialiter existentem omnino ferre non possint.

Graduale Alleluya.

Catechumenis dimissis, sequuntur illa, quæ verissimè & propriè sunt atque dicuntur Christianorum mysteria, quia & traditione constant, vt inquit Basil. cap. citato, & solis fidelibus nota sunt, de sacrificio scilicet Christi & reali existentia ad nostram salutem efficiendam & promouendam. Vnde statim soli fideles permanentes mutuo osculo se salutabant, ad charitatis mutuæ significationem, & vt explorarent, an quisquam non initiatus remansisset. Postquam autem omnes à principio natiuitatis baptizantur, nec est hæc catechumenorum distinctio, cessauit & illa antiqua dimissio, & ostiariorum diligentia in claudendis foribus templi, nequis alienus & non initiatus admitteretur, atque illud prius osculum fidelium inter se, quod statim ab initio adhiberi solitum erat. Missa igitur fidelium propria ex authoritate D. Pauli, 1. Timoth. 2. expositore D. Augustino episto. 59. & aliis quos in explicatione eiusdem loci supra citauimus, quatuor partibus constat, obsecratione, oratione, postulatione, gratiarum actione. Obsecratio deisis à necessitate proficiscitur, vt deprecetur malorum auersionem, & ob eum finem vouet plerũque aliquid. Oratio proseuxis profert & pręstat vota sua, siue illa in mente solum, siue prætereà in externa oblatione consistant. Postulatio enteuxis familiarius agit cum Deo, vt illa impetret, pro quibus impetrandis vota fecit. Gratiarum actio Eucharistia omnia diuinæ bonitati accepta refert, & memoriam accepti beneficij profitetur. Hęc omnia extra Missam quidem inueniuntur, sed in Missa excellenti quodam & insigni modo.

Osculum sanctum.

Missæ fideliũ quatuor partes

Ad obsecrationem pertinere potest tota catechumenorũ Missa, sed ab eo quod in obsecratione potissimum est, incipit fidelium Missa, hoc autem est votum de propriis bonis. Solent enim, qui angustiis premuntur, non solum diuinam implorare misericordiam, sed etiam de suis vouere aliquid, vt impetrent quod exoptant. sic Iacob, Genes. cap. 18. Ionas cap. 1. & 2. Votum autem fidelium est in oblatione primitiarum de fructibus terræ, pane scilicet & vino, vt obseruauit Irenæus, lib. 4. cap. 32. olim quidem fideles manibus suis offerebant Deo panem & vinum ad sacrificium ante altare, vnde offertorium dictum est, choro interim laudes Deo cõcinente. illustria exempla sunt Theodosij Imperato. celebrante Ambrosio, & Valentis, celebrante Basilio, Theodor. lib. 4. histor. eccles. cap. 17. & lib. 5. cap. 17. Panem & vinum oblatum à populo Diaconus sacerdoti, is Deo publicè dedicabat. Deinceps sequuntur benedictiones, & oblationis sacrificalis præparationes, & orationes, quæ ad secundam partem Missæ fidelium ad orationem vsque Dominicam porriguntur, quæ pars variis ritibus & cæremoniis constat, nempe secreta prece, præfatione, hymno trisagio, consecratione, & tandem oratione Dominica. Secreta oratio, secretæ orationis Domini in cruce commemoratio quædam est, vt colligi etiam potest ex Iustino Apolog. 2. sed vt Christus in cruce post interualla loquebatur, modò ad Deum clamans: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, &, in manus tuas Domine commendo spiritum meum: modò eos, qui aderant alloquens, vt, hodie mecum eris

1. Obsecratio, Chrysost. hom. 18. 2. Cor. D. Aug. ep. 59.

Offertorium.

2. Oratio.

Secreta oratio.

eris in paradiso,&c, mulier ecce filius tuus: sic etiam sacerdos nunc ad Deum exclamat dicens,Pater noster qui es in cælis,nũc verò adstantes alloquitur dicens , Dominus vobiscum, Sursum corda, &c, Gratias agamus Domino Deo nostrò. Cuius præfationis vsum antiquissimum Cyprianus dòcet in lib.de cœna Domini,& in expositione orationis Dominicæ.Iustinus Apol. 2.Chrysost.homil. de encœn. & Euchar. tom.3.August.epist.57.ad Dardanum, de spir.& lit.c.11.lib.2.de bono perseuer.c. 13. Hymnum vero trisagium etiam populus canit,exprimens angelorum voces Isai. 6. & discipulorum,qui in occursum Christo venientes clamabant Matt. 21. Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.Hunc hymnum instituit Syxtus I. anno post Christũ plus minus quingẽtesimo, cuius apud veteres frequentissima est mẽtio occasione hæreticorum, qui autore Petro Fullone Episcopo Antiocheno,huic hymno illam clausulam adiecere, qui crucifixus est pro nobis. Totum autem Canonem,qui deinceps sequitur,legimus in catechesf.Cyrilli hierosoly. & in Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 5. fere ad verbũ, quæcumque illa precatio fuerit, quam composuit Scholasticus quidam Græcus, cuius meminit Gregorius , episto. lib. 7. epist.63.

Ioan.19.

Præfatio.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Nomina deinceps,quæ in secreta commemoratione recitantur, triplicis generis sunt,alia sunt viuentium,vt pastorum Ecclesiæ,regum,amicorum, quæ commendãtur Deo, vt tranquillam vitam agamus in omni castitate & pietate,vtque ad salutem vnà cum grege sibi commisso perueniant. De hac precatione pro viuis,& aliis rebus necessariis,Tertul. in Apol.cap. 29. & lib. ad Scapulam.Orig. hom.13. in Luit. Ignatius,epist.ad Smyrnens. Cyprian. sermo.5. de lap. Euseb. lib. 1.demonst. cap.6.Chrysosto.homil. 77.in Ioann. & homil. 18. in Act. August.ep.107.ad Vitalem.de Martyrum verò commemoratione, Dionys. c. 3.Eccles.hierar.Tertul.de coron. mil. Cyprian.lib.3.epist.6.Chrysost.homil. 5. 1. ad Timoth.August.lib.22.de Ciuitat.cap.10. & lib.2.contra Faust.cap.21.de commemoratione defunctorum,suprà cap. 24. Alia sunt nomina Deiparæ , Apostolorum & Martyrum , vt eorum exempla imitemur, gloriam prædicemus, suffragia consequamur.Alia sunt denique nomina fidelium iam cum Christo dormientium, quibus refrigerij,lucis & pacis locũ indulgeri petimus,oblationem pro defunctis facientes, vt fuisse semper in more & vsu Ecclesiæ catholicæ ostendimus. Caput autem omnium est ipsa consecratio , quæ veterem legem finitam , & sacrificium proprium nouæ constituit : ad quem finem consecrationis , referri debet quicquid honoris erga panem & vinũ exhibuimus: quòd huiusmodi creaturæ , diuinæ operationis potentia,in illam hostiam trãsituræ erant. Tanden hæc Missæ fidelium secunda pars oratione Dominica concluditur , nec vmquam aliàs publicè in Ecclesia hec oratio recitatur , quasi ea sit huius sacrificij propria , testante Gregorio Magno, lib. 7. indictio. 2. episto. 63. moris fuisse Apostolorum , vt ad ipsam solùm , oblationis hostiam consecrarent. Cæterum de ipsa consecratione , sacrificio & oblatione Christi & non alterius victimæ produximus sacræ scripturæ & Patrum testimonia supra à cap.9.ad 12.

Secreta commemoratio.

Oratio Dominica.

Tertia Missæ fidelium pars postulatio dicitur vel interpellatio , quæ ab oratione Dominica ad pacem Domini perdurat:cui recte adiungitur hymnus ille, Agnus Dei , qui tollis peccata mundi, cum illa clausula , dona nobis pacem : quia pax nostra consistit in remissione peccatorum, & interioris hominis innouatione , quam hostia oblata efficit. hoc loco interponi solet osculum pacis , quo admonemur mutuæ charitatis inter nos , & erga Deum , vt eleganter explicant, Innocentius I. episto. ad decen.Eugubinum cap.1. Tertullia,lib. de orat. cap. 14. Cyrill. lib. 12. in Ioann. cap. 54. August. sermo. 166 de temp.& Chrysost.lib.1.de compũct.cordis.2. Cor. hom.30.explicans exhortationem Apostoli ad omnes fideles , vt salutent se in osculo sancto:quod inde videtur dictum,quòd ore nostro corpus Dominicum contingimus.Fit etiã sæpe in Missa crucis signũ, de quo Chrysost.hom. 55. in Matth. & in demonstratione quod Christus est Deus. August.ferm.181.de temp.fit prætereà mysteriorum ostensio & eleuatio in antiquis Patribus sæpe repetita,vt constat ex Basil. de Spir.sancto c.27.Diony.c.3. de Eccle.hier. Chrys.ho.3.de incõpr.Dei natura. Deniq; fit mysteriorũ adoratio,testibus August.& Ambros.

3. Postulatio.

Agnus Dei.

Gratiarum actio. Ambros. in Psalm. 98. Nazianz. in epitaph. Gorgoniæ sororis. Chrysost. hom. 61. ad pop. Antioch. Postremo sequitur gratiarũ actio, in rebus & verbis posita: in rebus qui dem, quatenus qui digne sumunt Christi corpus, cum ipso vniuntur, & ita illi gratiã maximam referunt, quia se totos illi reddunt, & deinceps Deo & non sibi viuunt: verbis autem, dum omni mysterio completo, populus à sacerdote dimissus respondet, Deo gratias. Chrysost. hom. 18. 2. Corint. Augu. ep. 59. benedictionis autem in fine Missæ, mentio est in Concil. Agathen. can. 47. Aurelian. 2. Can. 28. *Aug. ep. 120.*

CAPVT XXIX.

¶ *De adoratione, & circumgestatione Eucharistiæ.*



Ed quia in catholica Ecclesia Eucharistię sacramentũ solenniter in processionibus circungestari solet, & adorari, & id etiã aduersarij reprehendunt, de eo cultu paucis dicendum est. quod si suo loco accuratè ostensum est Christum adorari debere latria, & recta fides Christum in hoc sacramento verè & substantialiter pręsentẽ constituit, aut huic sacramento idem cultus exhibendus non sit, planè intelligi nõ potest: obiectio enim aduersariorum, vtcumq;, scilicet, sit absens vel præsens nõ in hunc finem est præsens, vt colatur aut circũferatur, sed vt comedatur, puerilis est. Christus siquidem non est incarnatus in eum finem vt adoraretur: Pater tamen introducens eũ in orbem, dixit, expositore Paulo, Heb. 1. adorent eum omnes angeli eius: & adorauerunt Pastores, mater, Magi, Apostoli, impositum super asinum exceperunt in triumphũ, acclamationibus populi in vrbem deduxerunt, sanctissimi viri eius nomine, vestibus, virtute ad multa miracula vsi sunt: quæ tamen omnia non sunt primarius finis incarnationis Christi. Hæc autem officia debentur illius personæ, & præsentiæ, quibuscumque ex causis introducatur in orbẽ terræ. sic olim arca effecta est ad cultum Dei in certo loco templi, sed postea sacerdotes vsi sunt ea ad multa miracula, videntes in ea maiestatem Dei multa operari mirabilia: vt ea circumgestata Iordanem exiccauit Ios. 3. muros Iericho euertit Iosue, 6. temporibus Heli multa alia mirabilia legimus per arcã effecta à Domino. eam Dauid sanctissima pompa, etiam irridente Michol, in Hierusalem transtulit. si igitur in vmbra hęc recte gesta sunt, cur non in veritate maiora fieri, erit religioni consentaneum: quid est quod audeat Michol & procax hæresis, obiicere, quod adoremus & circumgestemus caput religionis, mysteriorum sanctissimum, sanctum sanctorũ, Dominum & Deum nostrum? qui vbicumque per visibiles species sacramenti aut existit aut circũfertur, aut adoratur, aut manducatur, omnes tanta gratia dignos, cælesti benedictione sanctificat.

Quod si hoc sacrificium, non ad institutionem, quamuis maxima & plurima inde colligatur, sed ad alios vsus & effectus suprà explicatos, institutum est, ex ipso opere & non ex sermone, in quo celebratur, eius vtilitas expendi debet. Præsertim cum ex concione possit esse nota fidelibus sacramenti doctrina: & ipsa actionis sacrificalis repræsentatio, cui intẽtos fideles esse oportet, magis excitare potest fideles ad attẽtionem & deuotionẽ, quã lingua vulgaris, quę plerũq; nequit aptè exprimere vim & proprietatem mysteriorum, quæ Latina aut Græca lingua continentur. Vnde semper his vsa est Ecclesia, etiamsi populo ignotis, adiuncta concione vulgari, ad omnium fidelium instructionem & doctrinam, atq; ita mysteriorum doctrina, ignotis populo linguis continetur, & populus accommodatè instruitur. *De lingua celebrationis huius mysterii.* Concludamus diuinissimi sacramenti doctrinam, congruenti, & accõmodata oratione. Optime igitur & maxime Christe, conserua in nobis hunc maximum, & tua liberalitate dignum cultum: vt eius participatione & vsu, in tuam viuificã carnem & corpus inserti, in te viuamus, tua virtute muniti altaria contra te erecta demoliamur, per te ad immortalem vitam resurgamus, & tuæ gloriæ participes læta & magnifica voce sine fine dicamus, benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro, qui fecit nobiscum misericordiam suam, Amen.

CAP.

CAPVT XXX.

Explicationis principia.



Vm Eucharistiam conficere, nullus sacerdos legitime possit nisi in Missa, & eius præcipua & propria pars sit, quę canonis nomen Ecclesiastica cõsuetudine obtinuit, visum est nobis operepretium fore, subiũgere hoc loco eiusdẽ canonis constantem & firmã explicationẽ.

1 Ad eã verò accipiendũ est primò, Missam siue latine accipiatur, quasi missio, vt supra dictũ est, siue Heb. quasi sacrificiũ, à Christo Dño fuisse institutã in vltima cœna quo ad substantiã, idest rationẽ sacrificij & sacramẽti: quid sit autẽ de ratione vtriusq; supra explicatũ est. Sed hîc nõ erit alienũ repetere quę sunt de ratione virtutis religionis, & quomodo actus illius elicitus sit sacrificiũ proprie, plurimi verò actus sint ab ea imperati, ex 2.2.q.81.& proximè sequẽtibus qq.

2 Deinde accipere oportet, omnia quę in missa adhibẽtur siue doctrinę, siue ritus vel generaliter vel specialiter accipi posse, primo modo à Christo Dño sunt instituta illa omnia, & ad nos traditione Apost. peruenerũt, vt cõstat ex 1. Tim.2. Diony.c.2. Eccl.hier. Iustino, apol.2. quibus locis partium Missæ distinctio proponitur ea, quã nunc retinet catholica Ecclesia, & suprà est à nobis explicata. quę autẽ pars Missæ vno aut altero die hanc partẽ aut illã doctrinę continere debeat, à summis Pontif. & Cõciliis, institutũ est, vt constat ex liturgicis Pamelij, & breuiter adnotauit Turr. lib.8. constit. Apost. cap.5.& 12. Sed distinguamus hęc apertius, vt diuinã esse Missę institutionẽ omnino cõstet. Dico igitur Christũ Dñm per infusum Apostolis Spiritũ sanctum, licet non perseipsum immediatè partes sacrificij incruenti, quã Missam Patres appellauerunt, distinxisse absolutè & vniuersaliter: deinde specialiter & distinctè has partes, Apostolorũ successores distribuisse, & eisdẽ congruentẽ distributionem adhuc retinere Ecclesiã catholicã. de Apostolorũ institutione per Spiritũ sanctum, cũ ea sit sacris literis comprehẽsa, & Patrũ consensione de Missa explicata, omnino dubitari nõ potest: quia sacras literas dictauit Spiritus sanctus: & Patrũ consensio testis est diuinę & Apostolicę traditionis, pręsertim in sac. scrip. explicatione De partibus ergo Missæ sic scribit D. Paulus Philip.4. nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cũ gratiarũ actione petitiones vestrę innotescãt apud Deũ, & 1. Timo.2. obsecro igitur primũ omniũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, &c. in his autẽ distinguit Apostolus quatuor partes, & eas in Missa intelligi oportere docẽt veteres Patres. in liturgiis enim Latinis & Gręcis, omnes huiusmodi partes distinctas legimus, & preces fundimus pro his omnibus, quos nominatim Apostolus recenset, vt autores etiã sunt Tert. in apol. cap.24. Athenagoras in fine orationis pro Christianis, Cyril. hier. catech. mystag. 5. sed põderemus Patrũ expositiones. Chry. hom.6.1. ad Timot. illa omnia sacerdoti & sacrificio sic tribuit, quasi cõmunis quidam totius orbis pater, sacerdos est, dignũ igitur est, vt omniũ curã agat, omnibusq; prouideat, sicut & Deus, cuius ministerio seruit, & fungitur vice. iccirco ait, obsecro igitur primũ omniũ fieri obsecrationes & orationes: & paulo post, quid autẽ est quod ait, primũ omnium? in obsequio scilicet quotidiano, perpetuoq; diuinę religionis ritu. & infrà, pro regibus & pro principibus sacerdotẽ offerre preces hortatur. cõsentit Theop. adhuc apertius in cõmen. eiusdem loci, easdẽ partes tribuens sacerdoti tẽpore mysteriorũ, idest quãdo Eucharistiã cõficit, & sacrificat: similiter Oecumen. D. etiã Ambro. in cõment. eandẽ sententiã vocat regulam Ecclesiasticã traditã à magistro gentiũ, qua sacerdotes nostri vtũtur. & ordinẽ orationũ de instit. virg. c.2. & lib.4. de sacrament. c.4. de partibus Missę inquit, per reliqua omnia, quæ dicũtur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentũ, iã nõ suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Aperti⁹ D. Aug. ep.59. ad Paulin. q.5. de eadẽ sententia D. Pauli ad Timot. eligo, inquit, in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes, siue vt nos legimus, obsecrationes, accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in mensa Dñi, incipiat benedici. orationes cum benedicitur & sanctificatur

Missæ partes ex D. Paulo & Apostolica Traditione.

tur,& ad distribuendū comminuitur: quā totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione cōcludit.&infra,interpellationes autē,siue vt vestri codices habēt,postulationes,fiunt, cū populus benedicitur.tūc enim antistites velut aduocati, susceptos suos per manus impositionē misericordissimę offerunt potestati. quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarū actio cuncta concludit, quā etiam in his verbis vltimā commēdauit Apostolus.Eadem ferè transferunt Haymo & Anselmus in sua Commentaria,& de Missa interpretantur. ille quidem scribens, beatus Apostolus dirigēs hæc verba Timotheo in illo tradidit omnibus Episcopis & presbyteris omniq; Ecclesię formā,quomodo deberent Missarū solennia celebrare, & pro omnibus hominibus orare,quam formam vel exemplum omnis Ecclesia modò retinet.hic autē repetens verba D. Augustini, ordo,inquit,Missę in his verbis ostenditur. Vnde Cælestin⁹ I.in ep.1.obsecrationū,ait, sacerdotalium sacramēta respiciamus,quę ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica vniformiter celebrantur, vt legem credēdi lex statuat supplicandi.Idem etiam Pontifex plurima statuit in eisdē partibus Missę,vt obseruarunt Alcuinus,Hrabanus & alij scriptores de diuin.offi.Forma etiā harū orationū pro omnibus hominibus proposita est à Clemēte Papa lib.8.constit.Apost.c.10.&adhuc per similes orationes extant in Missis D Iacobi in Ecclesia Hieros.beati Petri in Romana &Occidentali,S.Marci in Alexandrina, SS.Basilij & Chryso.in Orientali,vt scribit Turr.lib.8.earundem constit.c.5.n.4 hæc satis sint ad ostendēdum ex diuina & Apostolica Traditione distinctionē partiū Missæ factam esse.quare impiū est quod Protestantes affirmant, Missam esse humanū inuentum,& nihil diuinum habere præter verba consecrationis.ostendimus enim ab Apostolis,dictante Spiritu sancto, & diuinarū scripturarum partes in ea proponi, & ipsam rationem orandi & sacrificādi institutā esse, vt ex Apostolo, consentientibus Patribus,aperte deduximus. quæ verò partes,qui ritus & cæremoniæ, & à quibus Pōtificibus aut institutæ,aut innouatæ sint,facile colligitur ex eisdem scriptoribus diuinorum officiorum:& in liturgicis Pamelij per ætates & tempora,partitè & distinctè descriptæ & obseruatæ sunt.quare vera est & catholica sentētia Cōcilij Tridētini sess. 22.c.4.vbi inquit de Canone Missæ,is constat,cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoq; Pontificū piis institutionibus. vt autē partes diuinę scripturę ex vet.& no.test. Missis accommodatæ sunt, diuinis mysteriis, quæ celebrantur cōgruenter:sic etiam huiusmodi institutiones Pontificum,quæ Canone Missæ continentur,sacrificio noui testamenti,non solùm ritibus & cęremoniis, sed etiam verbis, adeò congruentes sunt, vt nihil in eis sit,quod non maximè sanctitatem ac pietatem quandam redoleat,mētesque offerentium in Deum erigat.de partibus Missæ ex scriptura,conferenti singulas cum mysteriis,quæ celebrantur ab Ecclesia catholica,erit manifestissimum: de his vero,quæ eodem canone comprænhensa sunt,ex ipsa deinceps explicatione constabit.in ea enim & de cæremoniis, & de verbis atque actionibus sacerdotis sacrificantis,singilatim disseremus.

Canon Missæ.

Te igitur, clementissime Pater per IESVM Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.

Explicatio.



Canō Missę dicitur regula & forma actionis sacrificalis in nouo testamēto. eius tres precipuę partes sunt: vna de oblatione munerū, quibus sanctificatis sacrificiū perficitur, & commemoratione eorum viuentium, pro quibus offertur, & sanctorum glorię communicatione, vt eorum precibus & meritis fiat nobis hostia salutaris. Altera pars continet consecrationem, in qua ostendimus, cap. 11. essentiam sacrificij positā esse.tertia denique cōtinet preces de cōsequēdo fructu sacrificij perfecti, defūctorū

comme-

Huius orationis connexio cũ oratione secreta.

commemorationem,sumptionem deniq; eiusdem sacrificij vt sacramenti. Cum igitur sacerdos in oratione secreta, congruenter mysterio,quod in Missa recolitur speciali,preces ad Deũ emiserit,vt fructũ futuri sacrificij fidelis populus consequatur, & eundẽ populum ad diuinorrm contemplationẽ,abiecta aliorum consideratione,pręfatione fuerit exhortatus,propius ad sacrificiũ accedẽs,& quasi connectens cũ pręcedente oratione secreta, consequentẽ oblationẽ,inquit,[Te igitur.] oratio verò dirigitur ad Patrẽ inuocata illius clementia & misericordia:quia vt misit filiũ,nõ ex iustitię nostrę debito,sed ex misericordia & liberalitate:sic etiã ad eandem clementiam nobis confugiendũ est,vt sacrificij,quo redempti sumus,fructus nobis applicetur.sic scriptũ est,1.Ioan.4.in hoc apparuit charitas Dei in nobis,quoniã filium suum vnigenitum misit Deus in mundum,vt viuamus per eum.In hoc est charitas, nõ quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniã ipse prior dilexit nos,& misit filiũ suum propitiationẽ pro peccatis nostris.Tit.3.cũ autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei,non ex operibus iustitię,quæ fecimus nos,sed secundũ suã misericordiam saluos nos fecit.obtulit verò seipsum in cruce pro nobis,vt nos offerret Deo,mortificatos quidẽ carne,viuificatos autem spiritu, 1.Pet.3.idem igitur nunc petimus in nobis perfici per eiusdẽ hostiæ oblationẽ. adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno Hebr.4. Sed cùm ad Patrem orationem dirigimus, non excludimus Filium aut Spiritũ sanctũ: cùm ad Deum tribus personis distinctum, vt vnum,bonorum omnium quę petimus, principiũ,omnis oratio dirigenda sit. verũ hanc rationem principij in Patris persona ideo intelligimus,quod Pater sit principiũ sine pripcipio,Filius autem & Spiritus sanctus ab hoc principio procedant:& iccirco licet tres personę sint vnũ principiũ eorum omniũ,quæ in creaturis fiunt, ratio tamen principij Patri tribuitur, vt sapientiæ Filio, amoris Spiritui sancto,quia eorũ proprietatibus personalibus attributa sunt & accommodata.Pręterea,cũ nõ liceat petere quicquam à Deo nisi per Filium Christum, rectè oratio & congruẽter ad patrem dirigitur,à quo Filius procedit,& omnia quę habet,per generationẽ accipit, vt grata sit & accepta oratio.quod si Patri per Filiũ accepta fuerit,non dubium est gratã esse & Filio & Spiritui sancto, à quibus vt sunt vnus Deus,&vnum principiũ omniũ,quæ in rebus fiunt,consequemur quæcũq; petimus. Sed quia Filius,Deus &homo est,& quatenus homo mediator Dei & hominũ.1. Timoth.2. & mediatoris propriũ munus est, nos ad Deũ deducere,vt ei coniungamur, quod ostensum est,3.p.q.26.ar.1. ideo Ecclesia ab Spiritu sancto edocta,semper per Christũ petit,& omnis orationis illa clausula esse debet,per Christũ Dominum nostrũ.Sic D.Paulus,Rom.5. de Christo, per quẽ accessum habemus per fidẽ in gratiã istam,in qua stamus , & gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei.Ephe. 2. nunc autem in Christo IESV,vos qui aliquando eratis longe,facti estis prope in sanguine Christi. ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ:& concludit de gẽtibus & Iudæis, per ipsum accessum habemus ambo in vno spiritu ad Patrem.Rectè igitur supplices, hoc est humiles spiritu,& nullã in nobis, sed in Deo fiduciam collocantes,quod ad humilitatẽ pertinet,per Christũ mediatorem rogamus ac petimus.Christi autem mediatoris duo sunt munera,vt nos Deo cõiungat, orare& sacrificare:& quia sacerdotes noui testa.sunt ministri eiusdem mediatoris, & ea ratione quodã modo mediatores, ideo & Christus his orantibus & sacrificãtibus, orat,& sacrificat seipsum,&quod de nobis dicitur,plerũque Christus sibi tribuit,vt sumus mẽbra eius.Vnde & sacerdotiũ Christi æternum erit in Ecclesia,non solum ratione effectus & redemptionis æternæ,sed etiã ratione sacrificij,quod semper offeret in Ecclesia per ministros sacerdotes. Vnde & malitia ministri,missę fructũ proprium, ex institutione Christi,impedire nõ potest. & ipse minister in persona Christi, & verbis cõsecrando sacrificat.obseruandum tamẽ est,ea quę significant nostram infirmitatẽ,miseriam,peccata, sic ministrorũ esse propria,vt Christo in se & reipsa nullo modo tribuãtur,sed nostra sint & ministrorũ: quę tamẽ spiritu & auxilio Christi adiuti & excitati,à nobis amoueri petimus: & ideo Christus dicetur petere,quia facit nos petere propter nostram salutem, & ad gloriam ipsius. Ex his distinctionibus intelligi potest catholicè sententia Simeonis Archiepiscopi

Oratio cur ad Patrem.

3.p.q.28. ar. 1.ad 1.

Christus mediator,& qua ratione in Missa.

copi Thessa.c.44.de mysteriis Ecclesiæ,citante Franc.Turr.inquit enim in Annotat. Clementis, lib. 8. constit. Aposto. cap. 12. num.5. de meditatione Christi in Missa. Mediator,inquit, factus est Dei & hominũ,nõ sermone& precibus[tantũ]sed seipso.quia enim idẽ erat Deus & homo, Deũ cum hominibus copulauit, se communem terminum ambabus naturis immittens. existimare autem Christũ per preces, quæ in Missa fiunt semper mediatorem agere, [nempè secundũ sufficiẽtiam,] plenũ est blasphemia & absurditate:& si enim ipse est,qui sacrificiũ Missæ operatur, nõ tamẽ omnia,quæ illic fiunt &dicũtur,ipsi sunt attribuenda:opus enim Missæ & finis, sanctificari,inquam,munera,& sanctificare fideles,ipse solus est,qui hæc facit(vt principalis scilicet autor & causa)orationes verò & obsecrationes ac supplicationes quæ in his fiunt, sacerdotis sunt, illa Domini, hæc ministri. minister orat,Dominus consummat orationes,Saluator dat, sacerdos gratias agit pro datis. Offert quidem sacerdos,sed Dominus suscipit munera. offert quidem& Dominus,sed seipsum patri offert postquam fiunt ipse, idest postquã mutatata sunt in corpus & sanguinẽ eius. quia enim seipsum offert, idcircò dicitur esse idem offerens,& oblatus, & suscipiẽs: offerens quidẽ & suscipiens vt Deus,oblatus vero vt homo. munera verò cùm adhuc sunt panis& vinum offert quidem sacerdos,suscipit verò Dominus. Sed quomodo suscipit munera,qui ea facit?nempè sanctificando illa,& in corpus suum mutãdo.hoc enim significat suscipere, facere sua,secũdũ ea, quę anteà dicta sũt.hęc illę. Ex his planè effectum est, supplicem sacerdotem hac prima Canonis oratione orare Patrem per Christum Dominum, & petere quæ sequuntur.Quare impia est & impudens setentia Protestantium, sacerdotẽ petere propter panem nondum sanctificatum,vt Deus suæ Ecclesiæ propitius velit esse,quod erit apertius ex his, quæ statim sic petit:Vti accepta habeas, & benedicas hæc dona,hęc munera, hęc sancta sacrificia illibata.Dona Dei & munera vocat,quę ex liberalitate Dei à nobis possessa,iterum Deo offerimus:vt reipsa ostẽdamus & profiteamur,Deũ autorẽ illorum esse, & ideo in honorem Dei,iterum coram illo sisti & proponi,quę est omnium sacrificiorum cõmunis ratio,sicut scriptũ est.1. Paralip.29. tua sunt omnia,& quę de manu tua accepimus,dedimus tibi:& quia prius offeruntur & donantur à populo,vt sint materia sacrificij, supra cap. 29. hæc est ratio doni & muneris.hoc autem dicitur nunc sacrificiũ per anticipationem,quòd sit materia futuri sacrificij per consecrationem. nũc enim panis & vinum,quæ donum & munus vocantur,sacrificia esse nõ possunt:quia solus Christus in nouo testam. sub specie panis & vini sacrificari potest,& ideo illibata, id est immaculata & pura dicuntur sacrificia, quatenus sub duplici specie sacrificandus est Christus.itaque licet vnicum sit sacrificium,& vnica victima, ex duplici tamen specie,& repręsentatione, sacrificia dicuntur.sic ostensum est supra cap.11. in consecratione consistere rationem nostri sacrificij,& cap.14.ex duplici specie,sacrificia vocari,cum tantum sit vnum sacrificium.Cui etiam ratio doni & muneris ideo conuenit,quia Christum immolandum pro nobis Deus donauit, & nostrum immolatione crucis effectum, iterũ Deo offerimus, vt per se patri acceptũ,quod illa oratio declarauit, [in quo mihi bene cõplacui,]& per eum,& in eo omnes homines Deo placere debent:& ideo is solus est sacrificium & victima noui testamenti.

D.Th. 1. 2.q. 102.art. 3.

Hæc igitur dona,& propriã futuri sacrificij materiã, petimus accepta & grata fieri Deo,&ab eo benedici & consecrari:vt per illa sic consecrata,hoc est per Christũ ipsa consecratione sacrificatum, Deus sit suæ Ecclesiæ propitius. Est enim ex eodem c. 11.repetendum, ea quæ vnica consecratio reipsa & secundum actum exercitum continet,etiamsi antecedant vel consequantur ipsam consecrationem,ad ipsam tamen referenda esse:vel quia sunt materia illius, vt panis & vinum:vel quia explicant & exprimunt apertius,quæ breuiter cõsecratio cõprehendit,vt orationes,quæ ipsam statim sequuntur.accepta verò & grata sacrificia petimus fieri, non ad redemptionem simpliciter & absolutè, quæ iam in cruce perfecta est, sed ad redemptionis efficacem applicationem,quæ aliquando dicitur redemptio nostra, idest nobis accõmodata, qui est huius sacrificij proprius effectus, quo distinguitur à sacrificio crucis supra cap. 9.

Benedicere est consecrare sup. q.75.nu.2.

Sequitur

Sequitur in Canone.

In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

Oblatio generalis sacrificij.



Commemoratio viuétium pro quibus offertur sacrificium, his verbis continetur, ex D. Paulo 1. Tim. 2. collecta. præcipit enim in sacrificio commemorationem fieri & oblationẽ, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt ex Patrum consentienti explicatione principio huius c. deduximus. sed quia sacrificium applicat fructum redemptionis, & ab ea neminẽ Christus excepit, ideò primum vniuersalis Ecclesia proponitur, deinde, qui in sublimitate constituti sunt nominatim recensentur. Ratio hæc D. Pauli est eodem c. his verbis comprehensa. hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, hoc est, vt Dominus omnes redemit, & ad se venire vult, sic etiam oportet nos eidẽ consentientes orare & offerre sacrificium pro eisdem omnibus. vnde persimiles orationes sunt in Missis antiquorũ Patrum, vt principio huius cap. ex D. Clemente & aliis obseruauimus. quod si Paulus præcipit pro regibus orare & offerri sacrificium, & pro omnibus, vt ad agnitionẽ veritatis adducantur, certè præcipit pro infidelibus etiam offerri: nam & reges tunc infideles erant, & ad agnitionem veritatis venire non intelliguntur, nisi infideles: cũ fidei propria sit illa veritatis agnitio, & ideò ad eam veniunt, cumprimum fide imbuũtur. sic ex eodem Apostoli testimonio, Patres omnes à nobis citati principio cap. huius collegerunt: & nos supra c. 23. explicauimus, qua ratione sacrificium nostrum pro infidelibus & separatis ab Ecclesia, offeréndum sit, vt ad eam adducãtur. idem etiam significat in hac oblatione verbum [adunãdi.] petimus enim adunari Ecclesiã, & offerimus sacrificium pro ea adunanda, quod non est aliud, quàm offerre pro segregatis ab Ecclesia, vt in eam congregentur: adunantur enim propriè, quæ antè fuerant dispersa & separata, vt expresse continetur in missa D. Iacobi, cuius verba proposuimus suprà eod. c. 23. Cæterùm, vt ad singula verba huius oblationis accedamus, quid sit Ecclesia, quare sancta, catholica, atque etiam Apostolica dicatur, in catechismo explicatum est. his autem perceptis, petimus nunc eidem Ecclesiæ quatuor hæc concedi, pacem, custodiam & tutelam, adunationem, rectionem & gubernationem. pacem primò intelligimus, quæ exuperat omnẽ sensum, & effectus est iustificationis, sicut scriptum est Rom. 5. iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum IESVM Christum. deinde pacẽ intelligimus reip. sæcularis, in qua nobis viuendum est. sic enim Apostolus 1. Tim. 2. pręcipit orandum esse in missa, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. hæc itaq; pax reip. sæcularis, non solum expellit omnem seditionem externam & perturbationem, sed etiã tuetur & conseruat internam pacem, ex infusa à Deo charitate & iustitia Christiana, prouenientem. ad eãdem pacem hortatur sæpè Apostolus 1. Corint. 1. & ad quietem 1. Thess. 4.

Secundò petimus Ecclesiam à Deo custodiri, & defendi, tum ab hostibus internis, tum etiam externis, exemplo Domini, qui pro Apostolis & discipulis sic Patrem orat Ioan. 17. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. vnitas enim hæc, Ecclesiæ certa nota & signũ est. & certa est promissio Dei apud Apostolum, fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentũ: & Domini, cũ ad Patrem ascenderet, ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem sæculi, & Psal. 90. cum ipso sum in tribulatione,

bulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ. persecutione etiam creuisse Ecclesiam nõ tissimum est, cum sanguis martyrum exẽplo amplificet, quod numero detrahit.

Tertiò petimus Ecclesiam adunari, vel in vnum spiritum fideles, qui eam constituunt, vel in vnum corpus ex multis etiam ab ea separatis & disiunctis. ostendimus enim paulò antè, etiam pro infidelibus nos orare & offerre quadã ratione, vt in Ecclesiæ filios cooptentur.

Quartò in verbo regendi petimus, officium pastorum Ecclesię rectè administrari, quia integritas præsidentium, salus est subditorum, Trid. sess. 6. c. 1. de reform. & Dominus ascensurus ad Patrem, prius Petrum toti Ecclesiæ præfecit. pascere autem & regere Ecclesiam pastores tenẽtur, exẽplo, verbo & legitima sacramentorum administratione, pro sibi subiectis sacrificiũ offerre, pauperũ, aliarumq; miserabiliũ personarum curam paternam gerere, & in cętera munia pastoralia incũbere, de quibus plenissime Apostolus in epistolis ad Tim. & Titũ. vt autem generalem hanc petitionem intelligamus, addita sunt illa, [toto orbe terrarũ,] hæc est enim catholicę & vniuersalis Ecclesiæ nota, vt ad omnes locorũ & temporum distinctiones pertineat, eandem & consentientem doctrinam retinẽs, sub vno capite supremo Romano Põtif. vt in articulo de Ecclesia in Catechismo explicauimus. Postremò fit distincta & propria commemoratio Papę, Antistitis, & Regis, quia sic præceptum esse ab Apostolo 1. Tim. 2. suprà explicatum est, cum inquit, orandum esse in missa pro Regibus, & iis, qui in sublimitate constituti sunt. pręcedũt tamen Ecclesiæ præfecti, eòs qui reip. sęculari præsunt: quia spiritualia, quæ illi procurãt, sæcularibus & corporalibus, quę ab his gubernantur, potiora sunt, & digniora. Papam autem, idest Patrem, vsus Ecclesiæ fecit successoris Petri proprium nomen per antonomasiam, cum olim omnium Episcoporum commune nomen fuerit. fides verò orthodoxa, idest rectè sentiens, & catholica vel vniuersalis eadem, quia non potest de Deo & diuinis rebus rectè sentire & iudicare, nisi qui consentientem cũ tota Ecclesia & suo capite doctrinam profitetur: & qui ab ea vnitate discedit, à recta etiã fide discedat necesse est, nec potest Deũ habere patrẽ, qui hanc Ecclesiam, continuata serie à Christo ad nos vsq; deductã, matrem non habet, & confitetur magistram.

Sequitur in Canone.

¶ *Memento Domine famulorum famularumq; tuarum N. & N. Et omniũ circunstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisq; omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ: tibiq; reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero.*



Actenus generalis facta est applicatio huius sacrificij pro viuentibus, nũc verò fit specialis, ex proposito & intentione sacrificantis sacerdotis: de qua distinctione generalis & specialis applicationis dictum est suprà c. 26. itaq; tantum est hîc admonẽdus sacerdos, vt eorum pro quibus offerre proposuit, specialiter meminerit, iuxta præscriptas eodem c. præceptiones. pro quibus autem rebus à Deo obtinendis offerendũ sit, dictum est c. 21. & duobus proximè sequẽtibus. vt autẽ prosit eisdẽ, præparatio quædam necessaria est, vt eodẽ c. 21. explicatũ est: sed ex quibus cõstare debeat, hîc distinctè exprimitur. sunt autem hęc, fides, deuotio Deo cognita & probata, vel quã Deus gratã & acceptam habet, vt hæc cognitio & notitia nõ sit simplicis intelligentiæ, sed approbationis. sic Psal. 1. dicitur Dñs cognoscere viã iustorum, & iter impiorũ perire, vt cognoscere & perire sint opposita: quæ autẽ Deus probat, ea nullo modo perire possunt, cùm vel ipsa, vel eorum præmia sint æterna in conspectu Domini. fides intelligitur catholica, qua verbo Dei, per legitimos Ecclesiæ doctores proposito, assentimur, siue ea sit perfecta per adiunctam charitatem, siue imperfecta sine charitate: vtramuis enim fidẽ habentibus, hoc sacrificium prodesse potest, illis quidẽ

directè &immediatè, quòd sint amici Dei, & proinde omnium diuinorum munerũ participes: his autẽ mediatè, quatenus virtute huius sacrificij placatus Dñs, concedit illis pœnitentiã, & peccata remittit, vt ostendimus c.23. ex cõc. Trid. sess. 22. c. 2. de sacrificio missæ. vnde quod statim sequitur, [pro redemptione animarum suarum,] ad vtrosq; sic potest accõmodari: vt redẽptio sit, nõ quidem secundũ sufficientiam, quę est propria sacrificij crucis, sed secundũ efficaciam, quæ est huius sacrificij missæ propria: atq; ea redẽptio efficax, vel sit à mortalibus peccatis, vel à venialibus, & pœnis eorum, cùm pro culpis & pœnis hoc sacrificium offeratur, quia Christus nos redemit à seruitute culpę, & à pœnę obligatione, vt ostendit D.Th.3.p.q.48.ar.4.& 5. cum autẽ iusti à venialibus peccatis liberi nõ sint, cũ sit eorũ propria & vera oratio, [dimitte nobis debita nostra,] & augmẽto gratię perfectiùs iustificentur, efficitur, eis hoc sacrificiũ valde prodesse, vt amplius iustificẽtur, & à venialibus peccatis mũdentur: atq; etiã vt pœnæ, pro quibus forte adhuc non est perfecta satisfactio, remittãtur, aut omninò, aut ex parte, pro modo preparationis cuiusq;. diximus de præparatione per fidẽ, sine qua impossibile est placere Deo absolutè & vniuersaliter, sed præterea ad percipiendum fructum huius sacrificij, plurimũ valet fides expressa de fructu & valore illius, & non tantum fides implicita & vniuersalis. vt enim Ecclesia catholica solemnes quosdam dies statuit, ad recolenda fidei mysteria, & fidem eorũ expressam excitandam: sic etiam frequentat hoc sacrificium, vt excitet in nobis gratam passionis Christi recordationem, sicut scriptum est, hoc facite in meam commemorationem: atq; ideò fides de huiusmodi mysterio, sacrificio missæ in nobis excitata, expressa debet esse, vt institutioni Christi conformes simus. sic etiam ostendimus ad præparationem sacramenti suscipiendi, fidem de illius effectu & institutione expresse habendam esse: primò generaliter in omnibus sacramentis, q.60. num.12. & q.61. num.3. & q.80. in principio. Deuotio, altera p. præparationis offerentis, est voluntatis promptitudo ad cultum & ministerium Dei D.Tho. 2.2.q.82. Offert autem quisq; per sacerdotem pro se suisq; omnibus, idest pro omni indigẽtia spirituali & corporali suprà c.21. præterea, pro spe salutis, scilicet æternæ cõsequendę, cùm eam propriè spes intueatur & respiciat. incolumitas idem videtur esse, quatenus erit libertas ab omni malo, cùm tandem inimica mors destruetur. 1. Cor. 15. vel incolumitate continentur etiam bona præsentis vitæ ad salutem necessaria, & malorum, quæ in eadem occurunt, depulsio. quod verò additur, [tibiq; reddunt] ad conditionem offerentis & præparationem referri debet hoc modo, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibiq; reddunt vota sua Deo viuo & vero, quasi dicat, his fructũ huius sacrificij specialem accõmodamus, pro quibus illud nominatim offerimus, vel qui tibi illud offerunt, recta fide & deuotione, & omnia sua vota & desideria ea sanctitate cõcipiunt, vt digna sint, quę ad te referantur, propter gloriã nẽpè Dei & Christi Dñi. sic enim hęc oblatio ex fine & deuotione offerẽtis, erit Deo accepta & grata, nõn solùm ex opere operato, sed etiã operantis. sed obseruabis primò, sacerdotis sacrificãtis propriã esse oblationem externã, vt est proprium visibile & externum Ecclesię sacerdotiũ: oblationem autem internã ad hunc, aut illum fructum consequendũ, communem esse eidẽ sacerdoti cũ omnibus aliis fidelibus, quibus cõpetit sacerdotium spirituale & internũ ad offerẽdum spirituales hostias: & hanc etiã, quæ exterius ministerio sacerdotum offertur, pro sua & aliorũ salute interius, vt eius fructus, vel ex oblatione sacrificantis sacerdotis, vel ex propria cuiusq;, ad omnes dimanare possit. deinde, Missam esse sacrificium laudis, ea ratione intelligendum est, qua suprà explicauimus c.9. ad finẽ. deniq; accuratè considerandũ est, quãtus fructus, iis, qui missę intersunt corpore & spiritu accrescat, cùm & pro ipsis specialiter offeratur, & ipsi offerre possint pro se suisq; omnibus: vnde frequenter cõtinget, vberiorẽ fructum ex missa prouenire, ad circunstantẽ hoc modo, quã ad eum, qui Missam offerri procurauit, vel offerentẽ sacerdotem, si circunstantis perfectior sit preparatio ad eundem fructũ percipiendum, etiamsi pro omnibus specialiter offeratur. loquor autẽ de Missa, vt est sacrificium, quod offertur. vt enim est sacramentum, dubium non est prodesse magis dignè suscipienti sacerdoti, quàm circunstantibus non suscipientibus.

De hac distinctione sacrificij ex opere operato sup. c.10. & 27.

De sacerdotio spirituali. 1. Pet. 1.

Sequitur in Canone.

Infra actionem.

¶ Communicantes, & memoriam venerantes in primis gloriosæ, semperque virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi: Sed & beatorum Apostolorum, ac martyrum tuorũ Petri, & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Xisti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioãnis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium sanctorum tuorum: quorum meritis precibusq́. concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.



Ctio sacrificalis, qua petit sacerdos dona proposita in corpus & sanguinem Christi commutari ad sacrificãdum, quasi interrupta est, secreta viuentium, pro quibus specialiter offertur, commemoratione: nunc vero cõtinuatur, & ideò dicitur infra actionem, veluti illius actionis quædam continuatio: vt mos ecclesiasticus obtinuit, dies octauæ solemnitatis alicuius, voçare infrà octauam. fit autem sanctorũ cum Christo regnantiũ vniuersalis & specialis commemoratio, tũ quia cõmunicatio eorum in hoc sacrificio quod offerimus, gratiæ & gloriæ illorum causa fuit, atq; ita eorũ cõmemoratio, est Christi immolati triumphus & victoria: tũ quia hac cõmemoratione in auxilium nostrum eos inuocamus, vt eorũ protectione muniamur, & ad imitationem accendamur: vt sicut illos huius sacrificij participatio gloriosos effecit, sic nos ad eãdem participationem excitemur. has duas causas comprehendit canon, primis & extremis verbis sententiæ propositæ, consultò vtens communicatione, memoria & protectione sanctorum. & meritò, quia D. Paulus ad Hebr. 13. c. scribit, mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem. loquitur enim de sanctis mortuis, vt eorum gloriam celebrent, fidem & mores imitentur. sic semper intellexit catholica Ecclesia, martyrũ & omnium sanctorum cum Christo regnantium in hoc sacrificio commemorationem fieri, propter easdem causas, nõ autem, quòd oremus, aut offeramus pro illis, sicuti pro viuis, vt consortio Christi digni habeantur. iniuriam enim facit martyri, qui orat, aut sacrificat pro martyre, vt ex D. Augustino factum theologis est tritum sermone prouerbium. etenim sic scribit de verbis Apostoli serm. 17. habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cũ martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi nõ pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. eandem sententiam de martyrum in missa commemoratione repetit tractat. 84. in Ioã. & lib. 22. de ciuit. c. 10. & de sancta virgin. c. 45. id verò Tertul. ante eum lib. de corona milit. vt Christianis consuetum refert Cyprianus epist. 34. Epiph. lib. 3. contra Aëriũ. similiter cum in honorem martyrum, aut sanctorum missas celebramus, non eis sacrificamus, sed ad recolendam eorum memoriam, & perpessionis triumphum, in gloriam Dei & Christi, qui dedit & obtinuit sua passione, vt martyres vincerent. hæc enim necessariò coniuncta sunt, altare, sacrificium, sacerdos: atque ideò vt sacerdos, Dei sacerdos est, vt offerat dona & sacrificia, sic sacrificium Deo tantum offerri potest. vnde D. August. lib. 20. contr. Faust. cap. 21. populus, inquit, Christianus, memorias martyrum, religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem,

Sanctorum in missa commemoratio, ex diuina & Apostolica traditione.

Soli Deo & nõ sanctis sacrificamus.

nem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrum constituamus altaria. quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, vt ex ipsorũ locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante, possumus. eadem est antiquitatis totius sententia, & ideò eisdem ferè verbis in decretum vniuersalis Ecclesiæ redacta à Concil. Trident. sess. 22. c. 3. de sacrificio missæ. sed in martyrum commemoratione non tantum Apostolorum specialis fit commemoratio, sed aliorum etiã, quos præcipuos colit Ecclesia Romana, aliarum omnium mater & magistra: & in aliis sanctorum Missis videmus alios commemorari, qui vel in eorum diœcesi passi sunt, vel in eorum ecclesiis præcipuè venerantur, vt constat ex Canone Ambrosiano, & aliis Græcorum Patrum. itaque, licet omnium sit idem Canon missæ, vel verbis & sententia, vel sententia saltem: sanctorum tamen commemoratio varia est, pro gentis & loci speciali deuotione. tandem concludit hæc commemoratio, nos adiuuari meritis & precibus eorundem sanctorum: notum est enim Theologis, in Ecclesiæ catholicę thesauro, non solùm contineri merita Christi, quæ cæteris hominibus merendi vim contulerunt, sed etiam merita sanctorum, vnde potestas indulgentias concedendi orta est & recepta. precibus autem sanctos & beatos efficere, vt hæc hostia sit salutaris, & Deus sit nobis propitius, catholicum dogma est, repetitũ in concilio Trident. sess. 25. in decreto de inuocatione sanctorum. vnde D. Petr. 2. epist. cap. 1. dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. an verò aliqua ratione ipsis beatis, hæc illorum in missa commemoratio prosit, ostensum est suprà c. 24.

Sequitur in Canone.

¶ *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias: diesq. nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, Per Christum Dominum nostrum. Amen. Quam oblationem tu Deus in omnibus, quęsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq. facere digneris: vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi.*

Tria petit hæc oblatio.



Blationem principio cœptam, proposita sententia sacerdos concludit. petit enim placari Deum dignitate & excellentia sacrificij, vt fiat nobis salutaris, ad vitæ æternæ participationẽ: atque vt sacrificium perfici possit, petit deniq; oblationem, idest oblata munera, benedici & consecrari: sic enim pro nobis Christus sacrificabitur. dicitur autem oblatio, per anticipationem, ipse Christus posteà per consecrationem offerendus. seruitutis nostræ, hoc est diuini cultus & latriæ proprium obiectum, & omnis familię, quæ est Ecclesia catholica, in qua Deus propriè & verè colitur & adoratur. sic missam vocat Clemẽs li. 8. Apost. cõsti. c. 15. latriam mysticã, idest Dei occultum & secretũ cultum: quatenus adoratur in missa Christus Deus & homo, sed non in propria specie, vel forma, sed in figura panis & vini tectus & occultus. quamuis enim seruitus ex se intelligi possit, cultus non tantùm Dei, sed etiam sanctorum, hoc est non tantum latria, sed etiam dulia, qui est proprius seruorum Dei cultus & reuerentia: tamen hoc loco non potest intelligi nisi latria proprius Dei cultus. primò quidẽ, quia ad Deũ dirigitur oratio, & Dei cultus latria est, non dulia. deinde, quia in missę oblatione solus

Seruitus latriæ in missa.

Deus & homo Christus Dominus per consecrationem præsens proponitur, sacrificatur, adoratur & sumitur: nullus vero homo aut angelus ex vi oblationis, aut in ipsa oblatione sistitur & adoratur. tertiò, quia sic veteres Patres missam vocant cultũ latriæ, vt ante ex Clemente obseruauimus: & D. Epiphanius in epitome de fide catholica, vocat latriam œconomiæ, idest dispẽsationis, verbi scilicet incarnati, vsurpans abstractum pro concreto. deniq; Apostolus, quem omnes imitantur in hac appellatione, in priori ep. ad Timot. c. 3. vocat sacramentum pietatis, hoc est diuini cultus mysterium, nam pietas Græcè à Paulo dicta est Eusebia, quæ idem est cum latria & Theosebia, & à mysterio, quod est sacramentum tectum & occultum, deducitur mysticum: quare quod Paulus dicit mysterium Eusebiæ, vel latriæ, id vocauit Clemens latriam mysticam, & Epiphanius latriam œconomiæ, vel dispensationis & incarnationis diuini verbi. constat enim in Missæ omnibus partibus, nihil aliud repręsentari, quàm diuini verbi incarnati mysteria, vt quę D. Paulus eodem loco scribit de illis, ostendemus ad finem huius expositionis canonis, per missæ partes significari & repræsentari. est autem latria, inquit D. Aug. lib. 20. cont. Faust. c. 21. quædam propriè diuinitati debita seruitus, qua nec colimus, nec colendum docemus nisi vnum Deum, [nempè vt autorem & principium omnium bonorum, & nostræ salutis architectum.] cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij [quatenus est testificatio supremi dominij, & finis, vel obiecti nostræ beatitudinis,] vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. ipsi enim sancti, vel homines, vel angeli, exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. hactenus August. & lib. 20. contra Faustum c. 21. sacrificium Ecclesiæ appellat ritum in manifestatione noui testamenti præceptum, pertinentem ad illum cultum, qui latria dicitur, & vni Deo debetur. in hac igitur missæ oblatione accedimus ad colendum Deum proprio cultu latriæ, nempè credentes per consecrationem offerri, & præsentem esse in missa verè & substantialiter, Deum & hominem, Christum Dominum: & sperantes tali oblatione & cultu, fore nobis Deum propitium & placatum. quare simul profitemur, quod Protestantes impiè negant, in Eucharistia verè adorari Deum, & illius proprium cultum esse latriam. per eandem oblationem petimus & pacem nostris diebus, & numerum inter electos & prædestinatos. pacem intelligimus vtramq; internam & externam, vt suprà explicauimus. precibus autem & sacrificiis, sanctos, quos Deus ex se ad æternam gloriam prædestinauit, adiuuari, vt eam consequantur, explicatum est 1. p. q. 23. art. 8. Sed quomodo petat sacerdos munera oblata benedici & consecrari, vt nobis, idest ad nostram salutem fiat Christus pręsens, deinceps audiamus. primò quidẽ petit oblationẽ, idest dona oblata panis & vini, benedici, hoc est consecrari, & per transubstantiationem in corpus & sanguinem Domini conuerti, vt explicatum est suprà ad q. 75. secundò petit eandem oblationem fieri adscriptam, ratam, rationabilem, atque acceptabilem, quæ sic explicat August. vel Paschasius c. vtrum sub, de consecratione dist. 2. hanc oblationem inquit, [fieri] benedictam, per quam nos benedicamur: adscriptam, per quam omnes in cęlo adscribamur: ratam, per quã in visceribus Christi esse censeamur: rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilem, vt qui nobis ipsis displicuimus, per hanc acceptabiles eius vnico filio simus. sed quia hæc tantùm explicant fructum, & efficacem applicationem, huius hostiæ immolandæ per consecrationem, non autem, qua ratione ipsa ex se sit benedicta, rata, &c. ideò restat adhuc explicanda ratio & vis illorum omnium. benedici igitur dona, idem esse atque consecrari, suprà ex sancta scriptura & Patribus ostendimus quæst. 75. numer. 2. sed adhuc explicandum est, cur hæc hostia ex se benedicta sit. cum autem benedictionem hominibus olim per semen Abrahæ promissam, solus Christus impleuerit, sicut scriptum est Gala. 3. vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo IESV, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem, & infrà promissiones Abrahæ dictas esse inquit, & semini eius, quod est Christus,

D. Th. 2. 2. q. 84. ar. 1.

D. Th. 2. 2. q. 85. ar. 2.

hac

has vero promissiones & benedictionem esse de bonis spiritualibus, quæ ad internã innouationem pertinent constat ex c.1.ep. ad Ephes. benedictus, inquit, Deus, & Pater Dñi nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. quod si gratia & veritas per IESVM Christum facta est Ioan.1.& veteres Patres defuncti sunt nõ acceptis repromissionibus Heb.11.& de Christi plenitudine omnes accepimus easdẽ repromissiones, & gratiam pro gratia, hoc est de Christi excellenti gratia, vnusquisq; suam: certè confiteri necesse est benedictionem Christi vt hominis, vnde nostra benedictio dimanat, esse gratiæ illam plenitudinem, per quã & ipse benedictus est, & nos omnes benedicere potest. [ascriptam] dicit & petit fieri eandem oblationem, hoc est illam definitam & constitutam à Deo, vt in æternum in Ecclesia permaneat. hanc enim designauit Deus, & ideò adscripsit, in qua propitius nobis fieret. sic etiam filius ad Patrem loquitur Psal.39. sacrificium & oblationẽ noluisti, corpus autem aptasti mihi, nempè cuius immolatio gratissima tibi esset, & maximè accepta, vt Apostolus explicat ad Heb.10. quamuis enim loquatur de sacrificio Christi in cruce, eadem tamen est hostia & victima in Missa per transubstantiationem materiæ oblatæ, & in cruce, modus offerendi diuersus est: ibi quidem ad sufficientiam & redemptionem in propria specie: hîc autem in aliena ad efficaciam & redemptionis applicationem, vt suprà ostẽdimus. sunt tamen, qui existiment, ascriptã idem esse, quod non finitam, neq; circunscriptam loco, quod quidem corpori Christi existenti in Eucharistia ideò conuenit, quia existit ad modum substantiæ, totus in tota quantitate panis & vini, quę remanet post transubstantiationem, & totus in quauis parte, & ideò loco non circunscribitur perse, vt explicatum est suprà.q.76.ad art. 1.& sequentes num.3.& ad art.5.& sequentes num.1. id verò colligunt ex Missa Gręca D.Petri, quæ in vsu est, in magnæ Græciæ prouincia, quę Basilicata dicitur. in eius enim canone, pro [ascriptam] legitur aperigrapton, idest incircunscriptam: videtur autem illis idẽ esse ascriptam, quasi dictione composita, ex prępositione priuatiua, a, & scripta, & maluisse intrepretem ita dicere per cõpendium, quàm incircunscriptã, sed significationem eandem esse, quasi latinus canon ex illo Græco trãslatus sit. pia quidem & acuta consideratio, sed non satis firma & constans. Nam licet Missæ Gręcæ & Latinæ, & earum canones maiori ex parte consentiant, non tamẽ omninò: quia constat à posterioribus pontificibus quædam fuisse addita, vt ostendimus c.29. ex imitatione aliorum Patrum, & sanctæ scripturæ. & quamuis Græcè scripserit epistolas D.Petrus, non tamen instituisse primo Missam latinã latinis, apud quos degebat, sed ex Græca translatam esse, omninò certum est. additur tertio [ratam] hoc est constantem & firmam ad impetrandum quod petimus, nempè cuius vis & fructus, ex opere operato, non verò operantis, expendendus sit, vt suprà explicauimus. Græcus ille canõ, de quo paulò antè, vt iidem autores referunt, pro hac dictione habet, euapologiton, hoc est firmę & constantis defensionis pro peccatis nostris corã tribunali Dei. quæ explicatio eodem omninò pertinet, quòd verò addunt [rationabilem] idem esse, vt illa duo, [ratam, rationabilem] sint idem atq; illud vnum Græcum, euapologiton, id non videtur consideratè dictũ esse, vt ex sequentibus constabit. petit enim sacerdos oblata munera panis & vini, per cõsecrationem fieri hostiam rationabilem, idest intellectualem, non brutam & rationis expertem: quòd proprium est nostri sacrificij, quatenus immolamus & offerimus Deo, non brutas pecudes, vt in veteri testamento, quæ proinde per se Deum placare non poterant, neque offerentes sanctificare, sed Christum Deum & hominem, & ideò intellectualem, & cuius preces & oblatio, vt intellectualis hominis, Deo acceptæ & gratissimæ fuerunt: quòd ea natura intellectualis esset Deo in persona filij coniuncta, & ideò impolluta & innocẽs, & idcircò Deo gratissima, vt Apostolus deducit c.7. ad Hebr. ad redemptionẽm quidẽ in cruce, ad redemptionis applicationem in Missa, vt prius obseruauimus: vnde illa dicitur cruenta & in specie propria, hęc autem incruenta & in aliena specie panis & vini, & hac ratione mystica, tecta & occulta, licet realiter & substantialiter eadem. sic appellãt Græci Patres nostram in missa victi-

Oblatio ascripta.

Fräc. Turrian. lib. 8. constit. Clement. c. 12. in scholio nu.5.

Oblatio rata.

Hostia nostra intellectualis et incruenta.

Clem. lib. 6. cõstit. c. 23.

victimam logicam,ideſt rationalem,rationabilem,intellectualem , & incruentam. Clemens Papa lib.2.conſtit. Apoſtol.c.24. de Epiſcopis,ad aram,inquit, Domini Dei noſtri aſſiſtitis,eidemq; hoſtias rationales, & incruentas per Chriſtum pontificem magnum offertis.lib.6.c.23. conferens noſtrũ ſacrificium cum veteribus, inquit, pro ſacrificio cruento, rationale & incruentum, & illud myſticum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini,quod in ſymbolum mortis eius celebratur.illa enim cõiunctio [&] explicat præcedentis ſacrificij,quod appellauerat rationale & incruẽtum, vim & modum : quaſi diceret, voco rationale & incruentum ſacrificium,quod ſub ſpecie aliena,eſt corporis & ſanguinis Domini,in cruce effuſi commemoratio : & ideò ſignum & ſymbolum eſt, in modo offerendi, ſed in re & ſubſtantia, eadem omninò victima.quod autem quidam cenſent, rationalem & incruentam hîc vocari ſpiritualem hoſtiam,vt contriti cordis,laudis, gratiarũ actionis,quam quilibet fidelis offerre poteſt,& non tantùm ſacerdos, alienum eſt à propoſito Apoſtolicæ conſtitutionis. nunquam enim in eius autore,aut in veteribus Patribus legimus,rationalem & incruentã vocari,illam hoſtiam ſpiritualem omnium fidelium communem,ſed realem & ſubſtãtialem Chriſti hoſtiam,& ſacerdotum propriam in Miſſa,ſic incruentum de hac tantùm hoſtia dici ſuprà oſtendimus. rationales quidem hoſtiæ dicuntur,illæ ſpirituales & omnium communes, non tamen rationales & incruẽtæ.ſic enim Apoſtolus c.12. ad Rom.obſecro,itaq; vos fratres per miſericordiam Dei,vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem,ſanctam, Deo placentem,rationabile obſequium veſtrũ:vel ad verbum ex Græco, rationalem cultum veſtrum,& latriam.quibus ſanè verbis, ad imitationem victimę intellectualis in Miſſa,vult omnes fideles Deo dicare ſua corpora,vt ſint iuſtitiæ inſtrumenta in ſanctificationẽ,vt admonuerat c.6.eiuſdẽ ep.ſed nũc intuẽns noſtram Miſſæ hoſtiã, in qua pro nobis corpus Chriſti offertur, diſtinctè ad eius, quoad fieri poteſt, imitationem,hortatur noſtra corpora dicari & conſecrari diuino intellectuali & ſpirituali cultui : vt quamuis corporis corporatæ ſint actiones,ſic tamen ratione & intellectu in Deum dirigantur, vt ex ea relatione verè intellectuales & ſpirituales euadant. itaq; inquit,miſericordia Dei,quam in nos abũdè effudit per Chriſtum,excitet vos,vt corpora veſtra Deo offeratis,non quidem per mortem,id enim non ſemper à nobis Deus exigit,ſed per viuentes actiones , ſanctas, Deo gratas,in cultum Dei ſpiritualem : vt per eas Deus glorificetur & ſanctificetur, vt in oratione Dominica petimus. vnde rectè Theophilactus ex Chryſoſtomo ad eũdem locũ Apoſtoli c.12. rationalis,inquit, & intellectualis cultus eſt, non ſolùm, qui verbo fit,ſed etiã vita Chriſtiana:quãdo nimirum nullus irrationalis affectus in nobis regnat,ſed ratio omnia gubernat. ſicq; tanquam pontifex quiſque ſui ipſius factus fuerit, interiorem malitiam iugulans, & ſe exiſtimans ſemper Deo ſiſti in omni, cùm opere,tum verbo,ita horreat, quaſi pontifex,qui diuinæ aræ adſtiterit.expreſſit profectò rationem efficiendi ſpirituales actiones noſtras, modo ſacerdotis ſacrificantis, & imitatione. victima enim morte fit , & Deo ſiſtitur, quod optimè noſtris perturbationibus & affectibus accommodat.Poſtremò petit ſacerdos fieri hoſtiam [acceptabilem,] non quidem in ſe , cùm ſuaptè vi Chriſtus hoſtia noſtra,ſit Deo acceptus & gratiſſimus, vt Pater teſtatus eſt illis verbis, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,ſed petit,vt acceptabilis fiat pro nobis, & ſalutaris ſecundum efficaciam,& non fiat in iudicium & damnationem. verbum hoc etiam,vt præcedens, deſumptum eſt ex D. Paulo c.12. ad Rom. vbi ad huius hoſtiæ imitationem , hotatur fieri corpora noſtra, hoſtiam euareſton placẽtem & gratam Deo. in Miſſa autem illa Græca D.Petri, quam ſuprà citauimus quidam haberi referunt proſdecton, quod idem eſt.

Turria. in ſcho lio einſd. c.23.

Victima corporis noſtri, qua ratione ſpiritualis.

Turrian.lib.1. cõſt.Clem,c,12.

Sequitur

Sequitur in Canone.

¶ *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem: tibi gratias agens: benedixit, fregit, deditq; discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes:* Hoc est enim corpus meum. *Simili modo post quam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, Benedixit, deditq; discipulis suis dicens. Accipite & bibite ex eo omnes.* Hic est enim calix sanguinis mei: noui & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

HÆC est altera pars canonis, & ea omnium partium Missę potissima, nempè de consecratione, in qua huius sacrificij essentiam positam esse cap. 11. ostendimus: & ideò reliquæ partes ad eam referuntur, vel vt præparationes, vel vt applicationes, & gratiarum actiones. quare cùm ad hanc part. sacerdos accedit, sumens panem & vinum consecrandum, verba proposita, attentè, grauiter, expressè atque distinctè & secreto proferet, vt explicauimus ad quæst. 74. q. 1. de forma huius sacramenti numer. 16. quamuis enim in omnibus partibus, minister sit Christi summi & æterni sacerdotis, in ipsa tamen consecratione propius gerit personam illius: vt verè dicamus Christum, & olim in vltima cœna, & nunc in Missa cuiusuis sacerdotis consecrare: sed olim immediatè & per seipsum, nunc autem mediatè per ministros sacerdotes, & ideò est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: & sacerdotes ministri in persona illius, verba consecrationis proferunt, vt autoritas & vis prima ad consecrandum sit Christi, ministerium & vocum prolatio sit ministri sacerdotis. primùm igitur habitus sacerdotis ad consecrationem accedentis describitur, persimilis Christo consecranti in vltima cœna: deinde consecratio, & cuius gratia sit instituta, in recordationem, scilicet Christi passi pro nobis. in habitu sacerdotis sunt hæc, accipit panem, eleuat oculos in cælum, tum refert Christum gratias egisse, benedixisse panem, fregisse, dedisse discipulis, adiuncta illa oratione, accipite & manducate ex hoc omnes: quæ omnia Euangelistæ referunt in vltima cœna contigisse, excepta oculorum in cælum eleuatione. sed hanc verissimè tribui Christo, ex traditione Apostolica docet Ecclesia catholica, vt nullo modo de eo dubitare liceat, sicut neque de his, quæ Euangelistæ scripserunt. alioquin error aliquis esset in canone Missæ, tribuente Christo actionem, quæ ipsius non esset: cùm tamen definitum sit in Concilio Tridentino sess. 22. capit. 4. canonem Missæ ab omni errore purum esse. itaque, vt inquit Innocent. III. capit. cùm Marthæ de celebratione miss. formam horum verborum, item in forma calicis illa, æterni, mysterium fidei, quæ ab Euangelistis scripta non sunt, Apostolos à Christo accepisse, & ab his eorum successores, & ideò in Ecclesia catholica semper Christo tribuuntur. Græci similiter dicunt in canone Missæ, Christum gratias agentem aspexisse, & simul panem eleuasse, & nomen & virtutem Dei super eum inuocasse. videtur autem hæc eleuatio inuocationem, aut postulationem aliquam indicare, vt Ioan. 11. in resuscitatione Lazari, cælum prius aspexit, & gratias egit Patri, vt accipiens ab eo potestatem efficiendi rem admirabilem

lem & stupendam. itaque erit hæc eleuatio, præparatio quædam ad effectum admirabilem consecrationis: sequetur gratiarum actio, qua Christus Deum Patrem collaudasse, & pro eximio dono gratias egisse dicatur. sed benedictio, quæ sequitur, non ad Patrem, sed ad materiam consecrabilem referenda est, vt idē sit benedicere, quòd prolata verborū forma, consecrasse subiectam materiam, vt latius ostendimus ad q. 74. prima q. de forma Eucharistiæ numero 4. & sequentibus. quod si benedicere est consecrare, & fractio est distributio rei consecratæ, cùm distributio hæc fuerit corporis & sanguinis Domini, certè vel consecratio præcessit distributionem, vel saltem dum verba Christus proferebat, distributio facta est, vt eadem quæst. numero 9. explicauimus. Sed accedamus ad explicationem prioris formæ: in ea atque in posteriori, proprietatem verborum in partibus essentialibus retinendam esse dogma catholicum est, vnde necessariò pendet realis & substantialis Christi præsentia in hoc sacramento. est quidem in verbo [calix] metonymia continentis pro contento, cùm calix sanguinis, sit sanguis calice, aut poculo contentus, & vulgare & tritum est, calicem, aut poculum aquæ dicere, pro aquam è poculo: in cæteris autem verbis formarum proprietatem adiuncta ipsa confirmant. de corpore enim scribunt Euangelistæ, quod pro vobis tradetur, pro vobis datur: de sanguine, qui pro vobis effundetur, quæ non possunt, nisi de proprio, vero & substantiali corpore & sanguine Christi intelligi: de quibus cum hæreticis disputauimus ad q. 74. q. 2. de forma Eucharistiæ, defendentes Tridentinum de hac re decretum sess. 13. capit. 1. Retenta igitur verborum proprietate, veritas ipsa formarum ex his principiis colligenda est. Primum sit, has formas trifariam proferri posse, materialiter, recitatiuè & significatiuè: materialiter quidem accipi non possunt, vt exempla dialecticæ & aliarum artium: quia nihil significarent, efficiunt autem, quod significant secundum rectam fidem, vt statim constabit. recitatiuè sumuntur, quæ in aliena persona dicuntur, vt in comœdiis & historicis narrationibus, & rei præsenti non accommodantur, sed præteritæ & olim gestæ: quo modo formæ huiusmodi intelligi non possunt. constat enim his formis, subiectas materias immutari, & transubstantiari in corpus & sanguinem Domini: si autem recitatiuè tantùm intelligerentur, ad rem præteritam, non ad præsentem referendæ essent. denique significatiuè sumuntur, quorum significatio ad rem præsentem accommodatur. vnde cùm huiusmodi formæ à ministro sacerdote in persona Christi proferantur, & ad præsentem materiam panis & vini accommodentur, proculdubio ratione primi recitatiuè, ratione secundi significatiuè intelliguntur. accommodatum exemplum est, hominis legem nomine regis promulgantis, aut bellum indicentis. recitantur enim à ministro regia verba: sed eorum significatio subiectos obligandi vim habet. sic & sacerdos minister recitat quidem verba Christi, sed eorum significationem ex præcepto illius, subiectæ materiæ accommodat, vt faciat eisdem verbis, quòd Christus prius fecit, ex vi illius sententiæ, [hoc facite in meam commemorationē,] qua potestatem Apostoli & sacerdotes acceperunt immutandi materias subiectas, panem in corpus Christi, vinum in sanguinem. Alterum principium sit, propositiones veras esse, vel quia significant esse, quod est, vel non esse, quod non est, vel denique, quia significant quod fit, & ea intentione proferuntur, vt efficiant quod significant: & quia in termino prolationis earum significatio perfecta est, ideò tunc primò sunt veræ, & quod significant effectum est. vt si quis agro proprio demonstrato, & intendens, vt alterius efficiatur, dicat, hic ager tuus est: quo modo transferri aliquando dominium Iureconsulti affirmant. sed in factis & orationibus Domini, cùm verbo, quod vult, possit efficere, apertiora exempla sunt, etiamsi in verbis non sit imperium, sed narratio tantùm, quia assumuntur, vt instrumenta efficiendi quod significant. manifesta sunt illa, quæ imperium exprimunt, Lazare veni foras, puella surge: sed alia sine expressione imperij, quia instrumenta rei significatæ efficiendæ, similem vim habuerunt, fides tua te saluam fecit, & illa paralytico dicta, remittuntur tibi peccata tua, & illa regulo, vade filius tuus viuit, quibus Dominus absentis filij sanitatem effecit. vt autem hæc sub-

Distributio sequitur benedictionem.

In formis proprietas.

Formæ intelliguntur significatiuè & recitatiuè.

Formæ efficiunt in termino prolationis.

subiectis personis accommodata sunt, sic verba sacramentalia materiæ sacramenti accommodantur, quia sacramẽtalia sunt, vt ex forma, & materia coniunctis, veritas sacramenti constet. sed quia sacramentum noui testamenti est instrumentum, & eius potior pars forma, vera esse non potest, nisi efficiat cum subiecta materia quod significat, cùm non sit vera speculatiuè, significans quod est, aut fuit, sed practicè, efficiens scilicet quod significat, necessariò asserendum est, momento prolationem verborum terminante, significatum fieri, & veram esse formam. vt enim cætera sacramenta, in suscipiente, instrumentariè efficiunt quod significant, sic forma huius sacramenti in materia efficit: quia illa in vsu consistunt, hoc autem in consecratione materiæ, & consecrationem forma significat & efficit. ad hæc principia verissima, si forma prior expendatur, hunc habet sensum catholicum. hoc, idest præsens substantia accidentibus & figura panis tecta, est verè & substantialiter corpus meum, nempè cum primum verba prolata sunt: toto autem tempore terminum prolationis præcedente, erat substantia panis. sed quia significatio in termino illo completur, & non efficit forma, nisi quod significat, non erit vera, nisi in eodem termino, & demonstratio pronominis demonstratiui [hoc,] erit substantiæ indefinitè, vt veritati in eodem termino accommodari possit. Sed ad formam posteriorem accedamus. In ea non dicitur, hic est sanguis meus, vt scribit Marcus, & in priori dictum est, hoc est corpus meum, sed hic est calix, vel poculum sanguinis mei, ad significandam conuersionem vini in sanguinem potabilem. [Noui & æterni testamenti] significat in sanguine isto sancitum & initum fuisse testamentum, vel pactum & fœdus nouum & æternum. nouum quidem secundum reuelationem & effectum, quia post veterem legem à Christo institutum, per huius sanguinis effusionem, nouitatem cordis internam efficit, quæ institutio suprà explicata est cap. 7. æternum verò, & ratione instituentis & causæ, hoc enim testamentum de salute obtinenda per Christum, & sanguinis eius effusionem, statim à peccato primi parentis homini promissum est, illis verbis Genes. 3. & ipsa conteret caput tuum: & æternam & immutabilem vim habet, ex sacerdotio & victima Christi in cruce promanantem. hæc enim & vetera sacrificia consummauit, & vim tribuit nostris sacrificiis, applicantibus secundum efficaciam, quod illa secundum efficientiam obtinuit: atque idem sacerdos Christus, qui illam primo obtulit per seipsum, nunc eandem offert per ministros, quare æternam vim habet & effectum, cùm per eam omnes Deo placeant, & sine ea nullus placere possit, nec vnquam placuerit: & ideò dicitur agnus occisus ab origine mundi. quibus consentit, quod sequitur in eadem forma, [qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.] significat enim hîc existere sanguinem effusum per modum hostiæ, quatenus ex vi verborum, sanguis sub specie vini existeret sine corpore & anima, nisi ex vi concomitantiæ eisdem coniunctus esset: & ita fieri mysticam quandam ex vi verborum mactationem, vt ratio sacrificij compleatur, ostensum est suprà cap. 11. multi vero dicuntur omnes, vt ad Rom. 5. per vnum hominem peccatores constituti sunt multi, quia pro omnibus olim effusus est hic sanguis secundum sufficientiam, licet non prosit omnibus secundum efficaciam. extrema verba canonis proposita nos admonent, hoc sacrificium, quod consecratione perfectum est, non esse independens & absolutum, sed illius, quod in cruce perfecit Christus, recordatiuum. id vero nihil detrahit de ratione & essentia sacrificij, vt suprà c. 18. ostendimus.

Forma panis & vini explicatio.

Sequitur in Canone.

¶ *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra, quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedec, sanctum sacrificium immaculatam hostiam. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur, per Christum Dominum nostrum. Amen.*



V Æ breuis illa actio consecrationis comprehendit, ea & antecedentes orationes, & quæ nunc sequuntur apertius exprimunt & proponunt, vt obseruauimus suprà capit. 13. sed de his consequentibus nunc breuiter dicamus. Cùm autem ipsa consecratio mortem Christi repræsentauerit, quatenus, quæ concomitantia coniungit, ex vi verborum separat, vt corpus ab anima, & sanguine, & sanguinem à corpore & anima, & hæc facta sint in gratam Christi pro nobis passi recordationem, congruenter verbo Domini, hoc facite in meam commemorationem, proposita oratio exprimit eandem recordationem, propositis nostræ fidei præcipuis mysteriis, nempè passione, resurrectione & ascensione. non enim passionis Domini vis, nisi aliis duobus adiunctis, pro dignitate expendi potest, & ideò cùm Dominus in Euangeliis mortem suam prædicit, semper resurrectionem adiungit. etenim passione Dominus verus homo ostenditur, sed eadem nostram redemptionem effectam, & aditum patefactum in regnum cæleste, & vitam ęternam resurectio euincit: & ascensio in possessionem deducit. Nam resurrectio mortem destruxit, & declarauit nõ fuisse infirmitatis omninò, sed multo magis voluntatis: & ascensio viam nobis muniuit, per quam ad Patrem ascendere possimus, de quibus plura in Catechismo. Deinde declarat eadem oratio, cur hostia oblata, Deo gratissima sit, nempè quia pura ab omni labe peccati, quia sancta, & tota diuina, & in bono cõstans & firma: quia deniq; immaculata, quam, scilicet nulla vis hominum peccati macula inficere potuit. Sic D. Paulus ad Hebr. 7. de sacerdote Christo, qui idem hostia est, concludit. Talis enim decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Ephes. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. diximus plura de sanctitate & præstantia huius hostiæ suprà capit. 4. Postremò appellat canon eandem hostiam, panem sanctum vitæ æternę, idest cibum, quo reficimur ad vitam æternam: & calicem salutis æternæ, idest potionem, qua salutis æternæ participes efficimur: hanc enim hostiã sumentes dignè & benè præparati, ad immortalem vitam resurgendi potestatẽ accipimus, vt explicauimus ad q. 76. in q. de reali Christi coniunctione per dignam Eucharistiæ sumptionem. Cur autem panem appellet, cùm facta consecratione, sit facta illius conuersio in corpus Christi, explicaui-

plicauimus ad q.75.num.16. Deinceps precatur Deum, vt sereno vultu, idest placabili & propitio erga nos, oblatam hostiam ad nostram salutem suscipiat. loquitur autem humano more: in hominibus enim imago animi vultus est, & serenus dicitur, qui iræ & indignationis index non est, sed hilari & minimè perturbata frõte, supplices admittit. exemplis etiam excitat Deum ad miserationem, vt inquit olim suscepisti Abelis, Abrahæ, & Melchisedec sacrificia. etenim in his fuit magis expressa nostri sacrificij significatio, vt enim Abel occisus est à fratre, quòd eius sacrificium Deo placuisset, idq; igne cælesti ideo tactum fuisset, vt autor est D.Hieron. in qq. Hebr. in Genes. sic Dominus à fratribus & cognatis traditus est, quòd signis editis testaretur Deus, ipsius opera maximè sibi placere. quid facimus, dicunt illi, quia hic homo multa signa facit. in Abrahamo vero filium immolãti, maxima est immolationis Christi similitudo, & ideo inquit Apostolus ad Hebr. 11. accepit illum in parabolam. deniq; in Melchisedec sacrificio, fuit sacrificij nostri multis rationibus expressa dignitas, natura, æternitas & immutabilitas, quæ singilatim Paulus persequitur in eadem ep. ad Hebr. c.7. concluditur tandem hæc oratio inuocato angelorum ministerio, vt in cælesti altari, vel, quod idem est, in conspectu Dei nostrum sacrificium repræsentent, & Deo nobis propitio, ita participemus eodem, vt benedictionem olim Abrahæ promissam, & per Christum exhibitam, consequamur. in quibus manifesta est à sacrificio ad sacramenti sumptionem progressio, quia sacramentum est idem sacrificium, & Christus in specie panis & vini immolatus. sic D.Paulus. 1.Corinth. 10. nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris? vocat autem omnem benedictionem cælestem ex imitatione Apostoli Ephes. 1. omnem Christi benedictionem spiritualem, benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. dicuntur autem angeli, orationes & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant, qui omnia antequam fiat, sicut & postquam facta sunt, nouit, sed quia eius voluntatem super his consulunt, & quod Deo iubente completum esse cognouerint, hoc nobis euidenter, vel latenter reportent, vt inquit D. August. de diligendo Deo capit.3. sic Tob. 12. inquit angelus, ego obtuli memoriam orationis vestræ, vel ego obtuli orationem tuam Domino.

Deinceps sequitur in Canone, defunctorum fidelium specialis, & generalis commemoratio, quòd illis omnibus ad satisfactionem pœnarum, quas nondum persoluerunt, hæc oblatio valdè vtilis sit, vt suprà explicauimus. fit etiam sanctorum, qui iam optatã beatitudine fruuntur, recordatio, ob eãdem omninò rationem, quam ad priorem illorum commemorationem proposuimus. & in fine, inquit, per Christum hæc dona, idest sacrificium sub duplici specie panis & vini creari, hoc est fieri & produci, sanctificari, viuificari, benedici & nobis concedi, non quod ipsa consecratione non sint sanctificata, viuificata, & quæ sequuntur: sed vt nobis, idest ad nostram salutem facta sit per transubstantiationem illa ex pane & vino viuificatio, idest conuersio in Christum viuum, qui post resurrectionẽ non moritur, & mors illi vltra nõ dominabitur, Rom.6. per ipsum, subiungit canon, [& cùm ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis gloria & honor.] quorũ duplex potest esse sensus, prior, vt illa priora tria, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, ad Patrem & Christum hoc modo referantur, per Christum, inquit, meritoriè & efficienter est honor & gloria Deo Patri cum ipso Christo, & in ipso, simul cum sancto Spiritu. sic autem in merito & efficientia Christi, exprimitur natura humana, per quam, meritum, & illa efficientia instrumentaria eidem tribuuntur: in reliquis vero significatur vnitas essentiæ cum Patre, per quam vna persona est cum alia & in alia, vt licet sint inter se distinctæ, omnes tamen sunt vnus Deus, sic autem vna persona dicitur esse in alia, vt explicatũ est 1.p.q.42.ar.5. Posterior sensus est, vt illa tria priora ad Christum & nos referantur, quasi dicat, per ipsum Christũ, quatenus effecit nostram redẽptionem, & nos cũ eodẽ operãtes, & in ipso permanentes, vt palmites in vite, est gloria Patri & Spiritui sancto. constat enim, nos opera pietatis Deo grata exercere per gratiam, quã Christo coniungimur, adeò vt dicat Apostolus, non ego, sed gratia Dei mecum. & Dominus de his operi-

operibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrum, qui in cælis est. sic ergo ex Christo & nobis cum Christo coniunctis, Deo gloria & honor tribuitur.

Cætera quæ sequuntur, orationes sunt, quibus sacerdos ad sumptionem Eucharistiæ pręparatur. est autem prima oratio dominica, vt aliorum forma & exemplar, & quia ea est à Domino præcepta & instituta, & huic sumptioni maximè accõmodata, quatenus in ea petimus panē supersubstantialem, idest sacram Eucharistiam. eius expositio in catechismo est à nobis proposita: sed malū, à quo liberari in ea petimus, hîc explicatur præteritum, præsens & futurum. præterita mala vocat peccata, pro quibus adhuc satisfaciendum restat, & hoc sacrificium applicat nobis Christi satisfactionem, & minuit satisfaciendi obligationem. præsentia verò & futura mala sunt, vel peccata, vel impugnationes, quibus ad peccandum excitamur: vel deniq; ærūnæ, & vitæ huius calamitates, vt eas patienter sustinere possimus.

Perfecta Eucharistiæ sumptione, sequitur gratiarum actio ad finem missę, in quibus nihil est, quod attentum lectorem impedire possit. reliqua erat cæremoniarum huius Canonis explicatio, nisi de ea capit. 29. singilatim dictum esset: & à D. Thom. partitè & distinctè, & ad pietatem excitandam valdè accommodatè quæst. 83. sed illud tandem admonebo, hanc cæremoniarum distinctionem omninò conuenire cum testimonio D. Pauli de sanctæ incarnationis sacramento & mysterio 1. Timo. 3. manifestè, inquit magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. nam manifestationem in carne significat illa salutatio plebis, Dominus vobiscum, hymnus angelicus, lectio noui testamenti: iustificationem in spiritu, idest ostēsionem Christi, spiritu interius iustificantis, per quam ostendit se esse filium Dei, vt significatur Rom. 1. significauit sæpè canon petens benedictionem Christi, quę in illa interna iustificatione posita est, et ideò vocat hostiam puram, sanctam, &c. apparuisse idem mysterium angelis, hymnus angelicus significauit: prædicatum esse gētibus & creditum in mundo, Euangelium, & symbolum: assumptionem in gloria, eleuatio hostiæ in altum, significans ascensionem Christi gloriosam. hæc satis sunt de expositione canonis, his præsertim, qui in antecedenti doctrina de Eucharistia sacramento & sacrificio, benè instituti sunt.

CAPVT XXXI.

¶ *De templis & locis Deo dicatis, ornatu altaris, & vestibus sacerdotalibus.*



AD exactiùs explicandam priorē conclusionem, quā collegimus ex D. Thoma quæst. 83. de sacrificio noui testamenti disputatum est: de aliis adiunctis eidem sacrificio ad explicationem posterioris conclusionis, nunc disputandum est. ex adiunctis primum est locus & templum, & in eo altare, cuius gratia, & conuentus ecclesiastici, templa instituta sunt, & altare propter sacrificium, & huius gratia sacerdos, vt suprà explicauimus, & confirmauimus. Templum igitur vocamus locum diuino cultui, sacrificio, & conuentibus fidelium ad orationem dicatum, vt Dominus dixit, domus mea, domus orationis vocabitur, siue ea intelligatur sacrificium, quòd non est sine oratione: vel oratio, non excludens sacrificium, præsertim publica, cùm sacrificij causa templa sint instituta, vt admonui, & ipsa Græcorum nominum etymologia ostendit, sacerdotis, sacrificij, templi necessariam coniunctionē. atq; vt à primis exordiamur, in omni lege eo tantū loco sacrificatū est, quem Deus suis cultoribus speciali admonitione patefecit, & sua reuelatione sacrificio quasi dicauit. testes huius rei sunt Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, qui in designatis tantum à Deo locis sacrificauerunt. sed primus Iacob externa etiam olei vnctione dicauit. in lege

ἱερεύω sacrifico
ἱερεὺς sacerdos
ἱερεῖον sacrificium victima.
ἱερὸν templū.

Gen. 4. 8. 12. 13. 22. 26. 33. 35.

in lege deinceps de hac vnctione præceptum impositum est sacerdotibus Exod. 30. & 40. & tandem tabernaculum elegit Dominus ad sacrificandum sibi Leuit. 17. & Deuteron. 12. & 16. interdicitur omnibus Israelitis sacrificium, nisi in loco quem Dominus elegerit. itaque vbicunq; erat tabernaculum & arca Domini, ibi sacrificatum est, & in templo tandem Hierosolymitano. in nouo autem testamento, licet in omni loco sacrificetur iuxta Malachiæ prædictionem cap. 1. idest in omni regione populo & vrbe, in loco tamen specialiter dicato sacrificiis & orationi. sic enim Dominus domum elegit, in qua primum in vltima cœna sacrificauit seipsum, & potestatem sacrificandi concessit, Luc. 22. sic Ecclesiarum & templorum, in quibus Apostoli sacra mysteria celebrarent, mentio est. 1. Corinth. 11. canone Apost. 10. & aliis Pontificum & Conciliorum plurimis decretis, quæ referuntur de consecratione dist. 1. & in concilio Tridentino sess. 22. in decreto de celebratione missæ præcipitur Episcopis, ne patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda & visitãda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscunque peragi, ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu declarauerint, se mente etiam ac deuoto cordis affectu, non solùm corpore adesse. in designandis autem huiusmodi locis, & probandis hæc seruanda præscribit Concilium Mediolaneñ. primũ, ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus Dominus, & familia frequentiùs versentur, sed commodo & honesto loco, à cubiculis, tricliniis, & aula separato, ad templi formam & regulam propiùs accedant. cui autem id permisum fuerit, rarius eo vtatur, & quod semper in his rebus maximè spectandum est, non sine graui necessitate. Denique missa fieri non debet, nisi in templo honorificè extructo, aut vbi necessitas, vel pietas, autoritate legitima id approbante, suadet, in oratorio ad hunc vsum sacrato, & ab omni prophano vsu libero. Fatemur quidem olim, feruente persecutione, vel in priuatis ædibus, vt in Actis legimus, vel in cryptis subterraneis, fideles conuenisse ad sacram communionem, vt referunt Iustinus in apolog. 2. Cypria. serm. de lapsis. cùm autem data est pax Ecclesiæ, extructa sunt templa, quæ & Dominicæ & Basilicæ, à Domino & rege Christo appellata sunt, etiam ante Constantinum Imperatorem, qui non primùm ædificari, sed restitui diruta, aut ablata decreuit, autore Eusebo lib. 10. histor. cap. 5. ante Constantinum enim Fabianus Papa Philippum Imperatorem, & S. Babilas Antiochænus Decium Imperatorem, vel vt alij volunt, Numerianum, ab Ecclesiæ liminibus repulit, vt narrant Eusebius de priori lib. 6. histor. capit. 27. de posteriori D. Chrysostomus in oratione contra Gentiles tomo 5. de tẽplis vero ab Imperatoribus & aliis Regibus ędificatis, de redditibus, donis, immunitate, plurima sunt in historia Ecclesiastica & prophanis, & in iure canon. tradita, quæ non est necesse longius persequi. constat enim quod est huius loci & instituti, sicut Dei proprium est sacerdotium & sacrificium, sic etiam esse oportere loca sacrificiis dedicata, vt sacra à prophanis suaptè natura distincta, vsu etiam separentur. Altare ad sacrificandum, mensam vocat Apostolus 1. Corinth. 10. propter cælestis & diuini conuiuij mysterium, vt explicat Chrysostomus hom. 24. & August. contra aduers. leg. & prophet. cap. 19. sed altaris nomen vsurpat idem Apostolus Hebr. 13. cùm ait, habemus altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deseruiunt, vt exponit Chrysostomus hom. 33. in eandem epist. de forma etiam templi Christiani extat D. Clementis constitutio lib. 2. constit. apost. c. 57. & in Liturgicis Græcis partitè & distinctè eadem forma describitur, vnde multa desumpta in libro instructionum fabricæ & supellectilis ecclesiasticæ, in opere de actis Ecclesiæ Mediolanensis. multa etiam in Liturgicis latinis Pamelij, per singulas Ecclesiæ Christianæ ætates, ab exordio illius ad posteriora vsque tempora, quibus toto orbe Christiana religio colebatur, accuratè deducta sunt, de sacrificij institutione, ritibus, templis, vasis & ornamentis sacris, quæ etiam infideles & pagani aliquando admirati sunt & venerati. refert enim Theodoretus lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ capit. 11. quæstorem à Iuliano apostata missum

missum ad diripienda vasa sacra templi Antiochæni, admiratum eorum magnificentiam dixisse, ecce quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur. & Orosius lib. 7. c. 29. refert Alaricum in direptione vrbis edixisse, nequis loca sancta, presertim Basilicas Apostolorum Petri & Pauli violaret, & eos, qui ad eas confugissent, inuiolatos & securos esse sinerent. cùm autem miles Christianus, apud virginem Deo sacrã, vasa Ecclesiastica Petri Apostoli inuenisset, ea contingere non est ausus dicente virgine, hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt, præsume si audes, de facto tu videris, ego, quia defendere nequeo, contendere non audeo. tum miles hæc ad Alaricũ per nuntium retulit: Alaricus vero vasa vniuersa ad Basilicam Petri Apostoli deferri præcepit, & quia longius aberat, elata super capita gestantium vasa aurea & argentea, exertis gladiis ad defensionem, pie concinentibus Barbaris & Romanis, solemni põpa ad suum locum deducuntur. barbaris crudeliores & sceleratiores Protestantes, qui nõ solum templa, vasa & vestes sacras diripiunt, lacerant & in prophanos vsus cõuertunt, sed etiam ipsa sacra mysteria, & pastophoria, in quibus recondita seruãtur, conculcant, & comburunt. illustre est exẽplum Thymelici cuiusdã saltatoris, qui forte sacram vestem in theatro gestans, subitò expirauit, vt scriptum est hist. tripart. li. 5. c. 37. similis vltionis diuinæ exempla sunt apud Victorem de persecutione Vandalica lib. 1. apud Bedam lib. 1. histor. Anglicanę c. 29. cõqueritur etiam Optatus vtrisq; antiquior de spoliatis & prophanatis Ecclesiæ ornamentis per Donatistas, lib. 1. contra Parmenianum. neque verò est, quod miretur quispiam plurima & in vasis, templis & vestibus sacris, ex veteri testamento in nouo retenta esse, cùm illa vetera abrogata sint: quæ enim futurorum vmbræ fuerunt, ea omninò retineri non possunt: quæ verò ad mores, vel Dei simplicem cultum pertinent, ea non ex legis veteris vi & obligatione, quæ iam nulla est, sed ex congruitate & pietate, ab Ecclesia recepta sunt & probata. sic D. Leo I. serm. 6. de ieiunio decimi mensis, quædam, inquit, de mandato veteri ad nouam obseruantiam transferuntur: & ex ipsa Ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus IESVS Christus non venit legem soluere, sed adimplere. cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nuntiabatur aduentus, & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum, ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, qua sunt condita, perseuerant: & quæ vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. eadem repetit serm. 14. de passione Domini, & serm. 7. de ieiunio septimi mensis. quin etiam aliqua ex moribus gentium in idolorum cultu, ad verum Dei cultum traducta sunt, & quæ sunt adiaphora, vel indifferentia, si ad cultum Dei destinentur, recipi debent & admitti, quia ad piam & religiosam exercitationem cum legitima autoritate transferuntur. D. Thom. q. 83. ar. 5. ad 1. explicat sententiam D. Leonis & 1. 2. q. 103. ar. 3. & 4. De ritibus autem & cæremoniis cœnæ Dominicæ Protestantium, sparsa sunt à nobis multa in doctrina de sumptione Eucharistiæ: sed plenè & cumulatè de comparatione Liturgiæ catholicæ & Protestantium Alanus Anglus, doctissimus Theologus, oratione quodlibetica secunda. Altare præterea, vel crucem, in qua Dominus cruentè seipsum obtulit, vel mensam in qua incruente & in figura panis & vini, vel sepulchrum, in quo triduo corpus Domini sepultum credimus, quia in nostro sacrificio est corpus ex vi verborũ mactatum & mortuum, mysticeq; immolatum, vt sæpè dictum est, significat. operitur mappis lineis & cãdidis superiori parte & ad latera, vt mensam ad diuini conuiuij participationem, repræsentet. superponitur corporale etiam lineum, cum calicis operimento similiter lineo & mundo, vt accommodatè syndonem mundam, in qua inuolutum est corpus Domini in sepulchro, significet: de quibus plurima sunt Pontificum decreta, & Beda lib. 6. in Lucam cap. 7. sepulchrum, inquit, illud venerabile figuram Dominici habebat altaris, in quo carnis eius & sanguinis solebant mysteria celebrari. vnde regula Ecclesiastica tenet eadem mysteria non in serico, non in panno tincto, sed instar syndonis, qua Ioseph eum inuoluit, in linteo puro debere consecrari, vt sicut ipse veram terrenæ mortalisque naturæ substantiam pro nobis morti obtulit: ita & nos in commemorationem eiusdem tre- *Altaris ornatus superior.*

mendi

mendi ac venerabilis sacramenti, purum de terra germen candidatum, & multimodo, quasi mortificationum genere castigatum altari lumen imponamus. hactenus Beda. Candelabra cum cereis accensis, lucem Christi & Euangelij accommodatè in altari Christi repræsentant, & crux media, quia eius virtus, noui testamenti & Euangelij origo & causa est.

Vestium sacerdotis origo & causa.

De vestibus sacerdotis breuis, sed tanto mysterio accommodata consideratio restat. decebat enim, vt sacerdos à Deo vocatus speciali & propria institutione ad sacrificandum, propriis etiam vteretur vestibus, quæ in prophanum vsum nullo modo traduci possent, vt olim in veteri testamento à Domino præscriptum legimus, & in nouo ex Apostolica traditione retinemus. licet enim à Pontificibus posterioribus quædam sint immutata & addita, congruentia eidem ministerio & mysterio, vestes tamen diuinis mysteriis accommodatas, & à vulgaribus distinctas semper Ecclesia catholica retinuit, iam inde ab Apostolicis temporibus. in his autem vestibus manifesta est imitatio vestium legalis sacerdotis, significatio eorum, quæ in passione Domini contigerunt, & virtutum sacerdotis admonitio, quas ipsæ orationes ex præcepto Ecclesię adiunctæ aptè & piè exprimunt. atq; vt à primis exordiamur. Amictus, quo primum caput operit sacerdos, deinde collum præcingit, spem & fiduciā significat, qua concepta de diuina misericordia, audet tanti operis & sacrificij confectionem aggredi. oratio enim Ecclesiastica galeā salutis vocat ex D. Paulo Ephe. 6. quæ non est aliud, quàm illa spes, & bene in Deum collocata fiducia. castigationem etiam vocis amictus designat, vt est in oratione Ecclesiastica de ordinatione subdiaconi, quia linguæ moderationem collo, cui lingua inseritur, maximè exigit Ecclesiæ ministerium, Iacob. 1. symbolum etiam esse videtur amictus operimenti, quo Iudæi velabant faciem Domini, dicentes Matth. 26. prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit. Alba siue tunica linea, quæ totum sacerdotis corpus tegit, vt oratio adiuncta exprimit, integram & perfectam quoad fieri diuino munere possit, animi puritatem & sanctitatē significat, sanguine Christi & merito nobis concessam: sic in Apocalypsi dicuntur sancti dealbare stolas & vestimenta sua in sanguine agni. signum est etiam vestis albæ, in qua Christus ab Herode illusus est Luc. 23. persimilis fuit tunica legalis sacerdotis, quam noster interpres lineam strictam, & byssinam tunicam vocat.

Amictus.

Alba tunica.

Cingulum.

Cingulum, cui in legali sacerdote baltheus respondet, quo tunicam albam corpori aptantes, lūbos & renes præcingimus, iuxta verbum Domini, sint lumbi vestri præcincti, castigationem & mortificationem carnis denotat, quæ maximè decet sacerdotem Domini, vt carnis voluptas & indulgentia à diuinis mysteriis maximè auocat. sic enim Apostolus, si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: & iustitia Christiana ex hac vna mortificatione potissimum pendet, & ideò prędictum est de Christo ab Esa. erit iustitia cingulū lumborum eius: & de iustificatis per Christum c. 61. exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decorauit corona, & quasi sponsam ornatā monilibus suis. est etiā cingulū signū flagelli, quo Pilatus cæcidit IESVM. duo verò breuiores funiculi, qui ex vtroq; latere cinguli aliquando dependent, & pendētem ab humeris stolam constringunt, prudentiæ & temperantiæ indices sunt, quę in carnis mortificatione maximè elucent, & ipsa stolę cōiunctio, virtutum necessariam connexionnem denotat.

Manipulus.

Manipulus in sinistro latere & brachio, pœnitētiæ ex animo susceptæ nota est: est enim veluti sudariū ad lachrymas ex dolore interno exortas, vel sudorem labore expressum, extergendum, & ideò manipulus fletus & doloris in oratione Ecclesiastica vocatur, & fructus bonorum operum in subdiaconi ordinatione, hoc est fructus pœnitentiæ digni. est etiā symbolum & nota funiculorū, quibus Dominus ligatus est manibus & ad columnā, vt flagellaretur.

Stola.

Stolla, vel orarium, ex collo & humeris sacerdotis dependens, iugum Domini suaue repręsentat, vt oratio Ecclesiastica, cùm diacono in ordinatione imponitur, apertè nobis exprimit, vt memor sit sacerdos verbi Domini, cuius personā gerit, [discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris: iugum enim meū suaue est, & onus meū leue.] exprimit autē trāsuersim ducta in pectore crucē Dñi, quā Eps interiectam stolæ extremitatibus, recta in pectore

ctore ductis, gestare solet, & videtur respódere Rationali, quòd in medio pectore duodecim gemmis eidem insertis, legalis sacerdos gestabat. vt enim Rationale Hebræo nomine idem videtur esse, atque veritatis contemplatio; vel iudicij obseruatio: sic sane in Christi cruce fuit veritas & complementum veterum promissionum & sacrificiorum, dicente Domino in eadem cruce, consummatum est. congruit autem omninò sacerdoti sacrificanti, cùm offerat eundem Christum in cruce olim immolatum, tum ad propitiationem, tum ad gratam recordationem cruentæ illius immolationis. hinc etiam in oratione Ecclesiastica dicitur, stola immortalitatis, quã peccato primi parétis amissam, mors Christi restituit: mortuus est enim propter delicta nostra, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu, vt Petrus inquit: & mors Christi effecit, vt liberarentur timore mortis, qui per totam vitam obnoxij erant seruituti, vt scribit Paulus ad Hebr. Casula vltimum sacerdotis indumentum, Græcis planeta dictum, quia non adstrictum cingulo, quasi errare videtur, cum minime erret, vt cælestes planetæ, charitatem, quæ delet & operit multitudinem peccatorum, designat, vt in oratione Ecclesiastica ad sacerdotis ordinationem expressum est. vt enim charitas est virtutum omniũ forma & consummatio, sic vestibus sacerdotalibus planeta finem & perfectionem imponit. Rabano videtur à casa per diminutionem dicta casula, quod totũ hominem tegat. his igitur vestibus ornatus sacerdos ad sacrificandũ procedit, deferente ministro coram ipso, quæ ad materiam sacrificij, & ministerium necessaria sunt: vt olim Isaac Abrahamum sacrificaturum in monte, ligna ad holocaustum deferens præibat. quare, vt omnes fideles hortatur Apostolus Ephes. 6. dicens, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, sic & nos hortemur omnes sacerdotes, vt non tantùm vestibus his sacris induti, sed etiam earum significationibus interius muniti & confirmati, ad sacrificium peragendum grauiter & attentè procedant, orantes pro omnibus, vt Christus nobis propitius glorificetur.

Casula.

Sed sunt etiam aliȩ vestes Episcopi solẽniter sacrificantis propriæ, de quibus, quòd sint etiam communes cum subdiaconis & diaconis, hoc loco paucis dicendũ: hæ sunt tunica & dalmatica, quibus separatim ad ministrandũ diaconus & subdiaconus vtũtur. sed Episcopus eas vesti albæ superinducit, vt in eo tãquam in hierarcha, omnium ministrorum curam & solicitudinem repositã esse intelligamus, & vnus in omnibus laboret, & pro omnibus vigilet. Tunicam ergo illam subdiaconi breuiorem dalmatica, salutis indumentum, & iustitiæ tunicam vocat oratio Ecclesiastica in ordinatione eiusdem subdiaconi, quòd eius nota sit & symbolum. videtur Ecclesia in hac oratione cõsiderasse illud Apostoli, exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui secũdum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. videtur etiã hȩc nostra tunica, prȩsertim si in Episcopo consideretur, referre Ephod sacerdotis legalis, quod superhumerale dicitur in nostra trãslatione, licet hoc esset baltheo constrictũ, non sic autem tunica apud nos. Dalmatica, inquit Rabanus, in Dalmatia primum texta, est candida tunica cum clauis ex purpura, & videtur Vghoni Victorino 4. p. de sacramentis colobium esse monachorum, & eo Apostolos vsos esse adiectis manicis: quod se legisse in gestis Siluestri Papæ scribit Vvaldens. de sacramentalibus c. 29. est autem colobium Græca vox, sed à latinis etiam vsurpata, hoc est tunica, sine manicis inquit D. Hieron. in q. Hebr. & Isidorus lib. 19. etymolog. vocat lebitonarium. apud Cassianum lib. 1. cap. 5. manicis non omninò carebant, sed eæ citra cubitum desinebant, quæ forma ferè est nostræ dalmaticæ. eius significatio est vera mortificatio, nam abscissio manicarum significat nos abscidisse opera mundi huius, & mortificare mẽbra, quæ sunt super terrã, vt viuat in nobis Christus, sicut ait Apostolus Gal. 2. De aliis Episcoporum vestibus non est huius loci differere, in quo de communibus sacerdotum differimus, & ex orationibus Ecclesiasticis, quȩ eisdem vestibus accõmodantur, manifesta est eorum significatio & institutio: & de consecratione altaris & vasorũ ad sacrũ mysterium plenissimè D. Tho. q. 83. art. 3. Cæterum easdem vestes sacras retinet Ecclesia Græca iam inde à primis nostræ Ecclesiæ temporibus, vt constat ex Liturgiis Basilij & Chrysost. & omnium, in antiquis Patribus frequens mentio, non tantùm in scriptori-

Tunica.

Dalmatica.

Veterū de eisdē sacris vestibus testimonia.

scriptoribus diuinorum officiorum. mitrā gestasse Ioannem Euangelistam refert ex antiquioribus Euseb.lib. 3. histor.eccles.c. 25.stolę seu orarij Ambrosius in oratione de obitu fratris satyri.Braccareñ.conc.primum can.32.Tolet.4.can.39. pluuialis meminit Epiphan.hæresi 15.& 16.albæ Carthagineñ.4.can.4.pallæ altaris, siue corporalis Theodoretus lib.2.hist.c.31.linteaminū, quibus altaria cooperiuntur Optatus lib.6. contra Parmenianum.vestis talaris, quæ sacra poderes dicitur Euseb.lib.10.hist. c.4. colores earundem vestium,temporibus & festis,quæ celebrat Ecclesia,accommodātur:lætis candidus,tristibus niger,his interiectus est violaceus,& viridis,vt etiam,quę celebrantur vtrisq; interiecta sunt,martyribus cruore effuso tinctis, rubeus congruit. Hęc dicta sint de sacris canone missę,altari & vestibus ad excitandū sacerdotes Ecclesiæ catholicæ, vt quanta sit dignitas & præstantia sacrificij,quod Deo offerunt expendētes,eidem vita & moribus congruētes,fidele & gratum præstent obsequium Deo viuo & vero,qui est benedictus in sæcula sæculorum,Amen.

BVRGIS.
Apud Philippum Iuntam.
1588.

Juan
D.n

[illegible]


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm